# RITUALE ROMANUM BENEDICTI PAPAE XIV.

## JUSSU EDITUM, ET AUCTUM

PERPETUIS COMMENTARIIS EXORNATUM, ac in duos Tomos divisum,

*Quibus vetus, ac nova sacrorum rituum disciplina; Sanctorum Patrum, ac insignium Ritualium testimoniis, Romanorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, Sacrarum S. R. E. Cardinalium Congregationum Responsis, ac variarum Ecclesiarum praxi recensetur, atque explicatur.*

EIDEM SANCTISSIMO PATRI

DICATUM

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO

ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS

## *TOMUS II.*



ROMAE, ex Typographia Josephi, & Philippi de Rubeis apud Pantheon. MDCCLVII.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# BENEDICTO XIV.
## PONTIFICI MAXIMO

JOSEPHUS CATALANUS S. P.

ECce & alterum, BEATISSIME PATER, *Commentariorum Tomum in Rituale Romanum tuo jussu editum, auctumque, ac* SANCTITATI TUÆ *multis nominibus debitum, quæ cum explicata jam fuerint una cum ratione hujus Operis in Epistola dedicatoria Tomo*

*primo præfixa, nihil aliud supereſt, quam ut maximas Tibi gratias agam, quod dignatus ſis libenti non modo gratantique animo dedicata immortali Nomini tuo tot mea Opera excipere, ſed & illa etiam in Libris, Literiſque Encyclicis tuis iterum, iterumque non ſine elogio commemorare. Quod quidem fateor tuæ inſigni erga ſacrorum Studiorum cultores amori tribuendum, potiſſimum vero immenſæ* DEI *miſericordiæ, qui mihi homunculo tam grande beneficium præſtitit, tantamque vim dedit, ut ſolus jugi Oratorii Hieronymiani ſervitio addictus, & omni humano ſubſidio deſtitutus, permulta volumina ſcribere, ac edere etiam in lucem non ſine ingenti impenſa valuerim, & dum tanta peragerem, obreptam ſenectutem vix intellexerim. Sed Tu es ille,* BEATISSIME PATER, *qui exemplum præbes, quippe qui ſummis Eccleſiæ univerſæ curis intentus, longæva ætate, atque adverſa valetudine pene confectus, literariam, Eccleſiaſticamque Rempublicam Operibus egregiis, ac ſaluberrimis Decretis ditare, & communire adhuc non ceſſas. Faxit DEUS Optimus Maximus, ut ad alios annos complures* SANCTITATEM TUAM *ſervet incolumem, mihique, ſi id ei libuerit, vitam, & auxilium opportunum præſtet, ut alia permulta Opera, quæ ſcripſi, & typis committere, & magno Nomini tuo dedicare valeam, quamprimum*

ve-

*vero amplissimam Collectionem Conciliorum Italiæ cum Notis, aliisque ad ea spectantibus, Opus sane in multos Tomos divisum, quorum primo omnia Concilia descripsi, quæ Prædecessores tui Pontifices Maximi Romæ celebrarunt, aliis vero aliorum Episcoporum Concilia, juxta ordinem ab Ughello in sua Italia Sacra servatum, dilata ad aliud tempus aliorum Operum meorum editione. Servatum autem eum ordinem volui, tum ut sensim novam Sacram Italiam exactiorem, copiosioremque producerem, tum vero potissimum, quod difficillimum mihi fuisset generalem, successivamque Conciliorum Italiæ chronologiam adornare, & nunc in una, nunc in alia longe dissita Ecclesia versari. Scio,* Beatissime Pater, *rem esse ingentis laboris pariter & impensæ, sed tua Pontificia Benedictione, quam enixe a Te peto, confisus, spero sane, me & tantum conatum perducturum ad finem, & alia quoque Opera jamdiu ad lucem parata publici juris facturum. Ipsa quippe Papalis Benedictio est, qua Prædecessores tui Reges ac Principes se ditare jure meritoque affirmabant, quamque iccirco ipsi summa semper animi demissione, obedientiam, obsequiumque erga Apostolicam Sedem profitentes, expetere ab ipsis tuis Prædecessoribus consueverunt. Sciebant namque, expertique jam sæpius fuerant, quantis ea esset spiritualibus gratiis plena, & ma-*

*gnis*

gnis Indulgentiis dives. Id quod etiam ego & in his Commentariis non uno in loco notavi, ubi ritum scilicet explicui Papalis benedictionis, quem Tu omnium primus inseri Romano Rituali jussisti, ingenti non modo morientium, sed & viventium quoque Fidelium utilitati. Cæterum, quum multa scripserim, Deoque dante, scribam inposterum, vitandi saltem otii causa, & ut aliquibus typographis qualitercumque prodessem, siquid mihi forte præter voluntatem exciderit Fidei Catholicæ absonum, quod absit, vel bonis moribus, iterum, iterumque sincere, & ex animo, ut Christianum Catholicum, & sacrum hominem decet, SANCTITATI TUÆ protestor, me indictum penitus velle, ac totum, quod scripsi, Tuo irrefragabili, Tuæque Apostolicæ Sedis judicio omnino subjectum.

IN-

# INDEX TITULORUM ET CAPITUM

*Qui in hoc Tomo secundo Romani Ritualis continentur.*

## TITULUS VIII.



## TITULUS IX.



De

TITULUS X.



TITULUS XI.




IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*F. M. De Rubeis Patr. Const. Vicesg.*

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.


DE




# DE BENEDICTIONIBUS

## REGULÆ GENERALES

## TITULUS VIII.

### CAPUT I.

I. Explicatis Tomo I. hujus Operis ritibus in Sacramentorum administratione, & exequiis defunctorum, a Parochis, & a cæteris inferioribus Sacerdotibus observandis, explicationem aggredior in hoc altero Tomo rituum, qui ab eisdem in Benedictionibus Ecclesiasticis, in sacris Processionibus, & in exorcizandis obsessis a dæmonio, sunt adhibendi, juxta ordinem in Rituali Romano præscriptum. Ut ergo a Benedictionibus ordiamur, Benedictio, seu benedicere, quamvis multipliciter accipi possit, uti notavit Sacerdotale Romanum initio Partis secundæ, tria nihilominus potissimum significat, uti post alios docet Paulus Maria Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo I. Sectione I. Dubitatione I. Primo enim significat bene loqui de aliquo, seu aliquem laudare, & commendare, ut in Psalmo XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Secundo significat bona, & prospera alicui precari, & fausta ominari, ut in Psalmo III. *Super populum tuum benedictio tua*. Tertio benedicere significat consecrare, & sanctificare, seu conferre aliquod esse sacrum rei, quæ benedicitur, ut fiat conveniens, & apta materia Sacramenti, vel Sacrificii; vel fiat instrumentum salutis sive animarum, sive corporum, ad quod pertinet illud Apostoli dictum in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei, & orationem*. Atque hæc Benedictio, est illa, de qua nunc agimus, estque cæremonia Ecclesiastica, qua, per invocationem Divini Nominis, aliquid boni confertur, vel postulatur; quando quis scilicet ratione muneris sacri, quo fungitur, petit a Deo, ut personis, seu rebus aliquibus bona convenientia tribuat; & hæc est, quæ Benedictio Ecclesiastica appellatur; quippe quæ nomine Ecclesiæ, & ex auctoritate ei a Deo concessa fiat; posuit enim Deus Sacerdotes, & Ministros Ecclesiasticos, dispensatores Benedictionum suarum, uti recte observat Jacobus Eveillon in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Capite XXXI. quod inscriptum est, *De Benedictionibus Ecclesiasticis*; probatque celebri testimonio Libri Numerorum, Cap. XVI. ubi per Moysen ita loquitur Deus Aaroni, & filiis ejus: *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Invocabuntque Nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis*.

II. Hunc plane locum egregie ad rem nostram exposuit quidem S. Petrus Damiani in Epistola ad Cives Florentinos, quæ est undecima Libri octavi, ubi ita scribit: *Dominus in Libro Numeri de Sacerdotibus ait*: Invocabunt Nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis: *Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis invocat, sed ipse super eum Dominus Benedictionem efficaciter format. Effectus itaque Benedictionis non in merito Sacerdotis constat, sed hanc invocatio Divini Nominis administrat; ut quod ex ore sonat hominis, intus impleat Creator, & per indigni sæpe hominis ministerium, Divina virtus suum veraciter efficiat Sacramentum*. Quod quidem consentaneum est doctrinæ Sancti Augustini eundem locum sic exponentis in Libro Quæstionum Veteris Testamenti, Capite XI. *Per quod ostenditur, spiritum gratiarum, non personam sequi, aut digni, aut indigni, sed ordinationem traditionis, ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat. Dei autem est effectum tribuere Benedictionis*. Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali, Benedictio Ecclesiastica habet effectum, non quidem ex opere,

ut ajunt, operato, adinstar Sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiæ, quæ cum sit Sponsa Christi dilecta, non potest non exaudiri ab eo pro merito, & dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit.

III. Tota vis igitur Benedictionum Ecclesiasticarum, ut bene concludit laudatus Eveillon, est in oratione, & invocatione Ecclesiæ, quæ fit per ejus Ministros, ut de omni genere ciborum, qui a Christianis ante esum benedicuntur, dicit S. Paulus in recitata Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*. Ideoque, sicut loco laudato e Libro Numerorum Deus certam formam populo benedicendi Aaroni, & Sacerdotibus Veteris Legis præscripsit, ita Ecclesia Divino Spiritu edocta, omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in Libris Ritualibus, Missalibusque, ut sciant Sacerdotes, quid in singulis, & quomodo petendum sit; ne videlicet temere, & pro arbitrio loquendo, ab ejus institutione, proposito, & fine exerrent, & sic optatis decidant. Quamobrem omni ratione cavendum est iis, ne alias Benedictionum formas, ritus, aut cæremonias usurpent, quam quæ in Libris Ecclesiasticis, Missali scilicet, Pontificali, & Rituali Romanis continentur, vel aliis suprema Præsidum Ecclesiæ auctoritate probatis. Circumferuntur enim non paucæ a superstitiosis, & maleficis hominibus compositæ, & arte dæmonum excogitatæ; quæ, ut latens venenum non facile produnt, ita multos incautos decipiunt, atque in impietatem, prætextu devotionis, aut remedii necessarii facile pertrahunt. Cavendum etiam, ne Benedictiones Ecclesiasticæ quocumque prætextu ad alios fines detorqueantur, quam ad quos ab Ecclesia institutæ sunt. Cum enim illæ vim non habeant, nisi ex intentione, & invocatione Ecclesiæ, non autem ex proposito, & voluntate utentium; certum est ex communi ordine providentiæ Divinæ, easdem neque effectum sortiri alium, quam ab Ecclesia institutum; neque sine piaculo ad alienos, & particulari præsumptione excogitatos usus posse applicari. Qui autem sint legitimi fines, & effectus singularum Benedictionum, intelligitur ex earundem verbis, atque sententiis quibus concipiuntur.

IV. Sunt autem illæ omnino in duplici differentia. Nam aliæ invocativæ a Theologis appellantur, aliæ constitutivæ. Illæ sunt, quibus Dei benignitas invocatur, ut personis, seu rebus benedicendis, pro cujusque conditione, usu, aut necessitate, aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet, non immutato earundem statu, cujusmodi sunt Benedictio Episcopalis, Benedictio, quæ datur initio Confessionis, quæ post Baptismum, quæ post Communionem, quæ in fine Missæ, quæ ante Lectiones Divini Officii, quæ Diacono lecturo Evangelium, Benedictio Regis, & Reginæ, Benedictio novi Militis, Armorum, & Vexilli bellici, vestium Monachorum, & Monialium, Benedictio Sponsi & Sponsæ, Anuli Sponsalis, puerperæ, domus novæ, novæ navis, vinearum, frugum, atque adeo omnium esculentorum, & poculentorum, & aliarum ejusmodi rerum; quarum benedicendarum formulæ habentur in Libro Sacramentorum Sancti Gregorii, & in antiquis Missalibus, ac Ritualibus. Nam licet harum Benedictionum virtute, nova quædam bona, seu temporalia, seu spiritualia Divinitus conferantur rebus, seu personis, pro quibus Nomen Dei invocatur, relinquuntur tamen illæ sibi, & suæ conditioni pristinæ, atque usui consueto, neque ob hoc in ordinem rerum sacrarum transeunt.

V. Constitutivæ Benedictiones dicuntur ab ipsis Theologis illæ, per quas res, seu personæ benedictæ constituuntur in esse permanente rei sacræ, religiosæ, & sanctæ, adeo ut eum statum deinceps non mutent, neque ad profanum usum redire possint. Quo in genere nonnullæ ad significandum, & repræsentandum aliquid sacrum spectant, ut Cereus Paschalis, Cruces, Imagines Sanctorum, Candelæ in die Purificationis, Cineres Feria IV. in capite Jejunii, Rami in Dominica Palmarum, Panis Eulogiarum, Sal quod adhibetur in Baptismo, Anuli pro consecratione Virginum, & id genus alia. Ex quibus tamen quædam ad cultum Dei, & certa Religionis officia, atque ministeria destinantur, ut Episcopi, Sacerdotes, & reliquorum Ordinum Ministri, Abbates, Abbatissæ, Moniales, Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria, Cæmeteria, Campanæ, Calices, Patenæ, Pyxides, Sacerdotalia indumenta, Corporalia, Mappæ Altaris, Ciborium, seu Custodia Sanctissimi Sacramenti, Capsæ Reliquiarum, & alia Vasa sacra. Quædam vero ad aliarum rerum benedictionem, & sanctificationem comparata sunt, ut Chrisma, Oleum Catechumenorum, atque Infirmorum, Thus, Aqua benedicta, tum communis, tum Baptismalis, & illa cujus usus est in Dedicatione, & Reconciliatione Ecclesiarum. Hæc enim omnia cum per benedictionem, seu consecrationem in jus Domini transierint, & ejus obsequio mancipata, atque addicta fuerint, non possunt sine sacrilegio ad proprium hominis usum, & profanos actus transferri; juxta illud Juris Canonici effatum, *De regulis juris in* VI. ubi edicitur: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum*.

VI. Ob hanc plane causam in variis Conciliis, ac præsertim Mediolanensi IV. Provinciali S. Caroli, vetitum est, ne Altaria consecrata, sine Episcopi auctoritate diruantur, aut loco moveantur; & constitutum ab Ecclesia etiam fuit, ut ligna Ecclesiæ, Pallæ Altaris, Cathedra, Candelabra, Vela, & alia hujusmodi ornatui, & ministerio Templorum, atque Altarium deputata, licet speciali benedictione sanctificata non fuerint, si usu detrita, aut vetustate consumpta sint, incendio dentur, cineresve ipsi in locum sacrum, & abditum inferantur, ne prætereuntium pedibus conculcari, aut quoquo modo irreverenter haberi possint, uti constat ex Canone, *Ligna*, & Canone sequenti, De consecratione, Distinctione I. Quia nimirum ipso usu cultus Divini consecrata censentur; cujusmodi sunt illa, de quibus scribit S. Augustinus in Psalmum CXIII. Concione II. his verbis: *Sed enim & nos pleraque instrumenta, & vasa ex hujusmodi materia, vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur in ejus honorem, cui pro salute nostra inde servitur*. Multo magis itaque ea, quæ Ecclesiæ Benedictione sancta sunt effecta.

VII. Posterioris hujus generis Benedictionum instituendi causa fuit, quod cum ea, quæ ad cultum Dei usum aliquem sacrum destinantur, sancta esse oporteat, idest talia, quæ ei apte, convenienterque deservire possint, Ecclesia, prout quamque rem ad ejusmodi usum statuit adhiberi, ita

ita statis, atque solemnibus precationum formulis a Deo petere solet, ut illam eo usu dignam, & ad eum aptam perficere dignetur, impedimenta, siquæ sint, tollendo, & vim ad efficiendum necessariam tribuendo; quod benedicere, sanctificare, & consecrare vulgo dicitur; & hac virtutis Divinæ sanctificatione, creaturæ a simplici rerum naturalium conditione elevantur ad statum quemdam quasi Divinum, idest, supernaturalis excellentiæ, ut jam ad Dei cultum digne, & congruenter applicari possint, ut docet Sanctus Thomas Secunda Secundæ, Quæstione XCIX. Articulo I. *Ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam Divinum, & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum*. Idemque S. Doctor Parte III. Quæstione LXXXIII. Articulo III. sic habet: *Ecclesia, & Altare, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui*.

VIII. Ex hoc itaque res Deo dicatas appellari sanctas, jam recte docent Theologi, ac rerum ritualium Scriptores. Sanctitas enim, ut disserit memoratus S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæstione LXXXI. Articulo VIII. duo importat, munditiam, & firmitatem; munditiam, ut res ipsa, quæ denominatur sancta, ab omni labe, & inquinamento pura sit; firmitatem, ut Deo tanquam ultimo fini, & summo principio firmiter conjungatur, & immobiliter adhæreat. Mens autem humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus, idest, terrestribus, & mundanis conjungitur, sicut quælibet res ex immistione pejoris sordescit; res vero inanimatæ impuritatem inde contrahunt, quod in promiscuo usu creaturarum, vilium, corruptibilium, & profanarum, versentur; & præterea, quod sæpe maleficiis, & noxiis impressionibus dæmonum, aut irreligioso usu pravorum hominum, vel infidelium conspurcentur. Benedictione itaque Ecclesiastica, seu consecratione, res quæ Divino cultui servire debent, primum ab omni dæmonis immunditia, & contaminatione purgantur, & ejusdem infestatione liberantur (ad quem effectum pertinent Exorcismi, qui in nonnullis Benedictionibus præmittuntur, & signa Crucis frequentia, quibus ejusdem dæmonis vis pellitur) atque a communi profano, & mundano usu sejunguntur, & in hoc munditia est; deinde abstractæ a colluvione, & contage creaturarum, ad Religionis, ac pietatis usum applicantur, & Dei cultui in perpetuum addicuntur, & in hoc cernitur firmitas illa, quæ veram sanctitatem perficit, ut res illæ a Sancto Sanctorum divelli amplius non possint. Quare illæ deinceps singulari protectione virtutis Divinæ, & speciali quadam Angelorum custodia munitæ creduntur, ut ab omni injuria, & contaminatione vindicentur; quemadmodum Altare illud apud Joannem Monachum in Prato Spirituali, Cap. IV. ad cujus cornu stantem Angelum cum conspexisset Abbas Leontius, & pavore correptus aufugisset, vox ad eum e Cælo lapsa est dicens: *Ex quo sanctificatum est Altare istud, ego jugiter illi adstare jussus sum*. Cui simile est aliud exemplum in eodem Libro, Cap. X. & apud alios rerum Liturgicarum Scriptores.

IX. Præter res, quæ ad Dei cultum pertinent, etiam & aliæ multæ, quæ usui hominum sunt, ex vetusto Ecclesiæ ritu, ut infra suis locis demonstrabimus, benedicuntur; præsertim vero comestibiles, non quod illæ sua natura malæ sint, & Benedictione indigeant; sed quia, sicut rebus corporalibus, in quibus quamdam adversus nos potestatem propter peccatum accepit diabolus, frequenter utitur ad nocendum hominibus, ita ad ejus nocumenta repellenda, res corporeas Ecclesia certis quibusdam, ac piis precationibus sanctificat, & benedicit. Quod enim de quolibet cibi genere dicit Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem*, in omnem creaturam, quæ in usum hominum venit, pari ratione rectissime refertur, ut inter alios Theologos notavit Estius in Libri III. Sententiarum Distinctione XXXVII. §. IX. & ante ipsum Albertus Castellanus Ordinis Prædicatorum Sacerdotalis Romani concinnator, Parte II. in Procemio, *De variis benedicendi, seu Benedictionum acceptionibus &c.* cujus verba lubet hoc loco describere: *Quia vero princeps hujus mundi Satan pessimus hominum saluti, & vitæ tam spirituali, quam etiam corporali invidet, multa nociva rebus humano usui deputatis adinvenit, ut ipsis, & spiritualiter, & corporaliter noceat; ideo Ecclesia instituit, res benedici in virtute Dei, ut inimici pravitas eradicetur, & Fideles in bono statu, & quiete conserventur. Quamvis autem juxta Beati Pauli Apostoli dictum I. Timothei IV. Omnis Creatura Dei bona sit, in quantum a Deo est; tamen ad effugandam virtutem inimici ab ipsa, nihilominus per Ecclesiam, & Sacerdotem sanctificatur, ut ibidem idem Apostolus subjungit, dicens*: Creatura sanctificatur per verbum & Orationem, *scilicet Sacerdotis ex institutione Ecclesiæ*. Sed in recitatum ipsum Apostoli locum, vide quæ nos infra dicemus non uno in loco, & quidem latius in explicatione Capitis XIII. quod inscriptum est, *Benedictiones esculentorum præsertim in Pascha*.

X. Illud vero nequaquam silentio prætereundum hoc loco, nempe præter Benedictionem Ecclesiasticam, ac solemnem, & publicam, quam sacri homines impertiunt, & de qua hactenus dixi, dari etiam Benedictionem privatam, seu simplicem, communemque omni homini, qualis est illa, *Benedicat te Deus*. Hocce testimonium affirmat Tertullianus in Libro, *De Testimonio Animæ*, Capite II. apud nos Christianos esse summum *disciplinæ, & conversationis Sacramentum*. Et adjungit de gentilibus: *Benedicat te Deus, tam facile pronuncias, quam Christiano necesse est*. Quod jurgantes Pagani sibi mutuo passim ingererent uti summum maledictum, *Juppiter sit tibi iratus*, testatur idem Tertullianus in Libro, *De idololatria*, Cap. XXII. Et nescio quem Christianum, qui maledicto regesserat, *Immo tibi*, gravissime increpat, ut falsæ Divinitatis comprobatorem, & prosequitur: *Æque benedici per Deos nationum, Christo initiatus non sustinebit, ut semper rejiciat immundam benedictionem, & eam sibi in Deum convertens emundet. Benedici per Deos nationum, est maledici per Deum. Si cui dedero eleemosynam, vel aliquid præstitero beneficii, & ille mihi Deos suos, vel Coloniæ Genium, propitios imprecetur, jam oblatio mea, vel operatio Idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compensant*. Uti Christiani mendici pro accepta eleemosyna reddunt, *Dominus Deus*, aut

*aut talis, vel talis Sanctus tibi benedicat*, ita Gentiles reddebant, *Benedicat tibi Juppiter*, *Civitatis Genius*, aut quis alius falsus Deus. Nempe hæc Benedictio est omni homini communis, omni animæ naturale de Deo testimonium, quod pagana cæcitas frequenter detorsit in sua dæmonia, & Christiana justitia reddidit Divinæ Majestati.

XI. Notat hæc quidem Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ in S. Gregorii Septimi Septimum Romanum Concilium, Capite inscripto: *Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur*, ubi etiam huc facere inquit versum illum Psalmi CXXVIII. *Et non dixerunt, qui præteribant, Benedictio Domini super vos.* Quem locum ita ad rem S. Augustinus exponit; *Nostis Fratres, quando transitur per operantes, est consuetudo, ut dicatur illis*, Benedictio Domini super vos. *Et magis ista consuetudo erat in Gente Judæorum. Nemo transibat, & videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in messe, vel aliquid ejusmodi, non licebat transire sine Benedictione.* Non tantum ergo per Sacerdotes, Sacrosque homines, sed etiam per quemvis hominem laicum data Benedictio, est apud omne hominum genus adeo antiqua, & familiaris, ac illa præsertim paterna, ac etiam materna in filios; etenim Isaac, & Jacob, licet Sacerdotes essent, ut multi affirmant, dum tamen filios benedixerunt, nequaquam Sacerdotali, sed sola paterna sunt usi potestate, ut idem Lupus observat loco citato. Et quoniam, ut testantur S. Augustinus, ac S. Joannes Chrysostomus, quisque paterfamilias domui suæ esse debet velut Episcopus, filii omnes quotidie, ejus debent Benedictionem petere, atque accipere. Hæc est avita consuetudo bonorum Fidelium, habens exemplum a S. Propheta Job, & fundata in Apostolicis Litteris. Certe, ut alios omittam, de suis Anglis scribit in Vita Thomæ Mori Thomas Stapletonus: *Solent apud nos liberi mane, & vespere Benedictionem flexo poplite ab utroque parente poscere.*

XII. Consuevisse etiam laicos homines non modo personas, verum etiam res præsertim comestibiles benedicere, multis probari posset Sanctorum exemplis, qui etiam oleo, pane, aliisque id genus a se benedictis, miracula multa patrarunt, uti videre est in eorum Vitis apud Surium, & apud Bollandianos, sed erant hæ tamen Benedictiones privatæ, quibus Deum virtutem dabat, non vero solemnes, & Ecclesiasticæ, de quibus in præsenti tractamus.

## §. I.

Noverit Sacerdos, quarum rerum Benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.

## COMMENTARIUS.

I. Explorati juris est, quamlibet Benedictionem non posse, nec valide, nec licite fieri, nisi ab eo, qui ad tale munus designatus est ab Ecclesia, ad quam sicut institutio Benedictionum pertinet, ita & designatio Ministri legitimi; quare si ab alio fiat, validam illam non esse, recte docet Suarez Tomo III. in III. Partem, Disputatione XV. Sectione III. & alii Doctores communiter. Ex designatione autem Ecclesiæ, aliquæ Benedictiones pertinent ad simplices Sacerdotes, non vero ad alios inferioris Ordinis, aliquæ ad solos Episcopos, aliæ tandem ad Summum Pontificem, ut Benedictio Agnorum Dei, & aliarum rerum, quæ ex Cæremoniali S. R. E. a Marcello Corcyrensi Archiepiscopo typis commisso, quod nos in duos Tomos distributum perpetuis Commentariis illustravimus, a solo ipso Papa peragi solent.

II. Sed omissis Benedictionibus soli Romano Pontifici reservatis, quas nec Episcopis licet usurpare, ratio institutionis Ecclesiæ, quod quædam Benedictiones a Sacerdotibus fiant, ea profecto est, quod ipsi consecrantur, ut sint præcipui Christi Ministri, & dispensatores Mysteriorum Dei ex Apostolo in Epistola I. ad Corinthios Capite IV. Cum enim per Benedictiones dispensentur gratiæ, & dona Dei, merito Ecclesia Sacerdotali Ordini munus benedicendi adnexuit, ut patet ex Ordinatione Sacerdotum, quorum manus, cum sacro Catechumenorum Oleo inunguntur, hanc plane formulam ex antiquissimo ritu profert Episcopus, expressam Parte I. Romani Pontificalis, quod & nos Commentariis etiam perpetuis exornavimus, explicuimusque, Titulo XII. *De ordinatione Presbyteri*, §. XII. his verbis: *Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecraverint, consecrentur, & sanctificentur, in Nomine Domini nostri Jesu Christi.*

III. Quamvis autem Sacerdotes, seu Presbyteri ex vi sui Ordinis, facultatem habeant benedicendi res, & personas, ut supra dicebamus, intelligendum hoc tamen est intra limites ab Ecclesia præscriptos, a qua juxta diversos Ordines Sacramentalium, & sacrarum functionum, diversorum Ordinum Ministri designati sunt. Siquidem, ut scite post alios observat Paulus Maria Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo I. Sectione IV. Dubitatione IV. Hierarchia militantis Ecclesiæ Cælestem suo modo imitatur, sicut testatur S. Dionysius, vel alius vetustus Auctor Libri, *De Cælesti Hierarchia*. Quare sicut in Cælis, juxta varios Angelorum ordines, varia sunt munera singulorum, quum Angeli inferiorum ordinum minima nuncient, Archangeli vero suprema juxta doctrinam Sancti Gregorii Homilia XXXIV. in Evangelia, & sic diversimode dona Dei dispensent, ita & in Ecclesia simplices Sacerdotes velut Angeli inferioris ordinis ad peragendas simplices Benedictiones sunt destinati, Episcopi vero tanquam Archangeli ordinis excelsioris Benedictiones sacratiores solemnioresque perficiunt. Quæ quidem Ordinum distinctio cum res sit magni momenti, opportune ex hoc §. cautum

tum est, ut Sacerdos noscat, *quarum rerum Benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.*

IV. Ergo quædam Benedictiones ita sunt propriæ Episcoporum, ut nec ab his delegari simplicibus Sacerdotibus possint, nisi auctoritate Apostolica, ut Benedictio Corporalium, & Vestium Sacerdotalium, juxta communem Scriptorum doctrinam, consecratio Calicis, Ecclesiæ Altaris, aliæque, in quibus intervenit unctio Chrismatis, vel sacri Olei; & ut alias omittam, Benedictio solemnis super populum, de qua notandus Canon XLIV. Concilii Agathensis anni DVI. *Benedictionem*, inquit, *super plebem in Ecclesia fundere*, idest solemniter, *aut pœnitentem*, idest publicum, *in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit*. Cæterum a simplicibus Sacerdotibus peragendæ sunt illæ Benedictiones, quæ tam in Missali, quam in hoc nostro Rituali fieri præscribuntur a Sacerdotibus absque alio additamento, qualis est Benedictio aquæ lustralis, candelarum, cinerum, navium, esculentorum, & similium. Abstinere autem omnino simplices Sacerdotes ab iis Benedictionibus debent, quæ in Libris Missalis, ac Ritualis dicuntur fieri a Parochis, vel ab alio etiam Sacerdote, sed illorum permissu, vel de licentia proprii Ordinarii. Cujusmodi sunt Benedictio Nuptiarum, quæ, ut Tomo I. dictum fuit, ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De reformatione*, Capite I. ad solum Parochum pertinet, Benedictio Fontis Baptismalis, domorum in Sabbato Sancto, & aliæ complures in Rituali præscriptæ, ut a Parocho fiant, *vel ab alio Sacerdote*, quod, ut superius dixi, intelligendum ex consensu, & licentia Parochi.

## §. II.

In omni Benedictione extra Missam Sacerdos saltem Superpelliceo, & Stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

## COMMENTARIUS.

I. IDipsum totidem fere verbis præscribit Sanctus Carolus in Rubricis, seu Instructionibus generalibus pro Benedictionibus, sic inquiens: *In omni Benedictione Sacerdos Superpelliceo, & Stola præterea pro ratione temporis utetur, nisi aliter notabitur*. Notat autem Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Titulo XIX. num. 5. habitum Sacerdotis benedicturi esse quidem Superpelliceum, & Stolam *regulariter* albam, aliquando vero violaceam: *Nam color albus*, inquit, *designat puritatem communicandam rebus benedicendis; violaceus autem adhibetur congrue in Benedictione conjuncta cum Exorcismis ad effugandos dæmones; unde ad aquam benedicendam eo colore utitur; potest tamen adhiberi Stola coloris tempori convenientis, ut dicitur in Rubricis Ritualis Romani*. Porro recte ait hic noster §. in omni Benedictione extra Missam debere Sacerdotem Superpelliceo, & Stola uti pro ratione temporis, nisi aliter in Missali notetur. Ex Rubricis enim Missalis Parte IV. Titulo VI. & VII. ubi agitur de Benedictione Cinerum initio Quadragesimæ, & de Benedictione Palmarum in Dominica Majoris Hebdomadæ, *Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula cum Ministris similiter indutis procedit ad benedicendum Cineres, sive ramos Palmarum &c.* Sed attendendæ sunt Rubricæ nostri hujus Ritualis, in quibus, & habitus, & color præscribitur, qui in singulis Benedictionibus adhibendi sunt. Non dubito tamen, quin peccati etiam læthalis reus esset Sacerdos, si communibus tantum vestibus indutus hujusmodi Ecclesiasticas Benedictiones perageret.

## §. III.

Stando semper benedicat, & aperto capite.

## COMMENTARIUS.

I. TRadit & hanc regulam S. Carolus in citatis Rubricis, seu Instructionibus de Benedictionibus: *Stando semper benedicet, non sedendo, aut genuflectendo, & capite aperto*. Quum Benedictiones ex prisco Ecclesiæ instituto peragantur cum invocatione Divini Nominis, & Orationibus, merito statutum est, ut Sacerdos illas celebraturus stet capite aperto; ut ita scilicet Christo Domino obsequatur, qui in Evangelio Marci, Cap. II. dicit: *Cum stabilitis ad orandum &c.* Forte quod Christiani olim utplurimum ad orationem starent, dicti sunt passim a S. Cypriano *stantes*. Cur autem non sedendo, sed stando orandum sit, rationem affert Tertullianus in Libro, *De Oratione*, Cap. XII. ubi ita inquit: *Si quidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem cum maxime reverearis, ac venereris; quanto magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc Orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est? nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit?* Tandem quod oratio peragi debeat ab homine Christiano nudo capite, mandat Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XI. Testem veteris hujus disciplinæ orandi scilicet nudo capite, habemus inter alios Tertullianum in Apologetico, Cap. XXX. *Illuc suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore, precantes sumus semper &c.* Esse hunc insignem locum adversus contemptores cæremoniarum Ecclesiasticarum in oratione cum qua-

quadam earumdem explicatione, quod orandum nempe sit expansis manibus, nudo capite, & pectore, notavit inter alios eruditos Scriptores Pamelius ad recitata verba Tertulliani.

## §. IV.

In principio cujusque Benedictionis dicat ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde dicatur Oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Postea rem aspergat Aqua benedicta, & ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

## COMMENTARIUS.

I. QUum quævis Benedictio a Deo proveniat, qui Author, & largitor omnium bonorum est, juxta illud, quod scriptum legitur Cap. VI. Numerorum, Versu XXVII. *Invocabunt nomen meum super Filios Israel, & ego benedicam eis*, ideo cautum est ex hoc nostro §. ut Sacerdos *in principio cujusque Benedictionis dicat* ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c.* Desumptum ex Psalmo CXXIII. quem quidem versum una cum aliis precibus præmitti Benedictionibus Ecclesiasticis consuevisse, ex antiquis Libris Ritualibus constat, ad profitendum scilicet, & contestandum, nos viribus nostris, aut operibus justitiæ nequaquam confidere, ut Benedictionum munus aggrediamur, sed solo Dei auxilio, præsidioque niti, in quo tota nostra spes, ac fiducia est reposita, ut in Nomine suo spernamus insurgentes in nobis. Unde solet hic versus ferme in fronte, & initio cujusque nostri operis præmitti, quo protestemur, nos nihil confidentiæ in nobis habere ad conficiendum id opus, sed in solo Dei adjutorio, quod virtute Nominis ipsius adfuturum nobis speramus, & ut adsit, supplices exoramus.

II. Rite itaque, recteque Rituales Codices passim mandant, præmittendum Benedictionibus Ecclesiasticis dictum versiculum; quos sequutus S. Carolus ita in ipsis Rubricis, *Pro Benedictionibus*, ritum præscribit; *In principio cujusque Benedictionis dicet quæ sequuntur, & dum dicit*, Deus in adjutorium, *signum Crucis sibi adbibeat*. ℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio &c. ℟. Sicut erat &c. Alleluja. *In Quadragesima, omisso*, Alleluja, *dicatur*, Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Postea Oratio, vel Orationes propriæ*. In fine Benedictionis semper dicat: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. ℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. ℣. Procedamus cum pace. ℟. In Nomine Christi. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. *Postea aspergat Aqua benedicta ter res, primo in medio, secundo a parte dextera, tertio a parte sinistra, nihil dicendo, nisi in propriis locis aliter notetur*. Hactenus ille, qui quidem nonnulla præscribit, quæ ad hunc nostrum §. spectant; supervacaneique laboris fuerit alios Rituales Codices hic recensere, quibus ritus in hoc nostro §. præscriptus confirmetur. Porro quod tandem ait hic noster §. ut Sacerdos rem, quam benedixit, aspergat Aqua benedicta, &, ubi notatum fuerit pariter incenset, præscriptum in omnibus passim Ritualibus legitur; in omni enim Benedictione, si paucas excipias, locum habet Aqua benedicta, & in quibusdam etiam incensatio, ut ex infra dicendis patebit.

## §. V.

Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat Ministrum cum vase Aquæ benedictæ, & aspergillo, & cum hoc Rituali Libro, seu Missali.

## COMMENTARIUS.

I. QUo majori cultu, ac religione Ecclesiasticæ Benedictiones peragantur, aliquid eo amplius, quod in nostro hoc § statuitur, præscripsit S. Carolus in suis citatis superius Instructionibus: *Cum Sacerdos*, inquit, *aliquid benedicturus est, habeat duos Clericos, quorum unus vas Aquæ benedictæ cum aspergillo, alter vero Librum hunc Ritualem teneat, aut unum saltem, qui ei actioni inserviat*, ubi scilicet duos habere nequeat. Sane ex præscripto hujus §. duo in Benedictionibus adhibendi sunt Libri, Ritualis scilicet Romanus, seu Missalis itidem Romanus, in quibus Ecclesiasticæ Benedictiones continentur; rejectis omnino aliis libercculis non modo ab Ecclesia non approbatis, verum etiam prohibitis. Licet autem Benedictiones a Parochis, aliisque Sacerdotibus inferioribus peragendæ Missali Romano, ac Rituali Libro contineantur, peculiaris olim pro iisdem celebrandis adhibitus fuit, dictusque iccirco Benedictionalis Liber, in quo Benedictiones continebantur, quæ ab Episcopis, & Sacerdotibus fieri solitæ erant, cujusmodi est Benedictionalis Sancti Gregorii Magni, quem ex Codice Cæsareo descripsit Petrus Lambecius Lib. II. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea, Cap. V. Fit plane & hujusmodi Libri mentio in Ordine Romano apud Hitorpium; ubi præscriptum legitur, ut Sacerdos *accipiat Benedictionalem Librum, & conversus ad populum dicat*: *Humiliate vos ad benedictionem &c.* Vide & alia de eodem Libro vetera testimonia apud Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Benedictionalis Liber*.

§.VI.

## §. VI.

Caveat, ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed, quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco paratam.

## COMMENTARIUS.

I. Ecce quid & de hac re paulo luculentius edicit S. Carolus in memoratis toties Rubricis, seu Instructionibus de Benedictionibus: *Benedicet in Ecclesia*, ait, *stans in cornu Epistolæ, aut etiam in Sacristia ad mensam decentem pro ratione eorum, quæ benedicuntur*. Tum mox: *Sed caveat, ne Benedictionis gratia ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed, quod ejusmodi est, ponatur super aliquod scamnum paratum loco commodo*. Sane quamquam hic noster §. nominatim vetet esculenta benedicenda, qualia sunt ova, panes, agni Paschales, fruges, aliaque comestibilia, poni super Altare, jam nec decet super eodem exculenta poni, aliave, quæ benedici solemni ritu quotannis solent certis diebus, veluti Candelæ in Festo Purificationis Virginis, Cineres initio Quadragesimæ, ac Palmæ in Dominica dicta Palmarum. Istæ enim res, aliæque quibusvis aliis diebus benedicendæ, veluti enses, vexilla, lapides ad usum Altaris, campanulæ, & id genus aliæ permultæ, collocari debent super mensa ad hanc rem paratam in Sacristia, seu prope Altare, in cornu Epistolæ, si ad Altare peragenda est Benedictio. Cæterum, quod nihil super Altari debeat poni, *nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia*, ex cujusdam Remensis Concilii Sanctione tradidit Ivo Carnotensis Episcopus Parte II. sui Decreti, Cap. CXXXII. Quinimo vel ipsas Sanctorum Reliquias consuevisse antiquitus vel sub Altari, vel subtus absidem recondi, non vero Altaribus imponi, prout postea moris fuit Sæculo IX. pluribus probat Mabillonius in sua Præfatione ad Sæculum II. Benedictinum num. XLV. & seqq.

II. Viget & hæc passim in Ecclesia disciplina a Cæremoniali Episcoporum Lib. I. Cap. XII. §. XII. atque a communi praxi approbata, ut diebus præsertim solemnibus Altaria Sanctorum Reliquiis, in tabernaculis argenteis clausis, argenteisque itidem Sanctorum Imaginibus ornentur, sed cavendum tamen semper, ne res benedicendæ, quæ usui hominum, & ad Altarium ornatum minime pertinent, super eisdem locentur; hoc enim merito & Rituales Codices, & Sacræ Synodi vetant. Et ratio desumi ex Sanctis Patribus potest, ac præsertim ex Optato Milevitano Lib. VI. contra Donatistas, qui Altare appellat Sedem, & Corporis, & Sanguinis Christi. Quamobrem nefas est in ipsa Sede comestibilia, aliaque usui hominum inservientia, ut benedicantur, collocare.

# CAPUT II.

## *Ordo ad faciendam Aquam benedictam.*

I. De Aqua benedicta, ac de ordine ad eam faciendam dicturi, ut rem a sua prima origine repetamus, habuisse Ethnicos Aquam suam lustralem, & piacularem, liquet ex Hippocrate, si tamen ipse Author est Libri, *De morbo sacro*, ubi refert, subeuntes Templa aspergi Aqua, ut purgentur a culpis anterius contractis. Idem agnoscit Virgilius in hujusmodi Aqua, ubi Libro II. Æneidos meminit etiam aspergilli, sic inquiens.

*Idem ter socios pura circumtulit unda,*
*Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.*

Sed non opus est alia gentilium Scriptorum testimonia afferre, cum sit vulgatissimum, quid Valentiniano I. acciderit, cum Julianum Apostatam civilis obsequii ergo ad fores usque Templi Idolorum esset comitatus; ab Æditijo enim Aqua ritu Ethnico lustrata permodice respersus, & Æedituum, ipso inspectante Juliano, valide pugno contudit, & partem chlamidis, quam profana Aqua contigerat, illico abscissam abjecit, ut scribunt Sozomenus Lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite VI. & Theodoretus Lib. III. Cap. V. Videndus de Aqua Ethnicorum sacra Baronius ad annum CCCLXII. Porro sicut Aquam ipsam Ethnici ab Hebræis usurpaverant, depravantes, quod habetur in Libro Numerorum, Cap. XIX. de Aqua lustrationis, & expiationis, ut non male ratiocinatur Loyerius Lib. VIII. *De spectris*, Cap. IX. ita nos Christiani juste, usum perverse occupatum eluimus, adhibita Aquæ sanctificatione per verbum Dei, & orationem. Argumentum vero ex sectariis propositum, fuit jam olim crocitatus Juliani Apostatæ, expostulantis, quod Christiani usus Ethnicos sublegissent. Sed nos, ut est apud S. Augustinum Libro XX. contra Faustum, Cap. XXIII. habemus quædam cum gentilibus communia, sed finem diversum. Neminem latet, Satanam Dei simium Divina pleraque instituta æmulatum esse; ut optime notavit Tertullianus in Libro, *De præscriptionibus adversus hæreticos*, Cap. XL. & in Libro, *De Corona Militis*, Cap. XIV. aliique Patres, atque Scriptores relati a Raynaudo in Heteroclitis Spiritualibus, Parte II. Sectione II. Puncto V. ubi late egregieque differit de Aqua benedicta.

II. Quam antiqua sit in Ecclesia ritus Aquæ benedicendæ, dicemus mox infra in Commentario ad §. I. Lubet initio Capitis hujus & illud præmittere, varias esse, & antiquas in Ecclesia solemnes Aquæ Benedictiones. Benedicitur I. Sal & Aqua in Benedictione, & positione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda. II. Pro Ecclesiæ, Sacelli, Altaris, Cœmeterii, & Campanarum Dedicatione, & Consecratione. III. Pro Ecclesiæ, & Cœmeterii Reconciliatione; quarum Benedictionum formulæ in Pontificali Romano habentur jam a nobis perpetuis Commentariis illustrato.

to. IV. benedicitur Aqua Baptismatis bis in Latina Ecclesia, nempe in Vigiliis Paschæ, & Pentecostes, ut legere est in Missali Romano. V. in Ecclesia Latina benedicitur singulis diebus Dominicis Sal, & Aqua, ut inde populus, & alia aspergantur, utque ab ipsis etiam Fidelibus in vasculis mundis domum deportari, & religiose usurpari possit. De hac postrema nos agimus in præsenti, quæ etiam ex prisco ritu in vasis ad Ecclesiarum ostium collocatis asservari solet, ut aspergantur ii, qui illas ingrediuntur.

III. Sunt qui Aquæ benedictæ originem ab Apostolorum temporibus repetunt, quia scilicet juxta S. Augustini regulam Libro IV. *De Baptismo contra Donatistas*, expressam, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Negari non posse, quin ejus usus sit in Ecclesia antiquissimus, vel ex eo probat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis Officiis celebrandis*, Cap. IX. num. XII. quod, præter Benedictionem Aquæ ad Baptismum, & ad Ecclesiarum dedicationem adhibendæ, quæ a primis Christianæ Religionis Sæculis obtinuisse non dubitatur, alia supersunt de illius usu, atque virtute argumenta apud S. Epiphanium, Hæresi XXX. Cassianum Collatione XV. Cap. XIV. Theodoretum Libro V. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXI. & alios Auctores plurimos, quos citant Gretserus in Tractatu, *De Benedictionibus*, Lib. II. Cap. IV. Marsius Columna in sua Hydragiologia, Durandus, Durantus, & cæteri, qui Catholicæ Ecclesiæ ritus recensent.

IV. At vero non defuerunt hæretici, qui & hujusmodi Benedictionem irriserint. Primi quidem, ut testatur Bellarminus Lib. III. *De cultu Sanctorum*, Cap. VII. fuerunt Waldenses exorti anno Christi MCLXX. Post eos Flagellantes, circa annum MCCCL. qui, quod omnem pietatem constituerent in Baptismo Sanguinis per flagellationem sponte effusi, simul asserebant, finem jam accepisse Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & cætera omnia, & cum eis omnes Benedictiones Aquæ, Salis, Cinerum &c. unde etiam instrumentum, quo aspergimus ipsam Aquam benedictam, vocabant clavam mortis, ipsas vero guttas aquæ aspersæ, scintillas infernales dicebant. Sequuti sunt Flagellantes Wicleffistæ, asserentes, Benedictiones Aquæ, Salis, Vini, Panis, Olei, Cereorum, & similium, esse veram praxim necromantiæ; idemque de hæreticis in Bohemia grassantibus scribit Æneas Sylvius in Libro, *De origine Bohemorum*, Capite XXXV. His denique accesserunt Lutherus, Calvinus, hæreticique nostri temporis omnes, quos egregie feliciterque confutavit laudatus Bellarminus loco citato, num. 6.

V. Quicquid autem obganniant heterodoxi, hanc Aquæ Benedictionem ex pervetusto ritu, ingenti Fidelium utilitate, universa frequentat Ecclesia. Romana quidem singulis diebus Dominicis, ut dicemus mox in §. I. hujus Capitis, excepto Paschæ, & Pentecostes Festo, eo quod pridie harum solemnitatum, uti notavit Gretserus in citato Opere Lib. II. Cap. IV. benedicatur, & consecretur Fons Baptismatis, ex cujus Aqua Fidelibus pars aliqua etiam domum adsportanda dabatur, ut ait Durandus in suo Rationali Lib. IV. Cap. IV. prius tamen, quam Chrisma infunderetur. De quo antiquo more sic legimus in Capitularibus Regum Francorum Lib. VI. Cap. LXXVII. *Quod in Sabbato Sancto, vel in Sabbato Pentecostes, siqui velint Aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, ante Chrismatis infusionem accipiant*. Quod in suum Decretum transtulit Gratianus, Cap. CXXVI. De consecratione, Distinctione IV. Tempore Gregorii Turonensis, qui claruit Seculo VI. solitam fuisse distribui hanc Aquam post Chrisma infusum, citato loco observat Gretserus, qui etiam scite mox subjicit, reverentiæ causa, posterioribus Sæculis id merito fuisse mutatum. Sed hoc obiter dicto, notandum denique est illud, eandem scilicet Benedictionem Aquæ ex antiquo pariter instituto in usu esse apud Græcos, Armenos, Antiochenos, Syros, Æthiopes, seu Abyssinos, & Mozarabes in Hispania, ut palam fit ex Benedictionum formulis, quas ad calcem suæ Hydragiologiæ profert Marsilius Columna. Quamobrem merito ridendus Hospinianus Calvinista, qui temere asserere non erubuit, Aquam lustralem in Romana Ecclesia inventam, ab aliis Ecclesiis non fuisse usurpatam.

## §. I.

Diebus Dominicis, & quandocumque opus fuerit, præparato Sale, & Aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel Sacristia, Sacerdos Superpelliceo, & Stola violacea indutus, primo dicit ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*.

## COMMENTARIUS.

I. Aquam baptismalem consecrandi morem duobus temporibus Paschæ, & Pentecostes antiquissimum in Ecclesia fuisse, jam late nos asseruimus, probavimusque Tomo I. hujus Operis in Commentariis ad Titulum II. non uno in loco. Ex eadem Aqua consuevisse olim Fideles, antequam in ea parvuli baptizarentur, accipere in vasis suis, *ad spargendum, tam in domibus, quam & in vineis, campis, & fructibus eorum*, docent nos antiquæ Synodi, & prisci Libri Sacramentorum apud Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. præsertim Ordine VI. Testatur etiam Durandus, Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. IV. quod adhuc suo ævo solerent homines de ipsa Aqua baptismali aspergi, priusquam in ea Chrisma infunderetur; sed id tamen communiter interdictum fuisse, quod putarent nonnulli, se iterum a peccatis hujus Aquæ aspersione mundari.

II. Præterea quum pius usus eo tandem devenerit, ut quum jam non sufficeret tantis aspersionibus pro hominibus, & pro eorum domibus, ac vineis, & campis Aqua illa baptismalis, putat

tat quidem inter alios eruditus Auctor Sebastianus Pauli in Dissertatione, *De Ritu Ecclesiæ Neritinæ*, Parte I. num. VIII. prope finem, cautum icirco in Ecclesiis quibusdam fuisse, ut singulis Dominicis Aqua benediceretur a Sacerdotibus, facta populorum pietati ampliori potestate eam in sacros illos usus insumendi. Animadvertens porro laudatus Auctor, ex Aqua baptismali segetes olim, campos, & domos aspersas, sequenti num. IX. in eam ait se ivisse sententiam, Aquam scilicet, quam nos lustralem, seu benedictam vocamus, & ad alios extra Baptismi ritus benedicimus, primoribus illis Ecclesiæ temporibus, neutiquam ab Aqua baptismalis Fontis diversam fuisse; sed exorcizatis Aquis ad baptizandorum regenerationem partim absumptis, ex eis, quæ supererant, aspergebantur; quæque cum vix sufficerent, facile factum esse, ut altera Aquarum Benedictio institueretur, quæ aliis sacris a Baptismi usibus inserviret.

III. Revera cum mos benedicendi Aquam extra Baptismum Dominicis diebus, vergentibus annis inolevisset, ea tamen excepta fuere tempora, in quibus Fons baptismalis consecrabatur, ut Paschæ, & Pentecostes; quasi innuere vellent Patres, & Synodi, ex prima, & vetustissima Baptismalis Fontis consecratione recentiorem hanc benedictionem Aquæ emanasse. Id quod apertius forsan innuit Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. VII. *De Divinis Officiis*, Cap. XXX. ubi ait, quod *benedicitur populus*, Aqua scilicet benedicta, *diebus Dominicis in memoriam lavacri regenerantis, quod in sola Paschæ Dominica conferebatur*. Similia his docet Durandus citato loco num. 4. ubi diserte ait, Aquam in memoriam Baptismi omni Dominica benedici, præterquam in Pascha, & Pentecoste, quia in Sabbatis Dominicas illas præcedentibus, benedictis Fontibus, ante Chrismatis infusionem Aqua recipitur, & ad spargendum nos, & domos reservatur, non quidem, *ut rebaptizemur*, ut scite subdit Durandus, *sed ut gratiam Divini Nominis cum memoria Baptismatis invocemus*. At quod admirationis loco esse potest, in Basilica Nolana antiquitus die sacro Pentecostes populus lustrali Aqua aspergebatur, non autem pura illa, & naturali, cujus semper in Ecclesia usus fuit, sed artefacta, & rosacea, ut apud memoratum Sebastianum Pauli testatur Ambrosius Leo, *De Urbe Nola*, ubi sic inquit: *Paucis post memoratum diem coronarum, sertorumque præteritis, atque tunc, cum dies illuxit, quod Pascha rosarum appellatur, Basilicam, Episcopium, fronde, ac floribus spargunt, ornantque Sacerdotes, ac inter sacrificandum, ex eis unus vasculo arctissimi orificii rosea aqua semipleno singulis accedens irrorat*.

IV. Sed omisso hoc ritu, ut ritum in hoc §. I. relatum latius enarremus, benedicendi scilicet Aquam diebus Dominicis, & quandocumque opus fuerit, quamquam antiquissima sit in Ecclesia Aquæ Benedictio, & a primis usque sæculis Christianæ Religionis usitata, ut superius probatum fuit, fatetur tamen Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. IX. num. XII. non legisse se aliquid de solemni Salis, & Aquæ Benedictione singulis diebus Dominicis facienda ante Sæculum IX. quo Leo Papa IV. in Homilia, *De cura pastorali*, pauca hæc habet: *Omni die Dominico ante Missam Aquam benedicite, unde populus aspergatur, & ad hoc proprium vas habete*. Quod etiam Hincmarus Remensis Archiepiscopus, editis ad Presbyteros Diœcesis suæ Capitulis nonnullis, quinto loco statuit, *ut omni die Dominico quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia Aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto ministerio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & qui voluerint, in vasculis suis nitidis ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula quoque eorum, necnon & super cibos, & potum suum conspergant*. Hanc Benedictionem *in omni Dominica juxta Canones* celebrari, scribit Micrologus in Libro, *De Observationibus Ecclesiasticis*, Cap. XLVI. Sed quinam sint hi Canones, ait Martene citato loco, necdum sibi reperire licuisse. Nam S. Alexandri I. Papæ Decretum, quod ille citat, & refertur a Gratiano, Canone, *Aquam*, De consecratione, Distinctione II. est suppostitium, desumptum ex adulterina memorati Alexandri I. Papæ Epistola I. quam communiter explodunt eruditi Scriptores.

V. Tradit hæc quidem Martene, sed non desunt multi ex eruditis, & quidem primi subsellii, inter quos Baronius, Bellarminus, Gretserus, aliique Viri doctissimi, qui usum Aquæ benedictæ ab Apostolis traditione emanatum, & Alexandri Papæ I. Decreto stabilitum probant. Quicquid autem sit de hujusmodi Decreto, adhærere nequeo laudati Martene opinioni, ubi non obscure innuit, solemnem Salis & Aquæ Benedictionem singulis Dominicis faciendam ante Sæculum IX. minime reperiri. Quamvis enim nulla de eo ritu ante dictum tempus monumenta extent, cum ipsa tamen Aquæ Benedictio antiquissima sit in Ecclesia ex traditione Apostolorum profecta, conveniret autem populus, ut tradit S. Justinus in Apologia II. ad Synaxim *die Solis*, idest Dominica die, in consequentiam venit die ipsa Dominica eam Benedictionem peragi consuevisse medio Sæculo Christi II. quo Justinus claruit. Cæterum nec monumentum, quod ex Leone Papa IV. affert Martene, aliquid innuit, quod tunc temporis Aquæ Benedictio Dominica die facienda incœperit, sed tantum docet, ut ritus ille observaretur, qui forte alicubi, Presbyterorum negligentia, ut solet accidere in aliis functionibus Ecclesiasticis, in desuetudinem abierat.

VI. Ergo ritui antiquo concinit hic noster §. ut nimirum Benedictio Aquæ diebus Dominicis peragatur, & quidem *ante Missam*, ut ait laudatus Pontifex Leo IV. sive, ut habet Hincmarus, *ante Missarum solemnia*. Atque hoc est tempus, quod varii Codices Rituales, Synodi, & Auctores multi, qui de Divinis Officiis tractarunt, ei Benedictioni assignant. Verum, teste Martene loco citato, num. XIII. in Ecclesia Turonensi Sabbato ante Vesperas hujusmodi Benedictio fiebat; ex præscripto autem Ordinis Cameracensis, & Atrebatensis Ecclesiæ, mane ante Primam privatim in Sacrario peragebatur; ex antiquo Missali insignis Ecclesiæ Albiensis *ante Tertiam in Sacristia*; ex antiquo Processionali, seu Rituali ms. Svessionensi Hora Tertia *ad assensum Presbyterii super gradum altiorem*. Hodie quoque in Choro ad aquilam benedicitur in Ecclesia Rothomagensi, Sacerdote ad Aquilonem converso Exorcismos pronuntiante. In insigni tandem Ecclesia Viennensi in Gallia solemniter in navi celebratur

Aquæ benedictæ ritus hoc modo, quem idem Auctor describit: *Die Dominica, convocatis ad Campanæ signum per horæ quadrantem Canonicis, Sacerdos indutus Amictu, Alba, Stola, & Cappa, comitante Subdiacono, Alba, & Manipulo ornato, ac Librum Missalem deferente, cum duobus Acolythis Alba pariter indutis, uno cereum accensum, & Sal, altero vas Aqua plenum deportante, accedit ad superiorem navis partem versus Evangelium, ibique, toto circumstante Clero, Salem, & Aquam, exorcismis, & precibus annotatis, expiat.*

VII. Tandem ut huic Commentario finem imponam, mandat hic noster §. ut Sacerdos benedicturus Aquam, dicat primum ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c.* desumptum ex Psalmo CXXIII. quo protestemur, nos viribus nostris, aut operibus justitiæ nequaquam confidere ad hanc Benedictionem peragendam, sed solo Dei auxilio, præsidioque niti, in quo tota nostra spes, ac fiducia reposita est, uti jam latius diximus supra Cap. I. in Commentario ad §. IV. ubi Versiculum ipsum, qui ferme in fronte, & initio cujusque operis, atque Ecclesiasticæ Benedictionis ex antiquo Ecclesiæ ritu præmitti solet, jam explicuimus.

## §. II.

Deinde absolute dicit Exorcismum Salis: *Exorcizo te creatura Salis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in Aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas Aquæ, ut efficiaris Sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ, & corporis; & effugiat, atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

*Oremus.*

*Immensam clementiam tuam, Omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere ✠, & sanctificare ✠ tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis; & quicquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Venio nunc ad Exorcismos, seu adjurationes, quibus nonnullæ res benedicendæ, ac nominatim Sal, & Aqua, prius purgantur, & tunc demum juxta antiquum Ecclesiæ ritum, actis Exorcismis, benedicuntur; sunt enim & aliæ quædam, quæ absolute benedicuntur, nullo præmisso Exorcismo, quales sunt variæ Benedictiones, quas infra explicabimus. Ergo Benedictioni Salis & Aquæ, de qua in præsenti agimus, Sacerdos ex veteri utique ritu hunc Exorcismum præmittit in nostro §. descriptum: *Exorcizo te creatura Salis &c.* Hac adjuratione præmissa, qua dæmon, vel expellitur, vel impeditur, ne creaturam illam obsideat, usumque ejus mortalibus noxium reddat, subjungit Orationem, seu Benedictionem: *Immensam Clementiam tuam &c.* in eodem §. expressam. Similis plane est Benedictio Aquæ in §. III. notata; nam & in hac Exorcismus præcedit, & subsequitur Oratio, seu Benedictio, quamquam ipse etiam Exorcismus implicite Benedictionem contineat. De Exorcismorum antiquitate in Ecclesia, ejusque usu in variis Benedictionibus Ecclesiasticis loquuntur passim prisci Patres, ac Synodi, Ritualesque Codices, quorum loca vel hic recensere, literis abuti esset, ac tempore.

II. Scio equidem, vehementer offendi hæreticos nostri præsertim ævi verbo isto *exorcizo* in Benedictionibus Salis & Aquæ posito; absurdum enim videri ajunt, si creatura rationis expers exorcizetur, seu adjuretur, cum Exorcismum, seu adjurationem, nec sentiat, nec intelligat. Verum communis Theologorum doctrina est, veterum Patrum, atque perpetuo Ecclesiæ usu innixa, hujusmodi res adjurari posse, non secundum se, sed in alio; quia cum adjuratio sit petitio, seu obsecratio, vel imperium, dirigi per se ad creaturas irrationales nequit, cum talium actionum percipiendarum non sint capaces. Dirigitur ergo adjuratio ad Deum, sed petendo, & obsecrando, aliter enim adjurare non licet. Atque hæc forma adjurationis observatur in Benedictionibus Salis & Aquæ: *Exorcizo te creatura Salis per Deum ✠ vivum &c. Exorcizo te creatura Aquæ in Nomine Dei ✠ Patris &c.* Subjunguntur mox Orationes, quibus petitur, ut Deus creaturas ipsas benedicat, expulsis inde dæmonis insidiis, & ut dæmones impediat, ne nobis per creaturas rationis expertes noceant; uti scite observat inter alios eruditus Gretserus Libro II. *De Benedictionibus*, Capite VII. ubi etiam notat, aliquando Exorcismum, seu adjurationem rerum rationalium directe terminari ad dæmonem, & tunc id per imperium fieri; imperio enim cogendus est dæmon, non obsecratione, aut precibus, ut hunc vel illum locum, hanc vel illam rem relinquat, perque eam mortalibus damna inferre desinat.

III. Docet tamen doctissimus Suarez Tomo II. *De Religione*, Lib. IV. *De adjuratione*, Capite II. num. 14. adjurationem per imperium etiam directe circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam, & effectum; non quod morale illud imperium percipiant, aut ad ejus intelligentiam se se moveant, vel a motu desistant; sed quia efficacia, & effectus imperii ita illis a Deo imprimitur, quasi imperium ipsum intellexissent. Sic Matthæi Cap. VIII. imperavit Christus ventis & mari, & e vestigio sequuta est obedientia, non moralis, sed quasi physica. Ita enim venti, & ma-

& mare Christo morem gesserunt, quasi auribus verba imperantis audivissent. Ad cujus imitationem ventis, & tempestatibus, & animalibus perniciosis serpentibus, locustis, aliisque id genus, imperarunt non raro Viri Sancti, ad eaque imperium pervenit, non quoad intelligentiam, sed quoad vim, & efficacitatem. Memorabilis Exorcismus contra animalcula fructibus terræ perniciosa, quo usus fertur S. Tryphon Martyr, quem Græci, hujusmodi clade imminente, potissimum invocant, ut & S. Eustachium, & S. Julianum Libycum, legitur in Euchologio, quod Notis egregiis illustravit Jacobus Goar, pag. 555. juxta postremam editionem Venetam anni MDCCXXX.

IV. Communi itaque, ut idem Goar observat, utriusque Ecclesiæ usu receptum est, ut reptilia, & insecta agris, vineis, hortis, perniciem inferentia precibus eliminentur, & Exorcismis exterminentur. Dei namque vindicta, aut dæmonis invidia, cum hæc animalia soleant immitti; si Divino nutu insistent homines, supplici prece ad Deum directa, flagello ingruenti occurrendum; sin a dæmone mota frugibus ruinam minentur, tunc Ecclesiæ potestas auctorem mali dæmonem, non precibus, sed Exorcismorum imperio compellit, ut irrationabilibus his creaturis dispersis, ab intentando hominibus nocumento desistat. Et talis est, ait S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæstione XC. Articulo III. modus adjurandi in Ecclesia Exorcismis, per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationabilibus creaturis. Varia exempla ad comprobandam Exorcismorum, & Aquæ benedictæ virtutem, leguntur passim in Vitis Sanctorum apud Surium, & Bollandianos. Atque, ut hic unum proferam, memorat laudatus Surius ad diem XVIII. Aprilis in Vita S. Ursmari Episcopi Belgæ, qui obiit anno DCCXIII. Exorcismis pariter, & Aquæ benedictæ aspersione fugatum fuisse dæmonem a Malbodiensis Monasterii prædiis.

V. Dicta hucusque jam satis ostendunt, quam impius, atque sacrilegus sit Liber ille, cui Titulus, *Lectura super Canone, De consecratione, Distinctione* III. *de Aqua benedicta per Reverend. Decretorum Doctorem, & Episcopum Argolicensem DD. Gerardum Busdagrum de Luca in Episcopatu Paduano Suffraganeum*. Cujus Libri is unicus scopus est Aquam benedictam ludibrio exponere, hæreticorum more, qui etiam asserere non verentur, Catholicos, qui Aquam & Sal exorcizant, pollutos esse hæresi Manichæorum, existimantium, creaturas a malis spiritibus teneri, & obsideri. Sed recte ajunt nostri Theologi, manifestam esse hanc hæreticorum calumniam. Nam creaturas Dei bonas esse, nulla penitus excepta, docemus, & fatemur palam; non ignorantes interim, dæmonem his ipsis, saluti, & incolumitati nostræ insidias struere posse, eam ob causam ex pervetusto Ecclesiæ ritu, miraculis etiam comprobato, ante usum illas benedicimus, & sanctificamus. Ad quam Benedictionem, & sanctificationem ipse etiam Exorcismus refertur; ut si forte in usu ejus creaturæ nobis nocumentum pararet, Exorcismo, seu adjuratione compulsus discedat. Posse autem dæmonem res, quas ad vitam sustentandam adhibemus, præsertim esculenta, & poculenta, inficere, vel unum illud exemplum Monialis apud S. Gregorium, Lib. I. Dialogorum, Cap. IV. satis ostendit; quæ cum non præmisso sanctæ Crucis signo lactucam comedisset, simul etiam dæmonem, ut ita loquar, comedit; graviter ab eodem obsessa, & cruciata, vehementius adhuc crucianda, nisi S. Equitius e vestigio opem tulisset, expulso tam inviso inquilino.

VI. Sed ut quæ nostrum hunc §. spectant explicemus, miraculum illud ab ipso Deo precibus Helisæi Prophetæ patratum, in ipso Exorcismi principio statim profertur, cujus historia in Libro IV. Regum Cap. II. sic contexta legitur: *Cum post Heliam curru, & equis igneis in Cælum subvectum, Helisæus Propheta habitaret in Hierico, dixerunt ad eum viri Civitatis: Ecce habitatio hujus Civitatis optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*. Quasi dixerint. Optimus est situs Civitatis, utpote contemplationi Prophetarum aptissimus, nec terra est sterilis de se, sed ex malitia aquæ, unde debet irrigari; ideo non indigemus nisi aquæ sanatione: *At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad Fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc juxta verbum Helisæi, quod locutus est.* Hoc præstitit Helisæus Propheta, non quod aquis ipsis inesset sterilitas, velut fœcunditatis privatio; sed quia amarulentæ erant aquæ illæ Hiericontinæ, & saliginosæ; steriles reddebant terras, quas irrigabant; in quas iccirco misit sal, quod jam exorcizatum dicitur, cum a Sacerdote sacris imprecationibus adjuratum, Divinis statim precibus sanctificatur, in omnium Christifidelium salutem, ut sit omnibus illis sumentibus sanitas animæ, & corporis, itaut a personis, & locis, in quibus aspersum fuerit, procul sit omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis. Hinc Exorcismus dicitur adjuratio, seu forma, & modus adjurandi spiritus nequam hominibus infestos, itaut exorcizare, nihil aliud sit, quam spiritum immundum per Divina adjurando expellere, ut nos late dicemus infra in Commentariis ad Titulum IX. *De exorcizandis a dæmonio obsessis*. Porro sal ipsum in Evangelio sanctificat verbum Dei, per quod Sacerdotis ministerio imbuitur populus per aquam intellectus. Et dum trina Cruce utrumque signatur, discit populus Sanctissimæ Trinitati gratias pro eruditionis, ac redemptionis beneficio referre.

VII. Salis Exorcismum sequitur statim Oratio, qua Sacerdos totius Ecclesiæ nomine immensam illam Omnipotentis Dei potentiam deprecatur, ut hanc creaturam Salis in usum omnium Christifidelium concessam, consueta pietate benedicat, & sanctificet, ut quisquis illorum, aut quivis locorum, ex eo tactus, vel respersus fuerit, liber sit ab omni antiqui serpentis impetu, quo per abundantiam malitiæ, qua scatet, & ob incorporeæ naturæ conditionem, qua invisibilis redditur, tentat assidua calliditate, & spiritali nequitia jugiter impugnare. Sane salis ipse Exorcismus, sicut & Oratio, *Immensam clementiam tuam &c.* legitur quidem in recentioribus Ritualibus passim, & in antiquis Sacramentorum Libris, quos recenset Martene, & alii rerum Ritualium Scriptores. Quæ autem in ipsum Exorcismum, atque Orationem notavimus, desumpsimus plane ex Durando, & ex Observationibus Antonii Bellotte ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis.

## §. III.

Exorcismus Aquæ, & dicatur sine *Oremus*, *Exorcizo te creatura Aquæ in Nomine Dei ✠ Patris Omnipotentis, & in Nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti, ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis; per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

*Oremus.*

*Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in Aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, Divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis Fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; & siquid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus Aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum.*

## COMMENTARIUS.

I. Peracta Salis benedictione, Sacerdos Exorcismum Aquæ statim aggreditur. Cum enim per Sal intelligatur amaritudo pœnitentiæ, & per Aquam Baptismus, optimo jure Sal prius benedicitur, quippe cordis contritio præcedere debet absolutionem, ut pœnitentia Baptismum, juxta observationem Durandi, Libro IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite IV. num. 4. In hujusmodi Exorcismi processu sæva illa dæmonis potestas increpatur iterum in Nomine Omnipotentis Dei, & in Nomine Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus Sancti, ut ab Aqua procul recedat, quæ proinde potens, & apta fiat ad effugendam omnem potestatem inimici, immo ad inimicum ipsum explantandum cum Angelis suis, qui quod ab ipso Deo descifcant, quem potius observare, & colere debent, inter apostatas recensentur, ob infidelitatem, & flagitia ejusdem Dei legibus contraria, ad quæ prolapsi sunt; de quibus dictum est in Apocalypsi, Cap. XII. *Projectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, & seducit universum Orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum eo missi sunt.* Adversus quos toties vibratur horrificum illud jamdudum prolatæ, ac iterum proferendæ in extremo judicio fulmen damnationis æternæ, quoties a Sacerdote terminatur Exorcismus, *Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* Nam quum infernales, & immundi spiritus jam ab ipso creationis initio damnati sint, prout testatur universalis Ecclesiæ baptizandi ritus a nobis Tomo I. hujus Operis explicatus Titulo II. in Commentariis ad Cap. IV. *Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam,* & noverint se rursus in futuro extremo Judicii die damnandos, censuit propterea pia Mater Ecclesia novissimum venturi Judicis terrorem illis jugiter incutere, ac renovare, ut nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus licentia, nulla insidiantibus malis relinquatur nocendi facultas. Etenim talis est universalis Ecclesiæ mens, & propositum, teste Amalario Lib. I. *De Divinis Officiis,* Cap. XII. ut Exorcismus, & increpatio adversus antiquum humani generis hostem concludatur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos*; seu, *Per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* Quippe dignus sit hujus increpationis ritus habere judicium novissimum, in quo judicandi sunt mortui, & vivi, & sæculum per ignem, ut illius tremore diabolus jugiter, & undique contutiatur. At qui jam resurrexerunt, & vivunt cum Christo, illi audiant bona sibi promitti per eundem, qui vivit, & regnat Deus cum Patre in unitate Spiritus Sancti.

II. Sequitur deinde alia præcedenti non dissimilis Oratio, qua non immemor Ecclesia, Deum maxima quæque Sacramenta in Aquarum condidisse substantia, novis invocationibus Deum ipsum supplex exorat, ut ejusdem Aquæ substantiam Sacerdotali ministerio, & Exorcismi imprecatione purificatam, & dispositam, Divinæ virtutis suæ potentia benedicat, quatenus non solum in Templo, Ædeque sacra dispergatur, verum etiam ut illa ad domos privatas delata, omnis immundorum spirituum spurcitia, tam de habitaculo Dei, quam de corporibus Fidelium propellatur, & adspersione sua omnes in eis habitantes jugiter irroret, & communiat. Porro ut multa omittam, quæ in hanc Orationem notavit doctissimus Antonius Bellotte in suis ad Ritus Lugdunensis Ecclesiæ Observationibus pag. 260. eo illa plane tendit, ut quidquid respersione hujus Aquæ fuerit contactum, omni vacet impuritate, & noxa peccati, imo & ut desiderata cunctis hominibus, & locis incolumitas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti illæsa permaneat, & ab omnibus inimicorum offensionibus defensa. Magnæ siquidem dignitatis, ac virtutis est Oratio, quæ veram Sanctissimæ Trinitatis in unitate, & unitatis in Trinitate confessionem expresse continet. Unde commixtio Salis, & Aquæ fit statim a Sacerdote in Nomine ejusdem Patris, & Filii, & Spiritus

ritus Sancti. Quæ quidem Oratio, seu invocatio Sanctissimæ Trinitatis proinde adhibetur in omni Sacramentorum administratione, ut nullum dederis Ecclesiasticum Sacramentum, quod efformato Crucis signaculo cum hujus Orationis pronunciatione non administretur. Applicatur & Benedictionibus tum privatis, tum solemnibus, ut cum sacra Benedictio, aut in populum, aut in rem quampiam ferenda sit, claudatur ipsa plerumque hac terminali, & postrema Sanctissimæ Trinitatis invocatione.

III. Explicanda nunc nobis est difficultas, quæ oritur ex Oratione in §. posita, *Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in Aquarum substantia condidisti &c.* an scilicet Aqua benedicta sit Sacramentum. Et quidem non esse Sacramentum, cum Sancto Thoma, & aliis Theologis communiter docet Sylvester in Summa, verbo, *Aqua benedicta*, num. 1. Et ratio est, quia Aqua ista non est signum efficax Gratiæ sanctificantis animam, seu non est instituta ad producendam infallibiliter, & ex opere, ut ajunt, operato Gratiam sanctificantem, sed solum est instrumentum, quo mediante, Deus dat Gratias prævenientes, & remissionem culparum venialium per modum impetrationis ex intercessione Ecclesiæ, & non infallibiliter, ut late explicat Paulus Maria Quarti in Libro, *De Benedictionibus*, Titulo 1. Sectione v. Non ergo est Sacramentum Aqua benedicta, sed unum ex præcipuis Sacramentalibus, quæ ordinantur ad removendum prohibens, idest nequitiam Dæmonum, & venialia, & omne quod impedire potest effectum Sacramentorum, uti docent Sylvester loco citato, & Suarez Tomo III. in III. Partem, Disputatione xv. per totam.

IV. Cæterum verba illa Orationis, *maxima quæque Sacramenta in Aquarum substantia condidisti*, dupliciter explicari posse, docet laudatus Quarti in recitato Opere, Titulo III. Sectione 1. Dubitatione 1. Primo, posito, quod in ipsa Oratione sit sermo de septem Sacramentis Novæ Legis, dici hæc quidem recte possunt condita, seu instituta a Deo *in Aquarum substantia*, quatenus scilicet omnia Sacramenta, & præsertim Baptismus, & Eucharistia radicaliter vim, & originem habent ex Aqua & Sanguine, quæ ex latere Christi emanarunt, quando unus Militum lancea latus ejus aperuit. Siquidem in hujusmodi Sanguine & Aqua significata sunt omnia Sacramenta Ecclesiæ, quæ ex Christi morte habent efficaciam. Aqua enim indicat Baptismum, qui est janua; Sanguis vero Eucharistiam, quæ est finis, & consummatio Sacramentorum, & ideo sub his duobus reliqua comprehenduntur; & in hoc sensu Sancti Patres communiter asserunt, per hoc mysterium indicatum esse, omnia Sacramenta de latere Christi manasse. Secundo, & planius in germano sensu dici potest, illis verbis, *maxima quæque Sacramenta &c.* non significari Sacramenta Novæ Legis, quibus animæ sanctificantur, sed mysteria, & prodigia, quæ ab initio Mundi Deus operatus est maxime in Aquarum substantia, quæque enumerat Ecclesia Sabbato Sancto in Benedictione Fontis Baptismalis.

V. Restat, ut quædam notemus de Aquæ benedictæ virtute, & effectibus, qui in Orationibus in hoc Rituali descriptis exprimuntur, præsertim vero in memorata toties Oratione in hoc §. posita, *Deus, qui ad salutem humani generis &c.* ubi dicitur valere Aquam benedictam *ad abigendos dæmones, morbosque pellendos &c.* Aqua benedicta fugatos dæmones, morbos depulsos, ac etiam mortuos excitatos, pluribus ex Ecclesiastica Historia, & Vitis Sanctorum allatis exemplis ostendit inter alios eruditus Gretserus Libro II. *De Benedictionibus*, Cap. XI. & XII. Certe de Jacobo, non illo Nisibeno, sed alio, qui tempore Theodoreti vivebat, ista generatim idem Theodoretus refert: *Illius Benedictione multæ extinctæ sunt, & extinguuntur febres, & multæ ægritudines cessarunt, & omnes abierunt. Multi autem dæmones coacti sunt fugere, & Aqua, quæ ab illius dextera benedicitur, fit salutare pharmacum.* S. Joannes Chrysostomus, ut habetur in ejus Vita apud Surium ad diem XXVII. Januarii, oblata sibi muliere, quæ dyssenteria laborabat, *jussit Aquam afferri, cui cum Divinum signaculum injecisset Pontifex, mulieri infudit in Christi nomine. Quod cum factum esset, quæ in lecto decumbebat, statim surrexit sana, & cum marito, & civibus una voce unanimes Christum magnificabant.* Idem Chrysostomus, ut etiam in ejus Vita legitur, febricitantem puerum vi morbi jam ad extrema deductum pristinæ sanitati restituit Aqua, *quam cum ter signasset in Nomine Sanctæ Trinitatis, & ter ea aspersisset illum, qui ægrotabat, sanum, & a morbo liberum reddidit ei, quæ genuerat.* Teste Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, S. Eugenius Diaconus puerum mortuum revocavit ad vitam aspersione Aquæ, quam S. Zenobius Episcopus benedixerat.

VI. Ex his, aliisque innumeris fere miraculis, quæ afferri possent, virtute Aquæ benedictæ patratis, solide, abundeque confossa videtur audacia, temeritasque Tilmanni Heshusii, qui in Libro de sexcentis erroribus Papistarum, loco XXVII. ponit inter errores Aquam lustralem valere ad delenda venialia, & ad fugandos dæmones, & morbos; conaturque probare primum ex Epistola 1. Joannis Cap. 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni delicto*, adeoque etiam a veniali. Secundo, quia *non est scriptum, ut Aqua sanctificetur ad pellendos dæmones.* Sed inepta hæc argumenta confutavit jam Bellarminus Libro III. *De cultu Sanctorum*, Cap. VII. ubi scite ait, nihil prorsus concludere primam Heshusii rationem. Nam Sanguis Christi emundat quidem ab omni peccato, sed si aliquo modo nobis applicetur. Et quemadmodum applicatur per Baptismum, & Pœnitentiæ Sacramentum ad delenda omnia peccata, ita etiam applicatur per Sacramentalia, & Orationem Dominicam ad delenda venialia in eo, qui est in gratia. Ad aliam rationem, quam affert, non esse scilicet scriptum, ut Aqua sanctificetur ad pellendos dæmones, falsum omnino est, cum expresse in Epistola 1. ad Timotheum, Cap. IV. Apostolus scripserit, omnem creaturam posse sanctificari *per verbum Dei, & Orationem*; dixeritque Christus Discipulis; *Petite, & accipietis.* Ecclesia igitur Christum, & Paulum sequens, verbo Dei, & oratione sanctificat Aquam, & petit, ut valeat contra dæmones, & morbos; & Deus miraculis testatur audire se hujusmodi preces. Cæterum etiamsi scriptum non esset, quid tum? Ubinam scriptum erat, ut Aquæ sanarentur sale, & lepra curaretur Aqua Jordanis? Et tamen utrumque fecit Helisæus, ut legere est Libro IV. Regum, Cap. II. Versu XXI. & Cap. V. Versu X.

VII. San-

VII. Sanctitati Aquæ benedictæ ritu Christiano attestatus est quidem Deus ipse innumeris pene miraculis, quæ legi possunt in Historia Ecclesiastica, & in Vitis Sanctorum apud Surium, atque Bollandianos. Signarunt omnino multa Marsilius Columna Sectione III. Hydragiologiæ Cap. v. & vi. & Gretserus, Lib. iv. *De Cruce*, Cap. xxxvi. & Lib. II. *De Benedictionibus*, a Capite xi. quorum iste per certa Capita digessit pleraque supra naturam ex variis probatis Authoribus per Aquam benedictam patrata; quorum etiam nonnulla attigit Raynaudus in Heteroclitis Parte II. Sectione II. Puncto v. ubi etiam postquam dixit, variis miraculis supra naturam placuisse Deo attestari sancto usui hujus Sacramentalis, rationem mox affert, quæ ejusdem usus sanctitati suffragatur. Nam, ut inquit, benedicere creaturis Dei, & præmissa Benedictione eis uti ad finem, in quem sunt procreatæ, & nobis concessæ, pium est, ac honestum, ac Apostolo probatum, qui docet, omnem creaturam sanctificari per orationem, & invocationem Nominis Domini; idque circa Aquam habet perantiqua praxis Ecclesiæ, uti semper in usu fuit benedicere Aquæ ex formula solemni; & illius Benedictionis causæ omnes cohærent cum ejus sanctitate. Nam causa efficiens est persona sacra saltem Sacerdotio insignita. Nam licet alicubi olim solus Episcopus benediceret Aquæ, ut apud Marsilium Columnam in calce Hydragiologiæ videre est, cum agit de ritu Ecclesiæ Antiochenæ; tamen in Ecclesia Occidentali ubivis jam olim usu receptum est, ut simplex Sacerdos possit communi Aquæ benedicere. Aquam, inquam, communem, quia Aqua, cujus usus est ad consecrandam Ecclesiam, eamque pollutam reconciliandam, de qua loquitur S. Gregorius Libro ix. Epistola xxxi. & Gilbertus Tornacensis in Tractatu, *De Officio Episcopi*, Cap. xiii. Aqua, inquam, hujusmodi Aqua naturali, Vino, & Cinere permistis constans, a solo Episcopo benedici potest, uti habetur in Capite, *Proposuisti*, & Capite, *Aqua*, *De consecratione Ecclesiæ*, *& Altaris*. At communi Aquæ solo Sale admisto, constanti, & usurpato quotidiano usu Fidelium in aditu Templorum potest simplex Sacerdos benedicere, uti vel ex Rubrica hujus Capitis liquet.

VIII. Ad magis magisque probandam Aquæ benedictæ sanctitatem, explicandæ plane sunt variæ causæ ejus efficiendæ. Finalis causa est exoratio alicujus boni, vel mali alicujus averruncatio, interposita invocatione Divini Nominis super ipsam Aquam, & precibus totius Ecclesiæ veluti conclusis intra eam. Formalis causa continetur formula per Ecclesiam præscripta, quæ proinde pura, & labis expers est. Subjectum, sive causa materialis, est Aqua, & Sal, quæ posse oratione, & verbo Dei sanctificari patet ex iis, quæ superius diximus non uno in loco, ac præsertim, ubi explicuimus illud Apostoli in Epistola I. ad Timotheum, Cap. iv. *omnis creatura &c.* Subjectum vero, super quod Aqua inspergenda est, bene proponitur citato alias Decreto Concilii Namnetensis: *Omnibus diebus Dominicis*, inquit, *unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia Aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto mysterio conveniente, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium ejusdem Ecclesiæ cum Crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret, & qui voluerit, in vasis suis accipiat ex ipsa Aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque, atque super pabula eorum, necnon super cibos, & potum suum aspergat.* Eadem habentur ex parte in Capitularibus Lib. v. Capite cxx. Elucet in his omnibus sanctitas hujus Sacramentalis. Nam, ut argumentatur S. Alexander Papa I. in Decreto de Aqua benedicta, *Si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis Aqua Sale aspersa, Divinisque precibus sacrata sanctificat, atque mundat*. Nec dubium esse debet, ut recte idem Raynaudus concludit, quin Angelus bonus ad præscriptum Dei Aquis Ecclesiastica Benedictione sanctificatis præsto sit, ut prodesse possint, cum Angelus malus toties per aquas nocumentum inferat, & commercium elementi Aquæ in perniciem hominis frequentet, ut loquitur argumentum hinc ducens Tertullianus in Libro, *De Baptismo*, Cap. v.

IX. Varias quæstiones de ipsa Aqua benedicta, ejusque effectibus, legere est apud Theologos, & apud Scriptores, qui de ipsa peculiares Tractatus ediderunt. Sed duas censui non omittendas, quarum prima est, an Aqua ipsa remissionem conferat peccatorum venialium ex opere operato. Cui quæstioni respondet Estius in Libri iv. Sententiarum Distinctionem I. §. xv. ubi ait, improbabiliter quosdam asserere, Aquam benedictam conferre non gratiam quidem, sed remissionem venialium ex opere operato. Hanc sententiam refellit mox Auctor variis rationibus. Primo, quia remissio venialium revera Gratiæ nomine continetur, quomodo de Gratia Sanctus Augustinus, Hugo, & Magister Sententiarum loquuntur; cum sit spirituale, ac salutare quoddam bonum; atque ita proprie Sacramentum foret Aqua benedicta, vel ejus usus. Secundo, quia Ecclesia non habet potestatem instituendi signum, ac cæremoniam aliquam, quæ valeat efficaciter, & infallibiliter ad remissionem venialium, sicut nec ad alium quemcumque salutiferum effectum, cum id sit solius Dei. Atqui consecratio, & usus Aquæ benedictæ non a Christo, sed ab Ecclesia suam habet institutionem, uti superius fuit ostensum. Tertio, si id posset Ecclesia, certe & ad alias multas cæremonias eam potestatem deberet extendere, quas proinde similiter ex opere operato valere fatendum esset. Postremo, si valet ad venialium remissionem ex opere operato, eodem modo valebit ad alios effectus, ad quos consecratur, videlicet ad fugandos dæmones, eorumque tentationes repellendas, & alia nocumenta avertenda, eo magis, quod hæc in ejus Benedictione exprimuntur, remissionis autem venialium expressa in ea mentio non fit; sicut nec in Decreto superius recitato Alexandri Papæ I. ad quem hujus institutionis origo refertur. Unde & Breviarium Romanum die III. Maji in ejusdem Alexandri lectione tantum nominat effectum fugandi dæmones.

X. Ait hæc plane Estius, qui tamen statim subdit, se non quidem negare, venialium condonationem esse inter effectus hujus cæremoniæ, cum ad hoc potissimum usus ejus a Fidelibus pie frequentetur, sed dicit non exprimi in verbis Benedictionis; tametsi facile intelligi potest in eo, quod dicitur *ad fugandos dæmones*. Nam spiritualiter fugantur dæmones, quandocumque tollitur, aut minuitur in nobis id, per quod nos sibi

sibi tenent obnoxios, idest, peccatum. Sed pace tanti Viri, duo hic asserit, quæ, ut observat ejus Annotator ad recitatum locum, S. Thomæ doctrinæ opposita videntur, immo & claræ ejus sententiæ pluribus in locis perspicuis traditæ verbis manifeste repugnare. Primum est, quod ait, improbabiliter quosdam dicere, Aquam benedictam conferre non quidem gratiam, sed remissionem venialium ex opere operato. Secundum, quod videtur asserere, ad remissionem venialium requiri formaliter Gratiam habitualem, seu remissionem venialium semper habere adjunctam Gratiæ habitualis infusionem. Primum autem, quod *improbabile*, dicit Auctor, diserte a Sancto Thoma insinuatur tum locis hic ab Auctore allatis, tum præcipue in Parte III. Quæstione LXXXIII. Articulo III. ad III. & Quæstione LXXXVII. Articulo III. in Corpore. Et primo quidem loco ait S. Thomas: *Ad tertium dicendum, quod Ecclesia, & Altare, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sunt Gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui, ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant, ut sint paratiores ad Divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur*. Et post aliqua: *Unde & quidam*, ait, *probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ, homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionem Aquæ benedictæ, inducentes, quod in Psalmo* LXXXIV. *dicitur*: Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ.

XI. Secundo vero, citato loco idem S. Thomas doctissime suam mentem explicat, & nonnullis Sacramentalibus remissionem venialium ex opere operato, non quidem immediate, sed mediate tribuit, ubi sic inquit: *Respondeo, dicendum, quod, sicut dictum est, ad remissionem venialis peccati non requiritur nova Gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex Gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, in quantum in eis infunditur Gratia, quia per infusionem Gratiæ tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est; & hoc modo per Eucharistiam, & Extremam Unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta Novæ Legis, in quibus confertur Gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in Oratione Dominica petimus*, Dimitte nobis debita nostra. *Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res Divinas; & hoc modo Benedictio Episcopalis, aspersio Aquæ benedictæ, & qualibet Sacramentalis unctio, Oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum*. Hæc & alia S. Thomas, quæ videri possunt apud memoratum Annotatorem Estii in citatum §. XV. Distinctionis I. Libri IV. Sententiarum, ubi etiam ex eodem Angelico Doctore ostendit, non semper habere adjunctam Gratiæ habitualis infusionem eandem venialium condonationem.

XII. Quæstio altera, quæ a Theologis excitari solet, ea est, utrum Aqua non benedicta addita Aquæ benedictæ, tota benedicta efficiatur? Et quidem illud certe ab aliquibus jactatum apud Gretserum Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XX. satis solidum videri non debet, quod Aqua benedicta quantævis Aquæ non benedictæ admista, sanctificationem suam ei impertiat. At vero, ut inter alios recte ratiocinatur Raynaudus Tomo XVI. in Heteroclitis Spiritualibus Parte II. Sectione II. Puncto V. in fine, quis credat mentem Ecclesiæ fuisse, ut siquis pauxillum Aquæ benedictæ Oceano toti, vel etiam Istro immittat, ea Aquarum non consecratarum moles prope immensa evadat consecrata? Sane si ita esset, frustra quot Dominicis repeteretur Benedictio Aquæ, cum per injectionem urcei Aqua benedicta pleni in puteum, posset una vice ad annos complures apparari sufficiens copia Aquæ benedictæ. Itaque ad conciliandam sanctitatem Aquæ non benedictæ per effusionem benedictæ, necesse est, Aquam non benedictam minorem esse Aqua jam benedicta, nec utcumque minorem esse, sed etiam notabiliter. Ita enim fert mens Ecclesiæ sic a sapientibus intellecta, ita Ecclesiæ praxis, & ita demum Theologi docent, & Canonistæ, inter quos recte ad rem loquitur Sylvester in sua Summa, verbo, *Aqua benedicta*, num. 3. Nec refert, quod aliqui alicubi tantillum vini in honorem S. Joannis seorsim benedicti immittant doliis vinariis prægrandibus, nec absque fructu, & sagarum repulsa. Id enim, ut scite observat idem Raynaudus, non fit, ut totum vinum, quod in dolio est, contrahat a vino benedicto modice immisso sanctitatem, & consecrationem, quod hic negavimus de pauxillo Aquæ benedictæ immisso in copiam ingentem Aquæ, qualis est in puteo, aut flumine, & multo magis in mari. Igitur ea pauxilla vini benedicti admixtio fit tantum, ut vinum committatur tutelæ S. Joannis, in cujus honore vinum fuit benedictum.

## §. IV.

Hic ter immittit Sal in Aquam in modum Crucis, dicendo semel: *Commixtio Salis, & Aquæ pariter fiat. In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.* ℟. *Amen.*

*Oremus.*

*Deus, invictæ virtutis Auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: Te Domine trementes, & supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam Salis, & Aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem Sancti tui Nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi*

*nenosi serpentis procul pellatur, & præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum. In unitate ejusdem &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Ritum hunc antiquum in variis Ritualibus, & Missalibus traditum, immittendi scilicet ter Sal in Aquam in modum Crucis, dicendo semel, *Commixtio &c.* & deinde Orationem, *Deus, invictæ virtutis Auctor &c.* exponit Durandus in suo Rationali Divinorum Officiorum, Lib. IV. Cap. IV. num. 8. his verbis: *Porro Aqua cum benedicitur, Sal admiscetur, quod ab Helisæo sumpsit exordium;* (quia scilicet, ut dictum est in Commentario superiori ex Libro IV. Regum, Cap. II. Helisæus ad sanandas Aquas miraculo, adhibuit Sal) *Et fit hoc, ad notandum, quod populus per Aquam intellectus, ut sanctificari possit per Sacerdotis officium, verbo Dei imbuitur, quod per salem significatur*. Tum vero mox: *Fit ter Crux super Aquam, & Salem, quia docetur populus Sanctæ Trinitati gratias pro sua eruditione, & redemptione referre*. Vide Gavantum in Rubricas Missalis Parte IV. Titulo XIX. num. 10. Salis & Aquæ immixtionis, peracta benedictione, jam ante Durandum mentionem fecit Rabanus Libro II. Institutionis Clericorum, Cap. LV. idque fieri ait ex Divina auctoritate: *Quod autem Sal sanctificatum Aquæ immiscetur, ex Divina auctoritate processit, quia illud per Helisæum in fontem mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquarum Jericho*. Addit mox: *Natura Salis, & Aquæ vicina, & conjunctissima est, quia ejusdem elementi ambo sunt, & idem officium, & significationem habent. Nam Aqua a sordibus mundat, Sal putredinem fugat; Aqua nitorem præbet, Sal sinceritatem adhibet &c.*

II. Absoluta mixtione Salis, & Aquæ, Deus iterum invocatur invictæ virtutis Auctor, cujus imperium nulla extera virtute domari potest, ut nedum spiritibus immundis magnifice triumphet, sed & illorum in nos molimina, conatus, & nocendi studia reprimat, & objurgat; substantiam prædicti Salis, & Aquæ sua benignitate illustret, ac suæ pietatis rore sanctam efficiat, quo quidquid in Nomine suo tactum, vel respersum fuerit, statim ab eo spiritus immundi procul arceantur, Gratia quoque Sancti Spiritus obtenta, jugiter hæc obumbrentur, ac peculiari protectione muniantur.

## §. V.

Post benedictionem Aquæ Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Missam, aspergit Altare, deinde se, & Ministros, ac populum, prout in Missali præscribitur.

## COMMENTARIUS.

I. Quandoquidem hic noster §. ad Missale se referat, operæ pretium duco describere hoc loco Romani Missalis Rubricam de aspersione Aquæ benedictæ facienda a Sacerdote die Dominico, uti dictum superius fuit, Missam celebraturo. Ergo Parte IV. Titulo XIX. num. 11. & seqq. sic inquit Rubrica in Missali Romano: *Finita benedictione*, Salis scilicet & Aquæ, *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, & ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, accipit a Diacono Aspersorium, & primo ter aspergit Altare, deinde se, & erectus Ministros, incipiens Antiphonam*, Asperges me, *& Chorus prosequitur*, Domine hyssopo &c. *ut infra. Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde populum, dicens submissa voce cum Ministris Psalmum*, Miserere. Pergit Rubrica, subditque mox: *Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad aspersionem Aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum, excepta Dominica de Passione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur*, Gloria Patri; *sed post Psalmum*, Miserere, *repetitur immediate Antiphona*, Asperges me; *excepto etiam tempore Paschali, scilicet Dominica Paschæ usque ad Pentecosten, quo tempore cantatur Antiphona*, Vidi Aquam. *Dominica vero Trinitatis resumitur*, Asperges. Tum vero subdit: *In die sancto Paschæ, & Pentecostes, ubi est Fons Baptismalis, fit aspersio cum Aqua pridie benedicta in Fonte Baptismi, & ante infusionem Olei, & Chrismatis accepta*. Concludit denique Rubrica sic inquiens: *Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos, qui aspersit Aquam, reversus ad Altare, stans ante gradus Altaris junctis manibus dicat*, ℣. Ostende &c. *Tempore Paschali additur*, Alleluja.

II. Hactenus Rubrica Missalis, quam per singulas partes tum in iis, quæ ad ritus eruditionem, tum in illis, quæ ad ejusdem praxim spectant, egregie explicant Gavantus, & Meratus, ut alios omittam, qui de eodem ritu late scripserunt. Sed non omittendus antiquus ritus circumeundi in hac Aquæ benedictæ aspersione primum majus Altare, illudque irrigandi, & deinde viciniora etiam Altaria, ut patet ex Consuetudinibus Cluniacensium, Rituali Cassinensium, & Cæremoniali Casalis Benedicti, in cujus Capite XVII. ita legitur: *Post aspersionem summi Altaris, eo ritu & cætera Altaria, quæ tantum in cancello sunt, aspergat, nec opus est, ut ad alia divertat*. Singulare aliquid addunt Sangermanenses Consuetudines sic ajentes: *Et Sacerdos irrigabit magnum Altare, & post Altare B. Germani, & Sancta Sanctorum, & post circa Sacrarium*. Cistercienses, & Bursfeldenses unum aspergebant majus Altare ritu in Libro Usuum Cisterciensium his verbis descripto, Capite LV. *Cantore imponente Antiphonam, sumat Sacerdos Sparsorium, qui intingens in Aqua, ascendat ad Altare, inclinans ad gradum ipsius Altaris; deinde aspergat Aquam ante ipsum Altare, & in-*

*incipiens a dextra parte, circumeat illud, aspergendo quousque perveniat in anteriorem partem, ubi inclinans, aspergat Presbyterium, hinc, & inde*. In Ordinario tandem Bursfeldensium, Capite XLII. *Sacerdos, intincto Sparsorio in Aquam, accedat ad Altare, ac ad illius gradus accepta venia, aspergat ipsum circa medium, in utrumque cornu, & postea circuiens Altare per gyrum, aspergat similiter & Presbyterium, hinc, & inde.* Atque hæc sunt, quæ de antiquo Monachorum ritu aspergendi Altare in ipsa Aquæ benedictæ die Dominico aspersione notavit Martene Lib. II. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite III. num.II.explicatque numero sequenti alium ritum, quo ipse consequenter Monachorum conventus antiquitus aspergebatur.

III. Teste eodem Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. IX. num. XV. ex Viennensi in Gallia Ecclesiæ ritu, atque ex variis insigniorum Ecclesiarum Ritualibus Libris apparet, solemnem Processionem cum Benedictione Aquæ lustralis fuisse conjunctam. Ea potissimum ad hoc erat instituta, ut Sacerdos Hebdomadarius omnes Canonicorum ædes, & officinas adiret, easque expiata Aqua conspersas certis precibus benediceret, uti addiscere licet ex Ordine Cameracensis, & Atrebatensis Ecclesiæ, quem refert idem Auctor loco citato. De ista solemni Processione plura scitu digna videri possunt apud laudatum Scriptorem Libro II. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. III. num. 14.

## §. VI.

**Postea Christifideles possunt de ista Aqua benedicta in vasculis suis accipere, & secum deferre ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas, & alia, & ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie, & sæpius aspergi possint.**

## COMMENTARIUS.

I. Testis est Libri Pontificalis Auctor Sancto Damaso Papæ attributi, Alexandrum Papam I. qui claruit initio Seculi II. decrevisse, ut Aqua benedicta in habitaculis hominum asservaretur. Extat istud Decretum, quod ejus nomine circumfertur apud Gratianum in Canone, *Aquam* XX. De consecratione, Distinctione III. servaturque hodie passim a Christianis hæc disciplina tenendi e lectis suspensi vasculi cum Aqua benedicta, qua se quotidie, & sæpius aspergere solent. Quanta religione curarent olim Fideles in Anglia, ut non modo domi in cubiculis, sed & in vineis, agrisque suis benedictam Aquam haberent, constat plane ex Beneficii Aquæ benedictæ institutione, quod in Anglia ipsa Sæculo XIII. vocabatur munus pauperi cuipiam Clerico scholari solitum imponi benedictæ Aquæ per domos, agrosque deferendæ, ut ex stipe inde proventura posset vitam, studiaque sua sustentare. Ecce in hanc rem Constitutio Synodalis Episcopi Conventrensis edita an. Christi MCCXXXVII. *Quia plerique scholares carent necessariis, quorum scientia multi per gratiam Dei poterunt ædificari; volumus, ut scholares ferant Aquam benedictam per villas rurales, si sunt, qui postulent, & indigeant*. Soliti erant Parochi, eorumve Vicarii conferre inopi Clerico hujusmodi Beneficium. Sic enim habent Statuta Ægidii Episcopi Sarisberiensis anno MCCLII. edita: *Personæ, vel Vicarii dabunt Beneficium Aquæ benedictæ Clerico pauperi scholari, ita quod veniat omnibus diebus solemnibus ad Ecclesiam serviendam, de qua habet dictum Beneficium*. Contendebant tamen laici, suæ collationis esse debere istiusmodi Beneficium, cujus reditus non alii erant, quam voluntariæ stipes, quas ipsimet erogabant Clerico, cum ad eos singulos Aquam benedictam deferebant. Verum Excestrensis Synodus anni MCCLXXXVII. id quidem juris Parochis firmavit, Vicariisque; compelli autem voluit laicos ad pias, justasque eleemosynas: *Moneantur, &, si necesse fuerit, compellantur*.

II. In Urbanis etiam Parochiis instituit eadem Synodus id genus Beneficia, quorum uberes erant olim proventus, quum Majorum pietas, charitasque hæc Beneficia excogitasset: *A nostris Majoribus sæpe audivimus recitari, Beneficia Aquæ benedictæ intuitu charitatis fuisse ab initio instituta, ut ex eorum proventibus pauperes Clerici exhiberentur in Scholis; ibidem taliter proficerent, ut aptiores fierent ad majora*. Additque mox: *Statuimus, quod in Ecclesiis quoque a Scholis Civitatis, vel Castrorum Diœcesis ultra x.non distantibus milliaria Aquæ benedictæ Beneficia solis scholaribus assignentur*. Deinde jubentur Presbyteri Parochiales Clericos magis idoneos ad ejusmodi Beneficium præficere: *Qui sciant, & valeant in Divinis Officiis sibi congrue deservire, & suis mandatis obtemperare*. Ex quibus colligit Dufresne in suo Glossario, agi recitato loco de Parochiarum, ut vocamus, Clericis, qui etiamnum in aliquot, ut idem inquit, Galliæ Provinciis statim post peractam Majorem Missam, Aquam benedictam in Parochianorum domos deferunt, eaque familiam universam aspergunt, brevi facta ad id oratione. Porro in Anglia Willelmus de Cortiniaco Archiepiscopus Cantuariensis anno MCCCXCIII. ne Interdictis quidem, & Excommunicationibus abstinuit, ut ne convelli sineret avitam hanc piamque juxta & ubique receptam in ipso Angliæ Regno consuetudinem: *De consuetudine laudabili legitime præscripta quasi ubique per totum Regnum Angliæ, per Clericos Aquæ bajulos, ex donatione Rectorum, & Vicariorum, Parochianorum sumptibus sustentandos, deferri consuevit*.

III. Notandum hic vero illud, jam non opus esse hujusmodi Clericorum opera, ut quis Benedictam Aquam accipiat, & ad spirituales usus utatur; diserte enim ait hic noster §. quod *Christifideles possunt de ipsa Aqua benedicta*, Dominicis scilicet diebus, ut superius dictum fuit, *in vasculis suis accipere, & secum deferre ad aspergendos ægros, domos, agros, &c*. Est hic plane antiquus ritus in variis Conciliis, Ritualibus, & antiquis Episcoporum Statutis præscriptus, præ-

sertim vero ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi in Capitulari ad Presbyteros Parochiæ suæ edito anno DCCCLII, juxta editionem Sirmondi, Capite v, quod inscriptum est, *De Aqua omni die Dominica ante Missam benedicenda*, quodque initio hujus Commentarii descripsimus, Sed vix hodie Christianum hominem invenies, qui hæc observet, quia scilicet nemo est, qui Christianum populum de Aquæ benedictæ virtute, admirabilibusque effectibus instruat. Scio, nonnullos vascula Aquæ benedictæ in cubiculis habere ad lectos appensa, eaque etiam frontem signare, sed sine ulla fere utilitate. Deberent tunc enim mentem suam attollere, ac recordari, quod in sancto Fonte Baptismatis promiserunt, itemque curare, ut vitam mundam ducant ab omni sorde peccati, uti non uno in loco docet S. Carolus in Actis suæ Mediolanensis Ecclesiæ.

IV. Notandum censui demum ad hujus Capitis calcem, varias extare in particularibus Ritualibus Aquæ benedictiones, ad infirmos præsertim curandos, qualis est illa, quæ reperitur in Romano Sacerdotali Venetiis impresso anno MDLXVII. pag. 202. estque hujusmodi, ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*, ℣. *Dominus vobiscum*, ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus, Domine Jesu Christe, qui benedixisti quinque panes, & duos pisces in Deserto, unde satiata sunt quinque millia hominum, te supplices exoramus, ut benedicere digneris hanc Aquam, ut quicumque infirmus ex ea gustaverit, accipiat sanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem Fidei, & charitatem Spiritus Sancti, Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti &c. Aspergatur Aqua benedicta*. Extant & in Vitis Sanctorum variæ Benedictionum Aquæ formulæ ad varios utiles Christifidelium usus; sed aliis omissis, lubet illam describere, quam concinnavit S. Raynerius Pisanus, qui claruit medio Sæculo XII, quamque ex variis Sacræ Scripturæ factis contexuit, ut nempe cum ipsa Aqua sic benedicta infirmitates curaret, dæmonesque expelleret, teste Auctore ejus Vitæ apud Bollandianos die XVII. Junii, Cap. VII. num. 81. & seqq. ubi eam recenset, his plane verbis,

V. Domine Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui in principio Cælum, & Terram fecisti, & Aquas a cæteris elementis distinxisti, Aquas ab Aquis per firmamentum tuum segregasti, Spiritumque tuum Sanctum super ipsas ferri voluisti; & tu Domine Deus per Filium tuum in Spiritu Sancto tuo, benedictione tua super hanc Aquam fusa, a cæteris eam Aquis separa, ut quicumque ex ea lotus, sive in toto, sive in parte fuerit, masculus, sive femina, per tuam gratiam, & misericordiam, fiat ei in salutem animæ, & corporis. Tu Domine, Deus Omnipotens, qui filium Abrahæ servo tuo, in quo benedicens omnes gentes promisisti; & eandem promissionem Isaac, & Jacob similiter fecisti; eamque usque ad David virum secundum cor suum extendisti, & in Beatissima Maria Virgine, per Filium tuum implevisti; qui Aquas Jordanis sanctificans, suo in eis corpore a Joanne loto; & per Baptismum Aquæ abstulisti peccata mundi, mentibus hominum in eo purificatis, & sanatis. Tu, inquam, Domine Deus, in Filio tuo per Spiritum utriusque tuum hanc Aquam benedicito, ut omnibus ex ea accipientibus fiat sanitas mentis, & corporis, & benedictio, & protectio. Tu, Domine Deus, qui siccis pedibus super aquas maris Tyberiadis ambulasti, turbatos tuos Discipulos, putantes, te phantasma esse, & ex ipsa tempestate maris, post ad eos in mare descendens lætificasti; tandem eosdem confirmasti, & in turbido mari tranquillitatem dedisti, & vento comminatus es, & cessavit. Tu, Domine, tolle ab infirmis per Aquam istam a te benedictam, omnem suorum corporum tempestatem, & da eis tranquillitatem; & cesset omnis infirmitas ab eis, & confortati quicumque ex ea sumpserint, viri, & mulieres omnis ætatis, habeant lætitiam mentis, & corporis.

VI. Tu Domine, Rex Regum, qui in eodem mari dæmones in porcos intrantes tuo jussu ibi præcipitari permisisti, & sic duos a legione dæmonum homines liberasti, tu Domine omnipotens præcipe ipsis dæmoniis, ut Aqua a vexatis bibita, seu tacta, & dæmonia de illis fugentur, & ipsi salvi fiant, & omnia curentur. O Adonai, Domine Deus, magne, & fortis, qui Aquas Hierico steriles per Helisæum tuum sale immisso sanasti, & tu Rex altissime per tuum dilectum Raynerium da, & conserva sanitatem in Aqua ista, ut quicumque, vel quæcumque, eam super se receperit, sanitatem adipiscatur perfectam. Tu Agios Deus summe, qui per eundem Helisæum mundasti a lepra sua lotum in Jordane septies Naaman Syrum; tu tuo septiformi Spiritu, munda, & sana a lepra, & scabie, atque omni infirmitate, qui, vel quæ, hanc Aquam tuam benedictam attigerint, recipiant suarum infirmitatum perfectam sanitatem. Tu qui Sydrach, Misach, & Abdenago, atque Danieli, legumina, & aquam eis accipere inspirasti, & vultus eorum gratiores, & pulchriores erant, & castitate eos ditasti, meliores, & fortiores, sapientioresque iis, qui deliciis Regis vescebantur, fac Domine Deus, ut qui aquam hanc biberint sint inter alios saniores, & castiores, Rex Regum Domine, qui Constantinum Imperatorem a mentis, & corporis lepra purgasti, fac omnipotentissime Deus, quicumque, vel quæcumque, perfusi, perfusæque fuerint, vel biberint ex Aqua ista, sanitatem percipiant mentis, & corporis integram.

VII. Omnes Angeli Sancti adestote præsentes, & super hanc Aquam vestram benedictionem date, Beatissima Virgo Virginum Dei Mater Maria reple hanc lympham benedictione tua, Omnes Sancti Apostoli Domini, & Evangelistæ benedictionem vestram super hanc Aquam infundite. Omnes Sancti Martyres, & Confessores estote præsentes, & vestra benedictione hoc Aquæ elementum sanctificate. Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, & omnes Domini continentes benedictionem vestram hic augete, Omnes Virtutes Cælorum, & omnes Sancti, Sanctæque Dei, hic vestræ benedictionis donum amplificate, & intrantes ad conspectum Altissimi, ante ipsum genua flectite, postulantes, & impetrantes, ut hanc suam creaturam Aquæ cælesti repleat, & fœcundet benedictione; ut omnis per eum infirmitas tollatur, & omnis phantasia, sive diabolica præsentia, sive etiam illusio procul pellatur; & infirmorum corpora de quacumque febre, vel molestia liberentur, permaneantque in sanitate, & in ea roborentur. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. *Semper ipsam Aquam signaculo Crucis signan-*

*signando*; *& sæpe Crucem cum digitis impressam in Aqua ipsa faciendo; nisi fieret hoc in populo multa habente vasa, tunc semper generaliter super omnia Crucis faciat signacula, quoniam non posset in omni vase ponere manum, & in eo Crucis imprimere signaculum*.

VIII. Hactenus prædictæ Vitæ Auctor, qui mox etiam similiter Pani benedicendo institutam ab eodem S. Raynerio formulam recenset, quam nos & infra suo loco describemus. Sed non tamen illud silentio prætereundum, quod idem Auctor de utraque Benedictione subdit: *Qui has Benedictiones puro corde, & intente protulerit, mirabile dictu, sed mirabilius factu, & aqua sæpe in vinum convertetur, accipietque efficaciam ab Altissimo, ut per Panem, & Aquam, quæ in aliam transibunt naturam, ægrotantes sæpenumero sanentur, & Panis, & Aqua in se non corrumpentur*. Varia miracula per ipsam Aquam benedictam facta idem Auctor enarrat, ac præsertim initio Capitis VIII. ubi recenset sedatam tempestatem per Aquam ab ipso S. Raynerio benedictam. Solet in variis Sanctorum Festis Aqua benedici, de qua hic loqui supervacaneum est.

## CAPUT III.

### *Benedictio Candelarum extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.*

### §. I.

*℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum, & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, benedic ✠ Candelas istas supplicationibus nostris; infunde eis, Domine, per virtutem Sanctæ Crucis ✠ benedictionem cælestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti; talemque benedictionem signaculo Sanctæ Cruiis ✠ accipiant, ut quibuscumque locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant Principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi Omnipotenti Deo. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.*

Postmodum aspergantur Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter solemnem illam Candelarum Benedictionem fieri ex antiquo ritu solitam a Sacerdote Missarum solemnia celebrante in Festo Purificationis Deiparæ Virginis, de qua infra suo loco dicemus, consuevisse etiam alio tempore extra Missam, & a Viris laicis benedici Candelas, earumque virtute multa miracula facta fuisse, ubi alia monumenta, & exempla deessent, abunde id docere nos posset Vita Civis mei S. Francisci de Paula inclyti Ordinis Minimorum Institutoris, ab alio Cive meo Viro doctissimo, & multis Operibus Literariæ Reipublicæ satis noto Josepho Maria Perrimezzi ejusdem Ordinis alumno, Episcopo primum Oppidensi, & deinde Bostrensi Archiepiscopo, Notis, & Dissertationibus illustrata, Romæ edita anno MDCCVII. Ergo, ut ait hæc Vita simplici stylo scripta, Cap. IX. *plura fecit miracula bonus Deus precibus sui boni Servi*, S. Francisci scilicet de Paula, *cum dictis Candelis*, a se scilicet *benedictis, veluti opitulando nautis, prægnantibus feminis, & pluribus aliis, quod nimis prolixum esset enarrare*. Pium usum Candelarum, quas Sanctus Vir benedicebat, perspicue demonstrat Testis quartus Turonensis in Processu Canonizationis, sic inquiens: *Qui quidem Fratres dicto deponenti, suæque uxori Candelas ceræ a dicto defuncto, ut dicebant, benedictas dederunt, quod illas bene custodiret, & ipsas custodiendo bona fortuito casu non perderent*. Deponit ulterius, Candelarum hujusmodi accensione, cessasse aliquando ventum ita vehementem, ut domum ejus subverteret; mulieres, ait, in partu laborantes, si unam ex Candelis illis accendissent, protinus parturiisse; totam domum combustam ait, & solum cubiculum, in quo Candelæ prædictæ reperiebantur, intactum permansisse. Hæc omnia Testis supradictus depositione juridica affirmat; Testisque etiam decimus ejusdem Processus eadem comprobat, quibus etiam consonant Testes decimus tertius, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus, vigesimus quartus, vigesimus quintus, aliique plures.

II. Inter miracula tamen per Candelas istas a S. Viro patrata, singulare illud videtur, quod experti sunt Milites Comitis de Arena, quodque sic refert Testis decimus octavus Processus Calabrici: *Benedicta anima quondam eximii Joannis Nicolai de Arena Comitis de Arena... ex mandato Regis Ferdinandi de Aragonia coacta fuit proficisci Hydruntum in Castra cum sua Curia, & vassallis, & sic sua dominatio una cum præfatis accessit ad benedictum locum Paternionis causa videndi B. Franciscum de Paula, quem invenerunt illic in dicto Monasterio. Et cum præfatus Dominus Joannes Nicolaus alloqueretur dictum B. Franciscum, dixit ei B. Franciscus*: Domine Comes ite cum Domino in Castra, cito enim fugabitis Turcas canes, & vos, & vestri incolumes revertemini absque periculo, & præ devotione sumite hanc Candelam; *& singulis ejus Curialibus unam etiam dedit Candelam, & ipse Testis similiter unam habuit, & sic in castra profecti fuere. Et dum præliaretur dictus Comes, & ejus Curiales, per medios hostes ingrediebantur; & cum multa millia obiissent ferro, tormentis, seu bombardis, sagittis, & pice accensa, adeo quod cadavera calcabantur, nihilominus dicti Comes, & sui*

*sui incolumes*, *& absque læsione*, *ut prædixerat ei B. Franciscus de Paula, fuerunt. Solus Miles quidam, qui cum recusasset sumere Candelam, ægrotavit, & obiit, & confestim putruit, ut canis. In causa scientiæ dixit scire prædicta, quia interfuit, vidit &c.* Cui Testis decimus nonus concordat, testaturque ipsemet Joannes Franciscus de Arenis, Arenarum, Stylique Comes præfati Comitis filius in Epistola, quam pro S. Viri Canonizatione ad Leonem Papam X. scripsit. De Candelis a S. Viro benedictis, datisque nautis, qui ipsum in Galliam duxerant, loquitur Testis vigesimus.

III. Constat jam ex hactenus dictis, Candelis benedictis non solum fugari dæmones a locis, ubi illæ servantur, atque accenduntur, cujus pene solius effectus fit mentio in Oratione in Textu nostro præscripta, verum etiam alia multa patrata miracula, quibus alia ex eodem meo Sancto Cive Francisco de Paula, atque aliis Sanctis adjungere possem, qui hujusmodi Candelis a se bendictis varios morbos curarunt. Sed hæc spectant particularem Candelarum Benedictionem factam a laicis hominibus, qualis fuit laudatus meus Civis S. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum Fundator, qui præ sua humilitate non modo Ordinem Presbyteratus recusavit, sed & ipsam Clericalem Tonsuram, ut Auctores ejus Vitæ testantur. Nam alias Benedictio Candelarum extra diem Purificationis Virginis, de qua loquitur hic noster §. fieri non potest, nisi a Sacerdote, sicut & illæ, quæ ex peculiari ritu a nonnullis Religiosis peragi solent, ac præsertim a Fratribus Ordinis Prædicatorum, apud quos extat Benedictio Candelarum Societatis SS. Rosarii, quæ & est hujusmodi. ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, ℟. *Qui fecit Cælum*, *& Terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. *Domine Jesu Christe, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem Virginis Mariæ Matris tuæ, & per quindecim ejus Rosarii mysteria bene ✠ dictionem tuam super hos Cereos, & Candelas, & sanctifica eas lumine tuæ gratiæ; & concede propitius, ut sicut hæc luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne, ac Spiritus ✠ Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant, ut puro mentis oculo cernere possimus quæ tibi sunt placita, & nostræ saluti utilia: quatenus post hujus sæculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pevenire mereamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Aspergantur Aqua benedicta.

# CAPUT IV.

## *Benedictio domorum in Sabbato Sancto.*

I. Triplex est Benedictio domorum in hoc nostro Romano Rituali præscripta. Prima est illa in hoc præsenti Capite notata. Altera habetur in Capite sequenti, diciturque, *Benedictio domorum alio tempore facienda cum aspersione Aquæ benedictæ*. Tertia vero Capite VII. posita vocatur, *Benedictio domus novæ*. Ad primam quod attinet, quæ scilicet post meridiem Sabbati Sancti fieri hodie solet multis in locis nostræ Italiæ, ac præsertim in Urbe, antiqua illa profecto est, de eaque mentio in antiquis Ritualibus habetur, & in Actis Ecclesiæ Mediolanensis a S. Carolo concinnatis, potissimum vero in ejus Concilio Provinciali VI. Mediolanensi, Capite inscripto, *De Sacramentalibus*. Sed observandum est quod præscribit noster sequens §.

## §. I.

Parochus, seu alius Sacerdos, Superpelliceo, & Stola alba indutus, cum Ministro deferente vas Aquæ ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis, acceptæ, visitat domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem Aqua benedicta. Ingrediens domum dicit: *Pax huic domui*, *& omnibus habitantibus in ea*. Deinde aspergens loca præcipua domus, & eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam: *Vidi Aquam egredientem de Templo a latere dextro*, *Alleluja*. *Et omnes*, *ad quos pervenit Aqua ista*, *salvi facti sunt*, *& dicent*, *Alleluja*, *Alleluja*. Psalm. *Confitemini Domino quoniam bonus*, *quoniam in sæculum misericordia ejus*. *Gloria Patri*, *& Filio &c.* Repetitur Antiphona: *Vidi Aquam &c.* Deinde dicit ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, *Alleluja*. ℟. *Et salutare tuum da nobis*, *Alleluja*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

*Oremus.*

*Exaudi nos*, *Domine Sancte*, *Pater Omnipotens*, *æterne Deus*, *& sicut domus Hebræorum in exitu de Ægypto Agni sanguine linitas* (*quod Pascha nostrum*, *in quo immolatus est Christus*, *figurabat*) *ab Angelo percutiente custodisti*; *ita mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis*, *qui custodiat*, *foveat*, *protegat*, *visitet*, *atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo*. *Per eundem Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. Certi juris est, Benedictionem domorum in Sabbato Sancto, pertinere ad proprium Parochum, resolvitque non semel Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, præsertim die XXIII. Novembris anni MDCXVI, ubi edixit, Regulares non posse in Sab-

Sabbato Sancto benedicere domos, cum non possint hoc munus extra Conventum suum exercere; itemque in Bononiensi die IV. Julii anno Christi MDCXX. ubi censuit, non posse Regulares in Hebdomada sancta benedicere domos in Diœcesi existentes, cum hoc sit munus Parochi. Legere est hæc prædictæ Sacræ Congregationis Decreta apud Barbosam, Parte I. *De officio, & potestate Parochi*, Cap. XXI. num. 12. Neque obstat, quod initio hujus §. ubi agitur de Benedictione domorum in Sabbato Sancto, dicitur, *Parochus, seu alius Sacerdos*; ut enim scite notat inter alios Paulus Maria Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo I. Sectione IV. Dubitatione IV. & Titulo III. Sectione X. Dubitatione I. *quamvis Rituale addit*, seu alius Sacerdos, *intelligi debet de licentia Parochi, ne jura Parochorum violentur*. Addit mox etiam, eum qui sine Parochi licentia munus hoc usurparet, male se gerere, & puniri posse.

II. Ergo *Parochus, seu alius Sacerdos*, de licentia scilicet, aut permissu Parochi, ex præscripto nostri hujus §. benedicturus domos in Sabbato Sancto, *Superpelliceo, & Stola alba indutus cum Ministro deferente vas Aquæ ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis acceptæ, visitat domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem Aqua benedicta.* Fuisse antiquum morem, ut ex Aqua benedicta in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes, Fideles partem aliquam, antequam scilicet in eam Chrisma infunderetur, domum adsportarent, jam supra ostendimus in Commentario ad Caput II. quod inscriptum est, *Ordo ad faciendam Aquam benedictam*, num. III. ubi attulimus Constitutionem, quæ legitur in Capitularibus Regum Francorum, Lib. VI. Cap. LXXVII. a Gratiano in suo Decreto relatam, Canone CXXVI. De consecratione, Distinctione IV. quæ est hujusmodi: *In Sabbato Sancto Paschæ, vel Pentecostes, siquis velit Aquam consecratam in domo sua ad aspersionem recipere, ante Chrismatis infusionem percipiat*: Idem legitur in variis Conciliis, ac Ritualibus, ac præsertim in Ordine Romano X. in Sabbato Sancto, & in Missali Mozarabum Ecclesiæ Toletanæ, in Vigilia Dominicæ Resurrectionis, ubi hæc habet: *Antequam Chrisma, & Oleum ponantur in Fonte, omnes, qui causa devotionis voluerint accipere Aquam benedictam de Fonte, ad aspergendum in domibus suis, sumant secundum Decretum Alexandri Papæ &c.* Cæterum quod tempore Gregorii Turonensis, qui Sæculo Christi VI. claruit, post Chrisma infusum distribueretur hæc Aqua, mutatusque deinde fuerit hic ritus Sæculis posterioribus, reverentiæ causa erga sanctum Chrisma, jam supra nos admonuimus in Commentario ad dictum Caput II. Sed non omittendus tamen antiquus Ordo Romanus VII. num. 10. ex quo cautum est, ut sparso Chrismate in Fontem, *omnis populus, qui voluerit, accipiat benedictionem unusquisque in vasis suis de ipsa Aqua*, benedicta scilicet in prædictis Sabbatis Paschæ, & Pentecostes, *antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum, vel in vineis, campis, vel fructibus eorum*.

III. Addubitari tamen nequit, quin vel ante annum Christi millesimum obtinuerit ritus, qui & ad nostra hæc usque tempora servatur, ut adhibeatur Aqua ad benedicendum domos ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis accepta. Cujus ritus testem habemus Durandum, Lib. IV. Rationalis, Cap. IV. num. IV. ex quo etiam addiscimus, consuevisse Fideles de ipsa Aqua accipere, & adsportare in domos suas; ut vel hinc deducas, labente Sæculo XIII. quo claruit Durandus, nequaquam introductum fuisse ritum Benedictionis domorum in Sabbato Sancto, nonnisi a Parocho, vel ab alio Sacerdote, de illius licentia, peragendæ, ut statuit hic noster §. & iterum, iterumque Sacra Concilii Tridentini Interpretum Congregatio decrevit. Sane ex Missali Romano ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restituto, ac S. Pii Papæ V. jussu edito, & Lugduni impresso anno MDLXXVIII. in Benedictione Fontis post Præfationem, ita legitur: *Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa Aqua benedicta super populum; & interim unus ex Ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de eadem Aqua ad spargendum in domibus, & aliis locis.*

IV. Ergo veteri, recentiorique Ecclesiæ ritui inhæret nostrum hoc Rituale Romanum, ubi in præsenti Capite statuit, ut *Parochus, seu alius Sacerdos*, de Parochi scilicet licentia, *Superpelliceo, & Stola alba indutus, cum Ministro deferente vas Aquæ ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis acceptæ, visitet domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem Aqua benedicta*. Qui tamen ritus, nec quoad diem, nec quoad Aquam multis in locis, ac in magnis præsertim Urbibus, Oppidisque hodie observatur, excusantibus se Parochis, quod Parochiæ vastæ sunt, & una die circui non possunt, eamque ob causam Benedictionem domorum anticipantibus, quas ex alia Aqua, quam ex illa ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis accepta benedicere solent per varios dies Sabbatum Sanctum præcedentes, ut Neapoli, & in nonnullis aliis Italiæ locis; vel subsequentes, ut in Lusitania, ubi teste Barbosa, *De officio, & potestate Parochi*, Capite XII. num. 11. Benedictio domorum fit vel primo, vel secundo die post Dominicam Resurrectionis. Sed puto equidem, futilem esse eam Parochorum excusationem, cum vel in vastis Parochiis peragi facile queat uno statoque die domorum Parochialium Benedictio, si plures adhibeantur a Parochis Sacerdotes coadjutores, uti Romæ fieri solet; ubi tamen a multis Parochis, qui Baptismali Fonte carent, alia Aqua benedicta adhibetur, quam illa ex Benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis accepta, contra ritum in antiquis Ritualibus, ac præsertim in hoc nostro Romano præscriptum.

V. Ut ut autem hæc se res habeat, cui remedium opportunum adhibere ad Ecclesiarum Præsides spectat, certum illud est, quod alias supra probavimus, pertinere ad Parochum Aquæ benedictæ aspersionem in domibus Parochialium Sabbato Sancto, vel alio tempore juxta locorum consuetudinem faciendam, uti statuit inter alios Sanctus Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi VI. Capite, *De Sacramentalibus*, inscripto, ubi sic inquit: *Aqua benedicta, qua Sabbato Sancto, vel in Vigilia Sacri diei Natalis Domini, vel alio tempore, pro locorum consuetudine, ædes parochialium hominum aspergi solent, aspersio cum plena mysteriorum est, tum propria Parochorum*. Subdit mox: *Quamobrem stato tempore ne alius Sacerdos, quam proprius Parochus illas aspergat, aliusve ab eo constitutus; neve*

item

**item Sabbato Sancto ante illas aspergat, quam Benedictio solemnis Fontium celebrata sit.** *Aspergendo autem precibus rite utatur ad præscriptum Libri Ritualis.* Sed neque omittendum, quod & statim subjicit: *Illud autem*, inquit, *in hoc aspersionis munere caveat omnino, ut ne signo quidem aliquo, ac nutu, nedum verbis eo sanctæ aspersionis nomine quidquam petat, exigatve.*

VI. Hinc puto improbari morem illum, qui vel in Urbibus, Oppidisque insignibus invaluit, in quibus puer, adolescensque laicus, immorigerusque Superpelliceo indutus vas cum Aqua benedicta una manu gestans, altera vero sportam, Parochum ad benedicendum domos Sabbato Sancto comitatur, ut oblationes pecuniæ in ipsum vas, comestibilium vero, qualia sunt ova, lacticinia, aliaque id genus, in sportam immittat. Scio, sponte fieri a Fidelibus hujusmodi oblationes, sed non semel humano respectu coactis, ne videantur in eam rei familiaris angustiam redacti, ut nec par ovorum immittere in sportam valuerint, vel obolum unum in vas. Optandum plane esset, ut hic usus, qui ubique locorum invaluit, portandæ sportæ ad immittendas ibi oblationes pro domorum Benedictione, quæ Sabbato Sancto fieri assolet, omnino tollatur, tum præsertim, quod idem S.Carolus, præter memoratum superius Decretum in Concilio Provinciali Mediolanensi VI. editum, jam antea in Concilio V. itidem Provinciali Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, ita ad rem nostram statuerat: *Benedictionis hujus causa, occasioneve nihil plane quidquam vel minimum, neque is, neque Sacerdotes, Clericive, quos sibi socios, adjutoresve adjunxerit, petant, exigant, ac ne sponte quidem, ultroque oblatum, donove datum capiant.* Atque huic Decreto innixus Hieronymus Barrufaldus Ferrariensis, qui alias insignis Collegiatæ Centensis Ecclesiæ Archipresbyter fuit, in suo ad hoc præsens Caput Commentario, num. 20. diserte ait, non omni laude dignum esse usum illum aliquorum locorum, *in quibus Parochus, seu alius Sacerdos, habita facultate, circuit ad benedicendas domos cum Clerico deferente vas Aquæ benedictæ, & insimul cum vase canistrum ad ova, & salsamenta colligenda, non pro mercede Benedictionis, sed sponte oblata, in signum gratuitum, ac etiam nummos, & pecuniam, quia præter malum odorem avaritiæ, & suspicionem simoniæ, habemus ex Concilio Provinciali V. Sancti Caroli ista præcisa verba hoc prohibentia*: Benedictionis hujus causa &c.

VII. At hisce omissis, ex §. nostri præscripto Parochus ingrediens domum, dicit: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Recte observant varii Scriptores, Saussay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo XX. Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione X. Præludio I. & alii, a mandato Christi Domini in Evangelio Lucæ, Cap. X. expresso, quo jussit suis Apostolis, ut ingrediendo domum quamlibet, pro salutatione primum iis, qui in ea habitant, vel commorantur, pacem annunciarent, morem illum Ecclesiæ manasse, quo Sacerdotes ministerium aliquod humanæ sanctificationis ineuntes, in cujusvis habitaculi ingressu dicere consuevere, *Pax huic domui*; Clerico respondente, *Et omnibus habitantibus in ea.* Constat id potissimum ex omnibus pene Ritualibus vel antiquissimis, ubi agunt de Extrema Unctione infirmorum; mandant enim, ut Sacerdos infirmi domum ingrediens, sive ad Sacrum Viaticum ei præbendum, sive ad ipsam peragendam unctionem, dicat primum: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*; tum etiam statim: *Pax ingredientibus, & regredientibus.* Ita plane legitur in ms. Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille. Imo ex ms. Pontificali Prudentii Episcopi Trecensis annorum CM. cautum fuit, ut cum ingrediebatur Sacerdos, primum diceret ter, *Pax huic domui*; tum vero domum benediceret peculiari oratione, & aspergeret *Aqua benedicta cum odore incensi.* Ritus itaque antiquus fuit, ut Fidelium domus, si non in Sabbato Sancto, aut alio tempore, saltem occasione inungendorum Sancto Oleo infirmorum, a Sacerdote benedici solerent. Prædicta autem Ritualia, sicut & alia id genus multa, videri possunt apud Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV.

VIII. Ubi in domus ingressu Sacerdos ea verba pronunciavit, *Pax huic domui &c.* deinde, ut ait noster §. aspergens loca præcipua domus, & eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam: *Vidi aquam egredientem &c.* Desumpta est hæc Antiphona ex Capite XLVII. Ezechielis, quam, uti observat Durandus citato Libro IV. Cap. IV. num. VI. *in Paschali tempore ad aspergendum cantamus*, quamque ita etiam exponit: *Ezechieli Dominus Civitatem ostendit ædificatam super montem vergentem ad Austrum, in qua erat mirabiliter Templum. Civitas Ecclesia est, de qua dicitur* (Matthæi V.) Non potest Civitas abscondi supra montem posita. *Templum est Corpus Christi, de quo dicitur* (Joannis XII.) Solvite Templum hoc, & post triduum reædificabo illud: *Aqua de Templo egrediens Fons est Baptismi de latere Christi procedens. Sed cum fuerit in lævo lanceatus, cur hic dicitur a latere dextro? Respondeo, duo sunt latera Christi, scilicet, dextrum, & lævum. Dextrum est Divinitas, & lævum Humanitas. A latere igitur dextro exivit aqua, quia de Divina Christi Natura Spiritus Sancti aqua invisibilis procedit. De aqua invisibili, quæ a latere lævo, idest, Humanitate lanceata profluit, salvandi virtutem tribuit. Recte igitur hæc in Processione Paschali cantamus in laudem fluminis, cujus inundatione per mortem Christi reviximus. Verum post Octavam Pentecostes cantatur in Dominicis ad aspergendum Antiphona*, Asperges me Domine &c. *quæ a Pascha usque tunc intermittitur, quia de fide Passionis, & humilitate Baptismi Propheta prædixit.* Quicquid sit de hac expositione, quam alias pro more accepit Durandus ab aliis antiquioribus mysticis expositoribus, illud plane ex ejus testimonio constat, ritum esse antiquum, ut tempore Paschali in aspersione Aquæ benedictæ, dicatur Antiphona, *Vidi aquam &c.* quam iccirco Parochus aspersurus domos Sancto Sabbato, a quo incipit Paschale tempus, recitare a nostro §. jubetur.

IX. De oratione tandem, *Exaudi nos Domine &c.* ut aliquid dicam, eadem est, si quædam excipias, quæ illius initio adjuncta sunt, cum illa, quæ dici solet Dominicis diebus in aspersione Aquæ benedictæ, quam celebraturus Missarum solemnia in Ecclesia ex antiquo ritu facere solet. Ex ipsa oratione addiscere licet, qui sint effectus Benedictionis domorum; quæ quidem, uti obser-

vat

vat Quarti in citato toties Tractatu, Titulo III. Sectione IX. Præludio II. in fine, ideo renovari solet quotannis, ut si ex malitia habitantium maligni spiritus ibi fixerint sedem, virtute hujus Benedictionis, & resurrectionis Christi expellantur, sicuti a Christo triumphante in sua resurrectione princeps hujus mundi ejectus est foras. Prætererea, quia tunc sanctificati Fideles per Sacramenta annuæ Confessionis, & Communionis, in domibus Benedictione sanctificatis habitare debent.

X. Admonendum vero illud potissimum est, non omnes domos capaces esse Ecclesiasticæ hujus Benedictionis, tenendamque esse a Parochis regulam illam, quam præscripsit S. Carolus in laudato superius Concilio V. Provinciali Mediolanensi, ubi loquens de iis, quæ præstanda sunt a Parocho in Benedictione ædium, sic inter alia habet: *Ne ædibus benedicat, ubi aliquis excommunicatus habitat. Nec vero illis, quas fœneratores, meretrices, publici peccatores, manifestoque criminosi homines incolunt. Neque iis item, siquæ aleis, ludisque vetitis publice expositæ sunt.* Similia statuere & alii sapientissimi Episcopi in Synodis suis, quorum Decreta sæpenumero Parochi negligunt, ne oblationes ipsas nummorum, exculentorumve, quæ immitti in vas Aquæ benedictæ, vel in sportam, canistrumve, quæ Clericus gestat, solent, amittat. Cæterum, quod excommunicatus, si sit vitandus, non possit ejus domus, quam scilicet excommunicatus ipse inhabitat, neque licite, neque valide benedici ejus favore, probat quidem memoratus Quarti citato loco, Dubitatione II. quia scilicet ex vi talis Censuræ privatur excommunicatus communibus Ecclesiæ suffragiis, ideoque Benedictionibus Ecclesiasticis, quæ totam suam vim habent ex meritis, & intercessione Ecclesiæ. Quamvis enim in casu nostro benedicatur domus materialis, nihilominus Benedictio ista ordinatur in favorem, & utilitatem habitantium, uti Doctores tradunt, inter quos videri potest Suarez, *De Censuris*, Distinctione XIX. *De Excommunicatione*, Sectione IV. num. 6.

XI. Ex allata doctrina jam duo colligi possunt. Primo, siquis benediceret domum excommunicati, ipsius intuitu, seu in ejus favorem, graviter peccaret, quia communicaret cum excommunicato in Divinis, quod est prohibitum sub peccato mortali. Secundo, si excommunicatus vitandus sit paterfamilias domus, itaut omnes in ea habitantes sint subordinati, & subjecti ipsi excommunicato, tunc absolute eam domum benedicere non debet, quia in hoc casu Benedictio non potest moraliter fieri, nisi in favorem excommunicati. Quod si in eadem domo habitent alii non subordinati, nec subditi excommunicati, poterit tunc domum benedicere in illorum favorem, quia utile per inutile non vitatur, uti idem Quarti ratiocinatur. Qui etiam mox subdit, si excommunicatus sit toleratus, & non vitandus, posse eam domum, & valide, & licite benedici, quamvis male ageret ipse excommunicatus præveniendo, seu procurando Benedictionem. Probat autem ille hoc suum assertum, quia licet ipse excommunicatus sit privatus Ecclesiæ suffragiis, & non possit communicare cum aliis Fidelibus, nihilominus, quando est toleratus, possunt libere alii Fideles communicare cum illo etiam in Divinis, ideoque potest etiam in casu nostro Parochus, Sacerdosve hoc beneficium ei præstare, & ejus domum benedicere, sicuti multis allatis Auctoribus idem Quarti in simili probavit circa applicationem Sacrificii in favorem ejusdem excommunicati, in Commentariis ad Rubricas Missalis, Parte II. Tit. VIII. Dubitatione II.

XII. Explicata hac Quæstione, prætereundum silentio illud non est, quod in eodem nostro §. edicitur, ut nimirum Parochus, Sacerdosve ab eo delegatus in hac Benedictione, *loca præcipua domus Aqua benedicta aspergat.* Neque enim tenetur totam domum circumire, & ascendere ad altiora loca, seu ad inferiora descendere, sed sufficit, ut nobiliora loca visitet, & aspergat; præcipua enim pars, & nobilior trahit ad se ignobiliorem, uti jam notavit Barrufaldus in sua hujus Capitis explicatione num. 20. & seq. Certe si veterem disciplinam spectemus, fiebat olim aspersio per omnia fere domus loca, præsertim si ea erat Religiosa, uti constat ex Sacerdotali Romano Venetiis impresso anno MDLVII. Parte II. Cap. XXVIII. quod inscriptum est, *De Benedictione, seu aspersione Aquæ benedictæ per officinas Canonicæ, vel domus propriæ*, cujus integrum locum licet prolixum, ad magis magisque exornandum nostrum hunc ritum, lubet in hoc Commentario referre, tum præsertim quod ex antiquis Ritualibus fuit exscriptus, ac præsertim ex vetusto Sacramentorum Libro Grimoaldi Abbatis. Sic ergo Sacerdotale ait.

Quum Clerici volunt aspergere Aquam benedictam per officinas Canonicæ, vel domus, vadat aliquis Sacerdos cum socio, vel sociis, & aspergens Aquam benedictam, incipiat in Sacristia Psalmum CXXXI. *Memento Domine David.* Antiphona: *Domum istam protege, Domine, & Angeli tui sancti custodiant muros ejus.* ℣. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* ℟. *Et locum habitationis gloriæ tuæ. Oremus.* Oratio. *Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotum ministerio ad tibi serviendum, & supplicandum dignaris: quæsumus immensam clementiam tuam, quidquid modo visitamus, visites, quidquid bene ✠ dicimus, bene ✠ dicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum.*

Postea procedat ad Dormitorium, & ibi dicat Psalmum CXX. *Levavi oculos meos.* Antiphona: *Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, & requiescemus.* ℣. *In pace in idipsum.* ℟. *Dormiam, & requiescam. Oremus. Bene ✠ dic, Domine, hoc Dormitorium famulorum tuorum, qui non dormis, neque dormitas custodiens Israel, & famulos tuos in hac domo quiescentes post laborem custodi ab illusionibus fantasmaticis satanæ, ut vigilantes in præceptis tuis meditentur, & dormientes te per soporem sentiant, & hic, & ubique defensionis tuæ muniantur auxilio. Per Christum.*

In Infirmaria dicat Psalmum VI. *Domine ne in furore tuo.* Antiphona: *Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis; inclina Deus meus aurem tuam, & audi; aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram.* ℣. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* ℟. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Oremus.* Oratio. *Omnipotens, & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad intuitum humilitatis nostræ hunc locum Infirmitorii, & hunc famulum tuum*, vel *famulos tuos in eo fes-*

*fessum*, vel *fessos*, *jacentem*, vel *jacentes*, *salutifere visitare digneris*, *& sicut visitasti Domine Thobiam*, *socrum Petri*, *puerumque Centurionis*, *ita & iste*, vel *isti*, *pristina sanitate animæ*, *corporisque recepta*, *gratiarum tibi in Ecclesia tua referat*, vel *referant actionem*. *Per Christum Dominum nostrum*.

In Refectorio dicat Psalmum CXXVII. *Beati omnes*, *qui timent Dominum*. Antiphona: *Oculi omnium in te sperant*, *Domine*, *& tu das illis escam in tempore opportuno*; *aperis tu manum tuam*, *& imples omne animal benedictione*. ℣. *Edent pauperes*, *& saturabuntur*. ℟. *Et laudabunt Dominum*, *qui requirunt eum*. *Oremus*. Oratio. *Omnipotens*, *& misericors Deus*, *qui famulos tuos in hac domo alis refectione carnali*, *ut cibum*, *vel potum te bene ✠ dicente*, *cum gratiarum actione percipiant*: *præsta quæsumus*, *ut hic*, *& in æternum per te salvi esse mereantur*. *Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

In Coquina dicat Psalmum XXII. *Dominus regit me*. Antiphona; *In loco pascuæ ibi me collocavit*. ℣. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. ℟. *Qui habitare facis unanimes in domo*. *Oremus*. Oratio. *Deus æterne*, *ante cujus conspectum assistunt Angeli*, *& cujus nutu reguntur universa*, *qui etiam necessariis humanæ fragilitatis tua pietate consulere non desinis*: *te humiliter imploramus*, *ut habitaculum istius officinæ illa bene ✠ dictione perfundas*, *qua per manus Helisæi Prophetæ in olla eremitica gustus amarissimos dulcorasti*, *& semper hic tuæ benedictionis copia redundante*, *laudes tibi referant servi tui*, *qui das escam omni carni*, *& imples omne animal bene ✠ dictione*, *Salvator noster*. *Qui vivis*, *& regnas per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*.

In Cellario dicat Psalmum CXLIII. *Benedictus Dominus Deus meus*. Antiphona: *Ecce ego mittam vobis frumentum*, *& vinum*, *& oleum*, *& replebimini in eis*, *dicit Dominus*; *ideoque exultate*, *& lætamini in Domino Deo nostro*. ℣. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua*. ℟. *Et super opera manuum tuarum*. *Oremus*. Oratio. *Omnipotens*, *& misericors Deus*, *qui ubique præsens es*, *majestatem tuam suppliciter exoramus*, *ut huic promptuario gratia tua adesse dignetur*, *quæ cuncta adversa ab eo repellat*, *& abundantiam bene ✠ dictionis tuæ largiter infundat*. *Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

In Claustro dicat Psalmum LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua*. Antiphona: *Congregavit nos in unum Christi amor*; *timeamus*, *& amemus Christum Deum*; *ubi charitas*, *& amor*, *ibi Deus*. ℣. *Ecce quam bonum*, *& quam jucundum*. ℟. *Habitare Fratres in unum*. *Oremus*. Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus*, *qui nos singulari prærogativa gratiæ in hoc Religionis Claustro misericorditer congregasti*: *da nobis famulis tuis ita in eodem laudabiliter tibi servire*, *& in fraternitatis amore*, *& sincera dilectione*, *ac mutua pace convivere*, *ut tandem ad illam patriam*, *in qua omnia*, *secura*, *firma*, *tranquilla*, *& stabilia sunt*, *te largiente*, *pervenire valeamus*. *Per Christum Dominum nostrum*. *Amen*.

Ad Portam principalem dicat Psalmum CXLVII. *Lauda Hierusalem Dominum*. Antiphona: *Confortavit Dominus seras portarum nostrarum*, *& benedixit nobis*. ℣. *Hæc est porta Domini*. ℟. *Et justi intrabunt in eam*. *Oremus*. Oratio. *Domine Jesu Christe*, *qui in introitu portarum Hierusalem valvas sanctificasti*, *dum splendore gemmarum duodecim*, *totidem Apostolorum nomina præsignasti*; *& qui per organum propheticum prædixisti*, Lauda Hierusalem Dominum. Quia confortavit seras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te: *te quæsumus*, *ut ponas omnes fines domus istius pacem*, *& velociter currens interius sermo tuus*, *adipe frumenti satiet eos*. *Spiritus Sanctus defendat illos*, *ut numquam nocere eis valeat inimicus*, *sed omnes habitantes in ea interius voce*, *corde*, *& opere decantent dicentes*: Magnus Dominus Deus noster Jesus Christus, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. *Qui cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti in Trinitate perfecta vivis*, *& regnas Deus*, *per omnia sæcula sæculorum*. *Amen*. *Dominus vobiscum*. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam*, Lucæ Cap. XIX. *In illo tempore*. *Ingressus Jesus perambulabat Hierico*. Antiphona: *Beata gens*, *cujus Dominus Deus eorum*, *populus electus in hæreditatem sibi*. *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. *Pater noster*. ℣. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera*. ℣. *Custodi nos*, *Domine*, *ut pupillam oculi*. ℟. *Sub umbra alarum tuarum protege nos*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. Oratio. *Deus*, *qui in omni loco dominationis tuæ dedicator semper assistis*, *exaudi nos*, *quæsumus*, *ut inviolabilis hujus domus permaneat benedictio*, *& beneficia tui muneris universitas*, *quæ supplicat*, *mereatur*. Oratio. *Visita*, *quæsumus*, *Domine*, *habitationem istam*, *& omnes insidias inimici ab ea longe repelle*, *& Angeli tui sancti habitent in ea*, *qui nos in pace custodiant*, *& benedictio tua sit super nos semper*. *Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

Postea addat orationes de Beata Virgine, & aliis Sanctis ad libitum. In reditu ad Ecclesiam dicere poterit Psalmum XC. *Qui habitat in adjutorio*. *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. *Pater noster*. *Et ne nos*. ℣. *Memor esto Congregationis tuæ*. ℟. *Quam possedisti ab initio*. *Oremus*. Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo*, *ut in Nomine Dei*, *& Domini nostri Jesu Christi Filii tui dilectissimi mereamur semper bonis operibus abundare*. *Per eundem &c.*

XIII. Atque hæc sunt, quæ in Romano Sacerdotali leguntur de Benedictione, seu aspersione Aquæ benedictæ per officinas Canonicæ, vel domus propriæ, quæ quidem ex antiquis Ritualibus desumpta sunt, ac præsertim ex Libro Sacramentorum Grimoaldi Abbatis, ubi formulæ diversæ extant, quæ singulis domus magnæ, præsertim vero Monasteriorum locis benedicendis sunt accommodatæ, siquidem eo fine disposita ibi legitur Oratio proferenda a Sacerdote in Sacrario, alia in loco, ubi vestimenta conservantur, alia in refectorio, alia in dormitorio, & aliæ in aliis locis superius memoratis a nobis, & ab erudito Saussay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo XX. ubi etiam ait exolevisse illarum usum, neque eas extare in propriis Diœceseon Manualibus, quæ se vidisse affirmat. Sed extant tamen in Romano Sacerdotali, quod forte non vidit. Cæterum plura alia, quæ spectare ad hunc Commentarium poterant, dicemus infra in Commentariis ad Caput V. inscriptum, *Alia Benedictio domorum alio tempore facienda &c.* & ad Caput VII. quod inscriptum est, *Alia Benedictio domus novæ*.

CA-

## CAPUT V.

### *Alia Benedictio domorum alio tempore facienda cum aspersione Aquæ benedictæ.*

### §. I.

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos Fidelium alio tempore infra annum aspergere Aqua benedicta, ingredientes domum dicant: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Deinde loca aspergendo, dicant Antiphonam, *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Psalm. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri &c.* Et repetitur Antiphona: *Asperges me, Domine &c.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Deinde aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter domorum Benedictionem, quæ fit Sabbato Sancto cum aqua e Fonte Baptismali desumpta, de qua diximus supra in Commentariis ad Caput IV. vel aliis etiam statis temporibus juxta locorum consuetudinem, & quocumque etiam alio non stato tempore, fieri & ipsa Benedictio domorum potest, ad eorum scilicet libitum, qui in eisdem habitant, quique iccirco rogare Parochum possunt, vel alium Sacerdotem, ut easdem benedicant, quia nimirum vel a malis spiritibus infestatæ sunt, vel a morbis frequentibus, vel ob aliam rationabilem causam. Puto equidem, non adeo Parocho hujusmodi Benedictionem esse alligatam, ut non possit ab aliis Sacerdotibus peragi, uti ex nostro Textu deducitur, ubi edicit, ut *Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos Fidelium alio tempore infra annum aspergere Aqua benedicta, ingredientes domum, dicant &c.* Sane censet Barrufaldus in sua ad hunc locum Nota, quocumque tempore sibi libeat, posse Parochum hoc facere absque eo quod interpelletur, adeo ut repelli ab habitantibus nequeat; quia scilicet *verbum illud*, volentes, *importat jus dispoticum, & liberum, absolutumque arbitrium.* At vero puto, labi Barrufaldum, si enim argumentum illius valeret, jam non solus Parochus, verum etiam alii Sacerdotes prætendere possent jus illud dispoticum, cum noster Textus absolute edicat: *Parochus, seu alii Sacerdotes volentes &c.* Verbum istud *volentes* ad ritum quidem referendum est, quo benedicere domum debent, ubi scilicet rogati sint, non ad jus dispoticum, & liberum, absolutumque arbitrium Parochi, seu aliorum Sacerdotum, qui nullum jus habent, nec habere debent benedicendi domos, invitis habitatoribus, præsertim alio tempore, quam Sabbato Sancto, quo quidem die spectare ad Parochum Benedictionem domorum Parochialium, diximus jam in Commentariis ad Caput IV. Vide & quæ dicemus mox in sequenti Capite VII. non pauca enim ibi invenies, quæ ad explicationem Capitum præsentis, ac superioris faciunt. Quod tandem Orationem spectat, illa eadem est, quæ dici ex antiquo ritu solet post aspersionem Aquæ benedictæ factam populo Dominicis diebus a Sacerdote Missarum solemnia statim celebraturo.

## CAPUT VI.

### *Benedictio loci.*

### §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Benedic ✠ Domine Deus Omnipotens locum istum* (vel *domum istam*) *ut sit in eo* (vel *in ea*) *sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo Legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; & hæc Benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc, & semper.* ℟. *Amen.* Et aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. EXtat hæc Benedictio in Sacerdotali Romano anni MDLXVII. Parte II. Capite XXV. quod inscriptum est, *De benedictione loci, vel domi*; mirumque videri potest, quod in nostra hac Oratione, duæ virtutes desiderentur, quæ in illa Sacerdotalis Romani inter alias

alias leguntur, nempe *pax, charitas, &c.* Porro quod non omnia habitacula, officinæve dici proprie possint domus, ideo institutam puto hanc peculiarem loci Benedictionem. Effecit autem majorum devotio, ut quemadmodum observat pius æque, & eruditus Sauffay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo xx. ut non solum singulæ domus Sacerdotali Benedictione communirentur, sed cuncta domus cubicula, & habitacula, ac receptacula, eadem sanctificatione fulcirentur. Hinc in Libro Sacramentorum Grimoaldi Abbatis formulæ diversæ extant, quæ singulis domus magnæ, præsertim vero Monasteriorum locis benedicendis sunt accommodatæ; siquidem eo fine disposita ibi legitur Oratio a Sacerdote proferenda *in Sacrario*, alia *in loco ubi vestimenta conservantur*, alia *in Refectorio*, alia *in Dormitorio*, alia *in Cellario*, alia *in Scriptorio* (sic appellat locum, ubi scriptioni, & lectioni opera datur) alia *in Hospitali* (hoc est in loco, ubi hospites recipiuntur) alia *in Domo infirmorum*, alia *in Area*, alia *in Granario*, alia *in Pistrino*, alia *in Coquina*, alia *in Lardario* (hoc est, Carnario, ubi caro, & similia esculenta asservantur) alia *in Caminata* (nempe in loco, ubi est caminus, ad quem homines se calefaciunt) alia *in introitu portæ*.

II. Quamquam vero istiusmodi Benedictionum usus jam exoleverit, ne ea, quæ Majores nostri pie, religioseque egerunt, penitus ignorarentur, jam eas nos descripsimus supra in Commentario ad §. I. Capitis v. præcedentis, & quidem ex Sacerdotali Romano anni MDLXVII. Venetiis impresso, Parte II. Capite XXVIII. quod inscriptum est, *De benedictione, seu aspersione Aquæ benedictæ per officinas Canonicæ, vel domus propriæ*. Ea itaque observanda, in quibus multa invenies, quæ & ad hunc locum faciunt.

# CAPUT VII.

## *Alia Benedictio domus novæ.*

I. BEnedictio novæ domus suam videtur trahere originem a Veteri Testamento, ubi Deus religioso ritu voluit quidem novas populi sui domos esse consecratas, uti constat ex Capite xx. Deuteronomii, ubi scriptum legitur: *Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam?* Laudatissimo itaque cultu utraque Ecclesia Latina, & Græca, domos novas benedicit, & dedicat, & sicut in Latinis, ita & in Græcis Ritualibus, extat Benedictio domus novæ; quinimo in Euchologio, seu Rituali Græcorum a Jacobo Goar Notis illustrato pag. 483. & seq. editionis Venetæ, legitur etiam *Oratio in fundamento domus ponendo*, quæ est hujusmodi: *Domine Deus omnipotens, qui sapientia tua Cælos condidisti, & Terram super stabilitatem suam fundasti, te Creator, & cunctorum Opifex ad servum tuum potestatis tuæ ope domum habitationis commodam extruere, & eam ædificio superstructo in altum erigere statuentem respice, super petram firmam illam stabili, & juxta Divinam Evangelii tui vocem, quam non ventus, non aqua, non aliud quid dejiciat, eam loca; ad finem eam perducere tibi complaceat, & ab omnibus adversarii insidiis habitatores in ea libera. Quia tua est potentia, & tuum est regnum, & virtus, & gloria, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

II. Absoluta domo, fit & apud eosdem Græcos ejus Benedictio peculiari oratione, quæ dicitur, *cum aliquis domum novam ad habitandum ingressurus est*, estque sequentis tenoris: *Deus, & Salvator noster, qui Zacchæi domum, ut ei, & toti ejus domui fieres salus, ingredi dignatus es; ipse nunc habitationem hic sibi deligentes, & per nos indignos, preces, & supplicationes tibi offerentes, ab omni noxa conserva incolumes; benedic eis, & habitationi eorum, vitamque eorum ab omnibus penitus insidiis liberam custodi. Quia tibi convenit omnis gloria, honor, & adoratio, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Habet & aliam Orationem ms. Codex Barberinus apud eundem Goar, quam & operæ pretium duxi hoc loco referre: *Domorum sanctificator, & animarum Redemptor, benedic, sanctifica domum istam, omni bono reple, necnon habitantes in ea benedic, & conserva, viamque salutis, & pacis illis largire, ab omni insultu, molestiaque diaboli protege illos, & nos cum eis in Regno tuo salvos fieri dignare. Quia clemens existis Deus noster, & Unigenitus Filius tuus, & Spiritus Sanctus in sæcula.*

III. Spectant hæc Græcum ritum, sed ut de origine Benedictionis domus novæ dicamus in novo Testamento, a mandato Domini, quo jussit suis Apostolis, ut ingredientes domum quamlibet pro salutatione hospitum pacem iis annunciarent, mos ille Ecclesiæ manavit, quo Sacerdotes ministerium humanæ sanctificationis ineuntes, in cujusvis domus ingressu dicere consueverunt, *Pax huic domui*, Clerico respondente, *Et omnibus habitantibus in ea*. Ab eodem itaque præcepto Domini, ut scite notat pius æque, ac doctus Auctor Andreas Sauffay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo xx. ortum esse ritum satis in Ecclesia celebrem, ut domus nuper extructa pro Fidelium habitatione, supplicatione solemni a Presbytero benedicatur, consentaneum est credere, cum pacem precari, Christi nomen super quemcumque hominem, vel hominis domicilium invocare, & benedicere, pro re eadem esse accipiendum, nemo sit in sacris Litteris, & Patrum Schola, vel mediocriter eruditus, qui non fateatur.

IV. Sane jam olim, ut idem Auctor observat, apud Christi cultores illa obtinuit pia consuetudo, ut domorum postes, ostia, limina, parietes, & fastigia, triumphali Crucis titulo, signaculoque salutari communirentur: *Crucem celebrari ubique videre licet, in viis, in solitudine, in foro, in domibus*. Verba sunt S. Joannis Chrysostomi in ea Oratione, quam inscripsit, *Quod Christus sit Deus*. Beatus autem Nilus scribens ad Olympiadorum Proconsulem, Epistola citata in Septima Synodo, Actione IV. optare se ait, ut non tantum in singulis domibus, sed quarumcumque domorum habitaculis singulis statuatur Imago Crucis, ut memoria Crucifixi semper recens in Fidelium animis vigeat, & ut salutari hoc pignore habitatores, & ipsa loca a Christo

sto Servatore protegantur. Legimus in Actis Martyrum Nicomediensium apud Surium Tomo VI. quod cum Præfectus totam illorum domum curiosius excuteret, Imaginem Christi Crucifixi repererit, cum Evangeliorum Codice. Morem vero fuisse antiquum in domorum liminibus super postes Crucem Domini affigere cum hac Epigraphe, *Christus nobiscum, state*; idest, *Transite Angeli percussores, viso Agni immolati salutifero signaculo*, eaque figura, & inscriptione fugatas fuisse pestilentias, compressos terræmotus, fulgura dissipata, & adversa quæque repulsa, præclaris exemplis testantur antiqui Scriptores quos idem Saussay citato loco recenset.

V. Ne tamen Benedictio elongaretur a Fidelium ædibus, mos deinde productus est, ut quotiescumque domus nova extructa foret, non prius in ea Fideles inhabitarent, quam fuisset precibus benedicta. In Libro Sacramentorum excerpto a Grimoaldo Abbate ex Sanctorum Patrum Opusculis, ut inscriptio præfert, extat Benedictio domus, quæ duabus orationibus continetur, quas referemus infra in Commentario ad §. I. Ut autem Ritualia antiqua omittam, sequitur & in Romani Sacerdotalis Parte II. post Benedictionem loci, *Benedictio domus novæ, vel a dæmonio vexatæ*, variis sane precibus, orationibus, cæremoniisque referta, quas nos & infra ad antiqui ritus notitiam describemus. Hunc plane veterem ritum, ubi in desuetudinem abiisset, restitui statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Parte I. Constitutionum, Capite, *De Ecclesiarum, & Altarium consecrationibus, aliarumque rerum Benedictionibus*, ubi sic inquit: *Antiquus ille Benedictionis ædium, quæ, vel recenter ædificatæ sunt, vel immundis spiritibus, aliave ratione vexantur, ritus, ubi in usu esse desiit, Episcopi cura restituatur. In illa porro Benedictione Parochus ritum, precesque Psalmos, Orationes in Libro Sacerdotali, Ritualive præscriptas adhibeat*. Veterem istum ædibus, atque ædificiis benedicendi morem, ritumque ex Sanctæ Ecclesiæ instituto introductum, ac Decreto, quod in laudato IV. Concilio Provinciali memoratus Sanctissimus Antistes confecit, restitutum, ut Parochi, & reliqui animarum curatores, ad quos religiosæ illius Benedictionis munus pertinet, pie, sancteque observent; & laici, quorum ædificiis, domiciliisque benedicendum est, spiritualia inde commoda uberrima in Domino capiant, hanc in illis benedicendis rationem præscribit in Concilio Provinciali V. Mediolanensi, Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, quam nos integre operæ pretium duximus hoc loco describere. Duo enim notatu, ac scitu digna potissimum docet; ac primum quidem quæ in ipsa ædium Benedictione præstanda sunt a Parocho; tum ea, quæ a patrefamilias. Sic autem ille inquit.

VI. Primo Parochus hujus benedictionis munus aggrediatur pro voluntatis proposito, & quo debet religionis officio. II. Pridie autem illius diei, quo benedicendi munus aggreditur, præcipuo sanctæ precationis studio, & aliquando jejunio se parare curet. III. Quo item die ad benedicendum aggreditur, antequam aggrediatur, Missæ Sacrificium celebrare studeat, in quo ob hanc causam orationem de Spiritu Sancto pie recitet. IV. Ne ædibus benedicat, ubi aliquis excommunicatus habitet. V. Nec vero illis, quas fœneratores, meretrices, publici peccatores, manifestoque criminosi homines incolunt. VI. Neque iis item, siquæ aleis, ludisque vetitis publice expositæ sunt. VII. Ne noctu, sed interdiu Benedictionem peragat. VIII. Ritu utatur ad præscriptum formulæ, quæ in Libro Sacerdotali, Ritualique concepta extat. IX. Dum ad Benedictionis munus accedit, in eoque versatur, Superpelliceo, & Stola utatur. X. Clericus adsit, qui Crucem in via, & in Benedictionis ministerio præferat. XI. Alter item, qui Aquæ benedictæ vasculum cum aspergillo ferat. XII. Ceteri Sacerdotes, & Clerici, siqui alii adsint, ordine distincti bini præcedant, & suo quique Superpelliceo de more induti. XIII. Benedictionis hujus causa, occasioneve, nihil plane quidquam, vel minimum, neque is, neque Sacerdotes, Clericive, quos sibi socios, adjutoresve adjunxerit, petant, exigant, ac ne sponte quidem, ultroque oblatum, donove datum capiant. XIV. In hoc Benedictionis officio ne omittat ex Instructionum præscripto, Conciliique Provincialis Decreto patresfamilias docere, recteque erudire ad optimam familiæ educationem. Cujus etiam rei argumentum satis amplum habebit ex statis illis religiosis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

VII. Pergit S. Carolus, explicatque diligentissime, quæ præstanda sunt a patrefamilias in earundem ædium Benedictione, sic singula recens. I. Paterfamilias, cujus ædibus, domiciliisve benedicetur, pie se præparabit ad eam sancto desiderio suscipiendam. II. Ideo ante familiam suam recte recognoscet, monebitque universos, & singulos ad præscriptum regularum, quæ de Christiana familiæ institutione editæ sunt. III. Amoveri curabit quæcumque domi suæ sunt Christianæ familiæ instituto indigna, quæque Dei oculus offendunt. IV. Libros de rebus obscenis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhonestis, ceterisque id generis inflammari curabit. V. Libros de vitæ religiosæ, spiritualisque institutis, atque exercitationibus introducet. VI. Imagines obscenas, & turpes incendet; profanas vero, quæque ad inanem voluptatem alliciant, amovere studeat. VII. Sacras Christi Domini, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum præsertim Imagines, quos Patronos habet, ubique domi suæ locis honestis statuat. VIII. Tesseras, aleas, aleatoriasve tabellas, pictasque ad aleæ ludum pagellas procul abjicere curet. IX. Sacram Communionem in Parochiali Ecclesia simul eo die, ut sumant omnes de familia sua, procuret. X. Sacerdoti ad Benedictionis munus accedenti obviam vel ad Ecclesiam, vel ad primariam ædium januam simul cum tota familia procedat, earundem Benedictionem omni domus loco prosequatur religioso pietatis studio. XI. Dum Sacerdos benedicit, nemo domi, vel in officina, cui benedicitur, quidquam servilis, mundanive operis faciat.

VIII. Ex hactenus a S. Carolo præscriptis, plane addiscimus, quanta religione, ac pietatis studio, peragenda a Parochis, Sacerdotibusve, atque a laicis observanda sit ipsa ædium novarum præsertim Benedictio; sed hæc intelligi potissimum possunt, ex sacris precibus, cæremoniisque, quas ex antiquis haud dubie Ritualibus recenset Sacerdotale Romanum editum anno Christi MDLXVII. quod S. Carolus iterum iterumque lau-

laudavit, servandumque statuit in ipsa ædium Benedictione, in Provincia saltem Mediolanensi. Neque enim puto hodie locum habere ullum in functionibus Ecclesiasticis peragendis, postquam scilicet Rituale Romanum jussu Pauli Papæ V. editum fuit, & probatum a variis Summis Pontificibus Pauli successoribus, novissime vero a feliciter regnante Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO XIV. Sed describamus tandem ritum Benedictionis domus novæ a Romano Rituali in hoc præsenti Capite expressum, qui plane est hujusmodi.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus.

*Te Deum Patrem Omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus, ut eam benedicere ✠, & sanctificare ✠, ac bonis omnibus ampliare digneris; tribue eis, Domine, de rore Cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere ✠, & sanctificare ✠ digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob; & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, & ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Deinde aspergat Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. Quum languente Fidelium pietate una cum aliis sanctioris Christianæ veteris disciplinæ institutis in nostra hac temporum fœce, & ipsa quoque novæ domus Benedictio in desuetudinem abiisset, uti non sine animi sensu testati sunt S. Carolus Borromæus in Conciliis Provincialibus IV. & V. Mediolanensibus superius relatis, & religiosissimus Saussay in Panoplia Sacerdotali, Parte II. Lib. II. Articulo XX. ne ob prolixitatem Orationum, cæremoniarumque, quas in prædicta Benedictione Majores nostri adhibebant, tædio affecti recentiores Sacerdotes, eandem negligerent, hinc puto factum, ut in Romano Rituali abbreviatæ fuerit omnino, continetur enim novæ domus Benedictio, unica, & brevi Oratione in nostro §. expressa. At vero S. Carolus veterum Ecclesiæ rituum studiosus, & tenax, diserte in laudatis suis Conciliis statuit, ut ritus hujusmodi Benedictionis, ubi in usu esse desiit, restituatur, in sua saltem Provincia Mediolanensi, *in illaque Benedictione Parochus ritum, preces, Psalmos, orationes, in Libro Sacerdotali, Ritualive præscriptos adhibeat.* Rituale intelligit sui temporis, ex cujus præscripto variæ Preces, Orationes, ac Psalmi recitabantur, legebatur Evangelium, aspergebatur domus Aqua benedicta, & thure benedicto adolebatur.

II. Ergo, ne antiquus ignoretur ritus, placuit eum integre describere ex Sacerdotali anni MDLXVII. Parte II. Cap. XXVII. quod inscriptum est, *De Benedictione domus novæ, vel a dæmonio vexatæ.* Consuevit enim benedici domus, licet non nova, si erat a spiritibus vexata, idque antiquo Ecclesiæ ritu, ut exempla plurima docere nos possunt Sanctorum Episcoporum, & Sacerdotum inferiorum, qui hujusmodi Benedictione malignos spiritus ab ædibus Fidelium eliminarunt. Certe qui vixit sub Mauricio Imperatore S. Theodorus Sicæorum Archimandrita, inter cætera miracula, quibus, adhibita Aqua benedicta, patravit, domum Theodori Ducis Regii a dæmonum infestatione liberavit, teste Auctore ejus Vitæ apud Surium die XXII. Aprilis: *Homines*, inquit, *& animalia rationis expertia, ab immundis spiritibus vexabantur, & cum domestici pranderent, aut cœnarent, lapides super mensas jaciebant, & mulierum telæ rumpebantur; & tanta murium, & serpentium multitudo domum occupabat, ut præ formidine nemo in eam ingredi auderet. Domum igitur Dei servus ingressus, totam noctem psallendo, & Deum obsecrando traduxit, & Aqua, cui benedixerat, totam domum eam a spiritibus immundis liberavit.* Alia id genus exempla plura invenies in Vitis Sanctorum apud laudatum Surium, & Bollandianos.

III. Sed hisce omissis, ecce nunc ritum in Sacerdotali memorato præscriptum ad benedicendam novam domum, vel a dæmonio vexatam. *Adjutorium. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; & quicquid benedicturi, bene ✠ dicas; & ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas; sintque ad nostræ humilitatis ingressum, & introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum &c.* ℟. *Amen.* Deinde Sacerdos incipiat Psalmos Graduales, & prosequatur quinque primos, Aquam benedictam spargendo per loca domus; quibus finitis, dicat: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domum tuam, Domine, clementer ingredere, & in tuorum tibi corda Fidelium perpetuam construe mansionem; & præsta, at in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum.* ℟. *Amen.* Pergit Sacerdotale, mandatque, ut dicat Sacerdos alios quinque Psalmos Graduales, & deinde facta iterum Aquæ benedictæ aspersione, ac præmissis precibus, *Kyrie eleison &c.* hanc Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris, adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus ædificatæ sis protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute*

Spi-

*Spiritus Sancti, & operatione, fiat tibi hic primum servitium, & devota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*. Finita hac Oratione, mandat, ut dicat Sacerdos reliquos Psalmos Graduales, interim aspergendo domum; iisque finitis, *Kyrie eleison &c.* atque sequentem Orationem: *Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator assistis, exaudi nos quæsumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat Bene ✠ dictio, & beneficia tui muneris universitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*.

IV. Sequuntur mox duo alii ritus, qui Benedictionem ipsam domorum magis magisque insignem reddunt. Præscribit enim memoratum Sacerdotale, ut *in principaliori loco domus*, legat Sacerdos, præmisso, *Dominus vobiscum*, illam Evangelii partem, quæ est de ingressu Christi Domini in domum Zachæi, quæque recitari solet in Missa in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ; tum vero ut benedicto incenso, eo modo, quo fieri solet inter Missarum Solemnia ad Offertorium, nempe, *Per intercessionem Sancti Michaelis Archangeli &c.* & posito super ignem in thuribulo, *incenset domum, dicendo: Incensum a te benedictum ascendat ad te Domine.* ℟. *Et descendat super nos misericordia tua*; ac deinde, præmisso, *Domine exaudi orationem &c.* dicat Orationem: *Te Deum Patrem omnipotentem &c.* ut in nostro §. descriptam, in qua juxta Rituale Romanum tota novæ domus Benedictio concluditur; eaque finita, hanc aliam Orationem, quam ad Completorium recitare solemus, *Visita, quæsumus, Domine, habitationem istam &c.* demum vero, ut *domum, & omnes habitantes in ea benedicat*, dicens: *Et benedictio Dei Omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper.* ℟. *Amen*. Atque hic est ritus, quem in novæ domus Benedictione servandum mandavit S. Carolus in Conciliis suis Provincialibus IV. & V. uti jam supra dictum est.

V. Mirum autem videri debet, quod hodie ritus ipse benedicendi novam domum, ex quo Fideles uberrima commoda capere possent, passim negligitur. Incumberet Parochis, ut laicis ritum ipsum insinuarent, atque explicarent, ut S. Carolus mandat. Religiosissimus Saussay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo XX. laicorum hac in parte negligentiam nonnihil carpit: *Nunquam fuerunt*, inquit, *Parisiis novarum domorum ædificationes frequentiores, quam sunt hoc tempore, quarum structura cum Palatiorum amplitudine, ac pulchritudine certat; ac cum fabrica ad colophonem perducta est, picturis quidem, & pretiosis stromatibus parietes decorantur, splendida supellectile tota adornatur domus; de adsciscendo Sacerdote, in cujus Parœcia insignis illa ædes sita est, ad eam fusis ad Deum precibus more Christiano benedicendum, nemini in mentem subit vel minima cogitatio.*

VI. Sed notanda demum hoc loco potissimum sunt, quæ memoratus superius pius Scriptor mox subjicit: *Quid mirum, si Deus super hanc domum non respiciat, a cujus encæniis abfuit sancti sui Nominis invocatio, ubi nulla fusa est a Sacerdote Benedictio, ubi ethnico more, vel plane epicureo utplurimum habitatores vivunt sine Dei metu, sine Dei cultu; ubi innumera flagitia diu noctuque ab incolis, & advenis perpetrantur. Hinc, proh dolor! videmus repentinis casibus ejusmodi ædes tametsi recens constructas non sine stupore spectantium corruere, multosque ibi subitaneo ædificiorum lapsu obrutos interire absque ullo pœnitentiæ indicio, ac proinde sine pignorum salutis æternæ subsidio.* Concludit tandem sic inquiens: *Faxit Deus, ut nostri homines se se Christianos esse ab ortu suo reminiscantur, Majorumque pietatis memores, Divinum adjutorium per Preces Ecclesiæ, & Benedictiones Sacerdotales, super se, liberos, & domesticos suos, ipsasque ædes, quas inhabitant, priusquam has incolant, curent auspicato postulare.* Quanta sit virtus Sacerdotalis Benedictionis, abunde nos docet ritus ex Sacerdotali descriptus, viderique de eadem potest, quod fuse scripsit eruditus Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ, in Commentariis ad Sancti Gregorii Septimi Pontificis Septimum Romanum Concilium, Capite inscripto, *Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur.* Cæterum esse quoque antiquum Orientalis Ecclesiæ usum, ut domus a malignis spiritibus infestatæ sanctiori Oratione purgentur, ex Euchologio addiscimus, ubi id genus Orationem reperies.

## CAPUT VIII.

### *Benedictio Thalami.*

### §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Benedic ✠ Domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad Regna Cælorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum.* Postea aspergatur Thalamus Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Thalamus, ut vel ex Lexicis addiscere licet, est commune conjugis utriusque cubiculum; per translationem vero pro ipsis nuptiis, atque adeo pro ipso connubii jure accipitur. Inde ortum epithalamium, quod carmen nuptiale significat. Sumitur etiam pro lecto, in quo conjuges quiescunt, vetusque est ejus Benedictio, & occurrit etiam passim cum va-

variis precibus, orationibus, ac cæremoniis in antiquis Ritualibus Libris, ac præsertim in Pontificali Monasterii Lyrensis annorum DCC. ex quo cautum est, ut *nocte cum ad lectum pervenerint*, Sponsi scilicet, *accedat Presbyter, & benedicat Thalamum, dicens*, nempe Orationem, *Benedic Domine Thalamum istum &c.* Missale ms. insignis Ecclesiæ Rotomagensis annorum circiter D. de ipsa Benedictione Thalami agens, mandat quidem, ut *in primis Sacerdos indutus Superpelliceo, & Stola, aspergat Aquam benedictam per Thalamum, dicendo*, Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Sequitur Psalmus*: Beati omnes, qui timent Dominum &c.

II. In ms. Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis annorum circiter CD. quod etiam usui fuit Ecclesiæ Tarantasiensi, ante Benedictionem Thalami, quam *in sero* faciendam præscribit, Benedictionem *domus in nocte* peragendam, mandat hoc plane ritu: *Primum spargat Aquam benedictam, dicendo sequentem Antiphonam*. Signum salutis pone, Domine, in domibus istis, & non permittas introire Angelum percutientem in domibus, in quibus habitamus; de Cælo pone signum tuum, Domine, & protege nos, & non erit in nobis plaga nocens. *Psalm.* Miserere. *Oratio*. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra; descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga Benedictio ✠ in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsis tuum semper fiat habitaculum. Per. *Modo incendatur incensum, & adolet. Oratio*. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, benedicat adolescentes istos, & seminet semen vitæ in mentibus, & corporibus eorum, ut quicquid pro utilitate tua didicerint, facere cupiant. Per Jesum Christum recuperatorem omnium Fidelium. Qui cum. *Benedictio Thalami in sero*. Deus, cujus Benedictione plena sunt omnia, quæ in tui Nominis invocatione Benedictionem percipiunt, benedic huic Thalamo illius honestatis nuptui præparato, ut in nullo illorum malorum incursus spirituum attingat; honesta illum, & munda caritas sola possideat, atque miseratio celebritati sufficienter assistat. Per. *Benedictio super eos, ut sequitur. Oratio*. Benedictio ✝ quam Deus super Isaac effudit, veniat in vos. Benedictio ✝ quam Isaac super Jacob dedit, amplissima sit super vos. Benedictio, quam Jacob in filiis suis dixit, dilatetur, Deo donante, in vos. Benedictio ✝ quam protulit Moyses super Israel, Christo fovente, comitetur in cordibus vestris. Benedictio ✝ quam Redemptor omnium Dominus noster Jesus Christus donavit suis Discipulis, abundanter perveniat in animabus, & cordibus vestris. Per eundem.

III. Est & illud notatu dignum, quod de re, quam tractamus, legitur in ms. Pontificali Ambianensis Ecclesiæ, in eo Capite, quod inscribitur, *Benedictio Thalami cum odore incensi, & Aqua benedicta, & Stola*, qua scilicet Sacerdos esse debet indutus Thalamum benedicturus: *Sponsus*, inquit laudatum Pontificale, *sedeat ad caput lecti, & Sponsa ad pedes, & stans*, Sacerdos scilicet, *incipiat hanc orationem*: Respice Domine de Cælo sancto tuo super hanc conventionem, ut sicut misisti Sanctum Angelum tuum Raphaelem pacificum, ut sint sani, & digni, atque pacifici, tuaque benedictione eos perfunde. Per Christum. *Qua dicta, sequitur Evangelium*: Initium Sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum. *In cujus principio debet Sacerdos thurificare. Lecto Evangelio, accipiat vinum, & benedicat. Benedictio vini*: Cœnam suæ familiæ benedicat Rex gloriæ, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Quo finito, bibat Sacerdos, & det Sponso, & Sponsus det Sponsæ. Deinde possunt alii bibere. Postea aspergat Aquam benedictam super Sponsum, & Sponsam, & super lectum, & dicat*: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. *Oratio*. Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IV. Benedictio panis, & vini, occurrit quidem in aliis Ritualibus Libris, ex quorum tamen præscripto fiebat illa a Sacerdote post Missam in Benedictione Sponsorum celebratam. Ita enim mandat ms. Missale insignis Ecclesiæ Parisiensis annorum circiter CCCC. ubi etiam aliæ preces, & alii ritus notantur, quos censui hoc loco describere. Sic enim ait: *Missa celebrata, recedant Sponsus & Sponsa; & ipsis stantibus ante ostium domus illorum, præsentibus pane & vino, faciat Sacerdos Benedictionem super panem, dicens*: Benedic Domine creaturam istam panis, qui benedixisti quinque panes &c. *Tunc Sponsus mordet in pane, postea Sponsa. Benedictio super vinum*: Potum servorum suorum benedicat Rex Angelorum. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Tunc Sponsus bibit, postea Sponsa. Quo facto, introducit eos Sacerdos per manum in domum dicens*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Item in sero benedictio Thalami*: Benedic Domine Thalamum hunc &c. *Tunc thurificet Thalamum, Sponsum, & Sponsam; sedentes, vel jacentes in lecto suo benedicat, dicens*: Benedic Domine adolescentulos istos, sicut benedixisti &c. *Item alia Benedictio*: Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper vobiscum. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

V. Quo tandem ritu perageretur Thalami Benedictio in Ecclesia Catalaunienси, docet nos vetustum ejusdem Ecclesiæ Rituale, his verbis: *Sequitur Benedictio Thalami, si Presbyter requisitus fuerit. Et primo dicat hunc Psalmum*: Nisi Dominus ædificaverit &c. Domine exaudi orationem meam &c. Dominus vobiscum. Oremus: Benedic Domine Thalamum istum &c. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℣. A Templo tuo, quod est in Jerusalem. ℣. Increpa feras arundinis. Gloria Patri. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Dominus vobiscum. Oremus. Respice Domine &c. *Sequitur alia Benedictio super Sponsum, & Sponsam, hoc modo*: Benedicat vos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui trinus in numero, & unus in Deitate vivit, & regnat per omnia sæcula sæculorum. *Deinde benedicit panem, & vinum dicens*: Benedicite. ℟. Dominus. Largitor donorum bene ✠ dicat panem istum, & vinum. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Et post distribuit eis, dicendo hæc verba*: Pierre, prenez, & donnez a vôtre espouse, & luy faisant bonne part, & loyau-

yauté que voulez qu'elle vous fasse. *Et dat ei panem cum vino. Et Presbyter recedit, sic dicens:* Demourez en paix, Dieu demeure avec vous.

VI. Similia legere est in veteri Rituali Lemovicensi, & in aliis multis, ex quibus addiscimus, Thalami Benedictionem, quæ ex præscripto nostri Romani Ritualis unica tantum & brevi continetur oratione, unicaque Aquæ benedictæ aspersione, consuevisse olim a Majoribus nostris celebrari non modo cum variis aspersionibus Aquæ lustralis, sed thuris etiam incensationibus, Psalmorum, precum, Orationum recitationibus, panis & vini Benedictionibus, & aliis cæremoniis. Porro nostro Rituali concinit Sacerdotale anni MDLXVII. in quo, præter orationem, *Benedic, Domine, Thalamum hunc &c.* & Aquæ benedictæ aspersionem in fine Orationis, nihil aliud dicitur. Silentio autem minime prætereundum, quod inter alios Scriptores notavit in suo ad hoc præsens Caput Commentario Barruffaldus, Benedictionem scilicet Thalami ad jus Parochiale minime pertinere, sed peragi posse a quocumque alio Sacerdote, honestis scilicet moribus prædito. Optandum vero esset, ut Sacerdos ipse ante, vel post Thalami Benedictionem, aliquid conjugibus diceret de Matrimonii bonis, & de pace inter se perpetuo servanda; hæc enim est causa finalis prædictæ Benedictionis, ut vel ex ipsa Oratione, quæ in antiquis Ritualibus legitur, addiscere licet; ne quotidiana experientia confirmet quod suo ævo scripsit Juvenalis Satyra VI. versu 267. & seq.

*Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,*
*In quo nupta manet, minimum dormitur in illo.*

# CAPUT IX.

## *Benedictio novæ Navis.*

### §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & benedic ✠ navem istam dextera tua sancta, & omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluvio. Porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti Beato Petro ambulanti supra mare, & mitte Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui liberet, & custodiat eam semper a periculis universis, cum omnibus, qui in ea erunt; & famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis; transactisque, ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis, & regnas &c.* Aspergat Navim aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Quum periculosum sit homini se navi committere, quæ nulla Benedictione suffulta, variis pelagi discriminibus exposita est, hinc, ut naufragiis recurratur, Ecclesiastico jampridem fuit usu receptum, ut non modo Crux, quæ signum est Benedictionis, & salutis, in navibus poneretur, verum etiam ut naves ipsæ, quibus hominum non solum fortunæ, sed & vita committitur, statim ac fabricatæ essent, solemni ritu a Sacerdote benedicerentur. Crucem consuevisse in navibus collocari, testatur in Oratione, *Quod Christus sit Deus.* S. Joannes Chrysostomus: *Crucem*, inquit, *ubique videre licet in mari, in navigiis, in insulis.* Meminit & ejus ritus S. Ambrosius in Psalmum XLVII. sic dicens: *Bene navigant, qui in navibus Christi Crucem præseferunt, atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad Sancti Spiritus gratiam in ligno Domini tuti, atque securi.* Ea de causa quod Crux *sit in undis salutis signum & pignus*, S. Ephrem in Sermone, *De Cruce*, apposite vocat Crucem *navigantium gubernationem.* Fuisse antiquum, non modo Latinæ, sed & Orientalis Ecclesiæ usum, ut navis peculiari oratione benediceretur, docet nos Euchologium, seu Rituale Græcorum, in quo legitur *Oratio in navi compingenda*, quam infra in eodem hoc Commentario describemus.

II. Ad latinum ritum quod spectat, quamquam in Romano Rituali & ipsa novæ navis Benedictio, sicuti & plures aliæ, unica oratione contineatur, in Sacerdotali tamen edito anno MDLXVII. variis cæremoniis, Psalmis, Precibus, Orationibus, atque Evangeliis referta est. Quod non mirum videri debet, cum Sacerdotale ipsum ordinatum fuerit ab homine Veneto, Alberto scilicet Castellano, Ordinis Prædicatorum alumno, ejus scilicet Patriæ cive, quæ olim potissimum multis, magnisque in Italia navigiis abundabat. Quicquid sit, sapientissime ab utraque Ecclesia Latina pariter & Græca instituta est hujusmodi Benedictio, pluries enim fuerunt naviculæ præsentia Christi sanctificatæ, cum non semel in Evangelio legatur, eum in navim aliquam ascendisse, & quandoque de navicula, quæ erat Simonis, docuisse turbas, ut Lucæ Cap. V. & ex tunc cœpit navis typus esse Ecclesiæ omni benedictione repletæ, extra quam nemo ad portum salutis pervenire potest, ut fuse explicant Sancti Patres, & Evangeliorum Interpretes. Porro virtute hujusce Benedictionis navigantes gratias consequuntur, quas Ecclesia in Oratione postulat. Quarum prima est, Divina protectio navigantium, quibus Deus porrigit dexteram, sicut porrexit Petro super mare ambulanti. Secunda est custodia Angelorum, ut in iis orationis verbis: *Mitte Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui liberet, & custodiat eam semper a periculis uni-*ver-

*versis*, *cum omnibus*, *qui in ea sunt*. Tertia est navigantium salus, & incolumitas, usque dum perveniant ad optatum portum cum omni gaudio, perfectis negotiis omnibus.

III. Audiamus nunc de ipsa novæ Navis Benedictione Sacerdotale Romanum Parte II. Cap. XXVII. *Sacerdos*, ait, *Navem benedicturus, accepto Superpelliceo, & Stola, Navem ingreditur, & stans puppi ejus, dicit versum*: Adjutorium nostrum in Nomine Domini. *Psalm.* Sacrificent Sacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exultatione &c. *cum* Gloria Patri &c. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiscum. Oremus. Respice in nos Omnipotens Deus, de Cælo sancto tuo, & dignare bene ✠ dictione cælesti huic bene ✠ dicere Navi, in qua, sancto comitante Angelo tuo, ambulantes itinere recto, & prospero dirigere, ab omni tristitia, & infortunio eripere digneris, ut ad patriam, & ad portum salutis reversi, te cum alacritate mentis exultantes laudent Creatorem universorum. Qui cum Filio tuo benedicto Domino nostro Jesu Christo, & cum Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum*. In illo tempore, una die cum sero esset factum, dixit Jesu Discipulis suis: Transeamus contra &c. *usque*. Quia mare, & venti obediunt ei. *Oratio*. Oremus. Benedic, Domine, hanc Navim, sicut bene ✠ dixisti Filiis Israel de Ægypto per manum Moysi exeuntibus, & per mare rubrum transeuntibus: sic Navim istam, & famulos tuos in ea navigantes bene ✠ dicere, & ad destinatum locum perducere digneris. Per. *Psalm.* Afferte Domino &c. *Dum Sacerdos dicit Psalmum hunc, aspergit totam puppim Aqua benedicta, & postea procedit ad medium Navis, & dicit*: Dominus vobiscum. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.* In illo tempore, jussit Jesus Discipulis suis ascendere in naviculam &c. *usque*: Qui autem in navicula erant venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. *Oratio*. Oremus. Domine Deus noster, qui gubernasti Noe super undas diluvii, & manum Petro extendisti; porrige dexteram tuam super hanc Navim, & super nauclerum, & nautas ejus, & dona ipsis famulis tuis sanitatem animæ, & corporis, & ad portum salutis eos perducere digneris illæsos. Qui vivis, & regnas. *Psalm.* Voce mea ad Dominum clamavi &c. *Dum dicitur hic Psalmus, Sacerdos aspergit Navim in medio ex omni parte, & postea procedit ad proram Navis, & dicit*: Dominus vobiscum. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam*. In illo tempore, cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth &c. *usque*, & venerunt, & impleverunt ambas Naviculas. *Oratio*. Oremus. Domine Jesu Christe, qui in similitudinem Navis Ecclesiæ Noe Arcam fieri voluisti, ut inundante diluvio, soli qui in ea inventi essent, salvarentur; suppliciter exoramus clementiam tuam, ut huic Navi saluberrimum profectionis cursum passim jugiterque concedas. Qui vivis &c. *Psalm.* Deus noster refugium, & virtus &c. *Dum hic Psalmus dicitur, Sacerdos aspergit totam proram ab omni parte Aqua benedicta, & postea revertitur ad medium Navis, & dicit*: Dominus vobiscum. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem*. In illo tempore, cum cognovisset Jesus, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem &c. *usque*, & statim Navis fuit ad terram, ad quam ibant. Dominus vobiscum. *Oratio*. Oremus. Deus, cujus in mare viæ, & semitæ in aquis multis, intende supplicantium preces, & famulos tuos in hac Navi constitutos maris semitas peragrantes, quos Sacramentorum tuorum perfudit gratia, potentiæ tuæ dextera protectos regas, & in fluctibus gubernes adversus omnes formidines, atque infortunia, omnibusque in hac Navi contentis substantiis, atque impositis benedicas ✠ eorumque lucra multiplices, ac contra cuncta terrarum, & maris discrimina, eos propitius defensare digneris. Per Dominum. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria. Credo in Deum. *Cum dicitur*, Pater noster, *& reliqua, Sacerdos aspergat Aquam benedictam per totam Navim. Postea completo* Credo, *dicat* ℣. In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. ℟. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, & Aaron. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum. *Oratio*. Oremus. Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum. ℟. Amen. *Oratio.* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Petrum Apostolum tuum super mare ambulantem ad te venire jussisti, & Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberasti, bene ✠ dicere digneris hanc navim, & famulis tuis in ea navigantibus, in tua misericordia confidentibus adesse digneris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, ad loca destinata, & ad portum salutis sine impedimento sani, & incolumes valeant pervenire. Qui vivis, & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula &c. Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc Navim, & navigantes in ea, & maneat semper. Amen. Dominus vobiscum. *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem*. In principio erat Verbum. *Antiph.* Salve Regina, *cum oratione*, Concede.

IV. Hactenus Sacerdotale de novæ Navis Benedictione, in qua nihil est, quod pietatem non spiret; atque hæc est causa, cur illam huic Commentario inseruerim; neque enim mihi unquam animus fuit, ut, ubi antiquas, vel aliorum Ritualium formulas Ecclesiasticarum functionum percenseo, velim eas servari, relictis illis, quæ a Romano Rituali iterum iterumque a Summis Pontificibus probato præscriptæ fuerunt. Cæterum, ut Latino Ritui Græcum etiam adjungam, extat in Euchologio, seu Rituali Græcorum a Jacobo Goar Notis illustrato, pag. 559. editionis Venetæ anni MDCCXXX. *Oratio in Navi compingenda*, quam & hoc loco referre operæ pretium duxi. Sic autem inquit: *Domine Deus Patrum nostrorum, qui famulo tuo Noe pro mundi salute, ut Arcam fabricaret, præcepisti, & e pluribus lignis, velut lignum unum, eam voluisti compingi: ipse Domine omnium, cui per inanimata ligna potenti tua manu genus hominum salvandum gubernari complacuit, hoc quoque navigium conserva: Angelum bonum, & pacificum transfretantes in eo custoditurum concede; & ut ad propria salvi, & incolumes redeant, largire; precibus illibatæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper*

*per Virginis Mariæ; virtute pretiosæ, & vivificæ Crucis, venerandarum cælestium intellectualium Potestatem, Sancti gloriosi Prophetæ Præcursoris, & Baptistæ Joannis, Sanctorum gloriosorum, & percelebrium Apostolorum, Sancti N. & omnium Sanctorum. Quia tu gubernas, & sanctificas omnia, Christe Deus noster, & tibi gloriam, & gratiarum actionem referimus, cum principii experte tuo Patre, & sanctissimo, bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

V. Præter Crucem poni olim in navigiis solitam, de qua initio hujus Commentarii mentionem fecimus, locatas in eisdem fuisse Sanctorum Imagines, testatur inter alios Nicephorus Callistus, qui agens de Navi Alexandrina, cui erat insigne Castorum, ait, ut quondam Gentilium Naves certorum quorumdam Deorum insignia habebant, ita Christianorum quoque Naves Sanctorum patronorum suorum Imagines præseferre consuevisse. Viget & hic hodie ritus apud nautas Christianos, qui vel in parvis navigiis suis Deiparæ, aliorumve Sanctorum Imaginem ad puppim depictam, sculptamve habent, eosque ut navigiorum suorum patronos colunt, ac venerantur. Atque huc plane spectat quod de B. Petro Gonzalez, S. Telmo appellato, Ordinis Prædicatorum, legitur in ejusdem Ordinis Breviario die XIV. Aprilis: *Ejus miraculorum fama ad remotas usque Americæ regiones pervagata, ingenti populorum veneratione invocari, & coli cœpit, a nautis cumprimis, qui ejus opem in maris tempestatibus præsentissimam experti, eum sub appellatione S. Telmi in Tutelarem sibi adsciverunt.*

VI. Non mirum autem videri debet, si utraque Ecclesia novæ Navis Benedictionem instituerit; est enim navigatio magnis periculis obnoxia, navigantesque ipsi ad mortem accedere dicuntur. Unde Oratius Lib. I. Ode III.

*Illi robur, & æs triplex*
*Circa pectus erat, qui fragilem truci*
*Commisit pelago ratem;*
*Primus nec timuit præcipitem Africum*
*Decertantem aquilonibus,*
*Nec tristes hyadas, nec rabiem noti.*

Cui concinit Seneca in Medea, sic inquiens:

*Audax nimium, qui freta primus*
*Rate tam gracili perfida rupit,*
*Terrasque sua post terga videns,*
*Animam levibus credidit auris,*
*Dubiaque secans æquora cursu,*
*Potuit tenui fidere ligno,*
*Inter vitæ, mortisque vias,*
*Nimium gracili limite ducto.*

VII. De ministro tandem hujus Benedictionis ut aliquid dicam, cum ea non sit de juribus Parochialibus, ut patet ex ipsa Rubrica, quæ nullam de Parocho mentionem facit, peragi potest a quolibet Sacerdote, ut Barrufaldus notavit ad eandem Rubricam.

# CAPUT X.

## Benedictio communis super Fruges, & Vineas.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Oramus pietatem tuam, Omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris, & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a fertilitate terræ esurientium animas bonis omnibus affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Aspergat illas Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. Usum benedicendi Fruges, seu Segetes adhuc virentes, itemque Agros, & Vineas, esse antiquissimum, & quidem a temporibus Apostolorum, tradit Marsilius Columna in sua Hydragiologia, Sectione II. Capite II. Cum enim vera Fides doceat (uti inter alios observat Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione VIII. Præludio I.) omnium rerum productiones, seu ortus, & pariter incrementa ex Dei nutu pendere, hinc consueverunt semper Fideles incrementa Frugum, ac Segetum, per Benedictionem a Deo petere; *qui operit Cælum nubibus, & parat terræ pluviam; qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum*; uti habetur in Psalmo CXIV. ad quem videtur etiam alludere Oratio, seu Benedictio super Fruges, & Vineas a Ritualibus præscripta.

II. Porro hac Benedictione monemur, ut idem Quarti notavit citato loco, Præludio II. Primo spem omnem fertilitatis, & abundantiæ ponendam esse in Deo nam, ut ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. II. *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus*; & in hunc finem pia Mater Ecclesia hanc Benedictionem instituit, ut pro incrementis frugum, & productionibus fructuum ad maturitatem ad Deum recurramus. Secundo, monemur, Benedictionem esse causam fertilitatis, sicut e contra a principio per maledictionem inducta fuit terræ sterilitas, uti habetur Genesis, Cap. III. Cum autem maledictio consequatur peccata, ex eodem Genesis loco; & e contra Benedictio justitiam, & observantiam mandatorum Dei, uti legitur Capite XXVIII. Deuteronomii, hinc ut hæc Benedictio sit efficax, caven-

dum est a peccatis, & Deo obsequendum. Tertio, hac Benedictione protestamur, nos omnem solicitudinem rerum temporalium projicere in Deum, scientes, quoniam ipsi est cura de nobis, juxta monitum S. Petri in Epistola 1. Cap. 1. & nihil nobis curæ esse debere, nisi ut Dei voluntas in nobis impleatur, & ad Regnum Dei perveniamus; securi, quod veris filiis tanti Patris, idest justis, panis deesse non poterit, juxta illud Psalmi XXVII. *Non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem.* Quod & manifeste Christus promisit in Evangelio Matthæi, Capite VI. dicens: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

III. Tandem in sensu mystico, & spirituali, monemur ex ipsa Benedictione, populos fideles, & in primis justos, Segetes esse, & Vineas cælestis Patrisfamilias, earumque satorem, & cultorem, Deum ipsum esse, cujus Benedictione efficiuntur virtutum fruge fecundi, sicut constat ex multis Scripturæ locis, & eisdem fere verbis explicat ipsa Ecclesia in Oratione, quæ legitur in Sabbato Sancto post Prophetiam VIII. quæ est hujusmodi: *Deus, qui in omnibus Ecclesiæ tuæ Filiis Sanctorum Prophetarum voce manifestasti, in omni loco dominationis tuæ, satorem te bonorum seminum, & electorum palmitum esse cultorem: tribue quæsumus populis tuis, qui & Vinearum apud te nomine censentur, & Segetum, ut, spinarum, & tribulorum squalore resecato, digna efficiantur Fruge fecundi.*

IV. Teste Saussay, Panopliæ Sacerdotalis, Parte II. Lib. II. Articulo VIII. in Gallia passim, & signatim in Diœcesi Parisiensi mos hic jamdudum receptus est, ut ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem Domini fiat alicubi singulis diebus, alicubi bis, terve qualibet hebdomada a Sacerdote Parœciali, tum per Agros, tum per Vineas, una cum vexillo sanctæ Crucis, & Aqua benedicta, assistentibus Clericis, & populo, Processio, ad petendam Domini super virentes adhuc segetes, & virescentes vites, ac pascuales herbas benedictionem, sine qua nihil est, quod nobis ullo vitæ subsidio esse possit. Frugum, Vinearumque proventum, fuisse frequenter Sacerdotum, sanctorumque Virorum Benedictione multiplicatum, exempla nos docent, quæ occurrunt in Vitis Sanctorum, ac in illa præsertim S. Hilarionis scripta a S. Hieronymo. Quod tamen mirum videri non debet; est enim Benedictio opus ipsius Dei, quam per homines, tanquam per suos administros impertitur. Benedictionis autem Divinæ proprium est multiplicare: *Benedixit eis*, ait Psalmus CVI. *& multiplicati sunt nimis, & jumenta eorum non minoravit.* Atque hic nota effectum Benedictionis, multiplicationem scilicet, & quidem valde luculentam, eximiamque, innumeris pene exemplis comprobatam, quorum non pauca recenset Gretserus in celebri Tractatu, *De Benedictionibus*.

V. Quamquam denique ex nostri Ritualis præscripto unica Oratione, quæ incipit, *Oramus pietatem tuam &c.* benedicantur Fruges, & Vineæ, in Sacerdotali tamen anni MDLXVII. tres extant Orationes, omnesque diversæ ab illa, quam Rituale præscribit. Prima sic habet: *Te Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur, ut misericordia tua jugiter nobis concedas sufficientem messium copiam, & fructuum omnium largitatem tribuas, Vinearum quoque substantiam, abundanter arborum fœtus, proventusque omnium rerum, atque ab ipsis omnibus pestiferum sydus, tempestatis procellam, & grandinis fragorem, & universa mala amovere digneris. Per Christum.* Oratio altera hæc est. *Omnipotens sempiterne Deus, multiplica super nos misericordiam tuam, & preces nostras benignus exaudi, ut in has Fruges famulorum tuorum veniat sperata ✠ benedictionis ubertas, ut repleti de Frugibus tuis, in tuo Nomine de tua gratia semper exultent. Per Christum.* Tertia denique Oratio ita est concepta. *Omnipotens sempiterne Deus Majestatem tuam supplices exoramus, ut has terræ nostræ segetes ad maturitatem fertilitatis perducere digneris, ut esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egeni, & pauperes laudent Nomen tuum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.* Postrema hæc Oratio nonnulla habet, quæ & in illa habentur Ritualis Romani. Cæterum in Libro Sacramentorum collecto a Grimoaldo Abbate ex Opusculis Sanctorum Patrum, inter plerasque Benedictiones, *Benedictio ad Fruges novas*, hoc modo concipitur; *Domine Sancte, Pater Omnipotens æterne Deus, qui Cælum, & Terram, Mare, & omnia creasti; te supplices quæsumus, ut hunc Fructum novum benedicere, & sanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti, & vini, ut lætantes in eis, referant tibi* Deo Omnipotenti *laudes, & gratias. Per Dominum.*

VI. Porro Fruges, & Fructus benedicendi ritus, acceptus fertur S. Eutychiano Papæ, qui ad Romanum Pontificatum evectus fuit anno CCLXXV. Teste siquidem Auctore Libri Pontificalis, *hic constituit, Fruges, Fabas, & Uvas super Altario benedici.* Non quod id ante non fieret, sed quod nondum id esset Sanctione decretum, ut post alios notavit Sandinius in ejus Vita, & Ferdinandus Mendoza in Canonem XLIX. Concilii Illiberritani, ubi etiam hanc recenset ejusdem S. Pontificis Epistolam datam ad Joannem, & ad omnes Bœticæ Provinciæ Episcopos, ex qua addiscimus, jam ante ipsum Eutychianum receptum fuisse, ut omnes res, quæ ad usum humanum pertinerent, Sacerdotum nostrorum orationibus benedicerentur, nec antea sumi a populo licuisse; *Iccirco Fratres*, inquit Eutychianus, *ista prætulimus, ut hæ species, quas non licet offerre super Altare, extra Constitutionem Apostolorum, eorumque Successorum, ad domum Sacerdotum deferantur, & a Sacerdotibus benedicantur, & per simplicem Benedictionem benedicta demum a populis sumantur; Fabæ tamen, & Uvæ, & cætera, quæ Apostoli constituerunt, super Altare offerantur.* Alludit ad Canones, vulgo Apostolorum, quorum tertius ex interpretatione Dionysii Exigui, sic habet: *Siquis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat super Altare, idest, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Atque huic adde Canonem IV. sequentem, qui

qui ita inquit: *Offerre non liceat aliquid ad Altare, præter novas Spicas, & Uvas, & Oleum ad luminaria, & thymiama, idest, incensum tempore, quo sacra celebratur Oblatio.*

VII. Ergo, vel a temporibus Apostolorum novæ Fruges, Uvæ, Fabæ, & similes benedicebantur a Sacerdotibus, ut ex recitatis Canonibus infert Gonzalez in suo novo Commentario ad memoratum Canonem Illiberritanum; ubi etiam observat, prohibuisse quidem in illis Canonibus Apostolos legumina, & cæteras fruges, præter Spicas, & Uvas, quæ Panis, & Vini, ex quibus Sacrificium conficitur, alimenta sunt, super Altari in Sacrificio offerri; sed non tamen vetuisse ad Altare extra Sacrificium pro alimento hominum benedici; & ita accipiendum esse subdit, quod de S. Eutychiano Papa, & Martyre apud Anastasium Bibliothecarium legitur, *hic constituit Fruges, Fabas, & Uvas in Altari benedici.* Sanctus enim hic Pontifex studiosa pietate, sanctoque affectu referendi Deo pro beneficio susceptionis novarum frugum debitas gratiarum actiones, divinamque Benedictionem tam super ipsos fructus, quam super iis utentes Christifideles impetrandi, id statuit. Atque huc facit, quod scribit S. Hieronymus in Caput XXIV. Ezechielis: *Primitiæ ciborum nostrorum Sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus novarum Frugum, nisi quod Sacerdos ante gustaverit. Hoc autem facimus, ut reponat Sacerdos Benedictionem, & Oblationem nostram in domo sua, sive ut ad prædicationem suam Dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccaverint.*

VIII. Benedictionem novarum Frugum fieri antiquitus solitam fuisse in solemni Missa Ascensionis Domini, legere est apud Cardinalem Bonam, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIV. num. V. ubi etiam ait extare ipsam in Libro antiquissimo Sacramentorum. Extat & apud Martene in Tractatu, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis Officiis celebrandis*, Cap. XXVIII. ex quibus etiam addiscimus, benedictas fuisse Fruges in Missa, quia scilicet, ut idem laudatus Bona sapientissime notavit, hæc Majorum nostrorum religio fuit, ut omnes Sacræ, & Ecclesiasticæ functiones, Sacramentorum administrationes, & quæcumque Benedictiones, intra Missarum Solemnia peragerentur; omnium enim ultima perfectio, & consummatio est Eucharistia, a qua vim energiticam, & sanctitatem cætera accipiunt. Dolet idem etiam Auctor, tepescente successu temporis fervore, multa ex his, quæ in Missa fieri solebant, ne Missa prolixior evaderet, ab ea paulatim sejuncta fuisse, præsertim vero quarundam rerum Benedictiones, ut alias diximus, & dicemus iterum, ubi se se nobis præbebit occasio. Sed quammaxime dolendum, Benedictiones variarum rerum, non modo separatas fuisse a Missa, verum etiam in desuetudinem omnino abiisse, non sine Fidelium detrimento.

IX. Teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXVIII. pag. 538. fructuum novorum Benedictio fiebat quidem in Festo Ascensionis Dominicæ hac præscripta Oratione: *Benedic Domine, & hos fructus novos Fabæ, quos tu Domine de rore Cæli, & inundatione pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum perceptione. In Nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c.* Rursus, ut idem Auctor affirmat citato loco, Capite XXXIII. ubi agit de Festis Julii &c. ad VIII. Calendas Augusti in pervetusto Rituali ad usum Diœcesis Remensis edito habetur, *Benedictio Pomorum in die Festo Beatorum Jacobi, & Christophori*, hoc modo: *Post Missam dictæ diei Presbyter existens in Albis cum Stola benedicit Poma nova; & post Benedictionem Clericus distribuit Poma assistentibus. Sequitur Benedictio.* Benedic, Domine, Fructum novorum Pomorum, ut hi, qui utuntur ex eo, sint sanctificati. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Deinde asperguntur Aqua benedicta, & distribuuntur, ut supra.*

X. Neque vero collectos Fructus benedici solum commune fuit delatos ad Ecclesiam, vel ad Sacerdotum domos, verum etiam si Cives agros, vel domos, vel familiam ad fugandos dæmones, vel ob aliam causam vellent Sacerdotum Benedictionibus expiari, utique eas præstare Sacerdotes debebant præcepto Concilii apud Regiam, relato a Burchardo Wormaciensi Episcopo Lib. II. Decretorum, Cap. LXXXIX. *Ut Presbyteri*, inquit, *privatim Fidelibus desiderantibus benedicant, & inter minutas has discussiones, visum est omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro desiderio Fidelium habere facultatem Benedictiones aperire.* Afferri & alia id genus loca possent, sed non omittendum, quod olim de hujusmodi Benedictione statuit memoratum superius Illiberritanum Concilium citato Canone XLIX. *Admoneri placuit possessores*, ait, *ut non patiantur fructus suos, quos a Deo percipiunt cum gratiarum actione, a Judæis benedici, ne nostram irritam, & infirmam faciant Benedictionem.* Vanas, & impias Gentilium, ac Judæorum superstitiones tollendi, & Christianæ Religionis doctrinam in dies propagandi Episcoporum olim cura præcipua fuit, eaque ratione, ut in citatum Canonem notat Mendoza, decreverunt, ut cum fundorum domini, hos enim possessores vocant, fructus suos vellent Benedictione perfundi, non paterentur eam præstari a Judæis, ne sancta nostrarum Benedictionum virtus inanis, & vacua redderetur. Ad Judæos porro, ut ad eundem Canonem notat Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universalis, sive quod in benedicendo peritiores evasissent, sive quod superstitio circa hoc popularis percrebuisset, nonnulli etiam Fideles suas Fruges benedicendas deferebant; quod vetatur.

XI. Jam non modo Judæorum Benedictiones, sed & Christianorum etiam hæreticorum sustulit Concilium Laodicenum anni CCCXIV. Canone XXXII. *Non oportet*, inquit, *hæreticorum Benedictiones accipere, quoniam maledictiones magis sunt, quam Benedictiones.* Cæterum, si loquamur de Benedictione solemni novis Frugibus impertienda, pertinet quidem ipsa ad solum Sacerdotem, uti diximus supra, Cap. I. in Commentario ad §. I. Sed ut ad calcem hujus Commentarii aliquid de ritu Orientalis Ecclesiæ de ea re dicam, extat in ejus Euchologio Oratio pro iis, qui Frugum primitias offerunt, quæ in ms. Sancti Marci Codice si habet: *Gratias tibi agimus, Domine Deus, & fructuum, quos ad maturitatem verbo tuo deductos varie enatos in lætitiam, & cibum hominibus, & omni animali in Orbe uni-*

*universo, percipiendos nobis dedisti, primitias offerimus; laudamus te, Deus, in omnibus quibus nos affecisti bonis, & omnem creaturam fructibus variis donasti, per Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, per quem est tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Juxta prædictum Codicem ms. quem legere est apud Jacobum Goar in Euchologio Notis ab ipso illustrato editionis Venetæ, pag. 522. in fine, *hi porro fructus benedicuntur, uvæ, ficus, mala granata, olivæ, poma, mala persica, prunæ.* Quia vero non fructus novos tantum, sed etiam quoscumque alios, vel solvendi voti gratia, vel in gratiarum actionem, Deo illorum largitori convenit offerre, aliam idcirco adjungit idem ms. Codex Orationem, & est, *Oratio pro iis, qui fructum, seu rem quamvis offerunt*, quæ his plane concepta est verbis: *Fons bonorum, Domine Rex, & operum tuorum benefactor, N. & N. oblationes juxta bonitatem tuam suscipe; penum eorum omni bono adimple, & ab omni tentatione eos, & cunctos ipsis conjunctos eripe, & in tua cognitione eos illumina, ut tibi placentes, æterna, & incorruptibilia bona consequantur. Quia benedictum est Nomen tuum, Patris &c.*

XII. Sane testatur memoratus Goar ad calcem hujus Orationis, quæ legitur citato superius loco, pag. 523. non deesse etiam inter Græcos Monachos, qui Orationem hanc pro villicis Ecclesiæ, vel Monasterio Fruges debitas solventibus recitari asserant, vel pro iis, qui munere quocumque Ecclesiam ditare conantur. Quidquid autem de hac re sit, plura, quæ spectant ritum Benedictionis super Fruges, tam juxta ritum Græcum, quam secundum Latinum etiam Monachorum, jam nos explicuimus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVIII. Trullanum.

# CAPUT XI.

## *Benedictio Peregrinorum ad loca Sancta prodeuntium.*

I. Peregrinationis vox non unam habet significationem etiam in Sacra Scriptura. Primo enim denotat commorationem in hac vita, ut in Genesi Cap. XLVII. ubi Jacob Patriarcha sic loquitur: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali, & non pervenerunt usque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Et Apostolus in Epistola II. ad Corinthios, Cap. V. ubi ita inquit: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Secundo, excessum animæ a corpore, ut cum idem Apostolus in citata Epistola, & Capite ait: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Tertio, profectionem ad remotas Orbis partes ob finem spiritualem institutam, qualis fuit Apostolorum ad prædicandum Evangelium; quo sensu Paulus ibidem scripsit de S. Luca: *Ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Atque huic affinis est peregrinatio, de qua nos in præsenti agimus, qua non aliud intelligimus, quam profectionem solius devotionis gratia ad loca sancta, illa scilicet Christi Domini Natali, prædicatione, miraculis, passione, resurrectione, atque ascensione in Cælum illustrata, Beatæque Mariæ Genitricis Dei, atque Apostolorum commoratione, & gestis præclarissimis celebrata. Dixi autem, *solius devotionis causa*, ut distinguatur ab alia profectione, quam post annum Christi millesimum Viri Principes suscepere cum Benedictione, & impositione Crucis in subsidium, & defensionem Fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ Sanctæ, de qua fuse diximus Tomo II. Commentariorum in secundam Partem Pontificalis Romani, ad Titulum XXI. pag. 364. & seqq.

II. Quam antiqua vero, celebris, frequensque fuerit, vel ab ipso Christianæ Religionis exordio peregrinatio ista suscepta solius devotionis gratia ad loca sancta, docet inter alios S. Hieronymus, tum alibi, tum vero præsertim in Epistola ad Marcellam, quæ est VII. Lib. II. selectarum Epistolarum, quas nos, dum adhuc adolescentes essemus, cum quibusdam Notis in lucem edidimus. Ibi namque S. Doctor aperte asserit, innumerabiles pene Episcopos, aliosque insignes Christifideles jam inde ab ortu Ecclesiæ ventitasse, & etiam tum diebus singulis ventitare solitos Hierosolymam, quasi sapientiæ, & justitiæ, aliarumque virtutum fontem ebibere iis maxime vellent locis, quæ Unigenitus Dei Filius nostræ carnis indutus exuviis olim consecravit: *Longum est*, inquit, *nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica Virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se Religionis, minus habere scientiæ, nec summam manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.*

III. Longe ante Christi adventum prædictam fuisse a Prophetis, probatamque hujusmodi peregrinationem ad loca sancta, observant Patres, citantes illud Isaiæ, Cap. XI. *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, seu ut Græci legunt: *Et erit requies ejus bonor.* Et illud Regii Psaltis in Psalmo CXXXI. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Unde S. Hieronymus in citata ad Marcellam Epistola inter alia scribit: *Cujus Sepulchri gloria, multo antequam excideretur a Joseph, scimus Isaiæ vaticinio prophetatum dicentis:* Et erit requies ejus honor; *quod scilicet sepulturæ Domini locus esset ab omnibus honorandus.* Et Eusebius Lib. III. *De Vita Constantini*, Cap. XLII. agens de S. Helenæ Constantini matris peregrinatione Hierosolymam, studio precandi, & adorandi facta: *Postquam*, inquit, *loca Servatoris vestigiis notata debito cultu, ac honore affecit, convenienti illi Prophetico oraculo,* Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, *pietatis suæ monumenta etiam posteris confestim dereliquit.* Longe ante datam Ecclesiæ pacem, frequentatam fuisse ejusmodi profectionem Hierosolymitanam a Sanctis Viris, docet idem Eusebius in Historia Ecclesiastica, Lib. VI. Cap. IX. ubi commendat Alexandrum Episcopum Cæsariensem, qui claruit labente II. Christi Sæculo, quod precationis, rerumque a Christo, & Apostolis gestarum causa peregrinatus sit Hierosolymam.

At

At vero frequentissimam fuisse peregrinationem ipsam post redditam pacem Ecclesiæ, præter recitatum Hieronymi testimonium in Epistola ad Marcellam, docet passim & aliis in locis idem S. Doctor, ac potissimum in Prooemio Libri VII. in Ezechielem, & in Epistola ad Paulinum, ubi refert suam occupationem in suscipiendis fovendisque omnis generis, sexus, & nationis Peregrinis de toto Orbe Hierosolymam ad visitanda sancta loca concurrentibus, & diversarum virtutum specimen ostendentibus. Sed ut alios hujus antiquæ, religiosæque peregrinationis testes omittam, S. Paulinus ita de ea scribit in sua Epistola XI. *Non aliter affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, atque contingant.*

IV. Sequentibus Sæculis dici nequit, quanta frequentia, ac animi fervore Fideles ad visitanda sancta loca Hierosolymam pergerent. Varias id genus peregrinationes recenset Gretserus peculiari Tractatu, quem de Sacris Peregrinationibus scripsit. Celebris haud dubie, ut testatur Marianus Scotus, & post eum Baronius ad annum MLXIV. instituta est anno ipso peregrinatio Hierosolymam septem millium virorum, & amplius, quorum primores duces fuerunt Germanici Antistites, Sigefridus Moguntinus, Willelmus Trajectensis, Guntherus Bambergensis, & Otto Ratisponensis. Sed hoc eorum imprudentiæ vitio datum, quod circumspecte nimis ornati, & magnitudinem opum suarum inconsultius ostentantes, barbaros ad prædam allicerent; adeo ut antequam Hierosolymam pervenirent, confligendum sæpe cum Arabibus latronibus in Palæstina fuerit; quæ certamina, eorumdemque a maximis discriminibus Divinitus factam liberationem, antiquioribus admirandis Dei operibus haud imparem exacte descripsit Lambertus ejus temporis Auctor; summatim vero retulit Ingulphus Anglus in Commentario Historiæ Monasterii Croylandensis, cui postea præfuit; cum esset tunc Scriba Willelmi Comitis Northmannorum, postea Regis Anglorum, obtenta ab eo licentia, cum aliis profectus est. Ceterum ex tanto numero virorum, vix duo millia ad patriam revertisse, idem Marianus tradit.

V. Peregrinationis hujusmodi causa, ut vias scilicet, & itinera maxime ad securitatem Peregrinorum contra latronum, & incursantium insidias pro viribus tutarentur, instituti sunt anno MCXVIII. ut post Tyrium Lib. XII. Cap. VII. ad dictum annum scribit Baronius, Templarii Milites, ita dicti quod habitationem nacti sunt secus Templum Domini. Auctores primi, & præcipui fuerunt Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Ademaro. Novem annis in habitu fuerunt sæculari, talibus utentes vestimentis, qualia eis pro remedio animarum suarum populus largiebatur. Anno vero nono, qui fuit Christi Domini MCXXVII. in Concilio Trecensi in Gallia, sub Matthæo Cardinale Episcopo Albanensi Apostolicæ Sedis Legato instituta est eorum Regula, & habitus albus assignatus de mandato Honorii, tunc Papæ II. & Stephani Patriarchæ Hierosolymitani. Tradit hæc quidem Tyrius, qui etiam ait, per novem illos primos annos, cum totidem ipsi Milites essent, novem numero, nequaquam potuisse multiplicari; ubi autem comprobatio accessit Apostolicæ Sedis, auctos esse in immensum & numero, & possessionibus. Sed tandem, licet aliquandiu Ecclesiæ, ac peregrinationi præsertim Hierosolymitanæ utiles fuissent, quod sua potentia, opibusque abuterentur, deleti sunt in Generali Concilio Viennensi sub Clemente Papa V. Ceterum Templariis extinctis, qui in Hierosolymitano itinere soliti erant Peregrinos tueri, viguit posterioribus sæculis, vigetque adhuc Christianorum devotio erga Terræ Sanctæ loca, ad quæ plerique ingenti alacritate proficiscuntur; Atque hæc est causa, cur a nostro hodierno Rituali Romano retentus sit ritus alias antiquus, benedicendi scilicet Peregrinos ad loca sancta prodeuntes.

VI. Quantus sit fructus hujus peregrinationis, experti sunt plane Sancti, atque insignes Viri, qui illam pie, religioseque susceperunt, quibus addi potest celebre nobilis Viri Bernardi Breidenbachii Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ Decani, qui peregrinationem Hierosolymitanam iniit sub annum Domini MCDLXXXIII. eamque divulgavit. Sic enim inter alia inquit: *Sacrorum locorum devota visitatio, ad emendatioris vitæ propositum concipiendum, hauriendumque suorum compunctionem criminum, nonnihil confert pio, & fideli peregrino, itaut meo quidem arbitratu, atque plurimorum mecum consentientium censura, nullus pene sit, vel perrarus, qui non melior inde regrediatur, quam ante fuerit ingressus. Neque ob id hoc in loco gentili concesserim Poetæ dicenti.*

Cælũ, non animũ mutant qui trans mare currũt.

*Quis equidem Christicola has ingressus Terras sacratissimas, non mox amaras solvatur in lacrymas? Quis compunctionis non præseferet indicia, etiamsi adamantino esset pectore, ubi & petræ scissæ sunt, & saxa ingentia diruta, quæ hodie sub aspectum ibi monstrantur, atque terra tota funditus mota, Christo moriente in Cruce? Quis non alterum mutaretur in virum, perditus quantumvis ante fuisset? Quandoquidem, ut de plenissimis illis remissionibus, & Indulgentiis copiosissimis taceam, mox ubi mare egreditur, & pedem Terræ Sanctæ infigit, quando, inquam, quod pluris facio, veneranda Salvatoris sui vestigia, ac omnium pene passionum, seu victoriarum suarum erecta ibi vexilla, Terramque suo pretioso rubricatam, & perfusam Sanguine copia sibi datur sub oculis conspirare, deoscularique ore, terere pedibus, manibus, & corpore toto complecti. Quando licet villulam Christi ingredi, intrare Mariæ diversorium, atque præsepe illud dignissimum contingere, adorare parvum hoc terræ foramen, in quo Cælorum conditor natus est, in quo involutus pannis, visus a pastoribus, Stella demonstratus, a Magis fuit adoratus &c.* Breidenbrachio consentit Vir Princeps Nicolaus Christophorus Radzivillius, qui anno Domini MDLXXXIII. sacra Hierosolymorum loca adiit, cujus extat Hodæporicum Latine, & Germanice: *Cum sacrosanctus iste locus*, ait, *hoc proprium habeat, ut maximos etiam peccatores peculiari quadam ratione cum omnium sensuum stupore ab omnipotenti Deo, pro innumeris beneficiis, quæ in homines contulit, agendas gratias excitet, præsertim vero etiam vehementer hominem inflammet ad meditandum perquam acerbos dolores, & angores mortis hic locorum, ubi Christus Dominus, & Salvator noster redemptionis nostræ opus voluit perficere.*

VII. Valet itaque multum ad excitandam, & in-

& inflammandam in homine Christiano pietatem vel sola ipsa sacrorum locorum inspectio, unde non mirum, si tantopere fuerit Peregrinatio ipsa Hierosolymitana a Patribus commendata, & a Christianis a primo nostræ Religionis exordio ad hæc usque tempora alacri devotionis studio, & cultu religioso frequentata. Quem quidem pium morem merito probarunt Ecclesiarum Præsides, qui hujusmodi Peregrinos multis Privilegiis, Indulgentiis, Benedictionibusque donarunt.

## §. I.

Peregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, debent accipere patentes, seu commendatitias Literas a suo Ordinario, seu Parocho; quibus obtentis, & rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum Confessione, & audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devote suscipiant. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces. Antiphona: *In viam pacis. Benedictus Dominus Deus Israel &c.* In fine, *Gloria Patri, & Filio, &c.* Repetitur Antiphona: *In viam pacis, & prosperitatis dirigat vos Omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, & cum pace, salute, & gaudio revertamini ad propria. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas, Domine, demonstra nobis. ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Utinam dirigantur viæ nostræ. ℟. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Erunt prava in directa. ℟. Et aspera in vias planas. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te Stella duce pandisti; tribue eis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt, locum, ac demum ad æternæ salutis portum feliciter valeant pervenire.*

*Deus, qui Abraham puerum de Ur Caldæorum eductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut, te duce, quo tendunt, prospere perveniant, & demum incolumes ad propria revertantur.*

*Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio.*

*Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

*Exaudi, Domine, preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus a cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.*

*Pax, & benedictio ✠ Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.* Deinde aspergantur Aqua benedicta. Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicantur in numero singulari; ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

## COMMENTARIUS.

I. PEregrinos ad loca sancta profecturos, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, debere accipere patentes, seu Commendatitias Literas a suo Ordinario, seu Parocho, recte edicit hic noster §. Sunt enim longe antiquissimæ, ad easque respicere creditur Apostolus in Epistola sua II. ad Corinthios, Cap. III. ubi ita scribit: *Numquid egemus, sicut quidam, Commendatitiis Epistolis ad vos, aut ex vobis?* Quibus sane verbis ostendit, se

se esse illorum Ecclesiæ Caput, & Principem, cujus sit hujusmodi Literas non accipere, sed dare. Eas Tertullianus in Libro, *De præscriptionibus adversus hæreticos*, Cap. xx. vocat *contesserationem hospitalitatis*; quod earum virtute Christianus Christianum hospitio exciperet. Utitur antiqua Gentilium Romanorum phrasi, apud quos non tantum privati, sed integræ Civitates, ac populi inibant mutui hospitii fœdus, & amicitiam exercendam, mediante *hospitali tessera*; unde & dicti fœderis prævaricatores, dicebantur, *tesseram confregisse*, ut scite observat eruditus Lupus in Scholio ad Canonem xi. Chalcedonensem, ubi etiam varia Ecclesiasticarum Literarum genera recenset, de quibus nos quoque alias diximus.

II. Recte itaque ait hic noster §. quod *Peregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant, debent accipere patentes, seu Commendatitias Epistolas a suo Ordinario, seu Parocho*. Idem docet S. Carolus in suo Provinciali iv. Mediolanensi Concilio, Capite inscripto, *De religiosis Peregrinationibus*, ubi, ut ex Sanctorum Patrum institutis Fideles Mediolanensis Provinciæ sanctas peregrinationes susciperent, salutisque uberiorem fructum, Divina auxiliante misericordia, inde caperent, hæc illis servanda proposuit, ac primo Ecclesiasticis Ordinis hominibus, *ne quisquam Sacerdos, Clericusve cujusvis Ordinis peregrinaturus itineri peregrinationis causa, sine Litteris Dimissoriis, ac Testimonialibus Episcopi, se committat, ut Canone veteri sancitum est; tum præterea, nec sine Benedictione, quam Episcopus Sacerdoti, Clericove peregrinaturo statis precibus, Libro Sacerdotali, Ritualive præscriptis impartiet*. Exponit mox alia S. Antistes servanda a Sacerdotibus, Clericisque in sua ipsorum religiosa peregrinatione, ac deinde de laicis sic plane inquit: *Laici item, antequam peregrinationem suscipiant, suum quique Parochum conveniant, a quo sancte peregrinandi consilium capiant, & Literas habeat ab Episcopo Canonicas, ut Canone expressum est; quarum etiam fide, testimoniove, eis liceat ubique, & cuivis Confessario ab Ordinario loci approbato peccata confiteri. Deinde Benedictionem ab eodem Parocho petant, qui Superpelliceo, & Stola indutus, illis bene precetur, & benedicat statis religiosis precationibus, quæ ex Ecclesiæ instituto Peregrinis adhibentur. Peregrinationis vero iter suscipiant, ubi rite confessi, sacram Eucharistiam religiose sumserint.*

III. Monet & alia S. Antistes, quæ servare laici debent in sua religiosa peregrinatione, sed observatu digna plane sunt, quæ in recitato hactenus loco nos docet, ac illud potissimum, laicos nempe antequam peregrinationem suscipiant, suum quosque debere Parochum convenire, *a quo sancte peregrinandi consilium capiant*. Neque enim cuique hominum generi permitti ipsa peregrinatio debet, sed examinari oportet hominum conditionem, ac finem. Quamvis enim peregrinatio sit bona, tamen non omnibus convenit, ut recte notat Bellarminus Lib. iii. *De Cultu Sanctorum*, Cap. viii. num. 23. ubi Orationem S. Gregorii Nysseni explicat, quam hæretici Magdeburgenses adversus sacras peregrinationes perperam objecerant. Quicquid autem de aliis sit, nunquam commendari devotio quorundam hominum potest, qui, relicta conjuge, ac filiis, qui ipsorum potissimum laboribus, artificioque nutriri possunt, longam peregrinationem suscipiunt, quique ansam Erasmo Rotoredamo dederunt, ut & ipse sacras peregrinationes in suis Colloquiis irrideret, ac de eisdem impie etiam scriberet. Porro quod vel longe ante annum Christi millesimum complures Christiani homines, Clerici, laicique, divites, pauperesque diversis modis sacris peregrinationibus abuti solerent, opportune abusui illi occurrit inter alia Concilium Cabilonense anno DCCCXIII. celebratum, ubi Canone xlv. definiit, quando, & a quibus peregrinationes fieri deberent.

IV. Ubi suscepturi sacram peregrinationem desiderium Parochus probavit, debet tum ille ex nostro §. antequam discedat, juxta veteris Ecclesiæ institutum accipere patentes, seu Commendatitias Literas a suo Ordinario, seu Parocho. Meminit inter alios id genus Epistolarum Cardinalis Baronius ad annum Christi CXLII. ubi etiam ait concedi ipsas ab Episcopo peregrinantibus ad testandam eorum Fidem Catholicam; testaturque præterea ad annum DXVII. laudabilem tunc temporis viguisse usum, ut cum sciretur in aliquibus Provinciis commixtos esse hæreticos inter Catholicos, siquis inde migraret in remotiores Provincias, non reciperetur absque Fidei Orthodoxæ professione, nec quidem generali dumtaxat, sed quæ in particulari instantes tunc hæreses condemnaret. Sicut etiam cum quis in Provincias hæresi infectas peregrinari vellet, solitum eum fuisse, docet idem Baronius ad memoratum annum, pro viatico sibi sumere veræ Fidei documenta, præmunireque se antidoto contra ictus serpentium, quos sciret frequenter in illis regionibus reperiri. Inde enim hoc eodem tempore cum sub Anastasio Imperatore Fides Catholica in Oriente periclitaretur, S. Fulgentio suppeditatum est argumentum scribendi de Fide ad Petrum Hierosolymam profecturum, ut ipse in Libri sui exordio præfatur; eum enim Librum constat testificatione antiquorum omnium esse Fulgentii, quem male postea alii Sancto Augustino tribuerunt.

V. Quidquid de ea re sit, si veteris Ecclesiæ institutum spectemus, Litteræ ipsæ Commendatitiæ, quas etiam Formatas appellant, concedi, nonnisi ab Episcopo proprio peregrinaturis, debuerunt, cui disciplinæ inhærens S. Carolus in sua Diœcesana Synodo xi. ubi agit de usu Literarum Formatarum ad usum pie peregrinantium introducendo, ita quidem statuit: *Id cura Parochi præstetur, ita tamen, ut iis tantummodo, qui ejusdem Parochi testimonium scriptum habeat, de vita, moribus, & de Sacramentis debito tempore susceptis eæ Literæ dentur ex Cancellaria Archiepiscopali*. Tum vero mox subdit: *Cavebit autem Parochus, ne cuiquam homini vago, aut quæstuariæ artis suspecto tale testimonium det*. Ex quo deducitur, ad Episcopum dumtaxat spectare tradere has Literas Commendatitias peregrinaturo, non autem ad Parochos, ad quos tantum pertinet testimonium in scriptis facere de Sacramentis rite susceptis, ac de bona ejus vita, ac moribus; atque ita intelligendum esse hunc nostrum §. ubi ait debere Peregrinos *accipere patentes, seu commendatitias Literas a suo Ordinario, seu Parocho*, tradit Barrufaldus in sua ad ipsum §. Nota, num. 21. ubi etiam observat, Innocentium Papam XI. in Taxa, quæ ab ejus nomine dicta est Innocentiana, edita anno MDCLXXVIII. decrevisse, ut hujusmodi Literæ gra-

gratis concederentur. Porro quod ait S. Carolus cavendum Parocho, ne cuiquam homini vago, aut quæstuariæ artis suspecto testimonium suum det, ad obtinendum ab Episcopo Epistolam Commendatitiam, abusum refellit, quem olim etiam damnavit laudatum superius Cabilonense Concilium, citato Canone XLV. *Sunt pauperes*, inquit, *qui id faciunt*, peregrinationem scilicet suscipiunt, *ut majorem habeant materiam mendicandi, de quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illo se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visione a peccatis purgari, non attendentes, quod ait Beatus Hieronymus*: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est.

VI. Obtentis Literis Commendatitiis, nempe ab Episcopo, & rebus suis dispositis, mandat idem hic noster §. ut peregrinaturi, *facta peccatorum suorum Confessione, & audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devote suscipiant*. Cum subeunda sit longa peregrinatio, ac plena periculis, & quidem, ut verbis Apostoli utar in Epistola II. ad Corinthios, Cap. XI. *periculis fluminum periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis Fratribus*; recte ait hic noster §. ut peregrinaturus domui suæ, rebusque disponat, ultimumque testamentum condat; tum vero facta Confessione, & audita Missa, communicet. Præmittendam piæ peregrinationi Confessionem, Communionemque, statuit etiam S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite inscripto, *De religiosis Peregrinationibus*, ubi de laicis peregrinaturis loquens, sic inter alia habet: *Peregrinationis vero iter suscipiant, ubi rite confessi, sacram Eucharistiam religiose sumpserint*. Confessionem potissimum religiosæ peregrinationi præmittendam, commendat quidem quammaxime laudatum Cabilonense Concilium loco citato, his verbis: *Qui peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum Limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda*.

VII. Quemadmodum vero S. Carolus antiquis Ritualibus, veterique Ecclesiæ disciplinæ, ac piorum Christianorum praxi inhærens, citato superius loco Concilii IV. Provincialis Mediolanensis statuit de laicis, ut ubi ipsi peregrinationis iter sunt suscepturi, sua prius peccata rite confiteantur, & Eucharistiam percipiant, ita etiam mandavit, ut peregrinaturus *Sacerdos, vel Clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primo confessus, tum, si Sacerdos est, Missæ Sacrificium, quod est pro iter agentibus, offerre; si Clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere studeat*. Missa ista, cujus plane mentionem faciunt, & hic noster §. & laudatum Provinciale IV. Mediolanense S. Caroli Concilium, extat quidem in Romanis Missalibus, diciturque, *Missa pro peregrinantibus, seu iter agentibus*, cujus Introitus, qui incipit, *Redime me, Domine, & miserere mei &c.* desumptus est ex Psalmo XXV. Oratio autem est illa, quæ legitur in hoc nostro §. oratione tertia, *Adesto, quæsumus, Domine, &c.* Epistola est ex Capite XXXIX. Genesis, *Egressus Jacob de Bersabee &c.* Evangelium vero ex S. Matthæo Cap. X. *Euntes autem, prædicate, dicentes, quia appropinquavit &c.* usque ad verba illa, *excutite pulverem de pedibus vestris*.

VIII. Certe mirum videri debet, quod memoratæ pro peregrinantibus, vel iter agentibus Missæ assignatum sit Evangelium istud, in quo inter alia mandat Christus peregrinaturis Discipulis suis, ut non modo non gestent aurum, argentum, pecuniamque in zonis suis, *sed non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam deferrent*. Ritus enim antiquus est ab Ecclesia probatus, ut peregrinaturi ipsi peram, præsertim, ac virgam, seu baculum, tamquam insignia peregrinationis ab Altari de manu Sacerdotis sumerent. Sunt plane instrumenta, quibus Monachi iter agere consueverant, ut ex Cassiano addiscimus Collatione XI. Cap. III. *Sumpto itaque baculo, & pera, ut illic cunctis viam egredientibus Monachis moris est, ad civitatem nos suam itineris dux ipse perduxit.* Eodem teste Cassiano Lib. I. Cap. VIII. & IX. pera erat pellis caprina, quam in mortificationis indicium sæcularibus exhibendæ Monachi portare solebant, baculum vero ad repellendos latrantes canes, & ad malum incitantes, uti notavit Martene, Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite XVII. num. 3. ubi etiam describit, quod de S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo Romam profecturo, scripsit Eadmerus in ejus Vita, Lib. II. num. 33. apud Surium ad diem XXI. Aprilis: *Peram*, inquit, *& baculum peregrinantium more coram Altari suscepit*.

IX. Varia antiqua hujus ritus monumenta legere est quidem apud eruditissimum Carolum Dufresne in sua Dissertatione XV. ad Joinvillam. Hunc plane ritum servarunt vel ipsi Reges, ubi religiosam peregrinationem suscepere. Sic enim de Ludovico VI. Rege Francorum, Auctor ejus Vitæ, Cap. IV. scribit: *Venit Rex, ut moris est, ad Ecclesiam Beati Dionysii, a Martyribus licentiam accepturus, & ibi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis, & vexillum Sancti Dionysii, quod* Oriflambe *Gallice dicitur, valde reverenter accepit*. Una cum baculo sumi consuevisse vel ab ipsis Regibus & peram, seu sportam, docet nos Philippi Augusti exemplum, de quo ad annum MCXC. tradit Rigordus, quod in Terram Sanctam iturus, in Ecclesiam primum S. Dionysii se contulit, *causa licentiam accipiendi; tum ab oratione surgens, sportam, & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi avunculi sui Apostolicæ Sedis Legati devotissime ibidem accepit*.

X. Porro celebre est, quod & de S. Ludovico IX. Galliæ Rege in Terram Sanctam profecturo docet Chronicon S. Dionysii ad annum MCCXLVIII. Tomo II. Spicilegii Dacheriani: *Hoc anno Feria VI. Pentecostes Ludovicus Rex accepit Vexillum, & peram, & baculum in Ecclesia B. Dionysii, & Fratres ejus ab Odone Cardinale, & post accepit licentiam in Capitulo nostro &c.* Id quod etiam fecit in suo secundo ad eandem Terram Sanctam itinere, ut refert Guillelmus de Nangis, scribens, recepisse Ludovicum ipsum in Ecclesia S. Dionysii Vexillum *cum pera, & baculo peregrinationis*. Quod etiam notatur in parvo chartulario Episcopatus Parisiensis Bibliothecæ Domini Du Puy, his verbis: *Anno*

*no MCCLXIX. mense Martio, pridie Idus, die Veneris, Dominica, qua cantatur*, Reminiscere, *Ludovicus Rex Franciæ arripuit iter ad partes transmarinas de S. Dionysio, & ibi accepit peram, & baculum peregrinationis suæ, quos benedixit, & reddit sibi in Ecclesia S. Dionysii Radulphus Episcopus Albanensis, tunc Sedis Apostolicæ Legatus in Francia, & partibus transmarinis.*

XI. Ergo antiqua sunt religiosæ peregrinationis insignia, baculus, & pera, quos etiam non modo ab Altari peregrinaturi suscipiebant, verum etiam benedictos. Id quod etiam testatur Honorius Augustodunensis Lib. I. *Gemmæ Animæ*, Cap. CLXXXI. docentque nos antiquæ formulæ, quibus ipsa insignia benedicerentur, ac peregrinaturo a Sacerdote ad Altare traderentur. Certe in ms. Codice Floriacensi annorum circiter DC. apud Martene, Tomo III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Lib. II. Cap. XXIII. hæc legitur sportæ benedictio: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui recto incedenti itinere pius es adjutor, te supplices exoramus, ut hoc opus tua benedictione consecrare digneris, & præsta, piissime Pater, ut hic famulus tuus, qui hoc opus in humeris suis suspenderit, benedictionis tuæ gratia repleatur, & hic, & ubique defensionis tuæ auxilio muniatur. Qui vivis, & regnas.* Sequitur sportæ dandæ formula, quæ est hujusmodi: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi, accipe hanc sportam itineris tui, ut protectione ipsius ab omnibus malis defensus, ad locum destinatum pervenias, & opportuni temporis iteratus repetito ad propria revertendo, ejus suffragiis merearis adipisci custodiam. Per.* His adde formulam tradendi baculum, quæ ibidem subjicitur his verbis concepta: *Accipe hunc baculum itineris tui in Nomine Domini nostri Jesu Christi, qui famulo suo Thobi ducem, & prævium præstitit, ipseque Angelum suum dirigat tibi, qui te ad destinata loca perducat, fiatque tibi comitatu jocundus, ut nullus viæ tuæ surripiat inimicus, procul a te malignorum accessus; & comes esse tibi dignetur Spiritus Sanctus. Per.*

XII. Nequid in hoc Commentario desideretur, operæ pretium duxi varias formulas Benedictionis Peregrinorum describere, quæ in Sacerdotali Romano Venetiis impresso anno Christi MDLXVII. leguntur, pagina 196. a tergo, & seqq. Prima inscribitur, *Benedictio super Peregrinos exeuntes*. Tum mandat, ut *Sacerdos Superpelliceo, & Stola indutus, dicat*. ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, & Psalmos, *Deus in adjutorium meum intende &c.* LXIX. *Domine refugium factus es nobis &c.* LXXXIX. *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* XC. itemque preces, ac deinde hanc Orationem super baculos, & capsellas, seu peras peregrinaturorum: *Domine Jesu Christe, mundi Redemptor, & Conditor, qui per os Beati Pauli Apostoli tui innotuisti, non habere nos hic manentem civitatem, sed futuram hic debere inquirere semper; quippe Beatis Apostolis præcepisti, ut euntes ad prædicandum verbum Dei, virgas tantum sumerent: te suppliciter deprecamur, ut digneris has scarsellas, sive peras, pro tui nominis amore adinstar armaturæ lateri applicandas, & hos sustentationis baculos bene ✠ dicere, quatenus portantes eos in peregrinationis signum, & suorum corporum sustentationem, cælestis gratiæ plenitudinem, & munimen valeant tuæ benedictionis percipere; quemadmodum Virga Aaron, ad rebellium Judæorum perfidiam repellendam, bene ✠ dixisti, ita hos famulos tuos per hæc insignia, quæ ad honorem, & reverentiam Apostolorum tuorum Petri, & Pauli*, vel *Jacobi*, vel *Sancti*, vel *Sanctæ, assumere cupiunt de manibus nostris, & ad eorum Limina veneranda portare, bene ✠ dicas, & ab omnibus peccatis absolvas, ut in die Judicii in parte mereantur dextera collocari. Qui vivis, & regnas.*

XIII. Sequitur mox & hæc Benedictio super baculos, & capsellas: *Signaculum Dei Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat cælitus super hos baculos, & has peras, ut qui eas portaverint, ab omnibus inimicorum insidiis sint defensi. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*. Recitata hac Benedictione, jubetur Sacerdos, ut *baculos, & peras aspergat Aqua benedicta, & eas peregrinis tradens, dicat*: Accipite hos baculos, & has peras, & pergite ad Limina Apostolorum Petri, & Pauli, *vel* Sanctæ Mariæ de Loreto, *vel* ad Limina S. Jacobi in Compostella, *vel* S. Antonii de Vienna, In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen. (*Simili modo dicatur de aliis Locis, ad quæ peregrini profecturi sunt*) Ut per eas mereamini in hoc sæculo remissionem omnium peccatorum accipere, & in futuro consortium Beatorum, atque ad Limina Sanctorum, quo pergere cupitis, feliciter pervenire; & peracto itinere ad nos incolumes remeare.

XIV. Peracta baculorum, perarumque traditione, dicitur mox Antiphona, *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua*, & deinde Psalmus, *In convertendo Dominus captivitatem Sion &c.* Tum vero, dictis quibusdam precibus, profert Sacerdos duas Orationes, quarum prima sic habet: *Deus infinitæ misericordiæ, & majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum ab his, quos tueris, abjungunt, adesto præsentibus famulis tuis in te ubique fidentibus, & per omnem, per quam ituri sunt, viam, dux eis, & comes esse digneris; nihil eis adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat; cuncta eis salubria, cuncta prospera sint, ut sub ope dexteræ tuæ, quidquid juste expetierint desiderio, celeri consequantur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Oratio altera, ita plane inquit: *Omnipotens sempiterne Deus, humani generis Reformator, & Author, qui Abrahæ puero tuo, ut exiret de terra nativitatis suæ, & iret in terram promissionis, quam ei te daturum promiseras, præcepisti; necnon & populum Israeliticum in Desertum ad te adorandum multis prodigiis venire fecisti, hos quæsumus peregrinos ad Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli* (vel N. ut supra) *Limina te adorare pergentes, a periculis omnibus erue, & a peccatorum nexibus absolve; & tu, qui es via vera in te confidentibus, eorum iter bene dispone, ut inter omnes hujus viæ perturbationes, tuo protegantur auxilio. Mitte eis, Domine, Angelum tuum, quem Thobiæ famulo tuo comitem dedisti, ut ubicumque manserint, sit illi defensor contra insidias omnium inimicorum visibilium, & invisibilium, quatenus læti, & incolumes ad nos redire valeant. Per Dominum.* Porro finita hac Oratione, Sacerdos Peregrinos aspergit Aqua benedicta, dicens: *Per Aquæ aspersionem det vobis Om-*

*Omnipotens Deus, ad eundum, & redeundum, suam gratiam, & benedictionem. Amen.* Concludit tandem hunc ritum cum ista super peregrinaturos formula Benedictionis: *Benedictio Dei Omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super vos, & maneat semper. Amen.*

XV. Præter hactenus descriptum ritum benedicendi Peregrinaturos, extat & in ipso Romano Sacerdotali, *Ordo benedictionis ad Peregrinos navigare volentes ad Terram Sanctam*, ubi post dictum ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, & alias preces, dicit Sacerdos duas Orationes, quarum prima sic habet: *Deus, qui transtulisti Patres nostros per mare rubrum ad laudem tui Nominis decantandam, supplices te deprecamur, Domine, ut famulis tuis, qui ad visitanda Loca sancta, in quibus Unigenitus Filius tuus salutem nostram operari dignatus est, proficiscuntur, depulsis cunctis adversitatibus, portum semper optabilem, cursumque tranquillum largiaris. Per Christum Dominum.* Altera Oratio ita inquit: *Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & mitte Angelum tuum de summitate Cælorum, qui custodiat famulos tuos navigantes in profundo maris. Perduc eos ad Loca dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi pretiosissimo Sanguine consecrata, & visitatis eisdem, cum salute mentis, & corporis, ad propria eos perducere cum lætitia, gaudio, & profectu digneris. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Benedicit deinde Crucis signacula chlamidibus Peregrinorum affigenda cum Antiphona, *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem redimisti mundum*; & Oratione, quæ est hujusmodi: *Benedic, quæsumus, Domine, signacula Sanctæ Crucis, & præsta per invocationem Sanctissimi Nominis tui, ut qui ea susceperint, vel gestaverint, corporis, & animæ salutem percipiant. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Dat mox Sacerdos Peregrinis ipsa Sanctæ Crucis signacula, sic inquiens: *Accipe signum Crucis Christi tam in corde, quam in corpore, in Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, ut sis defensus ab omnibus insidiis inimicorum visibilium, & invisibilium. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Peracta hac cæremonia, dicitur Antiphona: *O Crux gloriosa, o Crux adoranda, o lignum pretiosum, & admirabile signum, per quod diabolus est victus, & mundus Christi Sanguine redemptus.* ℣. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi.* ℟. *Psalmum dicat Nomini tuo Domine.* Sequitur deinde Oratio: *Adesto familiæ tuæ, quæsumus, Omnipotens Deus, ut in adversis, & prosperis preces eorum exaudias, & insidias omnium adversariorum eorum, per Sanctæ Crucis auxilium digneris conterere, ut portum salutis, ac tranquillitatis valeant apprehendere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit &c.*

XVI. Hactenus Romanum Sacedotale de ordine Benedictionis ad Peregrinos navigare volentes ad Terram Sanctam, de quo ritu videri plane possunt, quæ late diximus Tomo II. Commentariorum in Partem alteram Romani Pontificalis ad Titulum XXI. qui inscriptus est, *De Benedictione, & impositione Crucis proficiscentibus in subsidium, & defensionem Fidei Christianæ, seu recuperationis Terræ Sanctæ.* Sed his omissis, quod nostrum hunc ritum spectat Benedictionis Peregrinorum ad Loca sancta prodeuntium, eorumque insignium, baculi nempe, ac peræ, de quibus abunde dictum superius fuit, notandum hoc loco illud, consuevisse olim, & pro hujusmodi Benedictionibus fieri a Fidelibus oblationes, uti docet eruditus Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Pera*, ubi inter alia citat chartam anni MCCXXI. apud Virum clarissimum Jacobum Petitum ad Pœnitentiale Theodori pag. 401. ubi hæc habet: *In prædicta etiam Ecclesia Peregrinis de Castro Presbyter consuevit bendedicere peras, & baculos, & Missam, si ei placuerit, celebrare, & solum denarium de oblationibus recipere.* Cæterum quod peregrinaturis ad remotiora Loca soleret a Sacerdote benedici baculus, ac pera, docet inter alios Jacobus Gretserus Lib. II. *De sacris Peregrinationibus*, Cap. II. ubi etiam ex Olao Magno formulam hujusmodi Benedictionis recitat; mirumque iccirco videri potest, cur nulla in Rituali Romano ejus ritus facta sit mentio.

XVII. Alienum denique a nostro instituto esse non censeo, si ad calcem hujus Commentarii, Monita illa notaverim, quæ Sanctus Carolus in laudato Provinciali IV. Mediolanensi Concilio a Peregrinis laicis servanda præscripsit. Sic ergo inquit.

In itinere stata præcepta Ecclesiæ jejunia servent, nisi cum legitime excusati sunt.

Singulis diebus Missæ Sacro interesse studeant, Dominicis vero, & Festis ne ullo modo desint, tum sacram Communionem sumere curent.

Mane preces, quas *Itinerarium* vocant, pie recitare studeant qui legere noverint.

Eleemosynas, si per facultates possunt, largiantur.

Instent potissimum Orationi, Psalmis, Hymnis, Canticis, precariæ Coronæ Beatæ Mariæ recitationi, & rerum spiritualium meditationibus, & sermonibus lassitudinem sublevent.

In curru, navigio, & hospitio, cum Hebræorum maxime, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione, affinitateve junctas, aut etiam ex familia sua sanctæ peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coegerit. Ac sane vero in hoc sancto piæ peregrinationis proposito, ac studio, ad usum revocari cupimus, quod olim factum esse ex sacris Literis, Patrumque monumentis animadvertimus, ut scilicet, qui etiam ejusdem familiæ essent, cum Templum, Locaque sacra visitatum irent, viri a feminis iter separatum facerent.

Abstineant item a profanis canticis, colloquiis, cytharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeo ab eorum societate, qui in itinere iis, aliisve ejus generis actionibus operam dant, quibus pietatis studium in peregrinatione suscepta languefiat.

Ne mendicatim eleemosynam quæritent, nisi ex voto, vel necessitate, aliave causa Episcopi literis, & testimonio probata.

Ad loca, ubi primum vesperi divertunt, Ecclesiam precandi causa prius adeant, quam in hospitium veniant, si temporis tarditas, aliudve non impedierit.

Ad sacra Loca, quæ religiose visitaturi sunt, cum pervenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quam ut Jubilæum, Indulgentiamve consequantur, aut vota sancte persolvant, sacras Re-

Reliquias, & sacra Loca pie visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

Itaque primo confessi, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum religiose Sanctorum statas Ecclesias visitent, itaut ex ipsorum Locorum admonitione major affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adjuventur.

XVIII. Spectant hæc religiosam laicorum peregrinationem, quæ vero servanda a Sacerdotibus, Clericisve sint in peregrinatione sua, ita quidem laudatus S.Carolus in citato IV. Provinciali Concilio Mediolanensi paulo post initium prædicti Capitis, *De religiosis peregrinationibus*, præscribit.

Ne quisquam Sacerdos, Clericusve cujusvis Ordinis peregrinaturus, itineri peregrinationis causa sine Literis Dimissoriis, ac Testimonialibus Episcopi se committat, ut Canone veteri sancitum est; tum præterea, nec sine Benedictione, quam Episcopus Sacerdoti, Clericove peregrinaturo statis precibus Libro Sacerdotali, Ritualive præscriptis impartiet.

Iis sane Literis a Cancellario adscribuntur hæc singula Capita Sacerdoti, Clericove peregrinanti infrascripta, quo accuratius ab eo illa serventur.

Peregrinationis comites, quos sibi adjunxerit, cum in viam se daturus est, Episcopo, aut Vicario exponat, quorum comitum nomina a Cancellario Literis dimissoriis adscribantur.

Siquis item peregrinaturus Ecclesiam Parochialem, aut Cappellam, aliudve cujusvis nominis Beneficium Ecclesiasticum obtinet, cui ministerium aliquod debeat, is, ut Episcopus opus esse censuerit, Sacerdotem, vel Clericum, qui eidem Episcopo, Vicariove probatus sit, pro ratione ministerii ante substituat, quam iter suscipiat, ne Ecclesia debito ministerio, cultuque careat; cujus rei per se præstitæ testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei vero, quem substituerit, aut alii, quem Episcopus maluerit, si aliquot dierum peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemque Ecclesiasticam supellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim, ac diligenter confecto, eo scilicet præsente, cui hoc munus Episcopus dederit, ne ex ejus absentia aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

Deinde is, vel Sacerdos, vel Clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primo confessus, tum si Sacerdos est, Missæ Sacrificium, quod est *pro iter agentibus* offerre, si Clericus inferior Sacram Eucharistiam sumere studeat.

In itinere Clericali habitu contractiori ad Conciliorum præscriptum omnis Sacerdos, & Clericus, dum in peregrinatione est, uti possit, pileum autem induat Clericali Ordini congruentem, & a Clericali vestitu distinctum.

Tonsuram Clericalem perpetuo habeat.

Ne itineris causa Canonicas Horarias Divini Officii preces omittat, ac tum etiam stata de præcepto Ecclesiæ jejunia servet, nisi cum legitime excusatus est.

Si Sacerdos est, ubi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet, ac vero Dominicis, & Festis diebus id facere non omittat.

Singulis vero diebus, sive Sacerdos, quando ipse non celebrat; sive Clericus Missæ Sacrificio interesse studeat.

Mane singulis diebus præter Officium Divinum debitum, preces etiam illas pie recitare curet, quæ *Itinerarii* nomine appellantur.

In omni denique itinere, quod sanctæ peregrinationis causa suscepit, eum se vitæ moribus, omnique actione præstare studeat, ut pie religioseque peregrinandi exemplum laicis præbeat, quorum si aliquem socium, & comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

Hebræis, & mulieribus comitem non se adjungat, neque eodem curru cum eisdem vehatur, neque item eodem navigio, ut scandalum evitetur, si aliter sibi consulere poterit.

Ne iis etiam se adjungat in via, nisi necessitas coegerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, cytharis, aliisve musicis instrumentis utuntur.

Abstineat item ipse a profanis canticis, & colloquiis ejusdem generis, quorum usu, pietatis in peregrinatione suscepta studium refrigescit.

Psalmis, Hymnis, Canticis, precariæ Coronæ Beatæ Mariæ recitationi, ac rerum Divinarum meditationibus vacet, & spiritualibus item sermonibus, si comites habet, quibuscum loquatur, corporis, vel animi lassitudinem sublevet.

Ne mendicet, ostiatimve victum quæritet, nisi ex voto, vel alia causa ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

Cum ad aliquem locum vesperi perveniet, Ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitium divertat, religiose adeat, si potest, ubi supplex Litanias, vel alias religiosas preces recitet.

Si apud Religiosos homines, vel apud alios viros honestos diversari potest, ab hospitiis publicis abstineat.

Ad cauponas vero si divertere ei necesse habet, nec una cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat publico hospitio, aut alio omni loco, & tempore.

Antequam discumbat, mensæ benedicat; tum pransus, aut cœnatus gratias agat; cæteraque observet, quæ de temperantia, frugalitate, & modestia Clericali Decretis Provincialibus præscripta accurate præstare debet.

Cum primum ad peregrinationis locum pervenerit, Confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & Sacram Communionem Clericus sumere curet; totusque peregrinationi susceptæ intentus, non rerum novarum curiositates, non loci antiquitates, non quidquam aliud a peregrinandi proposito alienum consectetur; sed religiosa animi præparatione Ecclesias, sacrasque Reliquias, quas potissimum devotionis votiva causa visitatum venit, tum alias etiam solicite visitet; qua visitationis solicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, ut maxime potest.

Nec vero ubi sanctam peregrinationem absolverit, alio longius vagetur.

XIX. Hæc S. Carolus de religiosis peregrinationibus Sacerdotum, Clericorumve, & laicorum, quæ quidem operæ pretium duxi in hoc Commentario describere, ut ea peregrinaturi commodius legere, & in animarum suarum utilitatem servare valeant. Multos enim tum sacros, tum laicos homines novi, qui cum sine ulla pia præparatione religiosas peregrinationes suscepissent, reversi ad propria, scandalum potius, quam ædificationem populo attulerunt.

# CAPUT XII.

## Benedictio Peregrinorum post reditum.

### §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* Antiphona; *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Psalmus CXXVII. *Beati omnes, qui timent Dominum &c.* Antiphona; *Ecce sic benedicetur &c.* ut supra. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Benedicti, qui veniunt in Nomine Domini.* ℟. *Benedicti vos a Domino, qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Respice Domine in servos tuos, & in opera tua.* ℟. *Et dirige eos in viam mandatorum tuorum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæque dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium, ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.*

*Deus, humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum.*

Deinde aspergantur Aqua benedicta a Sacerdote dicente: *Pax, & benedictio* ✠ *Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Sapientissime admonet S. Carolus in citato superius Provinciali IV. Mediolanensi Concilio, Capite, *De religiosis peregrinationibus*, inscripto, in fine, ubi de laicis peregrinantibus loquutus fuit, ut *reversi a peregrinatione, primo Parochum conveniant, a quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis sanctis Orationibus.*

II. At vero non omittendus est ritus Benedictionis Peregrinorum domum redeuntium, qui ita plane præscriptus legitur in Sacerdotali Romano anni MDLXVII. pag. 198. a tergo, & seqq. *Peregrini stent ante fores Ecclesiæ, & Sacerdos indutus Superpelliceo, & Stola, dicat.* ℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit &c. *Et deinde Sacerdos cum Clericis cantet, vel legat Antiphonam*, Auxilium meum a Domino, *& Psalmum*, Levavi oculos CXX. *Antiphonam*, Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum, *& Psalmum*, Ecce quam bonum CXXXII, *Antiphonam*, Benefac Domine bonis, & rectis corde, *& Psalmum*, Qui confidunt in Domino CXXIV, Sequuntur deinde preces, nempe, ℣. *Kyrie eleison, &c.* ut in hoc nostro Capite, ac deinde tres Orationes diversæ omnino ab illis in ipso Capite recensitis. Prima itaque Oratio sic habet; *Quæsumus, Omnipotens Deus, ut his famulis tuis, quos incolumes de sancto itinere venire fecisti, quidquid tibi per carnis fragilitatem, sive per visum, vel auditum impudicum, aut per colloquia otiosa, sive aliis quibuscumque modis, contra tuam justitiam commiserunt, tu Sanctissime Pater misericorditer indulgeas, & dimittas eis, & illæsos ab omni impugnatione diabolica custodias, & tuis semper devote inhærere mandatis concedas. Per Christum &c.* Sequitur secunda Oratio, quæ est hujusmodi; *Te Domine, quæsumus, ut Fideles tui, quos per longas peregrinationes, & moras itineris, suæ patriæ reddidisti incolumes, in tua voluntate permaneant, & nihil ultra hostilitatis metuant, sed te protegente, secura mente tibi deserviant. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Oratio denique tertia ita inquit; *Deus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hos famulos tuos de tua misericordia confidentes, cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus a te separentur. Per Dominum &c.* Finita hac ultima Oratione, ex ejusdem Romani Sacerdotalis præscripto, dicit Sacerdos. ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* Tum vero dicit: *Benedicat vos Omnipotens Deus, Pa* ✠ *ter, & Fi* ✠ *lius, & Spiritus* ✠ *Sanctus.* ℟. *Amen.* Atque tunc demum, ait Sacerdotale, *Peregrini Ecclesiam ingrediantur, & devotione sua peracta, ad domum cum Dei benedictione revertantur.*

III. Porro unum hoc loco notabo, nihil prodesse multis peregrinationem, si deinde reversi in patriam, in priora vitia relabantur: *Non enim exordia sola oportet habere clara, sed etiam finem clariorem*, inquit S. Joannes Chrysostomus Homilia XXV. in Epistolam Pauli ad Hebræos, ubi post allatas eam in rem varias similitudines, ita deinde concludit; *Quotquot exordiis finem non posuerunt competentem, & consequentem, & concinnum, perierunt, & corrupti sunt.* Utinam hodie de multis dici non possit, quod de compluribus sui sæculi scripsit in Chronico suo Albertus Abbas Stadensis; *Vix aliquos vidi, imo nunquam, qui redierint meliores, vel de transmarinis partibus, vel de Sanctorum Liminibus.* Additque mox causam; *Puto, ex eo hoc evenire, quod debita devotione, nec exeunt, nec redeunt. Debent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de sæculo migraturi.*

CA-

# CAPUT XIII.

## *Benedictio esculentorum, præsertim in Pascha.*

I. Recte admonent Sacri Auctores, usum laudabilem, qui apud pios Fideles communis est, non sumendi cibum sine Benedictione, a Christo trahere originem, & ab Apostolis. Primo enim de Christo Domino sæpe legimus in Evangeliis, eum benedixisse alimenta, quæ vel ipse sumpsit, vel aliis distribuit. Sic Marci Capite VI. *Acceptis panibus, intuens in Cælum, benedixit, &c.* Et Lucæ IX. *Respexit in Cælum, & benedixit, ac fregit, & distribuit Discipulis &c.* Post resurrectionem quoque, uti habetur apud eundem Lucam, Cap. XXIV. *Accepit panem, & benedixit, ac porrigebat illis.* Deinde celebre est illud, quod ait Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* A Christo itaque, & ab Apostolis mos inolevit benedicendi alimenta, priusquam sumantur, verbis scilicet sacris, & salutari Crucis signo, ad quod alludit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IV, num. 14. *Fac vero hoc signum, dum manducas, & bibis &c.* Et expressius Catechesi XIII. num. 36. *Ad omnia digitis Crux pro signaculo efficiatur, dum panem edimus, & sorbemus pocula &c.*

II. Esculenta cur benedicantur ante eorum esum, variæ rationes a Sacris Scriptoribus assignantur. Prima est, ut moneantur Fideles, sumendos cibos, non pecudum more, ad satisfaciendum gulæ, ac ventri, sed modo rationali, propter vitæ scilicet conservationem, in obsequium, & laudem Dei. Cibos enim, quos a Deo nobis provenire cognoscimus, secundum Dei placitum sumere debemus, & in ejus gloriam, quemadmodum monet Apostolus in sua Epistola I. ad Corinthios, Cap. X. *Sive manducatis*, inquit, *sive bibitis .... omnia ad gloriam Dei facite.* Secundo, ut ex cibis per verbum Dei, & per orationem sanctificatis, excitemur ad desiderium, & famem ciborum spiritualium animæ, qui secundum se, & propriissime sunt sancti, & vitam spiritualem conservant. Tertio tandem, cum propter hominum intemperantiam, usurpaverint sibi dæmones nonnihil potestatis in cibos, uti addiscimus ex S. Gregorio, qui Libro Dialogorum I. narrat dæmonem invasisse Monialem quandam, quæ ausa fuerat comedere lactucam sine prævia Benedictione; & ex Durando, Lib. VI. Rationalis, Cap. LXXXVI. num. 8. ubi ait, se vidisse in Civitate Bononiæ puellam a duobus spiritibus immundis triennio vexatam, quod malum granatum, cui dæmon insederat, comedisset; iccirco, ut vis, & potestas diaboli expellatur a cibis sumendis, adhibetur ex veteri, sanctiorive instituto antidotum Benedictionis, quam diabolus, serpens a Deo maledictus summopere timet.

III. Cæterum tametsi benedicendi sint semper cibi, ac etiam potus, saltem signaculo Crucis, ut est mos piorum complurium Fidelium, potissimum vero solemni per Sacerdotem Benedictione in Pascha, juxta antiquum ritum, cujus mentionem facit memoratus Durandus citato Capite, quod est, *De sancto die Pascha*, num. 7. ubi hæc habet: *In hac sancta die nihil, quod a Sacerdote non sit benedictum, comedere debemus, quia inimicus noster nunc magis satagit supplantare.* Statimque subjicit: *Unde in quibusdam locis quæcumque comedi debent, ad Ecclesiam portantur, & in atrio, vel vestibulo Ecclesiæ cum Cruce, & Aqua benedicta, & in vestibus sacris a Sacerdote benedicuntur.* Exscripsit Durandus, quæ jam ante illum in Explicatione Divinorum Officiorum notarat Joannes Belethus, qui claruit Seculo Christi XII. Capite CXVIII. his verbis: *Nihil, quod non sit a Sacerdote benedictum, hoc die Paschatis comedere debemus. Unde etiam nunc in quibusdam regionibus pro more receptum est, ut in magno vase omnia, quæ velint illo die comedere, fercula ad Ecclesiam deferant, in cujus atrio, & vestibulo, a Sacerdote cum Cruce, & Aqua lustrali, quam Benedictam dicimus, in sacris vestibus benedicuntur.* Sed, ut verum fatear, non puto istam obligationem cujus memorati Auctores mentionem faciunt, esse admittendam, cum nullum habeat fundamentum in Jure positivo, vel naturali. Quod si satan propter præcedens, & tunc primum desinens jejunium, laborat, ut nobis per ingluviem noceat, suppetunt plane alia media ad infringendas ejus vires, & artes declinandas.

IV. Observat hæc Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus, Parte II. Sectione III. Puncto VI. in fine, ubi etiam ait, similiter se videre periculum fore, ne damnetur anomaliæ pietatis, quod Gretserus Lib. II. *De Benedictionibus*, Capite XLII. asserit, non esse probandos, & multo minus laudandos, qui ossa animalis benedicti projiciunt canibus erodenda, aut voranda, quasi hoc sit sanctum dare canibus. Unde pie quoque eos facere ait, qui ovorum in Paschate benedictorum putamina, vel comburunt, vel ad quisquilias non amandant. Nihil horum solidum affirmari videtur. Nam quod benedicitur, & aliquatenus sanctificatur in Agno, & Ovo, est illud dumtaxat, quod est edule, aut sorbile. Ossa autem Agni, & putamina Ovorum non sunt talia. Itaque etiamsi objiciantur brutis, vel abjiciantur in fimetum, non datur sanctum canibus, neque profanatur. Quin etiam ea ipsa, quæ edulia sunt, aut potabilia, & benedictione sunt perfusa, præberi brutis, etiam ad meram cibationem, aut potationem, non videtur dedecens. Alioquin fas non esset ex mensa, cui benedictio sit collata, tantillum panis jacere cani, alterive bruto; quamquam hic licebit causari, eam Benedictionem non fuisse solemnem, sed mere privatam. Sicut admotione aquæ e mensa benedicta residuæ sitim canis restinguere, culpa vacaret, quod nemo diceret de bruti ore immisso in Labrum Aquæ benedictæ religioso cultui destinatum, ut bruti inde sitim depellat.

V. Non tamen primus in Germania Gretserus eam cogitationem suscepit de cibo benedicto brutis non apponendo. Nam longe ante S. Corbinianus Episcopus Frisingensis, referente ejus successore Aribone, prandens apud Grimoaldum Principem, benedixit mensæ, & cibos religiose consignavit. Ex pane mensæ apposito, & Benedictione Viri Dei sanctificato Grimoaldus frustillum

lum cani sibi dilecto projecit. Commotus eam ob rem Sanctus Episcopus dextro pede tripodi calcem impegit, & mensam cum omnibus argenteis vasis subvertit, & increpitum de ea panis profanatione, & Benedictionis contemptione Principem, succensens deseruit, negans sibi amplius mensam cum eo fore communem. Cumque Pildrud Theodaldi, Grimoaldo germani vidua dolens se a cognati nefariis complexibus per Virum Dei abstractam, reum mortis esse diceret Principis contemptorem; nihilominus Princeps exitu e Palatio prohibuit Corbinianum, ostiis obserari jussis, & ad ejus vestigia cum suis Primoribus provolutus, promissa satisfactione, & magnis precibus, ac muneribus interpositis, ægre denique pacis osculum exoravit, & sic iterum pariter cibum sumpserunt. Quid dicam? Non omnia Sanctorum facta exigenda sunt ad summum rigorem. Auctor imperfecti Operis in Matthæum Homilia XVII. agnoscit licere jactare brutis panem ad cibationem hominis sanctificatum, sive benedictum.

VI. Sed ut paulo fusius de esculentorum Benedictione dicamus, ejusque occasione insignem recitatum superius Apostoli locum in Epistola I. ad Timotheum, Capite IV. explicemus, operæ pretium duximus ea describere, quæ eam in rem notavit eruditus Raynaudus Tomo XVI. Parte II. Heteroclitorum spiritualium, Sectione II. *De Sacramentali bus*, Puncto VI. ubi sic inquit. Initium vitæ hominis, idest, fundamentum, quo ægre vita potest destitui, panis, & aqua. Nonnihil tamen obsonii accedere percommodum est, cui apposita Benedictio ex præscripta ab Ecclesia formula, preces Ecclesiæ confert, ideoque habeat ista quoque rationem Sacramentalium. Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. ait, creaturam Dei sanctificari per verbum Dei, & orationem; quæ duo unum, & idem sonare notat ibi Oecumenius, quem sequitur Cornelius a Lapide in Commentario ad eum locum. Censuit porro Clemens Romanus Pontifex, sive quis est Auctor Apostolicarum Constitutionum, Lib. VI. Cap. XI. & fuse Turrianus, Lib. V. contra Magdeburgenses, Cap. VI. Apostolum significare voluisse, cibos esse juste accipiendos; sed, ut observat inter alios insignes Scriptores laudatus Theophylus Raynaudus, loco jam a nobis superius citato, magis genuina est illa interpretatio cæterorum, qui dicunt, Apostolum, nomine orationis, & verbi Dei, significasse invocationem Personarum Sanctissimæ Trinitatis, quæ fit in efformatione signi Crucis. Et ita habent S. Chrysostomus, ac reliqui Græci ad dictum Apostoli locum, & S. Augustinus, Lib. II. *De peccatorum meritis*, Capite XXVI.

VII. Et sane cum ea invocatio verbis sacris concipiatur, recte cum Alphonso Ciaconio in Libro, *De signis Crucis*, Cap. XXXVIII. potest Oratio appellari, juxta phrasim S. Leonis, & aliorum, qui formam Consecrationis, & Absolutionem Sacramentalem vocant nomine supplicationis, ac precum, quia fiunt per verba sacra. Eidem expressioni, & invocationi Personarum Divinarum adjungitur gratiarum actio, quæ dupliciter accipi potest, nempe I. pro Benedictione; ut enim notavit Maldonatus in Matthæum, Capite XXVI. asserunt varii, lateque Alanus Lib. I. *De Eucharistia*, Capite XV. plerumque *gratias agere* ευχαριστειν, confunditur cum verbo *benedicere*. Unde S. Cyrillus, Lib. III. in Joannem, Cap. XVVI. Joannem cum Matthæo concilians, aliique non pauci, quod Evangelista dixit, *gratias agens benedixit*, putant eandem Benedictionis operationem designare, peractam a Christo, adhibita consignatione, quam ibi factam esse in formam Crucis, conjectat Salmeron, Tomo IX. Tractatu XII. eamque gratiarum actionis pro Benedictione usurpationem, in loco illo Joannis VI. ubi Christus panes multiplicaturus eis benedixit, esse necessarium admittere, putat Chavassius Lib. III. *De perfect. Prud.* Cap. II.

VIII. Potest secundo loco gratiarum actio accipi pro vulgari significatione harum vocum, ferente actum gratitudinis pro beneficio accepto; & hac ratione consignatio est gratiarum actio in actu exercito, quatenus formando cum ea expressione signum Crucis, recolimus beneficentiam fidejussoris, qui posuit pro nobis animam suam, quod non potest absque sensu gratitudinis fieri ab eo, qui non obriguerit in saxum. Itaque quod Apostolus ibidem ait, cibos esse cum gratiarum actione sumendos, potest quoque pertinere ad consignationem ciborum præviam. Vox Græca εντευξις, quam ibi adhibet Apostolus, ut expendit Turrianus, Cap. VI. Lib. III. ejusdem Operis contra Magdeburgenses, & ex eo Columna Sectione III. Hydragiologiæ, Cap. VII. num. 21. sonat postulationem auxilii, & interpellationem opitulationis adversus hostes, prout Theodoretus in I. ad Timotheum, Cap. II. eam vocem est interpretatus. Per eam ergo orationem imploratricem auxilii, sanctificatur creatura, idest, fit in timorem iis, qui nocere possent, hoc est, adversariis potestatibus. Sic enim Isaiæ Capite VIII. monentur Judæi *sanctificare* Dominum virtutum, idest, *eum timere*. Ad hunc ergo modum esculenta, & poculenta, Divino auxilio super ea per signum Crucis implorato, sanctificantur juxta Apostolum in citato Capite IV. prioris Epistolæ ad Timotheum. Quamvis enim alia præterea sunt, quæ sanctificantur per signum Crucis, ut videre est apud creditum Cyprianum in Sermone, *De Baptismate Christi*, & Augustinum Sermone XVIII. de tempore, & Tractatu XVIII. in Joannem, tamen Apostolo ibi sermo erat de escis, & ipsæ sunt, quæ ex frequentissimo usu Fidelium sanctificantur, & quasi consecrantur.

IX. Lubet nunc apponere loci illius Apostolici Glossam ex S. Joanne Chrysostomo ibidem, sic ajente: *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem; non quia immundum est, ideo sanctificatur. Absit; verum hoc in loco illos alloquitur, qui immunda quædam ex se ipsis esse arbitrantur. Duo igitur capita ponit. Unum quidem quo creatura nulla, communis, sive immunda est. Secundo, quod etsi communis, sive immunda sit, medicamentum in promptu est. Signum illis Crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit &c. Num suilla caro immunda est. Non, si cum gratiarum actione percipitur, Crucisque signaculo. Non aliud quicquam immundum est. Sola quippe voluntas erit immunda, quæ gratias non exhibet Deo*. Ipsamet Idolothyca negat esse ex se immunda; quamvis neget, posse ad modum cæterorum ciborum sanctificari, ob interpositum Divinum mandatum de non communicando illa ratione cum satana; quod fieret, si ederentur Idolothyca, quæ sciantur esse Idolothyca. Voluntas quippe

pe Divino illo præcepto refractaria immundum redderet comedentem, & sanctificationem, impressione signi Crucis, & adhibita gratiarum actione conferendam præcluderet. Itaque juxta Chrysostomum cibus benedictus, appresso signo Crucis, & gratiarum actione interposita, mundatur non ab immunditia aliqua morali addita, sed a profanitate, quia per orationem, & consignationem, transit in objectum Divini cultus, & sanctitate quadam donatur, & ex cibo mere naturali, & profano, transit aliquatenus in sacrum, ob advocatam super illum sanctificationem Dei, cui per interpositam gratiarum actionem, & consignationem oblatus est, & eo ipso sanctificatus.

X. Non est porro hoc loco sermo de ea sanctificatione, & consecratione, ratione cujus Divina Eucharistia dicitur panis sanctificatus, ut tradit Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica Cap. XXXVIII. & ex Marco Eremita, ac credito Cypriano refert Raynaudus in Onomastico Eucharistico. Ea enim sanctificatio est substantialis, quandoquidem materia profana transmutatur in Corpus Deo unitum. Sanctificatio ergo, de qua hic agimus, fit per abactionem malignitatis satanicæ, siqua suberat per maleficium, & per remotionem mali, siquod erat nobis eventurum ex assumptione cibi, ac potus. Id enim petitur a benedicente esculenta, & poculenta, sicque Benedictio, ea veluti emundat, ut loquitur S. Chrysostomus in Homilia XII. in I. ad Timotheum. Non quod cibi ex se immundi sint, ut blaterabant Manichæi; sed quod per Benedictionem quasi transferantur in statum rerum sacrarum. Dici etiam possunt mundari, quia fortassis per adventitiam satanæ malignitatem essent sumentibus obfuturi, ut contigit in exemplo incolarum Vici Aicomensis refectorum bove, de quo in Actis S.Theodori Siceotæ, vel quod fortassis essent nocituri ob vim veneniferam, admistam ab aliquo nequam, exitium sumentibus machinante; aut casu illapsam in cibos, ut accidit Chlorosauræ, de quo in iisdem Actis; ut propterea sint purgandi, adhibito sacro hoc alexipharmaco signi Crucis. Quorum incommodorum abactio, quatenus nobis expedit, impresso signo Crucis, exposcitur per Christi pro nobis confixi merita; quibus etiam hoc manuali signo memoratis apprecamur, ut cibi assumpti fiant nobis in salutem corporis, ac suo modo etiam in animæ salutem; sic videlicet attemperati nobis, ut nec corpori obsint, nec inflamment rotam nativitatis nostræ, & animam avertant, itaut abstrahamur, & illiciamur ad mala, concipiente concupiscentia, & pariente peccatum.

XI. Ex his omnibus intelligitur, in quo sita sit ea sanctificatio esculentorum, ac poculentorum, quam fieri per consignationem significabat Apostolus in citata Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. Et idem proportione servata dicendum est de variis aliis rebus, quæ per signum Crucis sanctificantur, &, uti vulgo loquimur, benedicuntur. Ea enim sanctificatio non est sita in physica qualitate, ut recte tradunt Bellarminus in Libro, *De Imaginibus*, Cap. ultimo, Gretserus Lib. III. *De Cruce*, Cap. XXXVI. Pererius in Cap. XIV. Epistolæ ad Romanos, Disputatione I. Nigronius in Tractatu, *De Benedictione Mensæ*, Cap. I. num. II. Quis enim fingat, ex apprecatione illa, quam diximus, & ex admotione extrinseca picturæ Crucis transeuntis exurgere realem, & intrinsecam qualitatem? Ex ea ergo signi Crucis appressione exurgit dumtaxat relatio, proportionalis illi, quæ exurgit ex contactu Crucis permanentis, præsertim ejus, quæ Christi Sanguine fuit purpurata, aut ex contactu Reliquiarum. Omnes enim censent, hominem sanctificari attactu hujusmodi rerum sacrarum, ut nominatim de Reliquiis ait S. Basilius in Psalmum CXV. & S. Gregorius Nyssenus in Encomio S. Theodori, ac sæpe alii Patres. Proportionalem ergo sanctificationem contrahunt res corporeæ ex appressione signi Crucis. Cibos communes mensæ impositos, ob præmissam Benedictionem mensæ, dici *Eulogias*, Gretserus, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XXIV. probat ex Actis S. Columbæ Abbatis, & S. Nicetii Lugdunensis. Alias autem dicuntur *Benedictiones*, ut a S. Gregorio, Lib. II. Dialogorum, Cap. XXXI.

XII. Hinc facienda est medicina loco morboso, qui est in Auctore Operis imperfecti in Matthæum Homilia XXXII. in fine. Hortatur ibi Auctor Fideles, ut sæpe filios suos offerant Deo, ac Sacerdotibus, ut eorum Benedictione sanctificentur. Sic enim ratiocinatur: *Siquis escas suas per orationem non offert Deo, coinquinatas eas manducat, secundum quod de illis ait Apostolus*: Quoniam omnis creatura Dei bona est; & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. *Dicens enim*, sanctificatur per verbum Dei, & orationem, *ostendit*, *quia maculata est, nisi per orationem fuerit omnis esca mundata, & sanctificata; quanto magis pueros offerri Deo, & sanctificari necesse est? Causa autem sanctificandarum escarum hæc est, quoniam mundus totus in maligno positus est. Ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita, & ipsam propterea oportet sanctificari; consequenter & infantes, quando nascuntur, & ipsi, quantum ad carnem, in maligno sunt positi; quoniam & omnis caro, quasi pars mundi in maligno posita est. Propterea necesse est, offerri pueros, ut assidue super eos oratio fiat. Quoniam escam semel sanctificari necesse est; manducamus enim eam, & transit; hominem autem, quem indesinenter adversarius persequitur, & sordidat, semper sanctificari necesse est*. Atque hic est locus, quem ait Raynaudus videri morbosum, & faciendam illi esse ex dictis superius medicinam.

XIII. Ergo quod in eo dicitur, escas, & corpus, quia sunt pars mundi, quippe res corporeæ, in maligno positas esse, sive, ut Græca habent, jacere in satana; & iccirco immunda esse, atque coinquinata, sapit Manichæismum. Item quod puer sit assidue offerendus, quia semper est coinquinatus, & maculatus, redolet hæresim Pelagianam, confossam ab Apostolo, docente nihil damnationis esse in iis, qui sunt renati in Christo; si necdum sint rationis compotes, & personalis culpæ capaces. Dicendum ergo videtur, juxta antedicta, & pueros, & escas, quando non offeruntur per consignationem, censeri sordere, quia carent ea sanctitate, quæ illis conciliatur per sanctificationem illatam a consignatione. Alium commodum sensum inquinationis, sive ciborum non benedictorum, sive puerorum renatorum non oblatorum, suppeditabunt ii, quibus occurrerit. Video autem, simili fere modo Arnobium juniorem in conflictu cum Serapione, Libro I. pag. mihi 536. cum dixisset, Christum non esse

esse natum *secundum conjugium pollutionis*; reponente Serapione hæretico, conjugium non esse pollutionem, sed id de fornicatione esse dicendum; exposuisse eam pollutionem conjugio a se tributam, de defectu sanctitatis absque crimine ullo. Similiter ergo esca non benedicta, & non consignata, quia caret ea veluti legali sanctitate, quam ei conciliat consignatio, potest utcumque immunda, & conquinata appellari, etiamsi revera sit innoxia; per consignationem autem fit utcumque sancta; &, ne obsit, immo ut prosit, si ita nobis expediat, exoratur.

XIV. Quod fructum vero, ac necessitatem sanctificationis esculentorum, & poculentorum spectat, conscii plane hujus fructus ciborum consignationem consequentis, Sanctissimi Apostoli imitatione Christi, qui cibum sumpturus, aut porrectus gratias egit, idest cibum benedixit, præscripserunt Fidelibus, ut cibos sumendos consignarent. Quod præscriptum adeo rigide accepit Geminianus in Canone, *Non liceat*, Distinctione XLIV. ut putarit, non benedicentes mensam, & post eam gratias non agentes, peccare mortaliter; *quia faciunt*, inquit, *contra præcepta Legis*. Agnoscunt quoque præceptum benedicendi mensam, cujus transgressio peccato fordeat, Turrecremata ad eundem Canonem, *Non liceat*, Cajetanus in Summula, verbo, *Clericorum peccata*, Tabiena, verbo, *Clericus* III. num. 7. Sylvester, verbo, *Clericus* II. num. 2. Angelus, verbo *Clericus* XI. num. 3. & Navarrus, *De oratione*, Cap. XVIII. num. 42. qui tamen nonnisi peccatum veniale in omissione ista statuunt, nec nisi respectu Clericorum. Et sane solemnis mensæ Benedictio inter propria Clericorum Officia numeratur. Unde tempore Interdicti, quo est plenum justitium Divinorum Officiorum, excluditur etiam solemnis Benedictio mensæ, nisi adsit privilegium, quale Fratribus Minoribus concessit Leo Papa X. ex Roderico Tomo II. Quæstionum Regularium, Quæstione CIX. Articulo II. Verum Suarez, cui potius adhæreo, Lib. III. *De Oratione*, Cap. VIII. num. 16. aliter statuit. Nimirum agnoscit, optimum esse consilium benedicere mensæ, eamque concludere per gratiarum actionem juxta S. Hieronymi monitum in Epistola XXII. & S. Athanasii in Libro, *De virginitate*, necnon Clementis Papæ, Chrysostomi, Basilii, Ephremi, Cyrilli Alexandrini, Origenis, Tertulliani, Nazianzeni, Prudentii, Theophilacti, quorum loca signat Lorinus in Caput X. Actorum Apostolorum, Versu IX. Et quod ad gratiarum actionem attinet, bene id tradit S. Maximus Taurinensis Homilia I. & II. *De non timendis hostibus*, inter Homilias de diversis. Addit tamen Suarez, nullum esse præceptum positivum de hujusmodi Benedictione, & gratiarum actione etiam quoad Clericos, atque adeo neque hos peccare, si eos actus omittant.

XV. Sicubi tamen ex præscripto Regulæ ad peccatum obligantis consignatio mensæ præmittenda esset, non dubito, quin peccaret, qui sciens consignationem illam præteriret. Et fortassis hanc ob causam, Novitius Ordinis Prædicatorum Buscoduci, ut narrat Joannes Nider in Formicario, Lib. III. Cap. I. gustato in transitu per hortum caulis folio, non adhibita consignatione, factus est arreptivus. Item Monialis, de qua S. Gregorius Lib. III. Dialogorum, Cap. VII. a dæmone lactucæ insidente correpta est, quod Crucis signum manducationi lactucæ non præmisisset: Vel si nulla Monasterii Regula eam urgebat, ad efformandum super cibos signum Crucis, potuit in ea plecti edacitas, aut quod absque facultate assumpsisset sibi eam lactucam, ut gulæ satisfaceret. Nam primi parentes ob cibum exiguum contra præscriptum Dei assumptum, & gravi culpa sunt inquinati, & mole malorum oppressi. Præterquamquod ene rgumenismus viros quoque sanctos occupavit interdum absque ulla prorsus eorum culpa ad merum virtutis exercitium. Potuit ergo lactucæ manducatio absque consignatione prætermissa cum levi, aut etiam nulla culpa, sic castigari. Sicut fortasse accidit in exemplo puellæ Bononiensis, quod a se visum scribit Gulielmus Durandus, Lib. VI. Rationalis, Capite LXXXVI. num. 8. Edens enim sine Benedictione de malo granato, cui duo dæmones insidebant, ab illis per triennium divexata est. In alia, quæ æque dimiserat Benedictionem, dicens se comesturam in nomine diaboli, a dæmone iccirco insessa, exemplum atrox refert Nider, Libro V. Formicarii, descriptus a Delrio III. Magicarum, Parte I. Quæstione VII. Sectione II. Sed in hac puella gravis culpa præcesserat.

XVI. Sive autem sit obligatio Præcepti positivi de Benedictione ciborum assumendorum, sive non sit obligatio, usus perpetuus Christianorum semper tulit, ut cibus, ac potus Benedictione sanctificaretur. Ita liquet ex Tertulliano in Libro, *De corona Militis*, Cap. III. ex S. Cyrillo in Catechesi IV. & XIII. & ex S. Athanasio in Ascetriæ institutione, ubi ternam cibi Benedictionem præscribit; quam etiam a se super porrectum in carcere calicem fuisse adhibitam, scribit S. Theodorus Studita in Epistola ad Naucratium. De pane, quo mater alenda erat, a se benedicto, & signato, testatur S. Gregorius Nazianzenus in Oratione XIX. Palæmonem antiquissimum Monachum, & ipsius S. Pachomii Magistrum, cibos Cruce signasse, narratur in Vita S. Pachomii. Luculentus locus Origenis, Lib. III. in Jobum, usum benedicendi cibos, de quo agimus, commendantis, apte eam Sæculi II. quo ipse claruit, praxim obsignat: *Cum manducamus, ac bibimus*, inquit, *Fidei memores fuerimus, si terribile Nomen ejus invocaverimus, si nosmetipsos, vel cibum, & potum nostrum, signo venerabilis Crucis Christi signaverimus, si ad Cælum oculos nostros levantes dicamus*. Qui das escam omni carni, da etiam cum Benedictione hunc cibum sumere. *Si dixerimus cum sinceritate ad Dominum nostrum*: Tu dixisti Domine, quia si mortiferum aliquid biberimus, tuum invocantes Nomen, non erit nobis molestum. Tu itaque, Domine virtutis, & gloriæ, averte veneficam, & iniquam operationem a nobis, & ab omnibus cibis nostris. Nisi enim tua misericordia conservaverit, quomodo possumus effugere tanta pericula ciborum, ac potuum, quæ frequenter plus repunt, ac serpunt, quam malignæ, ac venenosæ bestiæ?

XVII. Præstitit frequenter hunc effectum depulsionis periculi a veneno adhibita Benedictio, & Crucis super esculenta, poculentave, consignatio, ut probari posset innumeris plane exemplis, quæ passim in Vitis Sanctorum occurrunt. Sed hisce omissis, ad propositum nostrum, quod maxime facit, mihi videtur esse Bulgarorum ad Nicolaum Papam I. directa inquisitio, a quo

a quo scilicet sciscitati sunt, Cap. LIII. *Si licet super mensam, in qua Sacerdos, aut Diaconus deest, vexillum Sanctæ Crucis imprimere, & comedere.* Quibus respondit Pontifex, *quod procul dubio licet; nam omnibus datum est, ut & omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, & ab ejus omnibus impugnationibus in Christi Nomine triumphare. Superest tantum, ut cum potior adest, inferior hoc sibi ipsi jussus non audeat arrogare.* Solemne ergo fuit, ut Presbyter, vel Diaconus, si adessent, mensam benedicerent, fusa prece, salutarisque Crucis expresso signaculo. Non autem id debet præsumere Diaconus, præsente Sacerdote. Sine contradictione enim, ut ait Apostolus in Epistola ad Hebræos, Cap. VII. *quod minus est, a meliore benedicitur.* Unde S. Hieronymus merito Diaconos reprehendit, qui in domesticis conviviis, & mensæ, & Presbyteris Benedictionem dare præsumebant, sic inquiens in Epistola sua LXXXV. *Discant qui hoc faciunt, se non recte facere.* In locis, ubi Diaconi mensuram suam melius agnoscebant, mos ille vigebat, ut Diaconi ipsi supplicarent Sacerdoti, si adesset, ut vel ipse benedicere dignaretur, vel sibi juberet, ut benediceret.

XVIII. Ubi præsens erat Episcopus, ipse Benedictionem faciebat, sed ubi ille non aderat, & aderat Presbyter, benedicendi munus ad ipsum deferebatur. Si Presbyteri plures eodem in loco adessent, senior, & dignior benedicebat. Ubi hæreses grassabantur, sæpe contentio, propter prærogativam obeundi hujus muneris, incidebat inter Catholicum Sacerdotem, & eum, qui hæreticorum partes tenebat, præsertim quod Catholicus refugeret benedictos cibos ab hæretico attingere; uti notat Saussay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo XVII. probatque celebri exemplo, quod refert Gregorius Turonensis, Lib. I. Miraculorum, Cap. VIII. *Semper*, inquit, *Catholicorum inimica est hæresis, & ubicumque poterit, tendere insidias non omittit, sicut illud est, quod quodam loco factum celebre fama refert: Mulier quædam erat Catholica habens virum hæreticum, ad quam cum venisset Presbyter nostræ Religionis valde Catholicus, ait mulier ad virum, peto charitati tuæ, ut pro adventu hujus Sacerdotis, qui me visitare dignatus est, lætitia habeatur in domo nostra, ac præparatum dignis impendiis epulemur cum eo; promittente autem viro ejus, sic se, ut illa flagitabat, facturum, advenit & alius hæreticorum Presbyter, dixitque vir mulieri: Duplicata est lætitia hodie, eo quod sint Sacerdotes utriusque Religionis in domo. Discumbentibus autem ad convivium, vir ille cum Presbytero suo dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad sinistram statuens, positaque ad lævam ejus sellula, in qua conjux ejus resideret, dixit vir ad Presbyterum hæreticum: Si consenseris dictionibus meis, exercebimus hodie cachinnum de hoc Romanorum Presbytero, ut scilicet apposito ferculo, tu celerius signare festines; cumque ille manum non posuerit, illo tristante, nos cum lætitia comedemus cibum. Cui ille, faciam, inquit, quod præcipis; tuncque veniente disco cum oleribus, signavit hæreticus, posuitque primus manum suam. Quod cernens mulier ait: Ne feceris, quia ingrate fero injuriam Sacerdotis; & exhibito alio cibo, sumpsit Catholicus. In secundo vero, & tertio ferculo similiter fecit hæreticus; quarto autem exhibito, festinans hæreticus priusquam ferculum illud, vel mensam tangeret, elevata manu signat, statimque ipsum cochleare sumit, non intelligens, an caleret, ferventemque cibum velociter inglutivit; protinus adcenso pectore, æstuare cœpit, & cum suspirio immenso nequam spiritum exhalavit; ablatusque de convivio, locatus in tumulo, terrenæ molis congerie est opertus. Tum exultans Presbyter nostræ Religionis ait: Vere ultus est Deus servos suos, & conversus ad virum ait: Periit hujus memoria cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Tunc homo ille perterritus, provolutusque ad pedes Presbyteri, conversusque ad Fidem Catholicam, credidit cum domo sua.*

XIX. Hæc Gregorius, qui claruit Sæculo VI. ex cujus dictis patet, tunc viguisse morem non solum, ut Presbyteri præsentes convivio mensæ benedicerent, sed etiam, ut super unumquodque ferculum Crucis signaculum pro singulari Benedictione exprimerent. Quod quidem pluribus probat laudatus Raynaudus, loco citato, & Martene, *De antiquis Monachorum ritibus*, Lib. I. Cap. IX. num. 13. Justa est autem, ac digna notatu hoc loco illa laudati Saussay querimonia, quod, licet hodie in magnatum conviviis mos adhuc perduret, ut a Sacerdote domestico, quem Eleemosynarium, vel Capellanum vocant, mensa benedicatur, eum tamen ita despectui habent, ut mensæ, cui benedixit, dignum non censeant secum discumbere; mancipii enim instar plerique habent Christi Sacerdotem; nec memores sunt conditionis suæ; scilicet quantumvis in sæculo magni sint, meri tamen sunt laici, plebemque in Ecclesia faciunt; & si vere sunt Fideles, debent certe sententiæ Domini ad suos Apostolos recordari, Lucæ Cap. X. Versu XVI. *Qui vos honorat, me honorat; & qui vos spernit, me spernit.* Atque huc referri posset illustre factum S. Martini in mensa Maximi Imperatoris cum Presbytero suo considentis, quod ita refert in ejus Vita Severus Sulpitius, Lib. I. his verbis: *Ad medium fere convivium, ut moris est, pateram Regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo potius dari jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui possit prior bibere; nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos, qui a Rege erant proximi, Presbytero prætulisset.*

XX. Cæterum quum de Benedictione mensæ, & de gratiarum actione post sumtum cibum, nonnihil supra dixerimus, extant utriusque formulæ in fine Breviarii Romani, ut nempe sacri saltem homines formulis ipsis, & in prandio, & in cœna utantur, ad utilitatem æque, ac ædificationem domesticorum; antiquissima est enim vel laicis hæc disciplina, cujus prisci Patres Apostolo Paulo ritum ipsum non semel mandanti adhærentes, mentionem faciunt, præsertim vero Aurelius Prudentius, qui duos etiam concinnavit Hymnos, & alterum quidem ante cibum, post cibum vero alterum. Sed proh dolor! scimus, hodie loco benedictionis mensæ ante cibum, & gratiarum actionis post cibum, sermones scurriles, lascivos, superfluosque misceri, ac illos etiam, quibus proximorum fama lædatur. Laudandus plane vel ex hoc capite S. Augustinus, qui, ut testatur in ejus Vita Possidius ejusdem S. Episcopi Discipulus, Cap. XXII. contra pestilentiam hu-

manæ hujus consuetudinis, quam jure, ac merito carpit, in mensa sua ita scriptum habebat.

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,*
*Hanc mensam indignam noverit esse sibi.*

Addit mox etiam Possidius, quod & quosdam suos familiarissimos Episcopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit Augustinus, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Atque hæc sunt, quæ operæ pretium duxi adnotare in Rubricam prædicti Capitis XIII. quod inscriptum est, *Benedictio esculentorum præsertim in Pascha*.

# CAPUT XIV.

## *Benedictio Agni Paschalis.*

I. Pervetusta est apud Christianos, habeturque in antiquissimo Romano Ordine, *Benedictio Agni in Pascha*, ut de illius scilicet carnibus in die ipso Paschæ Fideles cum gaudio comedant; ad repræsentandum, quod Deus per Moysen jussit comedi Agnum in memoriam exitus, & liberationis Populi Israelitici de Ægypto, & liberati a morte per signum, seu notam sanguinis Agni; *in figuram*, nempe, *Jesu Christi, cujus Sanguine omnia primogenita sibi de mundo redemit, & Angelo in nocte illa omnia primogenita in Ægypto percutiente, populum suum servavit Agni sanguine prænotatum*, uti inter alios notavit Durandus, Lib. VI. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. LXXXVI. num. 8. Benedicitur præterea, & manducatur Agnus in Pascha, ut alii observant, ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, seu Agni Eucharistici a Christo instituti, & per Agnum legalem præfigurati; quod ipse Christus declaravit, dum instituit hoc Sacramentum immediate post Cœnam Agni legalis, & typici, dans finem figuris, & principium veritati, seu rei figuratæ. Rursus, quum Agnus sit typus innocentiæ, & symbolum prædestinatorum, uti habetur Matthæi Capite XXV. *Statuet Agnos a dextris &c.* jam merito Ecclesia Agnum benedicit in Pascha, ut Fideles de illo manducent, eodem die; quando scilicet, impleto Præcepto Confessionis, & Communionis, innocentiam sunt adepti; atque ut prædestinati aspirent ad æternam gloriam in Pascha, quando Christus Dominus æternitatis nobis aditum devicta morte reseravit.

II. Hinc mirum videri debet, quod cum Benedictio Agni Paschalis venerabili antiquitate, ac mysteriis innixa sit, probataque perpetuo Ecclesiæ usu, eam tamen tanquam superstitiosam improbarit Walfridus in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. XVIII. ubi sic loquitur: *Unde quorumdam simplicium error de Judaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra hæc usque tempora quædam vetustatis extendens vestigia, jam ex magna parte sapientum studio compressus est. Et sicubi adhuc perniciosum hujus pestis germen reviviscere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum. Illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Pascha juxta, vel sub Altari eas ponentes, Benedictione propria consecrabant, & in ipsa Resurrectionis die ante cæteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant. Cujus Benedictionis series adhuc a multis habetur. Quod quam sit supervacuum, & a Sacramentis Christianæ perfectionis abhorrens, facile perspicit, qui veraciter intelligit, quod Pascha nostrum immolatus est Christus, & vult epulari non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. Verba sane sunt ista paulo duriora, quæ ab errore an possint eximi, facile non videre se ait merito Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXV. n. XXIV. Quid enim superstitiosius in Agni, quam in casei, lactis, & mellis Benedictione, quæ pariter fiebat olim in Paschate, aliorumque comestibilium, quam a priscis sæculis ad hæc usque tem pora, nec sine devotionis sensu, nec sine fructu, Ecclesia usurpat?

III. At vero Walfridi opinioni locum præbere potuerunt objecta Græcorum, qui, teste Ænea Parisiensi Episcopo in Libro adversus Græcos, Tomo VII. Spicilegii Dacheriani, jamdudum nobis Latinis exprobraverunt, *Quare Agnum simul cum Corpore Christi, & Sanguine in Pascha super Altare ponamus, & more Judæorum offeramus, cum nullatenus hæc vel aliquis desipientium unquam crediderit*. Verum, quum isthæc Agni Benedictio seorsim fieret, non ut Agnus ille Deo offerretur, sed ut carnium esus cum Ecclesiæ Benedictione, ob rationes superius explicatas, sumeretur, manifesta est hæc Græcorum adversus Latinos calumnia, de qua merito queritur Nicolaus Papa I. in Epistola sua XVI. sic inquiens: *Quod super Altare una cum Corpore Christi offeratur Agnus tempore Paschatis, est manifesta calumnia*. Et in Epistola LXX. ad Episcopos Galliæ: *Mentiuntur*, inquit, *nos Agnum in Pascha more Judæorum super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicere, & offerre*. Non negat Agni Benedictionem in die Paschatis ex antiquissima consuetudine tum apud Latinos, tum apud Græcos etiam, ut infra dicemus, fieri solitam, sed eam refellit calumniam a Græcis schismaticis Latinæ Ecclesiæ impositam, quod nempe Agnum in Paschate ritu Judaico super Altare cum Dominico Corpore benedicere solita esset, & offerre. Fuit hic quidem Armeniorum error sacrificandi Agnum in Paschate, quem latius exponit, confutatque S. Nicon Monachus in Libro, quem de pessima ipsorum religione edidit: *Armenii*, inquit, *omnia fere, quæ sunt abolita, Legalia adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico, idest, die Paschatis, sacrificant, & limina inungunt, & ejus ossa comburentes, servant cinerem cum sanguine in signum expiationis, & velum ante Altare statuunt, & tintinnabula ipsi, vel Altari appendunt*. Idipsum refert Nicephorus, Libro XVIII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. LIII. Porro Agni Paschalis, atque aliarum item carnium Benedictionem, uti & plures ritus alios, laudatam in pervetusto Romano Ordine, a S. Gregorio, & ab Apostolica Sede acceperunt quidem Armenii; errorem autem istum, seu Judaicum de Agno abusum a Jacobitis, sive etiam forte a quibusdam ignorantibus Latinis, in quos in-

invehitur memoratus Walfridus recitato a nobis superius loco, num. II.

IV. Quicquid sit de Armeniorum abusu, & de Græcorum schismaticorum calumnia adversus Latinos, antiquum Ecclesiæ morem benedicendi Agnum in Paschate, ut ex eo Fideles vescantur, commendat etiam vetus Missa ex ms. Ratoldi Abbatis Corbejensis Codice ab Hugone Menardo edita in suis Notis ad Librum Sacramentorum S.Gregorii Papæ, ubi intra Canonem, antequam dicatur, *Per quem hæc omnia*, legitur *Benedictio carnis*, quæ etiam occurrit in Ordine antiquo Romano apud Hitorpium, incipitque: *Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis ejus &c.* vigebatque adhuc anno Christi MCCCLXXXVII. quo renovatæ sunt mss. Consuetudines Canonicorum Regularium Cassanensis Monasterii, in quibus hæc se legisse ait Martene loco citato: *Ad Missam cum venerit celebrans ad hæc verba*, in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria, *benedicat Agnum Paschalem, qui coctus in aliquo pulchro loco, ad Altare portetur*. Legitur tandem & ipsa Agni Benedictio in Pascha in Missalibus passim Romanis, & in hodierno Rituali, ideoque nec Græcorum schismaticorum objecta, nec censura Walfridi tanti ponderis extiterunt, ut Agni Paschalis Benedictionem dimittere, & abolere posteris Catholicis persuadere potuerint.

V. Neque vero Latini solum, verum etiam Græci piam Christi Agni pro expiandis mundi delictis in Paschate crudeliter occisi memoriam recolentes, ex Agni carnibus Ecclesiæ Benedictione sanctificatis cibum in die ipso Paschatis sacro sumendum in spiritalis lætitiæ argumentum præparant. Extat iccirco in eorum Euchologio a Viro Clarissimo Jacobo Goar edito peculiaris Benedictio, quæ inscribitur: *Oratio ad benedicendum carnium escas sancto & magno die Paschæ*. Ubi postquam dictum ter fuerit, *Christus surrexit*; tum vero, *Dominum precemus*, hæc Oratio sequitur: *Respice, Domine Jesu Christe, hæc carnium edulia; & velut Agnum a fideli Abraham tibi oblatum, vel Abel holocaustum, vel etiam vitulum saginatum ob filium errantem, deinde reducem, occidi jussisti; ut sicut ille tua gratia perfrui dignus fuit, ita his in nutrimentum nostrum a te sanctificatis, & benedictis perfruamur. Tu enim es verus cibus, & omnium bonorum largitor; & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Extat quoque in Goarii Euchologio hæc alia Oratio pro Agnum offerentibus: *Domine Deus Patrum nostrorum, qui Abrahæ holocaustum pro Isaac filio ejus suscepisti: ipse, Domine, etiam Agni hujus oblationem suscipe, & offerentes æternis tuis remunera bonis. Gratia Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es in sæcula sæculorum*. Neque solum Agni carnes benedicunt hodie Græci, sicut Latini, sed caseum quoque, & ova, ut constat ex Oratione ad caseum, & ova ipsa benedicenda, his verbis concepta: *Dominator, Domine Deus noster, Creator, & Opifex omnium, lac istud coagulatum, & cum eo pariter ova benedic, & nos in tua benignitate conserva; ut ex iis degustantes, tuis copiose a nobis exhibitis donis, & inexplicata tua bonitate repleamur. Quia tua est potestas, & virtus, & Gloria Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Qui plura in hasce Euchologii Orationes desiderat, legat egregias Notas, quibus ipsas adornavit laudatissimus Jacobus Goar, qui etiam inter alia docet, esse etiam in Fratrum Prædicatorum Collectario ex antiquioribus Ritualibus Libris collecto pro caseo, & ovis simul benedicendis Orationem, atque insuper alias duas pro solis ovis ante quemlibet cibum degustandis. Sed de ovorum Benedictione vide quæ in sequenti Capite, quod inscribitur, *Benedictio ovorum*, nos latius disseremus.



VI. Sed ut Latinæ Ecclesiæ ritus magis magisque explicemus, ex vulgato etiam Romano Ordine, fiebat & in Sabbato Sancto non modo *Benedictio lactis, & mellis*, extra tamen Calicem facta, & seorsim parvulis porrecta, verum etiam Agni Benedictio, aliarumque carnium, ut notat Martene in citato Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap.XXIV. *De Sabbato Sancto*, num. XXXII. ejusque ritus fit mentio in ms. Codice Bibliothecæ Regis Francorum, num. 3865. annorum circiter mille, ubi post alios ritus ea die peragi solitos, sequitur Missa, in qua ante Orationem Dominicam habetur Benedictio super Agnum in Pascha, *Deus universæ carnis &c.* In Missali quoque Mozarabum, ubi agitur de eodem Sabbato Sancto, legitur etiam *Benedictio Agni in Illaria Paschæ*, quæ incipit, *Domine Jesu Christe, qui per Moysen famulum tuum &c.* & longe diversa est ab illa in §. nostro præscripta; qua etiam finita, deinde dicit, *Deo gratias*, tribus vicibus; & post hæc dicit: *In Nomine Domini Jesu Christi sanctificatus hic Agnus permaneat*. Consuevisse etiam fieri Agni Benedictionem in aliis Festis, ac præsertim Viennæ in Gallia in Ascensione Domini, docet Cæremoniale Viennense apud laudatum Martene, Capite XXVIII. num. III. ubi edicitur, ut facto in Processione hujus Festi sermone ad populum, *fiat deinde Benedictio Agni, & aspergatur Aqua benedicta, & thurificetur*.

VII. Quicquid sit de aliis Festis, consuevisse una cum Agno die Paschatis benedici & lardum, non obscure innuit Auctor incertus, qui de Sancti Udalrici Episcopi Augustani prandio in die Paschæ, Cap. IV. apud Gretserum, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XLII. ait, quod, *sanctificato cibo per Benedictionem mensæ, carnes Agni, & particulas lardi inter Missarum solemnia benedicti, omnibus dispensavit, & tunc demum cibum cum eis omni gaudio sumpsit*. Qualis fuerit formula Benedictionis lardi, addiscere licet ex Romano Sacerdotali, ubi inter alia extat Caput inscriptum, *De Benedictione lardi*, quæ quidem unica Oratione continetur, eademque est, ac illa, quæ legitur infra, Capite XIX. diciturque, *Benedictio ad quodcumque comestibile*. Porro Danæus Calvinista hanc Benedictionem lardi semper in ore gerit, ut merito suspicatus sit doctissimus Gretserus citato loco, Capite XLVIII. illum lardo admodum delectatum fuisse. Irrident & hanc Benedictionem, sicut & alias multas hæretici Protestantes, qui tamen omnes satis confutantur celeberrimo illo in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. testimonio, omnem creaturam per verbum Dei, & orationem sanctificari. Si omnem. Cur non & lardum? An non & ipsum creatura Dei? Vide supra in præfatione ad Rubricam Capitis XIII. ubi memoratum Apostoli locum late exposuimus.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

*Deus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Ægypto Agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosque postes domorum de sanguine ejusdem Agni perungi præcepisti; tu benedicere ✠, & sanctificare ✠ digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*. Et mox aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. EXtat in antiquo Romano Ordine apud Hitorpium ritus ad benedicendum Agnum in Paschate, quem nos etiam descripsimus Tomo II. Commentariorum ad Concilia Oecumenica, in Commentario ad Canonem xcix. Trullanum, num. iv. *Post celebratam*, inquit, *Dominicæ Sanctæ Paschæ solemnitatem, post etiam transactos jejuniorum dies, jam animabus spiritualibus dapibus refectis, de mensa tuæ Majestatis offerimus famuli tui pro fragilitate corpusculi aliquantulum reparandi, hanc usui nostro concessam creaturam Agni; poscentes, ut eum ore proprio nobis signantibus benedicas, & omnibus ex eo sumentibus ministrata munuscula, grata effici præstes; atque his cum gratiarum actione perceptis, te Deum, qui es cibus vitæ, & animæ nostræ, magis, & inhianter desideremus, & indefesse fruamur*. Quamquam vero ex nostri Romani Ritualis præscripto Benedictio Agni, & carnium in Paschate, unica dumtaxat Oratione contineatur, duas tamen exhibet, & quidem antiquas Sacerdotale editum anno Christi MDLXVII. quarum prior est hujusmodi: *Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus, & immaculatus Agnus, quique immaculatus in Ara Crucis peccata mundi delesti, & nos ad ovile propriis humeris reportasti; has carnes Agni, quas ad usus hominum creasti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris, ut omnes ex eis sumentes, se sentiant tuis beneficiis repletos, & corporis, & animæ sanitatem, te annuente, se percepisse lætentur, Salvator Mundi. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*.

II. Sequitur mox alia Oratio, quæ prolixior est, & antiquissima, legiturque paucis immutatis, in pervetustis Ritualibus Libris, ac præsertim in ms. Codice Bibliothecæ Regis Francorum, num. 3865. annorum circiter mille, his verbis concepta: *Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis suis de mundis, & immundis animalibus præcepta dedisti; quique, sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permisisti, qui Agnum in Ægypto Moysi, & populo tuo in Vigilia Paschæ comedere præcepisti in figuram Agni Domini nostri Jesu Christi, cujus Sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti; & Angelo in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti, servans populum tuum Agni sanguine prænotatum: dignare, quæsumus, Domine, Deus Omnipotens, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare has ovium, Agnorum, hædorum, avium, & quorumcumque mundorum animalium carnes, ut quicumque de tuis Fidelibus ex eis comederint, omni benedictione cælesti, & tua perenni repleti gratia satientur. Per eundem Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Addit mox, aspergendas carnes Aqua benedicta.

III. Observatum in aliis locis hunc morem commendat vetus Missa e ms. antiquo Ratoldi Abbatis Corbejensis Codice ab Hugone Menardo edita in suis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ Notis, ubi infra Canonem, antequam dicatur, *Per quem omnia &c.* legitur Benedictio carnis, *Deus universæ carnis, qui Noe &c.* eademque in antiquo Romano Ordine vulgato ab Hitorpio occurrit; simulque duas alias Collectarium Fratrum Ordinis Prædicatorum juxta ritus Ecclesiarum antiquissimarum Apostolico nutu editum exhibet, uti observat, docetque Jacobus Goar in suis ad Euchologium Notis, ubi exponit Orationem, qua benedicuntur edulia carnium in sancta, & magna Dominica Paschæ, pag. 567. editionis Venetæ. Cæterum tametsi in recitata Oratione, *Deus universæ carnis &c.* non solius Agni, sed aliarum carnium mentio fiat, generatim tamen, & ex nostri Ritualis, & Missalis Romani præscripto, materia hujusce Benedictionis est quidem solus Agnus igne assus, forma vero est Oratio cum aspersione Aquæ benedictæ ibidem notata. Minister quilibet Sacerdos; causa autem finalis, incolumitas Fidelium, & mysteriorum repræsentatio, quæ supra explicuimus in nostra ad Capitis hujus Rubricam Præfatione.

IV. Lubet ad hujus tandem Commentarii calcem ritum notare, quo Agnus assus benedictus daretur olim a Papa in convivio Paschali, ex testimonio Romani Ordinis xi. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, num. 48. ubi sic inquit: *Finita Missa, coronatur*, Papa scilicet, *& cum Processione redit ad Palatium. Judices autem ducunt eum illo die in Basilicam magnam Leonianam in Camera, ubi sunt præparata xi. scamna, & unum subsellium circa mensam Domini Pontificis, & lectus ejus bene præparatus in figura xij. Apostolorum circa mensam Christi, quando comederunt Pascha. Ibi jacent in cubitis quinque Cardinales, & quinque Diaconi, & Primicerius ad prandium, dato prius Presbyterio in Camera cum manibus, sicut in die Natalis Domini. Surgit inde, & venit ad locum, qui dicitur Cubitorum, ubi Agnus assus benedicitur, quem benedicit, & redit ad præparatum lectum mensæ. Prior Basilicarius sedet in subsellio ante lectum. Tunc Dominus Pontifex tollit parum de Agno, & prius porrigit Priori Basilicario, dicens:* Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem; *& mittit in os ejus,*

*ejus, qui accipit, & comedit. Reliquum Agni dat xi. discumbentibus, & aliis, quibus placet, & sic omnes comedunt &c.* Similia habet Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, exaratus labente Sæculo XII. Capite XV. quod inscriptum est, *Quid Dominus Papa facere debet in die Paschæ*, num. 35. ubi tamen dicitur Agnus assus benedictus fuisse *a juniori Presbytero Cardinali*.

V. Sed ut & de ritu Græcorum hic aliquid notemus, extat in Euchologio, seu Rituali Græcorum, *Oratio ad benedicendas carnium escas sancto, & magno die Paschæ*, ubi Sacerdos præmittit benedictionem, cujus verba attulimus supra in Præfatione ad Capitis hujus Rubricam, num. V. ubi multa scitu digna invenies. Vide & Commentarium nostrum in Canonem XCIX. Trullanum nostro Tomo II. Commentariorum in Concilia Oecumenica, ubi agitur de carnibus Armenio more non coquendis in Altari, eorumque parte Sacerdoti non offerenda.

# CAPUT XV.

## *Benedictio Ovorum.*

I. AB Ovis cum Caseo benedicendis non abstinuisse quondam Ecclesiam Romanam; quin & Ova, & Caseum, præmissa Benedictione, Summum Pontificem, & cæteros Romanos, ita testante antiquo Romano Ordine, Sabbati Sancti Vespere, quo solemnitas Paschalis, aut præveniebatur, aut incipiebat, delibasse, notavit jam eruditus Goar in Notis ad Orationem ad Caseum, & Ova benedicenda, quæ in Euchologio legitur, pag. 568. editionis Venetæ; ubi etiam monet, morem ipsum delibandi scilicet Vespere ipso Sabbati Sancti Caseum, & Ova, merito ab utraque Ecclesia in Armenis condemnari, *quod Sabbato Sancto Christum resurrexisse affirment*. Quicquid autem de ea re sit, antiqua est proculdubio Benedictio Ovorum in Pascha, extantque in Dominicanorum Collectario ex antiquioribus Ritualibus collecto duæ pro solis Ovis ante quemlibet cibum degustandis Orationes, præter illam pro Caseo simul & Ovis benedicendis. In Sacerdotali edito anno MDLXVII. unica tantum extat ad benedicenda ipsa Ova, sicut & unica in nostro Rituali Romano, sed diversa tamen nonnihil ab illa, quæ in citato Sacerdotali habetur.

II. Quod spectat hujus Benedictionis Ministrum, illud certum est, posse eam peragi a quocumque Sacerdote, sive sæculari, sive Regulari, perperamque nonnullos Parochos conatos fuisse functionem ipsam benedicendi Ova in Paschate ad jus Parochiale pertrahere. Hinc proposito initio hujus Sæculi Dubio in Sacra Rituum Congregatione, *An Capellanus Confraternitatis possit benedicere Ova tempore Paschali in Sacristia ejusdem Confraternitatis?* Respondit eadem Sacra Congregatio X. Decembris MDCCIII. *istam functionem non esse mere Parochialem, nec spectare privative ad Parochum, fieri proinde posse a Capellanis Confraternitatum, quidquid antiquitus disputaverint Doctores*. Quam Responsionem per viam Legis sequuta est postmodum Sacra Rota Romana in celebri Decisione cujusdam Causæ Neapolitanæ Jurium Parochialium XIII. Martii MDCCXI. per totam coram Ansaldo. Ubi nervose probat, & hanc regulam solide firmat, quod ubi non agitur de functionibus mere Parochialibus, cætera de Jure permittuntur aliis Regularibus, & Capellanis, uti videre est apud Ursayam Tomo I. Disceptationum Canonicarum, Parte II. Disceptatione XVI. num. 129. & 130. Qui etiam Parte II. Disceptatione XVIII. num. 5. docet Resolutiones Sacrarum Congregationum, uti Papales Leges esse servandas.

III. A Ministro transeo nunc ad materiam hujus Benedictionis, quæ quidem sunt Ova præsertim gallinarum, ut ait, probatque variis mysticis rationibus Paulus Maria Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Tit. III. Sectione IV. Præludio I. & II. Nec refert, si Ova ista sint cruda, vel cocta, decorticata, vel cum cortice, aliquo tincta colore, vel sine colore ullo; nam benedici omnino possunt, quia scilicet hæc accidentia non mutant substantiam, uti post laudatum Quarti notavit Barrufaldus in suo ad Rubricam hujus Capitis Commentario. Porro cavendum omnino Sacerdoti est, ne & Ova illa benedicat, quæ in foris venalia exponi solent pueris adolescentibusque immorigeris ad ludendum, dum unum cum alio leviter percutiunt, ut scilicet ille, cujus Ovum rumpitur, perdat.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

*Subveniat, quæsumus, Domine tuæ Benedictionis* ✠ *gratia huic Ovorum creaturæ, ut cibus salubris fiat Fidelibus tuis, in gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*.
Et aspergat Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. ECce hic Oratio, quam habet laudatum superius Sacerdotale in Benedictione Ovorum in Paschate: *Subveniat, quæsumus, Domine, tuæ bene* ✠ *dictionis gratia huic Ovorum creaturæ, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es, ut cibus salubris fiat tuis Fidelibus in tuarum gratiarum actione sumentibus. Per Christum Dominum nostrum*. Porro ea verba, *de qua pullos gallinarum procreare dignatus es*, desunt in recitata Oratione a nostro Rituali præ-

præscripta; in qua tamen ea in fine verba habentur; *ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi*, quæ in Oratione Sacerdotalis desiderantur. Ergo cum Ova, teste S. Augustino, Sermone XXIX. *De verbis Domini*, sint symbolum spei, siquidem ex illis producuntur pulli, quorum semen Ova continent, hinc per eam Benedictionem Ovorum, quæ fit in Pascha, idest in Festo Resurrectionis Christi, erigimur in spem futuræ nostræ resurrectionis in gloriam, ob quem finem, ut nunc de aliis sileamus, Christus Dominus præcipue resurrexit, ut probat S. Thomas Parte III. Quæstione LIII. Articulo I. his verbis: *Necessarium fuit, Christum resurgere ad sublevationem nostræ spei, quia dum videmus, Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus, & nos resurrecturos; unde dicitur 1. Corinth. Cap. 15.* Si Christus prædicatur, quod resurrexit, quomodo quidam dicunt, quod resurrectio mortuorum non est.

II. Præter hoc mysterium, documentumque, quod ex Ovorum Benedictione erui potest ad Fidelium instructionem, sunt & alia, quæ post Aresium eruditissimum Ordinis Clericorum Scriptorem notavit Paulus Maria Quarti ejusdem Ordinis Alumnus in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione IV. Præludio II. Benedicuntur Ova præsertim in Pascha, ut virtute Benedictionis ex cibis hisce corporalibus verbo Dei sanctificatis excitemur ad desiderium, ac famem ciborum spiritualium animæ. Cum autem inter illos corporales cibos præcipuum locum sibi vendicent Ova, quia scilicet sunt optimi nutrimenti, consequenter hac peculiari Ovorum Benedictione ab Ecclesia instituta monemur, in Pascha, & Paschali tempore (quando nempe renovati per gratiam ob recepta Sacramenta Confessionis, & Communionis, animæ nostræ sunt melius dispositæ) nos delectari debere pinguedine spiritus, & vacare Christianarum virtutum actibus, ac frequentiæ Sacramenti Eucharistiæ, cujus Ova, ut mox dicemus, sunt typus, & figura. Unde Apostolus in Epistola 1. ad Corinthios Cap. 1. scribit: *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

III. Recte autem & illud docet Aresius a Quarti loco citato laudatus, benedici Ova in Pascha ob quandam proportionem typicam, quam habere videntur cum Sacramento Eucharistiæ, quod antiqua Ecclesiæ disciplina, & Præcepto sumi debet in Pascha. Sicut enim sub cortice Ovi continetur optimum corporis nutrimentum, ita sub Eucharistiæ speciebus continetur Caro Christi per modum cibi, & animæ nutrimenti. Item sicut intra Ovum quædam pars alimenti est alba, & candida, quædam autem rubea, & sanguinea; sic & in Eucharistia continetur Caro Christi candida, & purissima, & Sanguis ejusdem Christi pretiosissimus; de qua proportione fusius differit memoratus Aresius; qui etiam hoc aliud documentum eruit ex ipsa Ovorum Benedictione in Pascha. Ait enim, benedici illa in Pascha præsertim, & abjectis corticibus, eorum medulla nutriri Fideles, ad significandum, quod abjecto cortice literæ Sacrificiorum, & Cæremoniarum veteris Legis, reficiuntur medulla veritatis, quæ sub illis figuris veluti corticibus latitabat. Præsertim vero id fieri, ait in Paschate Resurrectionis Christi, quia per ipsam Resurrectionem completo opere Redemptionis; cessarunt figuræ veteris Legis, & veluti rupti fuerunt cortices literæ Sacrarum Scripturarum, & manifestatus fuit verus illarum sensus, quo per Fidem nutriuntur Fideles. Sed de his, aliisque Ovorum prærogativis, mysticisque significationibus plura legi possunt apud prædictum Aresium in Sacris Emblematibus, vulgo, *Imprese sacre*, Tomo I. Lib. II. Emblemate 5.

IV. Plura & de mysteriis Benedictionis Ovorum legi possunt apud Stengelium in Libro, cui Titulus, *Ova Paschalia*, Emblemate XII. & seqq. ubi de Christi virtutibus Ovo expressis multa addensat. Ovi imagine Incarnati Verbi Mysterium pluribus exponit Rupertus, Lib. IX. *De Processione Spiritus Sancti*, Cap. VI. & Lib. VII. in Matthæum excurrens in illud Lucæ Cap. XI. *Si petierit Ovum, numquid porriget illi scorpionem*, ubi ita ratiocinatur: *De hoc dicere delectat, quia Sancti omnes antiqui, sicut panem Verbi Dei, & sicut piscem, idest, Christum petebant, & quærebant, ita & Ovum a Patre misericordiarum desideratissime postulabant, & Prophetica Oracula sine dubio dandum confirmabant. Quod, vel quale Ovum? Illud nimirum, cui Spiritus Sanctus obumbrare dignaretur, superveniens in illud in modum volucris Ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat, & sic factum est*: Spiritus Sanctus, *o Beata Virgo Maria*, supervenit in te, & virtus Altissimi obumbravit tibi, *& ita concepisti, & peperisti Filium volucrem, idest, non terrenum, sed cælestem; non carnalem, sed spiritualem, quamvis veram Carnem, & terrenum Corpus habentem. Hujusmodi Ovum petebant sine dubio priores Filii, maxime qui non solam Fidem, verum etiam prophetiam habebant tanti Sacramenti, exempli gratia, qui luctabatur cum viro usque mane*, Nec dimittam te, *ait*, nisi benedixeris mihi; *sine dubio Benedictione illa, ut de stirpe mea fiat illud novum, ut obumbrante Spiritu Sancto, femina circumdet virum.*

V. Minus mira videbitur hæc Incarnationis per Ovum adumbratio, si cogitemus, quam multis gravidum mysteriis habitum sit Ovum apud antiquos; & merito quod Puteanus integra Dissertatione, *De Ovi encomio*, est prosecutus, & inter alios eruditissimus Raynaudus Tomo VII. Operum, cui titulus, *Marialia*, in O Parasceuasticum septiduanis Antiphonis majoribus Natale Christi antecurrentibus præfixum, Puncto VII. §. VIII. quem inscripsit, *Ovum*, num. XVI. & seqq. inter alia num. XXII. observans, non absurde pronuntiasse Rupertum, per Ovum adumbrari Mysterium Incarnationis. Ut enim scite ratiocinatur, si Apostoli, ut S. Gregorius annotavit Lib. III. Moralium, Cap. XVI. Ovis comparati sunt, quia Ovum est symbolum spei juxta doctrinam S. Augustini in Sermone XXIX. de tempore; Sancti autem Apostoli in hoc mundo despecti, atque humiles, sperare gloriam post hanc vitam docuerunt, jacuereque in terris, ut Ova sine vita, cum tamen lateret in eis unde viverent, & sublevati spei pennis ad cælestia volarent. Si, inquam, Ovis eam ob causam comparati sunt Apostoli, multo potiore jure ea analogia in Christum cadit, qui est pignus spei nostræ, & hic inglorius jacuit quasi absque vita, cum tamen fuerit semen vitæ æternæ omnibus sperantibus in ipsum. Nec deficiet analogia, si

Ovum,

Ovum, ut mortalitatis symbolum spectare placeat, quia rotundum est, & huc illucque volvitur, quæ causa est, cur Judæi, referente Buxtorfio in Synagoga Judaica, Cap. xxxv. ad cognatos demortui Ova missitarent, eo munere commonentes, mortem non secus, ac Ovum facile convolvi, & ab uno ad alium transire. Hæc analogia in Verbum carne vestitum, & morti in carne nostra factum obnoxium aperte cadit. Et quod ejusdem Operis Capite xxxvi. legitur in Elia Levita in Dictionario suo *Tubi*, de Ovo ejecto e nido, cujus lapsu cedri trecentæ amplissimæ confractæ, pagi item sexaginta ad Ovi confractionem sint submersi, haud ægre ad stragem satanæ rebus, Christi Domini morte illatam accommodetur.

VI. Porro invaluit mos variis in locis, ut pueri præsertim, adolescentesque, summo mane Festi Paschatis, quod vulgo etiam Ovorum Pascha appellant, Missam audiant, Ovoque benedicto vescantur, atque huc fortasse referri potest, quod ajunt antiquæ Floriacensis Monasterii Consuetudines apud Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. xvi. num. 15. quod *ad Missam matutinalem debent pueri communicari, & cæteri, qui voluerint*, ut nimirum aliquid indigentes prægustare valerent; unde consequenter subjungunt: *Expleta Missa, illico pueri reficiuntur, & a Cellario singuli duo Ova suscipiunt*. Par credere est, fuisse Ova ipsa prius benedicta; nam ut ait Durandus Lib. vi. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. lxxxvi. quod inscriptum est, *De sancto die Pascha*, num. 7. *in hac sancta die nihil, quod a Sacerdote non sit benedictum, comedere debemus, quia inimicus noster tunc nos magis satagit supplantare*. Idipsum ante Durandum juxta sui temporis morem tradidit Joannes Belethus, qui claruit Sæculo xii. in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. cxviii. ubi etiam, postquam dixit, quod suo ævo in quibusdam regionibus pro more positum erat, ut in magno vase omnia, quæ vellent eo die comedere fercula ad Ecclesiam deferrent, in cujus atrio, & vestibulo a Sacerdote cum Cruce, & Aqua lustrali, quam benedictam dicimus, in sacris vestibus benedicerentur, ita statim subjicit: *Postea vero Sacerdos aliquid de singulis ad suam necessitatem sumit*. Atque hinc forte repeti potest abusus ille quorundam Clericorum nostri ævi, qui ex singulis lancibus Ovorum, quæ ad Ecclesiam, ut benedicantur, deferuntur, unum, vel duo post Benedictionem, etiam violenter arripiunt, sibique appropiant. Quod tamen in nostra Ecclesia S.Hieronymi Charitatis, sicut in aliis bene administratis, nunquam fuit permissum.

VII. Quoniam de antiquis Monachorum ritibus mentionem fecimus, ac de Ovis, quæ mane Paschatis pueris post Missam matutinalem ad manducandum dabantur, referendum hoc loco & illud censemus, consuevisse apud ipsos Monachos in Quinquagesima Ova, & Caseum dimitti, uti de Cluniacensibus testatur Udalricus, Libro I. Cap. xlix. *In Quinquagesima*, inquit, *quia de cætero nec Caseum, nec Ova comedimus, post Vesperos ad cœnam de ipsis Ovis coctis in pipere habemus generale, quod toto anno amplius non contingit, ut aliud quid ex vice habeamus præter solum panem; & si forte sunt in promptu cruda poma, vel ea, quæ in ferramento caracterato de aspersione farinæ tenuissime fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ nebulæ, a nostratibus appellantur oblatæ*. Simile aliquid extat in antiquo Corbejensi Ordinario, & in Libro Consuetudinum S. Benigni Divionensis, ex quibus octo Ova duobus Monachis apponi debebant, & pittantia de pane cocis ministrari, teste Martene in citato Opere, Lib. III. Cap. viii. num. 11. in fine.

VIII. Quamquam vero ea fuerit Monachorum consuetudo, ut in Quinquagesima Ova, Caseumque dimitterent, Christianique omnes per totam Quadragesimam illis abstineant, negari tamen non potest, quin Sæculo vii. alicubi saltem, dictorum ciborum usus fuerit permissus. Certe S. Cedda in Anglia Episcopus, teste Beda, Libro III. Historiæ, Cap. xxiii. *Quadragesimæ diebus, excepta Dominica, jejunium ad Vesperam juxta morem protelans, nec tunc, nisi panis permodicum, & unum Ovum gallinaceum cum parvo lacte aqua mixto percipiebat*. Unde non mirum videri debet, si Sæculo ix. quibusdam Germaniæ, Galliarumve populis idem concessum legamus, ut nempe Ovis, & lacticiniis in Quadragesima vescerentur, tametsi apud plerosque antiquus abstinentiæ ab ipsis cibis rigor saltem aliqua ex parte adhuc perseveraret, ut ait Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. xviii. num. ix. Quidquid autem sit de variis regionum moribus, privilegiisve in comedendis Ovis, ac lacticiniis in Quadragesima, certum est, esum eorum in Quadragesima ipsa esse prohibita, uti constat ex Canone, *Denique*, Distinctione iv. atque ex praxi totius Ecclesiæ, quibus inhærens Alexander Papa VII. in Decreto edito Feria v. die xxiii. Martii MDCLXVI. quibus varias laxas Casuistarum propositiones damnavit, & hanc num. xxxii. confixit: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi Ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*. Sed hæc obiter dicta sint, de quibus latius differit laudatus superius Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Tit. III. Sectione iv. *De Benedictione Ovorum*, ubi recenset, explicatque doctrinam moralem, & dubia conscientiæ de licito, & illicito Ovorum usu.

## C A P U T XVI.

### *Benedictio Panis.*

I. ANtequam de origine, ac virtute Benedictionis Panis dicam, præmittendum censeo, quod alias observavit Barrufaldus ad Rubricam hujus Capitis, duas esse Benedictiones Panis præscriptas ab Ecclesia in Rituali Romano. Prima videtur, quod instituta sit, ut adhibeatur tempore Paschali, ut apparet ex verbis ipsius Orationis in hac prima Benedictione Panis præscriptæ, in qua occurrunt ea verba, *Panis Angelorum*, *Panis vivus æternæ vitæ*. Quia nimirum tempore Paschali omnibus Fidelibus distribuitur cibus Eucharisticus, qui vere est Panis vivus vitæ æternæ, & Panis Angelorum, ut testatus est ipsemet Christus Dominus in Evan-

Evangelio Joannis, Cap. VI. & Catholica Ecclesia in Officio Corporis Christi, & in administratione hujus Sacramenti. Altera vero Panis Benedictio præscripta in sequenti Capite XVII. instituta videtur, ut alio scilicet a Paschali tempore adhibeatur.

II. Quicquid sit de hac opinione, Panis Benedictio quocumque tempore fieri potest, sive ille triticeus sit, sive ex alio grano; scimus enim Christum Dominum benedixisse quinque Panes hordeaceos, ut constat ex Evangelio Joannis, Cap. VI. Sed neque præscriptum habemus, quod Panis benedicendus debeat esse talis, vel talis formæ, modo talis sit, qualis communiter in prandio, ac cœna, cum omnibus fere obsoniis adhibetur, ac usitatur. Quamobrem minime adhæreo Barrufaldi asserto, qui ait, Benedictionem ipsam Panis, de qua in præsenti loquitur, adhiberi etiam posse cum illo Pane, qui cum sacchario, vel alia re sit conditus; puto enim, in hujusmodi Pane benedicendo adhibendam potius esse illam Benedictionis formulam, quam Rituale nostrum Romanum ad quodcumque comestibile præscripsit infra, Capite XIX. ad ea scilicet comestibilia, quæ speciali benedictionis formula ab eodem Romano Rituali præscripta careant.

III. His præmissis, ut ea, quæ præsentis Capitis sunt, enarremus, Panis Benedictio originem trahit a Christo Domino, quem non uno in loco Evangelium tradit Panem benedixisse, atque distribuisse. Sic Marci Capite VI. ubi refertur miraculum multiplicationis quinque Panum, & duorum piscium, quibus quinque millia virorum satiavit: *Et acceptis*, inquit, *quinque Panibus, & duobus piscibus, intuens in Cælum, benedixit, & fregit, & dedit Discipulis suis &c.* Idem dicitur Lucæ Capite IX. Versu XVI. & apud eundem Lucam Capite XXIV. post resurrectionem, dum recumberet cum duobus Discipulis, quibus apparuit, *accepit Panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. Hinc non mirum, si Apostoli, & Patres hunc deinde ritum a Christo institutum benedicendi Panem servarint; & si S.Petrus, uti refert Abdias, Lib. I. Certaminis Apostolorum, solitus fuerit Panes benedicere, iisque plures infirmos a variis morbis oppressos liberavit. Innumera fere miracula Pane a Sanctis præsertim Viris, licet hi laici essent, benedicto edita, testantur passim Vitæ Sanctorum apud Surium, & apud Bollandianos; comprobatque vel unicum Sancti Hilarionis exemplum, quanta veneratione hujusmodi Panis a priscis Fidelibus, quinimo ab Episcopis ipsis haberetur, teste S. Hieronymo in ejusdem S. Hilarionis Vita, ubi ita scribit: *Concurrebant Episcopi, & Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges, Matronæ quoque Christianorum, grandis tentatio, & hinc inde ex Urbibus, & agris vulgus ignobile, sed & potentes Viri, & Judices, ut benedictum ab eo Panem, vel Oleum acciperent.*

IV. Consuevisse S. Gregorium Nazianzenum Panes benedicere, & Cruce signare, iisque vel insomnis matrem illius a morbo liberatam fuisse, testatur idem Nazianzenus in Oratione de funere patris sui, ubi sic inter alia inquit: *Visum est ipsi, me quem charissimum habebat (neque enim quemque alium nostrum ne insomnis quidem præferebat) noctu repente supervenientem cum canistro candidissimisque panibus pro meo more benedictis, atque signatis eam aluisse, sicque convaluisse, viresque collegisse. Ac nocturnæ visioni veritas respondebat. Ab eo enim tempore ad se rediit, spemque meliorem concepit, quemadmodum dilucido, & pespicuo argumento declaratum est. Nam cum postero die ad eam matutino ingressus primum solito hilariorem vidissem, deinde hac consueta*, ut se noctu habuisset, ecqua re opus haberet, *percunctatus essem*. Tu me, *respondit illa sane incunctanter, & tranquillo vultu*, nate nutrivisti, ac postea rogas, ecquid valeo? *Simulque nutu mibi ancillæ significabant, ne contradicerem, sed promptu responsum hoc acciperem, ne, patefacta rei veritate, mœrore frangeretur.* Complura miracula Pane benedicto a Sanctis Viris, non modo Sacerdotibus, sed & laicis patrata, quæ sparsim leguntur in memoratis Vitis Sanctorum, videri possunt in unum collecta apud eruditum Gretserum in celebri Tractatu, *De Benedictionibus*.

V. Porro duas potissimum ob causas videtur instituisse Ecclesia ritum Panis benedicendi, post datam præsertim Ecclesiæ pacem. Prima est, ut benedictus Panis ipse in diebus Dominicis post Missam, & populo distributus, esset symbolum unionis Fidelium cum Christo, fraternæque communicationis in Fide, & charitate. Cum enim Christiani omnes simul unum corpus efficere debeant, nullumque expressius reperiri symbolum queat, quam Panis, qui ex multis granis simul confusis, molaque comminutis, & in pulverem redactis conficitur, ideo ad eam unionem, communicationemque Fidelium inter se significandam, instituta fuit ipsa Benedictio Panis, ac ejus distributio Fidelibus ipsis in Ecclesia, diebus potissimum Festis ad Missarum solemnia unitis. Atque huc spectat, quod scribit Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. X. Versu XVII. *Quoniam unus Panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus*. Cæterum vocari ipsum Panem benedictum Eulogiam, quæ benedictionem significat, eruditi Scriptores docent, variaque scitu digna de Eulogiis notavit inter alios eruditus Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Eulogia*.

VI. Neque vero in Ecclesia solum distribui solitæ fuerunt Eulogiæ Fidelibus, qui aderant Missæ, verum etiam privatim illas Episcopi, ac Ptesbyteri quarto etiam Christi Sæculo ultro citroque dabant, accipiebantque, in signum prædictæ unitatis, communicationisque, Benedictione consecratas, quæ etiam utplurimum Panes benedicti ab iisdem appellabantur, mittique solebant cum Literis salutatoriis, quarum formulam exhibet Marculfus, Lib. II. Formula XLII. XLIII. & XLIV. Testem ejus moris habemus quidem S. Paulinum in Epistola III. ad Alypium Episcopum juxta editionem a Clarissimo Muratorio adornatam, ubi ita scribit: *Panem unum Sanctitati tuæ, unitatis gratia, misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc Panem Eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.* Forte quia trifidus erat hic Panis, dicit Paulinus, contentam in eo fuisse Trinitatis soliditatem juxta laudati Muratorii conjecturam in ejusdem S. Paulini Vita, Capite XXIII. num. I. in fine. In Epistola quoque V. ita de eadem re scribit: *Panem Campanum de cellula nostra tibi pro Eulogia misimus, tantum meritis in Domino tuis freti, ut plena ad te perferendum sui gratia crederemus;*

*mus*; *tu licet uberioribus micis a Domini mensa jam saturatus sis, dignare & a peccatoribus acceptum in Nomine Domini Panem in Eulogiam vertere*. Rursus cum idem Paulinus Panes quinque ad Romanianum mitteret, ita ad eum scripsit in Epistola VII. *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, Panes quinque tibi pariter, & filio nostro Licentio misimus; non enim potuimus a Benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus adnectere*. Tandem, ut alios Patres omittam, S. Augustinus in Epistola XXXI. alias XXXIV. ad Paulinum, misit & ad eum Panem, sic scribens: *Panis, quem misimus, uberior Benedictio fiat dilectione accipientis vestræ benignitatis*.

VII. Sed ut paulo fusius de Eulogiis illis dicamus, seu de Pane benedicto, qui Fidelibus distribuebatur in Ecclesia, in signum, ut dictum est, unitatis, desumebatur ille ex Panibus, quos offerre solebant Fideles ipsi pro consecratione. Tanta enim hujus ritus apud Majores nostros fuit religio, ut, cum sub finem Sæculi VI. celebrata Matisconensis secunda Synodus anno scilicet DLXXXV. deprehendisset, Christianos nonnullos ad Missarum Solemnia accedere, *nullam admoventes hostiam*, decreverit Canone IV. *ut in omnibus Dominicis Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini, ut per has oblationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris justis offerentibus promereantur esse consortes*. Fuse, eruditeque exposuit oblationes istas eruditus Franciscus de Berlendis Clericus Regularis in celeberrimo Opere, *De Oblationibus ad Altare communibus, & peculiaribus*. Quod vero ritum alium spectat sumendi Panem benedictum ex panibus pro Sacrificio oblatis, fuit ille non modo in usu apud Latinos, uti addiscimus ex Decreto, quod quidam Pio I. Papæ tribuunt, ex Concilio Namnetensi, & ex Hincmaro Remensi Archiepiscopo, quorum loca inferius referemus, sed & apud Græcos, ut testatur Cabasilas in expositione Liturgiæ, Capite ultimo: *Deinde & Panem*, inquit, *super quo facta est Oratio, a quo sacram Hostiam Sacerdos abscidit, in partes dividens, distribuit Fidelibus tanquam sanctificatum eo ipso, quod Deo dedicatus, & sacratus sit*. Putant sane Græci, Panem sine Benedictione, ex sola Altaris, cui appositus est, præsentia, & quod Deo oblatus sit, atque ex ejus meditullio, velut e sinu fœcundo hostia fuerit manu Sacerdotis educta, sanctum putari, & Eulogicum, benedictumque evadere.

VIII. At vero omissis Græcis, ad Latinos quod attinet, postquam hodiernæ illæ graciles, & rotundæ Hostiæ pro Sacrificio confici cœperunt, Parochiani, aut unus pro omnibus Panem offerre cœperunt, qui per Parochum benedictus Parochianis inter Missarum solemnia distribuitur, in signum communionis, sive ut tesseram, quam Parochiani a suo Parocho accipiunt, in signum, ut dixi, fraternæ communicationis in fide, & caritate. Cum autem hæc unio, & contesseratio specialiter esse debeat inter Fideles unius Parochiæ, utpote unam quasi Ecclesiam constituentes, etiam hoc unitatis, & charitatis symbolum in solis Ecclesiis Parochialibus sub Missa Parochiali distribuendum est; idque ex Concilio Provinciali Rotomagensi, quod habitum fuit anno MDLXXXI. Titulo IX. num. 23. atque ex praxi complurium Ecclesiarum Galliæ, & Belgii. Cæterum quod hujus Panis oblatio, & acceptio juribus honorificis in Ecclesia annumeretur, ut pluribus docet Franciscus de Roye, Lib. II. *De juribus honorificis in Ecclesia*, Capite XII. ideo Nobiles, aliique honoratiores, in illius præsentatione, & receptione, aliqua prærogativa gaudent, quippe qui Panem ipsum prius illi cæteris offerunt, accipiuntque, ut ita præ cæteris de Ecclesia benemeriti videantur. Id plane asserit Matthias Mareschal in Tractatu Gallice scripto, *De juribus honorificis*, Titulo, *De distributione Panis benedicti*; testaturque, Panem benedictum ordinarie præsentari Toparchis, Nobilibus, Officialibus, aliisque secundum gradus, officiique prærogativam; quantumvis rationi magis consonum videretur, eum distribui primo occurrenti, quemadmodum Sacra Eucharistia distribui solet, cujus hic Panis est quoddam symbolum. Optandum itaque esset, ut ubi est in usu Panis benedicti oblatio, & distributio, quemadmodum etiam monet prædictus Roye loco citato, Nobiles ipsi, aliique, tum in offerendo, tum in recipiendo hujusmodi Pane, meminissent, *Panem benedictum esse vicarium sacrosanctæ Eucharistiæ, ideoque a Sanctis Patribus appellari ἀντίδωρον, & ita cum humilitate accipiendum illum esse, non etiam superba illa fronte, quasi Pharisæorum instar, non sint, sicut cæteri hominum, aut quasi aliis omnibus paratiores sint ad Divinam Eucharistiam, in cujus locum, aut vicem successit Panis ille benedictus*.

IX. Ecce nunc alia causa institutionis Panis benedicti in Ecclesia, ut esset scilicet Eucharistiæ vicarius, ut nimirum, qui non communicarent, illum vice Communionis acciperent. Extat de hac re vetus Decretum, quod, ut superius innui, Burchardus Wormaciensis Episcopus, Libro V. Decretorum, Cap. XXVII. Ivo Episcopus Carnotensis, Parte II. Cap. III. Regino, aliique Canonum Collectores S. Pio I. Papæ attribuunt, cujus tamen Epistola, unde excerptum fuit Decretum, ex communi Eruditorum calculo, supposititia est. Quicquid sit, pervetustum est certe Decretum istud, quod non primum edidisse, sed confirmasse potius, aut innovasse videtur Concilium Namnetense in Gallia celebratum circa annum DCCC. ut putant Sirmondus in Notis ad ipsum Concilium, & Baluzius in Præfatione ad Reginonem. Ergo his verbis conceptum est Decretum, legiturque in Canone IX. prædicti Concilii: *Ut de oblationibus, quæ afferuntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de Panibus, quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis, Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Missarum Solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus Festis exinde accipiant; & illa, unde Eulogias Presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat*: Sequitur mox Oratio, quæ est hujusmodi: *Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc Panem tua sancta, & spirituali Benedictione, ut sit omnibus salus mentis, & corporis, atque contra morbos, & universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Panem vitæ, qui de Cælo descendit, & dat vitam,*

*tam, & salutem mundo, & tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti &c.*

X. Idem Decretum una cum Oratione, totidem pene verbis legitur apud Hincmarum Remorum Archiepiscopum in Capitulari ad Presbyteros suæ Parochiæ, idest Diœcesis, dato anno DCCCLII. Cap. VII. itemque apud Burchardum, aliosque Auctores superius memoratos. Unum tamen est, quod in fine sui Decreti statuit Hincmarus, ut nempe Eulogias, sive Panem benedictum distributurus Sacerdos, *micas, ne incaute defluant, custodiat*. Ut vel hinc intelligas, qua veneratione a Fidelibus Panis iste benedictus accipiendus sit etiam juxta veterem Patrum doctrinam. Dici enim de ipso Pane potest, quod ajebat S. Augustinus, Lib. II. *De peccatorum meritis, & remissione*, Cap. XXVI. de sale dari solito Catechumenis: *Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari; & quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est*. Sal benedictum Sacramentum vocat, late pro quocumque mysterio, & signo rei sacræ Sacramentum accipiens; sicut enim sal signum sapientiæ Christianæ est, ut docet ipsa dandi salis formula a Sacerdote dici solita Catechumeno baptizando; ita & Panis benedictus institutus etiam ob eam causam fuit, ut esset symbolum unionis Fidelium cum Christo, fraternæque communicationis in fide, & charitate, uti superius ostensum fuit, probatumque Pauli Apostoli auctoritate.

XI. Quanta quoque veneratione haberetur apud Græcos hujusmodi Panis, vel ex eo addiscimus, quod ab ipsis scilicet θεῖος ἄρτος, idest, *Divinus Panis* dicitur, ut apud Pachimeram, Lib. V. *Historiæ*, Cap. VIII. Atque inde, quemadmodum Sacra Eucharistia, a jejunis manducabatur, & siquis jejunus non esset, & si acciperet, vicino porrigebat ad manducandum; quod etiamnum observari in Ecclesia Græca, tradunt Allatius, Lib. III. *De Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis consensu*, Capite IX. §. I. & Goar in Notis ad Euchologium. Itaque cum multam de Panis Eulogici sanctitate conceperit Græcus quilibet opinionem, jejunus iccirco in Ecclesia Panem ipsum e manu Sacerdotis oris osculo salutata recipit, uti docet Cabasilas in expositione Liturgiæ, Cap. ultimo: *Illi vero cum devotione ad Sacerdotem accedentes, Panem suscipiunt, & deosculantur dexteram, quæ recenter sanctissimum Corpus Christi Salvatoris contrectavit, & sanctitatem inde suscepit, & ut eam tangentibus impertiatur, continere creditur*.

XII. Præterea cum Panis, qui supererat consecrationi in particulas dissectus, in fine Missæ a Sacerdote iis tantum distribui deberet, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare, dictusque iccirco fuerit Eucharistiæ vicarius, quod ejus vice acciperetur, ut Græci pariter, & Latini Scriptores testantur apud Joannem Bona Cardinalem, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. num. 7. hic illis dumtaxat Panis ipse benedictus, seu Eulogia præberi poterat, qui jus habebant ad Communionem, cæterisque negabatur, quibus vel nondum patebat aditus ad Eucharistiam, vel ob aliquod crimen interclusus erat, quales erant Catechumeni, Pœnitentes, & abstenti a Communione. Hoc sane edicit, ut alios omittam, Theophilus Alexandrinus Canone VII. *Quæ in Sacrificii rationem offerunt, post ea, quæ in Sanctorum usu consumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex eis bibat, vel comedat, sed solum Clerici, & qui cum eis sunt, Fideles Fratres*. Quia enim, ut explicat Balsamon, Altari oblata sunt, & ex illis sumptæ sunt partes ad Divina dona, qui sunt imperfectiores, ex eis edere non debent. Errant igitur, qui de Catechumenis aliter sentiunt decepti quidem loco Augustini superius descripto ex Lib. II. *De peccatorum meritis, & remissione*, Cap. XXVI. ubi Augustinus non de Pane, ut illi perperam existimant, sed de sale loquutus est, quod Catechumenis dari solebat, ut scite observat laudatus Bona, & eruditis notum est. Negatas quoque Eulogias excommunicatis, & graviorum criminum reis, exemplo suo docuit Gregorius Turonensis, Lib. V. *Historiæ*, Cap. XV. agens de Meroveo Apostata; & Lib. VII. Cap. XX. de Ursicino Episcopo Cadurcensi. Eandem ob causam cautum est in Synodo Laodicena, Can. XXXII. & in Bracarensi II. Can. LXX. ne Fideles orthodoxi ab hæreticis Eulogias acciperent, quia scilicet cum illis communicare non debent.

XIII. Solebant autem, ut idem Cardinalis Bona adnotavit, comedi in Ecclesia hujusmodi Eulogiæ, de eaque re extat Decretum Synodi Constantinopolitanæ tempore Alexii Comneni habitæ, ad quintam quæstionem; quem ritum etiam a Latinis usurpatum legimus. Græci tamen recentiores cum peregre proficiscuntur, Antidoron, sive Eulogiam secum deferre consueverunt tanquam alexiterium in tempestatibus, & periculis, ut scribit Goar in Euchologium in Notis ad S. Joannis Chrysostomi Missam. Monachis item, qui ad Missam minime communicaverant, non solum Dominicis, sed aliis etiam diebus, in Refectorio a Sacerdotibus distributas fuisse Eulogias, quas illi ante omnem cibum comedebant, docet Martene, Lib. I. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. Certe de Cluniacensibus ita inquiunt antiquæ eorum Consuetudines, Tomo IV. Spicilegii Dacheriani, Lib. II. Cap. XXX. *Portat Pyxidem cum hostiis non consecratis in Refectorium, de quibus singuli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare*. Apud Christophorum Brouverum, Lib. III. Antiquitatum Fuldensium, Cap. XII. extat Libellus supplex, quo inter cætera petunt, ut communionem fracti Panis quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium Patrum. Et in Aquisgranensi Concilio, Cap. LXVIII. decernitur, ut Eulogiæ Fratribus a Presbyteris in Refectorio dentur, his nimirum, qui non communicaverant. Hæc enim, ut dixi, potissima causa fuit institutionis Eulogiarum, seu Panis benedicti, ut vices agerent Eucharistiæ, & communioni succederent, quæ olim frequentior erat.

XIV. Nihilominus successu temporis his etiam datus est Panis benedictus, qui Eucharistiam sumserant; testaturque id inter alios Codinus in Libro, *De Officiis Aulæ Constantinopolitanæ*, Cap. XVII. Imperatoris coronationem describens: *Postquam Divinorum mysteriorum particeps effectus est, imposita capiti Corona, egreditur ex Tabernaculo, finitaque Liturgia, & Pane sanctificato, quod Antidoron nominamus, populo distributo, de quo postquam & ipse par-*

*participavit, & Benedictionem a Patriarcha, cæterisque præsentibus Episcopis accepit, eorumque manus deosculatus est, ascendit ad locum Catechumenorum*. Idem asserit Cantacuzenus, Lib. I. *Historiæ*, Cap. XLI. Viguit, vigetque hodie hic ritus in quibusdam Provinciis Ultramontanis, ac præsertim Galliæ, in quibus Panis die festo benedicitur, & in frustra divisus, adstantibus post Missam, etiamsi Communionem acceperint, distribuitur, in signum scilicet fraternæ communicationis, & charitatis. Atque ab hac publica, & solemni Eulogiarum, seu Panis benedicti distributione, qui in Ecclesia fiebat, aliæ privatæ exortæ sunt inter Ecclesiasticos, & sacros homines, qui, ut supra variis Epistolis Sancti Paulini probatum est, antiquitus Panem sibi invicem mittebant veluti symbolum religiosæ fraternitatis.

XV. Hinc denique factum puto, ut, quemadmodum post alios laudatus Bona observavit, id nomen Eulogiarum ad cujuscumque generis munuscula translatum sit, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munus Benedictionem appellant, ut Libro I. Regum, Cap. XXV. *Accipe Benedictionem, quam attulit ancilla tua*; ubi in Textu Hebraico est *Beracah*, in Græco *Eulogia*, quæ voces idem significant. Sic Eulogias accipit S. Benedictus, quum Capite LIV. suæ Regulæ, Monachis prohibet, ne absque licentia Abbatis sibi invicem Eulogias mittant. Sic Marculfus, Lib. II. Formularum, exhibens formulam, qua Episcopus alteri Episcopo in Resurrectione Domini Eulogias mittit. Sic Magister in Regula, Cap. LXXVI. modum præscribens, quo debent suscipi Eulogiæ missæ ad Monasterium a Summis Pontificibus, sive a Sacerdotibus. Sic alii Scriptores passim, quos prætermitto, non enim nos de Eulogiis hoc sensu acceptis disserimus, sed de illis, quas superius abunde explicuimus. Sed videamus nunc ritum, quo ex præscripto nostri Rituali in hoc Capite expresso fieri debet Benedictio Panis,

## §. I.

*℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum, & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Domine Jesu Christe, Panis Angelorum, Panis vivus æternæ vitæ, bene ✠ dicere dignare Panem istum, sicut benedixisti quinque Panes in deserto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis, & animæ percipiant sanitatem. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.* Et aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Alludit hæc Oratio ad miraculum illud a Christo Domino patratum, quo, ut habetur in Evangelio Marci, Cap. VI. & Lucæ, Capite IX. ex quinque Panibus, & duobus Piscibus, quos benedixit, multiplicavitque, satiavit quinque millia Virorum; legiturque in variis Pontificalibus Libris, præsertim vero in Pontificali Narbonensi, & Mimatensi Guillelmi Durandi, quo usus est olim Joannes Sairebruche Episcopus Catalaunensis in eo Titulo, qui inscribitur, *Benedictio Panis in Festo Ascensionis, vel Pentecostes, secundum morem locorum pauperibus distribuendi*. Pergit deinde, ritumque Processionis, ac Precum explicat, quibus Benedictio ipsa peragebatur: *Processione*, inquit, *ordinata, Cruce, Thuribulo, Cereis, & Aqua benedicta præcedentibus, veniunt solemniter, cantando, quod libuerit, ad locum, ubi totus Panis est conservatus, & Sacerdos, vel Pontifex, sit paratus Amictu, Superpelliceo, vel Alba, Pluviali albi coloris, Mitra, & Baculo Pastorali. Et Diaconus, & Subdiaconus cum Dalmatica, & Tunica ejusdem coloris. Alii vero Ministri in Superpelliceis. Eis igitur in pulpito, seu in edito loco manentibus, Diaconus, Benedictione petita, dicit Evangelium secundum Joannem*: Abiit Jesus trans mare Galilææ. *Quo finito, incboat Pontifex, Schola prosequente, Antiphonam*: De quinque Panibus &c. *Qua dicta, dicit*. ℣. Dispersit dedit pauperibus. ℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem. ℟. In die mala liberavit eum Dominus, ℣. Numquid panem poterit dare. ℟. Aut parare mensam in Deserto. ℣. Pluit illis manna ad manducandum. ℟. Et Panem Cæli dedit eis. ℣. Cibavit illos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra melle saturavit eos. ℣. Manducaverunt, & saturati sunt. ℟. Et desiderium eorum attulit eis. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

II. Dictis Versiculis istis, sequitur deinde Oratio, *Domine Jesu Christe, Panis Angelorum &c.* ut in nostro Rituali, & mox alia Oratio, *Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus &c.* ut in sequenti Capite habetur, ubi recensetur, *alia Benedictio Panis*; eaque Oratione finita, ex præscripto prædicti Pontificalis, *mox aspergit Panem cum Aqua benedicta*. Sane, licet ex veteri more, de quo abunde superius disseruimus, benediceretur Panis Dominicis, festisque diebus, populoque adstanti in Missa post ejus finem distribueretur ex Decreto etiam Leonis Papæ IV. in Homilia, *De cura pastorali*, ubi sic inquit: *Eulogias*, idest, Panem benedictum, *post Missas in diebus festis plebi distribuite*; consuevit quoque per annum in celebritatibus quorundam Sanctorum benedici Panis, & Fidelibus distribui, peculiaribus etiam Orationum formulis ad eam Benedictionem institutis, uti constat ex antiquis variarum Ecclesiarum Ritualibus, atque ex ipso Sacerdotali edito anno MDLXVII. ubi diversæ hujusmodi Panis Benedictiones occurrunt, quas longum esset in hoc Commentario describere. Satius itaque censui ad Sacerdotum Fideliumque instructionem documenta quædam exponere, quæ S. Vincentius Ferrerius Sermone X. qui est de Pane benedicto, §.II. tradidit. Do-

Docet itaque, ipso Pane benedicto triplex documentum ostendi, I. veritatis, II. utilitatis, III. charitatis; atque secundum hunc ordinem ex doctrina ejusdem Sancti, nonulla breviter adnotabimus, quæ alias jampridem Paulus Maria Quarti exposuit in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione V. *De Benedictione Panis*, Præludio II.

III. Ergo primum documentum est veritatis; benedicitur enim Panis primo, ut cognoscamus hanc veritatem, videlicet, tam Panem, quam alios cibos, dari nobis a Deo, unde in Oratione Dominica a Deo petimus Panem quotidianum; & Psalmo CXLIV. ait Propheta: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Ex hac autem veritate sequitur, quod si Panis, & omne nostrum alimentum ex divina largitate, & benedictione procedit, debent sumentes cibos Deum benedicere, & non sine gratiarum actione hoc beneficio uti. Secundo hac benedictione, & distributione Panis benedicti insinuatur veritas realis præsentiæ Christi in Sacramento Eucharistiæ, cujus hospitio nos esse indignos veraciter confitemur. Quum enim hic ritus benedicendi Panem in primitiva Ecclesia introductus fuerit, uti superius ostensum est, in solatium eorum, qui non communicabant Sacramentaliter, ut loco Eucharistiæ Panem benedictum reciperent, veluti quemdam ejus typum, & umbram; manifeste ipso Pane benedicto insinuatur excellentia Sacramenti Altaris, & indignitas nostra ad recipiendum tantum hospitem, ut latius declarat S. Vincentius loco supra citato.

IV. Alterum documentum est utilitatis; duplex autem utilitas provenit Fidelibus ex Pane benedicto. Prima est in salutem corporis, quatenus idem Panis virtute benedictionis vim habet sanandi infirmos, & depellendi morbos, ut innumeris pene exemplis comprobari potest, quæ in Vitis Sanctorum occurrunt, quorumque non pauca recenset Gretserus in Tractatu, *De Benedictionibus*. Secunda in salutem animæ, quia, ut supra dicebamus, ex intentione Ecclesiæ Panis distribuitur Fidelibus, non modo, ut symbolum fraternæ communicationis, verum tamquam memoriale quoddam Eucharistiæ, quo iidem Fideles excitantur ad desiderium recipiendi ipsum Eucharistiæ Sacramentum; & hac ratione, ipso voto, seu desiderio sumitur spiritualiter idem Sacramentum, & percipitur suo modo effectus illius, qui est unio cum Christo per Fidem, & charitatem; & ideo hic modus sumendi Eucharistiam in voto, seu desiderio, appellatur Communio spiritualis a S.Thoma Parte III. Quæstione LXXX. Articulo I. & summopere commendatur a Viris Sanctis, qui eam & ipsi usurpaverunt, & alios docuere.

V. Documentum tertium est charitatis; siquidem in ipso Pane clauditur mysterium unitatis, & mutuæ charitatis, ut superius etiam fuse ostendimus; sicut enim unus panis ex multis granis conficitur, sic ex multis Fidelibus una Ecclesia adunatur, in quibus debet esse cor unum, & anima una; qua etiam ratione panem instituit Christus pro Eucharistiæ materia, uti notavit S. Thomas Parte III. Quæstione LXIV. Articulo V. His adde quod & notat memoratus Quarti, distributione Panis benedicti admonere Fideles exercitii charitatis, & misericordiæ erga pauperes, ut qui panibus, & divitiis abundant, dent ex eis largiter pauperibus, ut & ipsi a Deo benedictionibus repleantur; eadem quippe mensura, ut ait Christus Dominus in Evangelio, qua mensi fuerimus, remetietur & nobis. Unde S. Augustinus Sermone XV. *De verbis Domini*, sic inquit: *Petit a te mendicus. Tu es Dei mendicus. Quid petit a te mendicus? Panem; & tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui est Panis vivus*.

VI. De Ministro tandem Benedictionis Panis ut aliquid dicamus, est quidem quilibet Sacerdos; neque enim ea Benedictio in Missali, aut Rituali alligata Parocho fuit; videmusque passim in Ecclesiis tum Presbyterorum sæcularium, tum Religiosorum, in quibusdam Sanctorum Festivitatibus benedici Panem, & Fidelibus distribui. Consuevisse etiam Viros laicos sanctitate præstantes Panem, privatim tamen, benedicere, eodemque, ægrotos pristinæ sanitati restituere, docet nos antiquum & insigne exemplum S. Hilarionis, quod supra ex S. Hieronymo descripsimus. Cui & aliud recentius adjungi potest Civis mei S. Francisci de Paula Ordinis Minimorum institutoris, qui ut plurimum herbas, fructus, candelas, Panemque a se benedictos applicabat, cum miracula operaretur; ut ita obtegeret sanctitatem suam, & miraculorum dono, quo præditus erat, illa non sibi, sed naturali causarum secundarum vi, vel recipientium Fidei adscriberentur. Testatur id quidem inter alios Testis CLVII. Processus Calabrici sic inquiens: *Dixit etiam Testis, illud adeo pullulasse, quod multorum hominum turba diversis morbis languentium, ut incolumes fierent, ad eundem de Paula commigrabant, qui aliquibus eorundem herbas, quibusdam biscoctum panem, aliis poma aurea, benedictionem actitando, tribuebat, quare languidi relevabantur*. Addit mox etiam, occasione hujusmodi miraculorum, Medicos, Chirurgosque tanto odio Sanctum Virum prosequutos fuisse, ut multa contra ipsum machinari ausi fuerint, quibus tamen omnibus Francisci humilitas superior fuit. Sed de Pane a Sancto Viro benedicto, & miraculis per eum patratis audiendus antiquus ipsius Vitæ Scriptor a Cive meo præstantissimo Josepho Maria Perrimezzi publicæ luci traditæ, ac Notis, & Dissertationibus illustratæ, ubi Cap.XIII. sic inquit: *Sanctus homo cooperiebat suam sanctitatem, dando Panem benedictum, & candelas benedictas ægrotis, qui totaliter curabantur illius precibus, præveniente Dei auxilio*.

VII. Inter alia tandem miracula, quæ Sancti homines cum Pane a se benedicto patrarunt, sæpe in eorum Vitis illud occurrit, quod in Deserto fecit Christus Dominus, qui uti legitur in citatis superius Evangeliis Marci, & Lucæ, & in hac nostra Oratione Benedictionis Panis innuitur, quinque a se benedictis Panibus, quinque hominum milia saturavit. Frequens plane fuit hoc miraculum in Pane a memorato Cive meo S.Francisco de Paula benedicto, sed celeberrimum est quod in hanc rem legitur in Vita S. Richardi Episcopi Cicestrensis, Cap. II. apud Bollandianos die III. Aprilis: *Unum Panem ad ipsius Benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter æstimationem adstantium, refectis abunde quasi tribus millibus pauperum consuetas recipientium portiones, abundarunt partes, quæ secundum eandem distributionem centum adhuc pauperes refecissent*. Sed omissis aliis multis id genus portentis, vide quæ de Panis Benedictione dicemus mox latius in sequentis Capitis Commentario.

CA-

# CAPUT XVII.

## *Alia Benedictio Panis.*

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ digneris hunc Panem tua sancta spirituali Benedictione, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis, atque contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Panem vivum, qui de Cælo descendit, & dat vitam, & salutem mundo; & tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. EXtat hæc Oratio ad benedicendum Panem in Canone IX. Concilii Namnetensis, & apud Burchardum Episcopum Wormaciensem, Lib. V. Decretorum, Cap. XXVII. atque apud alios antiquorum Canonum Collectores, quam etiam nos supra descripsimus initio Capitis XVI. Occurrit passim in Ritualibus Libris antiquis pariter, ac recentioribus, præsertim vero in Sacerdotali anni MDLXVII. Parte II. Cap. XXIII. quod inscriptum est: *De Benedictione solemni Panis in diebus Dominicis, & magnis Festivitatibus*; ex cujus præscripto non jam unica hac Oratione Benedictio Panis peragitur, sed aliis ritibus ita ibidem expressis: *Sacerdos cum Processione, & Cruce, ante Missam indutus omnibus paramentis, excepta Planeta, accedit ad locum, ubi Panis est benedicendus, & dicit*: Adjutorium nostrum &c. *Postea legit Evangelium*: Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem: *In illo tempore abiit Jesus trans mare Galilææ &c.* usque ad illa verba: *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in Mundum.* Recte mandat, legi hoc Evangelium Joannis, Capite VI. quia scilicet agit de quinque Panibus, & duobus Piscibus, quibus Christus Dominus quinque virorum millia satiavit. Quod miraculum, uti superius notatum fuit, refertur in Evangelio Marci, Cap. VI. & Lucæ, Cap. IX. ubi etiam habetur, benedictos prius fuisse ab eo Panes, ac Pisces, & deinde turbæ distributos: *Acceptis autem quinque Panibus, & duobus Piscibus, respexit in Cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit Discipulis suis &c.*

II. Dicto Evangelio, ex ejusdem Sacerdotalis præscripto, cantatur Antiphona: *De quinque Panibus, & duobus Piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum.* Sequuntur mox isti Versiculi. ℣. *Dispersit dedit pauperibus &c.* ut supra dictum est ex Pontificali Gulielmi Durandi in Commentario ad Caput XVI. ubi explicuimus primam Panis Benedictionem. Finitis tandem Versiculis, dicuntur mox binæ Orationes in nostro Rituali præscriptæ, nempe, *Domine Jesu Christe, Panis Angelorum &c.* supra in dicto Capite XVI. posita, & deinde alia, quæ in hoc Capite XVII. habetur, *Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus &c.* Tum vero demum benedicti Panes Aqua benedicta asperguntur. Atque hæc satis essent ad dilucidandam utramque Panis Benedictionem, sed alia adhuc restant hoc loco notanda, ac primum consuevisse vel olim in Ecclesiis fieri quotannis Panum Benedictionem in honorem Sanctorum, ac illorum præsertim, qui earundem patroni sunt, vel in aliquo ipsarum Sacello coluntur, vel alias ob causas, quas longum esset describere. Certe in honorem S. Nicolai Tolentinatis solent quotannis Eremitæ Augustiniani, quorum institutum ille professus fuerat, Panem benedicere, ac populo distribuere, sicut etiam Canonici Regulares Lateranenses in Festo Sancti Ubaldi Episcopi Eugubini, qui Canonicus Regularis fuit.

III. Porro in Sacerdotali Romano duplex extat Panis Benedictio in Festo S. Blasii *contra malum gutturis* peragenda. Prima sic habet: *Postquam Sacerdos in Missa pervenerit in Canone ad locum illum*, Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas &c. *versus ad populum benedicit hoc ordine*. ℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. ℣. Adjutorium nostrum &c. ℟. Qui fecit &c. ℣. Ora pro nobis Beate Blasi. ℟. Ut digni &c. ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. *Oratio*. Salvator Mundi, Deus Domine Jesu Christe, qui hodiernum diem Beatissimi Blasii martyrio consecrasti, & diversas creaturas ad salutem hominum creasti; qui ex quinque Panibus, & duobus Piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in Deserto miraculose pavisti: ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, & petimus, ut hos Panes, quos plebs Fidelis tibi devote hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris, ut qui ex eis comederint, vel gustaverint, omni gutturis plaga, & totius corporis infirmitate, meritis, & intercessione ejusdem Beati Blasii Martyris tui plenam recipiant sanitatem, & nos servos tuos ab omni corporis, & animæ ægritudine sanos conservet. Qui vivis, & regnas &c. *Postea aspergantur Aqua benedicta.*

IV. Alia Benedictio Panis in eodem Festo, ita inquit: ℣. Adjutorium nostrum &c. ℟. Qui fecit &c. ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dominus vobiscum &c. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens, & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates so-

ſolo verbo creaſti, & ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta ſunt omnia, incarnari voluiſti, qui magnus es, immenſus, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia, pro cujus Fidei confeſſione, glorioſus Martyr, & Pontifex Blaſius diverſorum tormentorum genera non paveſcens, martyrii palmam feliciter eſt adeptus; quique eidem inter cæteras gratias, hanc prærogativam contuliſti, ut quoſcumque gutturis morbos tua virtute curaret: majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut non inſpectu noſtri reatus, ſed ejus placatus meritis, & precibus, hanc creaturam Panis bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, qui ex eo bona fide guſtaverint, a quocumque gutturis morbo gravatos ſe ſenſerint, ipſius paſſione, & meritis liberentur, & in Eccleſia ſancta tua ſani, & hilares tibi gratiarum referant actiones, & laudent Nomen tuum glorioſum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen *Aſpergantur Panes Aqua benedicta*.

V. Hactenus Sacerdotale Romanum, cujus binæ recitatæ Orationes, ac præſertim ſecunda alludunt plane ad id, quod in laudati S. Martyris Vita legitur apud Surium die III. Februarii: *Contigit*, inquit, *ut filius cujuſdam mulieris, quæ eum habebat unicum, partem piſcis comedens, os repente devoraret, & mutus maneret. Cum ergo mater pueri de Sancto audiiſſet, eum allatum projecit ad ejus pedes ſemimortuum, cum fletu clamans, & dicens Sancto*: Miſerere mei filii, Serve Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, eſt enim mihi unigena; *narravitque Sancto quid filio ſuo repente accidiſſet. Sanctus autem Dei, & magnus Sacerdos Blaſius manu impoſita gutturi pueri, ſic oravit, extendens in Cælum oculos, & Deo dicens*: Qui iis, qui te invocabant in veritate, præſto fuiſti adjutor, o Servator, audi meas preces, & ſpinam infixam huic puero, tua, quæ ſub adſpectum non cadit, virtute, ei exime, eum curans; & de cætero, ſeu in hominibus, ſeu in pueris, ſeu in beſtiis tale quid contigerit, illic autem recordatus fuerit mei nominis, dicens, *Deus interceſſione ſervi tui Blaſii accelera tuum auxilium, fac cito in eo curationem ad gloriam, & honorem Sancti tui Nominis*. Et cum ipſe hæc dixiſſet, puerum ſtatim ſanum reſtituit, ſicut prius, & eum reddidit matri ſuæ, ore nunquam ſilente Deum laudantem, atque glorificantem.

VI. Rurſus, ut alia exempla memorem, & alias quaſdam benedictionis formulas deſcribam, in ipſo Romano Sacerdotali extat Caput inſcriptum, *De Benedictione Panis in Feſto Sanctæ Agathæ contra ignis periculum*, ubi ſic inquit: *Sacerdos exiſtens in Canone Miſſæ, ut ſupra dictum eſt, vertens ſe ad populum, benedicit Panem in hoc modo. Primo dicat Pſalmum* LXVI. Deus miſereatur noſtri, *totum cum* Gloria Patri. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit. ℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. ℣. Ora pro nobis Beata Agatha. ℟. Ut digni efficiamur &c. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Oratio*. Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui es Panis vivus, qui de Cælo deſcendiſti, bene ✠ dic, & ſancti ✠ fica hos Panes, fructus, cereos, aquam, vinum, oleum, & cætera hic poſita in honorem Beatæ Agathæ Virginis, & Martyris tuæ deportata; & concede per interceſſionem ejuſdem Virginis, & Martyris, ut ubicumque contra ignem comburentem miſſa, vel poſita fuerint, illico ignis evaneſcat, & penitus extinguatur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c. Benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, per interceſſionem Beatæ Agathæ Virginis, & Martyris, deſcendat, & maneat ſuper omnes ex eis guſtantes. Amen. *Aſpergitur Aqua benedicta*. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c. Alludit & hæc Oratio ad miraculum, quod in ejuſdem S. Agathæ Vita refertur apud Surium die V. Februarii, quod nempe ejus amictus ignem montis Ætnæ Civitatem Catanenſium combuſturum profligaverit. Atque ad ſimilia miracula, quæ non opus eſt hic recenſere, alludunt quoque aliæ Panum Benedictiones, quæ in aliorum Sanctorum Feſtivitatibus peragi in Eccleſiis ſolent. Longum plane eſſet varias Benedictionis Panis formulas recenſere, quæ in particularibus Eccleſiarum Ritualibus occurrunt, ſed aliquas tamen non cenſui omittendas, ac illam primum, quam inſtituit S. Raynerius Piſanus, quæque legitur in ejus Vita apud Bollandianos die XVII. menſis Junii, Cap. VII. num. 85. & eſt hujuſmodi.

VII. Deus Abraham, & Deus Iſaac, Deus Jacob, qui Filium tuum, panem vivum deſcendentem de Cælo, ut daret vitam mundo, Dominum, & Salvatorem noſtrum, ad nos miſiſti, mortuis, atque ægris vitam, & ſanitatem contuliſti; tu per eundem Filium tuum nunc in Spiritu Sancto tuo, benedic, & ſanctifica panem hunc, ut manducantes ex eo, recipiant incolumitatem animæ, & corporis. Tu Alpha, & Omega, principium, & finis, qui in Deſerto, quod eſt Bethſaydæ, per Filium tuum de quinque panibus quinque millia hominum ſatiaſti, exceptis mulieribus, & parvulis, tuaque Benedictione repletis, & adauctis, duodecim ſuperfuere cophini pleni, & in via non defecerunt, qui manducaverunt ex panibus ipſis hordeaceis. Tu omnium Pater, & Creator, benedic iſtum panem, ut quicumque maſculi, ſeu feminæ, cujuſcumque ætatis, ex eo guſtaverint, habeant in corpore, & anima lætitiam, & robur, atque plenam ſanitatem. Tu Domine, Deus Jeſu Chriſte, qui tranſiens inter medios fines Decapoleos, montem aſcendiſti, ſedenſque ibi, tuos vocaſti Diſcipulos; quot panes haberent, interrogaſti eos, & reſpondentes ſeptem, præcepiſti quatuor millia hominum turbam ſedere ſuper terram extra mulieres, & parvulos; gratiaſque agens Patri, ipſos panes benedixiſti, ut darent populo, tuis Diſcipulis tribuiſti; manducaverunt, & omnes ſaturati ſunt, & ſeptem ſportæ plenæ ſuperaverunt, & lætati ſunt; & tu omnium Salvator, Domine Deus, gratiam, & benedictionem infunde ſuper hunc panem, & qui, vel quæ ex eo comederint, habeant lætitiam, & ſanitatem. Tu Chriſte Salvator, qui cum duodecim Diſcipulis in menſa diſcumbens, panem in ipſa benedixiſti, & in tuum Corpus tranſtuliſti, & ipſis dando porrexiſti, unde vitam eis contuliſti, ipſam in ſe accipientibus, eis quoque præcepiſti, ut in tuam facerent commemorationem.

Om-

Omnipotens Deus Benedictione eadem in alteram transmuta naturam, in dilecti tui Raynerii rememorationem, ut omnibus accipientibus vita augeatur temporalis, expulsa omni molestia corporali, & conferatur etiam vita spiritualis. Tu Domine Deus pavisti Helyam juxta torrentem Carith, pane per corvos submisso, & aqua potasti eum, & ejus permansit in sanitate corpus. Benedic etiam nunc, qui idem ipse es, panem hunc, & aquam, ut omnes accipientes permaneant in sanitate, omni remota ægritudine. Tu, Domine Deus, Elisæo tribuisti, ut de viginti panibus centum homines satiaret, & superfuit: da nunc tuam de Cælis Benedictionem in hoc pane, ut totum infirmantium corpus sit sanum. Accedant omnes Angeli tui, & Archangeli tui, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes, Cherubin, & Seraphin; & levantes manus ad te Deum vivum Creatorem eorum infundant in hoc pane sanitatis Benedictionem. Accedat Dei Genitrix Virgo, & sua hic germinet sanitatem gratia. Adsint Patriarchæ, & Prophetæ, Apostoli omnes, & Martyres, Confessores, Eremitæ, & Sancti omnes, & Sanctæ Dei, & in isto pane suam præstent Benedictionem, ad percipiendam plenam sanitatem. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. *Semper super istum panem faciens Domini Crucem. Si in turba est panis Benedictio, signabis a longe, & respondebit populus*, Amen, *ad unamquamque panis, & aquæ Benedictionem.*

VIII. Porro mentionem hic facit Aquæ Benedictionis, cujus formulam idem S. Raynerius instituit, quamque nos integram supra attulimus in Commentario ad §. VI. & ultimum Capitis II. Sane in eadem S. Raynerii Vita, sequenti num. 86. explicatam habes utriusque, Aquæ scilicet, ac Panis sic benedicti usum, & fructum, his verbis: *Post hanc Panis gratiam, si vis alicui infirmo dari specialiter, tolles de ipso Pane tria frustula Panis, & in palma sinistra tenebis, ea signando tua dextra, dicens ita*: Domine Deus, qui es unus, nec tribus in personis divisus, benedic Panem istum, Pater cum Filio, & Spiritu Spiritu Sancto tuo. Infirmus, qui exinde gustaverit, de cætero nullam patiatur molestiam in carne sua, neque aliquam vexationem, vel etiam febrem; sed recipiat, Domine Deus, perfectam sanitatem in omnibus suis membris. Tu Domine dominantium, qui ipsi fideliter Abrahæ tuam Trinitatem, & unitatem in Angelis tuis monstrasti, qui tres vidit, & unum adoravit, vidit, & gavisus est: per tuam ineffabilem Trinitatem in hoc tuo Pane sanctificato, tribus frustulis diviso, tuam adauge, & consumma Benedictionem, ut omnes accipientes, per te Deum unum, & trinum, consequantur omnium membrorum suorum medelam, & sanitatem. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. *Qui has Benedictiones puro corde, & intente protulerit, mirabile dictu, sed mirabilius factu, & aqua sæpe in vinum convertetur, accipietque efficaciam ab Altissimo, ut per Panem, & aquam, quæ in aliam transibunt naturam, ægrotantes sine numero sanentur, & Panis, & aqua in se non corrumpentur.*

IX. Ecce & hic aliud exemplum, ac formula Benedictionis Panum in Festo S. Contardi Peregrini, de quo ejus Vitæ Scriptor apud Bollandianos ad diem XVI. Aprilis, scribit, ad cumulatiorem notitiam venerationis Sancto Contardo a Majoribus decretæ pertinere, quod Bronæ (est Pagus Agri Ticinensis in Lombardia) in die ejus festo, mense Aprilis, ex antiquissimo usu secundum formam in Rituali Romano præscriptam, fit Benedictio Panum ante Missam solemnem, postea per Bronenses familias distribuendorum, non sine multiplici, ac miraculoso infirmantium solatio. Præscriptis autem a Rituali precibus etiam hæc Oratio additur: *Salvator Mundi, Deus, Domine Jesu Christe, qui hodiernum diem Beatissimi Contardi solemnitate consecrasti, & diversas creaturas ad salutem hominum creasti, qui ex quinque Panibus, & duobus Piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in Deserto miraculose pavisti: ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, & petimus, ut hos Panes, quos Plebs fidelis tibi devote ad sanctificandum attulit, tua pietate bene ✠ dicere, ac sancti ✠ ficare digneris, ut qui ex eis comederint, vel gustaverint, ab omni epilepsia, & cephalea, & totius corporis infirmitate, meritis, & intercessione ejusdem Sancti Contardi Confessoris tui, plenam recipiant sanitatem, & nos servos tuos ab omni corporis, & animæ ægritudine conserves, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.* Ubi observa, duos hic nominatim morbos indicari, adversus quos frequentius S. Contardi adhibetur patrocinium; unde fit, ut a patientibus dolores capitis plurimi pilei linei admoveantur sacris Reliquiis, & a sanatis referantur ad Sepulchrum. Fit etiam occasione epilepticorum ibidem signari, atque curari solitorum; qui morbus, vulgo *bruttura* dicitur, ambigua voce etiam ad significandam vultus deformitatem, ut amphilogico joco dicatur, Bronæ signari *bruttura*, & insigni aliqua deformitate conspicui Bronam ire per contumeliam jubeantur.

X. Fieri Panis Benedictionem in variis Festis, ac præsertim die Dominico, variæ particulares Synodi mandant, præsertim vero Synodus Oriolana anni MDC. Sessione II. Cap. XXV. quæ legitur Tomo VI. Conciliorum Hispaniæ nostræ editionis, ubi etiam abusus in ejusdem Panis distributione sustulit, ita inquiens: *Clamores, strepitus, & vociferationes, quæ inter mulieres, & pueros in Ecclesiis oriri solent, cum Panis benedictus fideli populo distribuitur, exterminare cupientes; jubemus, ne posthac, dum sacra Officia peraguntur, intra Ecclesiam Panis benedicti distributio fiat, sed in foribus Ecclesiarum post Missæ Conventualis celebrationem populo dividatur.* Tum vero subdit: *Morischi singulis Dominicis diebus, & festivis Panem benedictum accipiant, & illum statim pietatis causa edant.* Concludit tandem, & mandat, quod passim S. Carolus statuit, ut *exponant præterea prædicti Rectores ejus institutionem, vetustatem, virtutem, miracula, ut ad illum vescendum facilius excitentur.*

XI. Post Panis Benedictionem abs re non erit aliquid & hoc loco adnotare de Benedictione Vini, tum præsertim, quod in Sacerdotali, quod, ut Titulus habet, conformatum est *ad consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum*, extat Benedictio Vini in Festo S. Joannis, usitatissimumque est in Germania, teste Gretsero, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XXXVIII. die S. Joannis Evangelistæ benedicere Vinum, quod vocant Benedictionem S. Joannis, idque gustare mos est apud Germanos ante omnem

alium

alium potum. Nec desunt, qui inde etiam in alia Vini dolia, veneficiorum avertendorum gratia, aliquid hujus benedicti Vini infundant; nec eventus pietatem, proborumque expectationem fallere solet, ut idem Auctor, & ipse Germanus affirmat loco citato; ubi etiam ait, existere hanc consuetudinem, ex traditione, quæ fert, a Sancto Joanne venenum sine læsione epotum; eaque de causa Majores nostros non immerito credidisse, potum sibi non fore noxium, quem in honorem, & cum benedictione S. Joannes sumerent. Quocirca Benedictio S. Joannis in Germania non tantum ipso ejus Festo, sed quocumque tempore, cum amici a se mutuo digrediuntur, usurpari consuevit, tametsi frequenter non sine abusu, ut idem Gretserus testatur.

XII. Multa sæpe miracula patrasse Viros Sanctos per Vinum benedictum, in eorum Vitis legere est, ac præsertim in Vita S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ, qui, ut testatur prædictæ Vitæ Auctor S. Bernardus, poculo benedicto mulierem a morte liberavit, vita etiam fœtui conservata, ut salvus, & incolumis in lucem ederetur. Sed ut alia exempla omittam, consuevisse Sæculo XVI. Vinum in multis Italiæ Ecclesiis benedici prædicto die festo S. Joannis Evangelistæ, & quidem ritu solemni, prolixoque, ex prædicto Sacerdotali addiscere licet in eo Capite, quod inscriptum est, *De Benedictione Vini in Festo Sancti Joannis Evangelistæ contra venenum*, ubi ritus ipse sic recensetur: *In Festo S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ benedicatur Vinum hoc modo*. ℣. Adjutorium nostrum. *Et postea legatur Evangelium*. Initium Sancti Evangelii secundum Joannem: *In principio erat Verbum &c.* Lecto hoc Evangelio, succedit mox aliud ex eodem Joanne: *In illo tempore nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ &c.* usque ad verba, *Et crediderunt in eum Discipuli ejus*. Dicto Evangelio: ex ejusdem Sacerdotalis præscripto dicit Sacerdos, *Per istos sermones Sancti Evangelii indulgeat Dominus noster Jesus Christus universa nostra crimina, & delicta*. Tum Psalmum XXII. *Dominus regit me &c.* cum *Gloria Patri &c. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria*. ℣. *Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas*. ℟. *Deus meus sperantes in te*. ℣. *Et si mortiferum quid biberint*. ℟. *Non eis nocebit*. ℣. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*. ℟. *Beatus homo, qui sperat in eo*. ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

XIII. Præmisso *Oremus*, sequuntur statim duæ Orationes, quarum prima sic habet: *Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo Cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, & omnis potestas subjecta est, & metuit, & expavescit: nos te ad auxilium nostrum invocamus, cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, vipera silet, & subdola illa, quæ dicitur rana inquieta torpescit, scorpio extinguitur, regulus vincitur, sphalangus nihil noxium operatur, & omnia venenata, & adhuc ferociora animalia noxia terrentur: tu extingue omnes diaboli fraudes, & omnes humano generi adversantes nequitias, & hunc potum per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, & Beati Joannis Apostoli, & Evangelistæ, & omnium Sanctorum tuorum meritis, & intercessionibus, tua virtute, bene ✠ dic, ut omnes ex eo gustantes ab omni malo custodias, & ad Regnum gloriæ tuæ perducas. Per eundem Dominum &c.* Oratio altera ita inquit: *Deus, cujus potestate Beatus Joannes Evangelista potum venenosum, & toxicum digessit, bene ✠ dicere, & consecrare ✠ digneris hanc creaturam Vini, ut omnium ex eo gustantium expulso omni gustu nocivo, infuso tuæ bene ✠ dictionis mysterio, sit in terris corporis, & animæ remissio criminum, & in Cælis perpetua consolatio. Per Dominum &c. Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Benedictio Dei Omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat, & maneat super hanc creaturam Vini*. ℟. *Amen*. Atque hac data Benedictione, jubetur demum Sacerdos, ut Vinum ipsum Aqua benedicta aspergat.

XIV. Una cum Pane, fructibus, seminibusque, consuevisse & Vinum benedici in Festo Sancti Blasii *contra malum gutturis*, ex eodem Sacerdotali constat, in quo etiam ejus Benedictionis formula habetur. Extat etiam ibidem Benedictio Vini novi cum peculiari Oratione, quam etiam in aliis quibusdam Ritualibus legi, quamvis in hoc nostro Rituali Romano nulla prorsus fiat Benedictionis Vini mentio. Porro sæpe utor in his Commentariis memorato Sacerdotali, quod ex antiquis Ritualibus collectum sit, ut ex ipsis Commentariis liquet. Certe varias antiquas benedicendi Panem, Vinum, fructus, semina, Aquam die S. Blasii Martyris formulas ex vetustissimo Benedictionario in membrana exarato, & in Ecclesia S. Stephani Neapoli asservato descripsit Camillus Tutinus, & ex eo Bollandiani die III. Februarii in Commentario prævio ad ejus Vitam §. V. num. 34. & seq. ac alii quoque Scriptores.

## CAPUT XVIII.

### *Benedictio novorum Fructuum.*

I. Quum in veteri Lege ex Dei præcepto, Exodi Capite XXIII. Versu XIX. atque Cap. XXXIV. Versu XXVI. primitiæ Frugum terræ in Domum Dei deferri deberent, tum in gratiarum actionem, tum ut in consecratis Deo primitiis omnes reliqui Fructus Deo oblati, & benedicti manerent, uti constat ex Deuteronomio, Cap. XXVI. satis conveniens visum fuit, & hunc morem ad Christianos transferre tanquam valde pium, & naturali Juri conformem, rejectis tamen cæremoniis Veteris Legis, quæ promulgato Evangelio evanuerunt. Morem primævum Fructus novos benedicendi, Baronius quidem anno CCLXXXIII. num. 15. & alii non pauci Auctores Euthychiano Papæ adscribunt, ut quas scilicet creaturas a malo Principio productas asserebant Manichæi, Ecclesia sua benedictione bonas esse confirmaret. Verum, ut scite docet Goar ad Euchologium in Notis ad Orationem pro offerentibus primitias fructuum, nonnisi Paulus Apostolus hujus instituti Auctor habendus, qui *nihil rejiciendum, quod cum gra-*

tia-

*tiarum actione percipitur*, scripsit in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*; ideſt, ut Chrysoſtomus ait, purificatur per ſigni Crucis virtutem, & Eccleſiæ invocationem. Unde Julianus Apoſtata non minus veritatis, quam Fidei deſertor merito arguitur, ſcribens, primitias Frugum afferendi morem ſibi Chriſtianos a Paganis tranſumpſiſſe. Sed jam nos non uno in loco diximus, probavimuſque, præſertim auctoritate Tertulliani, Chriſtianos ritus magna ex parte deſumptos fuiſſe a Veteri Teſtamento.

## §. I.

℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus.*

*Benedic ✠ Domine hos novos fructus N. & præſta, ut qui ex eis in tuo ſancto Nomine veſcentur, corporis, & animæ ſalute potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*
℟. *Amen.* Et aſpergantur Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Ntiquiſſimam Benedictionis primitiarum, ſeu fructuum novorum formulam tradit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, Lib. VIII. Capite XLVI. editarum anno MDLXIV. eſtque hujuſmodi: *Gratias agimus tibi, Domine Omnipotens, cunctorum opifex, & proviſor per Unigenitum Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum de oblatis tibi primitiis, non quidem quantum debemus, ſed quantum poſſumus. Quis enim hominum digne tibi gratias agere poſſet pro iis, quæ dediſti eis in perceptionem. Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, & omnium Sanctorum, qui omnia produxiſti per Verbum tuum, & juſſiſti terræ, ut varios ferret fructus in lætitiam, & eſcam noſtram; qui dediſti craſſioribus, & rudioribus herbivoris animantibus herbam, aliis carnem, aliis ſemina, nobis frumentum in victum opportunum, & accommodatum, aliaque varia, partim ad uſum, partim ad valetudinem, partim ad delectationem. Ob hæc igitur omnia, & ſupra modum celebrandus de beneficiis per Chriſtum in omnes collatis, per quem tibi gloria, honor, & cultus in Sancto Spiritu in ſæcula. Amen.* Extat & in Sacramentario S. Gregorii Papæ vetus Oratio ad benedicendum fructum novum, his verbis concepta: *Domine, qui Cælum, & terram, & omnia creaſti, te ſupplices, quæſumus, ut hunc fructum novum benedicere, & ſanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum abundantia Frumenti, & Vini, ut lætantes in eis referant tibi Deo Omnipotenti laudes, & gratias.* Sacerdotale editum anno MDLXVII. in eo Capite, quod inſcribitur, *De Benedictione ad fructus novos*, exhibet quidem recitatam ex Sacramentario Sancti Gregorii Orationem, ſed hanc tamen aliam ei ſtatim adjungit: *Oramus pietatem tuam, Omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris, & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, bene ✠ dictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ uſque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut a fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudet Nomen gloriæ tuæ. Per &c.*

II. Alias Orationes deſcribere, quæ dici conſueverunt in Eccleſiis ad benedicendos fructus novos in variis Feſtis, quæ per annum occurrunt, magni, ſupervaneique eſſet laboris. Sed ut aliquam ex hujuſmodi Benedictionibus recenſeam, celebris eſt illa uvæ novæ Benedictio, quæ fiebat die VI. Auguſti, & quidem in utraque Eccleſia, Orientali, & Occidentali. Nam extat in Græcorum Euchologio *Oratio in uvæ delibatione die ſexta Auguſti*, quæ eſt hujuſmodi: *Dominum precemur. Fructum hunc vitis novum aeris temperie, pluviæ ſtillis, & temporum tranquillitate ad maturitatem tuo placito deductum benedic, Domine, ut nobis ex hoc vitis genimine deguſtantibus ſit in lætitiam, & illud in donum offerentibus in peccatorum propitiationem, per Sanctum Corpus Chriſti tui, cum quo benedictus es, cum ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Habet & Eccleſia Latina Benedictionem uvæ die ipſa ſexta Auguſti in variis Miſſalibus, ac Ritualibus antiquis pariter, & recentioribus, præſertim vero in Sacramentario S. Gregorii Papæ his verbis conceptam: *Benedic, Domine, & hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore Cæli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, cum gratiarum actione percipi in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ritus autem iſtius Benedictionis peragendæ ita deſcribitur in Miſſali inſignis Eccleſiæ Lugdunenſis: *In Canone Miſſæ, antequam Sacerdos dicat,* Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, *ponantur a Diacono ſuper Altare ad partem dextram prope manum Sacerdotis dextram acini uvarum in vaſe mundo, & Sacerdos dicat:* Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ &c. *Deinde Sacerdos aſpergat acinos uvarum Aqua benedicta, & poſtea ſubjungat,* Per quem hæc omnia. *Diaconus vero elevet vas acinorum de Altari, & tradat Vicemagiſtro Chori; quo accepto, ipſe videlicet Vicemagiſter Chori diſtribuat acinos uvarum omnibus de conventu in Choro exiſtentibus, & omnibus aliis laicis in Eccleſia.*

III. Teſte Martene in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXXIII. num. XVI. ſimilis ritus obtinebat apud Gallos in S. Martini Eccleſia, vigetque hodie in Rotomagenſi S. Audoeni Monaſterio. Ex Miſſali vero Pictavienſi vinum novum ex uva recenti expreſſum liquabatur in Calice. Obſervat etiam Durandus Lib. VII. *Rationali Divinorum Officiorum*, Cap. XXII. poſt Belethum, *quod in quibuſdam locis hac die conficitur Sanguis Chriſti de novo vino, ſi inveniri poſſit, aut ſaltem aliquantulum de uva matura in Calice eliquatur.*

Addit præterea citato loco Durandus, benedici etiam die ipsa sexta Augusti racemos, *ex quibus populus commmunicat*. Sed hunc ritum, quem recenset Durandus, jam a multis sæculis velut abusum damnaverat Trullana Synodus Canone xxviii. in cujus Commentario nos Tomo II. Conciliorum plura notavimus de Benedictione uvæ peragi solita in utraque Ecclesia Græca & Latina, prædicta die vi. Augusti. Cæterum varias novorum diversorumque fructuum Benedictiones aliis diebus cultui Sanctorum dicatis fieri olim solitas legere est in Ritualibus antiquis Libris, atque Missalibus, imo & in Sacerdotali anni MDLXVII. Sed non omittendum a nobis hic illud, orationem, quam exibet in præsenti Capite Rituale Romanum pro novorum fructuum benedictione, applicari posse ad fructus novos quoscumque, id enim significat litera illa *N.* quæ in ipsa oratione posita est: *Bene ✠ dic Domine creaturam istam N.* nempe pomorum, ficuum, &c.

IV. Sunt itaque hujus Benedictionis materia novi fructus, & quidem tum arborum, tum aliarum plantarum, & primitiæ frugum terræ. Formula vero ad ipsos benedicendos, qualescumque ii sint, est illa in hoc Capite descripta. Causa autem finalis est recognitio fructuum a Divina largitate, & incolumitas Fidelium, ut fructus scilicet benedicti prosint tum corpori, tum animæ sumentium ex illis. Sed operæ pretium est, ut qui ipsos benedicunt, Fidelibusque distribuunt, mysteria etiam illis, & documenta exponant hujus Benedictionis; quæ tria potissimum sunt, ut post Saussay, & alios sacrorum Rituum expositores notat Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo iii. Præludio II. Primo itaque, cum diabolus ab initio ruinam humani generis comestione fructus a Deo vetiti machinatus fuerit, qua seduxit primos nostros parentes; hinc Mater Ecclesia in detestationem tanti sceleris, & ad vitandas diaboli fraudes, hanc fructuum novorum benedictionem instituit, ut sui Fideles antiqui casus memores, cauti efficiantur, ut recte monet Saussay in Panoplia Sacerdotali Parte II. Lib. II. Cap. iv. Articulo xv. Secundo benedicuntur novi fructus, & Deo consecrantur, ut hoc ritu profiteamur, Deum esse omnium fructuum largitorem, & debitas illi gratias nostro modo reddamus, ut supra dictum est. Est autem alius modus offerendi Deo primitias fructuum a Magistris Vitæ spiritualis summopere commendatus, quo videlicet utuntur Viri mortificationis studiosi, qui novos fructus in mensa oblatos prima vice, quando avidius appetuntur, nullatenus gustant, sed gulæ subtrahunt, sic illos Domino libantes, & veluti in Sacrificium offerentes, exemplo David, qui, uti habetur Lib. II. Regum, Cap. xxiii. aquam, quam valde desideraverat ex cisterna Bethlem sibi oblatam noluit bibere, sed libavit eam Domino. Tertio tandem hac benedictione instruimur, ut sicut primitias frugum terræ, & novos fructus Deo offerimus, & benedictione consecramus, ut ita omnes reliqui fructus Deo oblati censeantur; sic multo magis fructus nostrorum bonorum operum soli Deo offeramus per intentionem scilicet, qua soli Deo placere studeamus.

V. Minister demum hujus benedictionis est quilibet Sacerdos, imo & ipse etiam Clericus in Lectoratus Ordine constitutus ex Pontificali Romano Parte I. Titulo, *De ordinatione Lectorum*. In Admonitione enim fieri solita ex antiquo ritu ab Episcopo ad ipsos ordinandos Lectores sic inter alia edicitur: *Lectorem siquidem oportet .... benedicere panem, & omnes fructus novos.* Sed hujusmodi functionem, sicut & alias multas, quæ olim erant Lectorum, aliorumve Minoribus Ordinibus initiatorum, reservatas esse hodie solis Presbyteris, jam notavimus nos Tomo i. Commentariorum in citatam Partem i. Romani Pontificalis, Titulo vi. §. II. num. vi. Quod tamen intelligendum puto de benedictione publica, ac solemni, & præsente Sacerdote, ad quem potius, quam ad Lectorem benedictiones hujusmodi spectant. Cæterum quod etiam Viri laici sanctitate insignes consueverint benedicere fructus novos, iisque patrasse etiam multa miracula, Sanctorum Vitæ passim testantur, ac præsertim civis mei S. Francisci de Paula Ordinis Minimorum Institutoris, qui hujusmodi fructibus a se benedictis varios infirmos sanitati restituit. Sed hæc Sanctorum laicorum benedictio erat privata, non vero publica, quam vi suæ potestatis forte etiam hodieque Clericus Lector, absente Sacerdote, adhibere posset. Sed de hac re vide eruditum Pompeum Sarnellium Tomo vi. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistola xvi.

VI. Nec solum Sancti Viri novos dumtaxat fructus benedicebant, sed & tunc, cum novitatem quodammodo exuissent. Quare S. Malachias Hiberniæ Episcopus mulierem sanguinis profluvio de vita periclitantem, missis tribus benedictis pomis, ab interitu vindicavit, ut in ejus Vita scribit S. Bernardus. Etiam flores benedici consuevisse, & benedictos salutem attulisse, exemplum insigne habemus in S. Gothardo, quod ita narrat Auctor ejus vitæ apud Surium die vi. Maji *Erat Goslariæ matrona, quæ gravissimis oculorum doloribus cruciabatur, ita ut per dies aliquot nec cibum, nec somnum capere posset; quæ filiolum suum ad Episcopum cum quibusdam munusculis misit, eumque certiorem faciens de immodicis doloribus suis aliquid cibi petiit ab ipso remedii adhiberi. Audiens hoc Vir Dei, non sine quadam jucunditate subrisit, & flores quosdam rubicundos de quadam arbore ei forte eodem momento a paupere homine oblata decerpens, eos signo Crucis munivit, dansque eos puerolo*, Affer, *inquit*, hos flosculos dilectæ mihi matri tuæ, ut eos servet pro mei memoria, & a Deo petat sanitatem. *Illa vero simul atque flores ægris admovit oculis, ut sæpe etiam jurando coram nobis affirmavit, dolores omnes incredibili celeritate a toto capite evanescere sensit; statimque, & foribus, & fenestris patefactis, quæ hactenus morbi illius causa clausæ permanserant, perspicue vidit oculis suis, nec ullam amplius sensit in iis molestiam.*

VII. Sed ut ad fructus redeam, notandum denique hoc loco censui, quod in antiquorum recentiumque Vitis Sanctorum legitur, præsertim in illa S. civis mei Francisci de Paula, quam alius meus civis Josephus Maria Perrimezzi Ravellen. primum, & Scalen. Episcopus, ac tandem Bostrensis Archiepiscopus Notis & Dissertationibus illustravit, fructus nimirum, ac aliquando fraga S. Viri nutu, extra tempus, & quod mirabilius est, sine planta nata, eademque cuidam morbo applicata, cum quo naturalem connexionem non habebant, miraculose tamen sanitatis effectum produxisse. Testatur id quidem in Consentino Processu Canonizationis S. Francisci de Paula Testis lxxxviii. nobilis Jacobus Curtus de

de Paterno, qui dixit, *quod cum esset in Figlino Villa Consentina cognata sua nomine domna Angela, quæ erat ad mortem infirma, quia non poterat mingere tribus diebus, ipseque Testis ivisset visitatum dictam ægram, quæ erat omni medicorum auxilio destituta, hortatus est eam, ut recurreret ad devotionem dicti F. Francisci. Ipsaque infirma rogavit, quod accederet ad dictum F. Franciscum, & impetraret gratiam salutis pro ea. Cumque ipse Testis iret, invenit dictum F. Franciscum in silva, ubi faciebat scindi ligna, & antequam ipse Testis diceret aliquid, dictus F. Franciscus prævenit eum, dicens ei:* Tu me indiges; *responditque dictus Testis, esse verum. Cumque narraret necessitatem suam, dictus Fr. Franciscus strinxit humeros, excusans se, & dicens, se nescire quid faceret; se enim esse in loco, ubi non habebat quid ægrotæ mitteret; quod si in Monasterio fuisset, misisset sibi aliquid pro devotione. Sicque, cum semper humeros stringeret cum humilitate, extendit manum in terram, & in pede cujusdam quercus cœpit colligere manipulum fragorum maturorum, dictusque Testis non vidit herbam, quæ producit dictos fructus; ignoratque, in dicto loco fuisse unquam fraga, nec videbatur terra apta ad producendum hujusmodi fructum; factoque dicto fasciculo, misit eum ad ægrotam per quemdam famulum, ut illum in devotionem acciperet; quem acceptum cum comedisset, statim minxit, & sanata est.*

VIII. Plurima in hoc uno facto, & quidem absque necessitate miracula multiplicantur, quod contra videtur illud Scholarum effatum, quo dicitur, multiplicanda non esse sine necessitate miracula. Attamen, ut scite notat laudatus Perrimezzi in prædicta Vita, Parte II. Dissertatione XI. pag. 206. aliquando Deus ad manifestandam omnipotentiam suam, vel ad Servorum suorum virtutem magnificandam, etiam sine necessitate miraeula multiplicat, & operatur. Sic profecto S. Franciscus de Paula, cum potuisset qualibet herba, vel fructu morbum illum miraculose depellere, alio miraculo adjecto, quo quidem pro morbi depulsione opus non erat, fraga nasci fecit, ubi nec terra ad illa producenda apta, nec planta ipsorum aliqua reperiebatur. Unum quidem fuisset miraculum, si fraga naturalem habuissent virtutem pro morbo illo depellendo; sed cum hæc virtus in fragis non esset, sicuti nec in aliis herbis, quæ jam natæ in loco illo naturaliter inveniebantur, poterat unam ex herbis illis morbo applicare, absque eo quod altero non necessario miraculo fraga nasci faceret. Deus tamen ad suæ omnipotentiæ manifestationem, & ad Servi sui honorem miracula etiam absque necessitate dignatus est multiplicare. Atque hæc adnotare placuit, non modo ad explicationem prædicti miraculi, verum etiam ad aliorum id genus complurium, quæ Sancti Viri patrarunt virtute Benedictionis, quam vel rebus comestibilibus impertiebant, quæ in his nostris Commentariis passim occurrunt.

# CAPUT XIX.

## *Benedictio ad quodcumque comestibile.*

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cœlum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Bene ✠ dic, Domine, creaturam istam N. ut sit remedium generi humano, & præsta per invocationem Nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Aspergat Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. Quum multiplex sit ciborum genus, longumque esset ad singulos peculiarem Benedictionem applicare, recte admodum præscripta est in hoc Capite, *Benedictio ad quodcumque comestibile*; sive, ut in Sacerdotali anni MDLXVII. legitur, *Benedictio communis ad omnia*, quæ & unica hac oratione continetur, in hoc eodem Capite expressa. Porro quum ea, quæ diximus in Commentario ad Caput XIII. quod inscriptum est, *Benedictio esculentorum &c.* multum & ad hujus Capitis explicationem faciant, lectorem ad prædicti Capitis XIII. Commentarium remittimus; hoc unum hoc loco addentes, ut, quod sæpe Scriptura inculcat, & prisci Fideles in usu habuere, ante, & post cibum gratiæ Deo agantur, juxta illud Apostoli in Epistola I. ad Corinthios, Cap. X. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; itemque illud in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. iterum iterumque in superioribus Commentariis memoratum, explicatumque: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum Dei, & Orationem.*

II. Ex hac Apostoli doctrina, uti notatum non uno in loco superius fuit, & præsertim in Cap. XIII. prodiit Christianus ritus omnia benedicendi quæcumque ad cibum, & potum, hoc est alimentum humani generis assumi possunt. Cum signo Crucis peragi ipsa Benedictio solet, & jam olim in ipsa primitiva Ecclesia fieri consueverat, ut ex Tertulliano constat in Libro, *De corona Militis*, Cap. II. & ex S. Joanne Chrysostomo in prædictum Apostoli locum, ubi corripiens illorum superstitionem, qui quidem alimenta sumere ex inani metu immunditiæ renuebant, sic effatur: *Demus, quod quidpiam sit immundam, sed habes medicinam, signa, gratias age, glorifica Deum, & defecit immunditia, nam gratiarum actio cuncta purgat; qui vero ingratus*

*tus est, immundus est, & pollutus*. Pulchre id declarat Aurelius Prudentius in Hymno ante cibum, dum sic concinit.

*Te sine, dulce nihil, Domine,*
*Nec juvat ore quid appetere,*
*Pocula ni prius, atque cibos,*
*Christe tuus favor imbuerit,*

Et infra;

*Omnia sanctificante Fide*
*Fercula nostra Deum sapiant,*
*Christus & influat in patinas,*
*Seria, ludicra, verba, jocos,*
*Denique, quod sumus, atque agimus,*
*Trina superna regat pietas;*

Et sub finem;

*Da locuples Deus hoc famulis*
*Rite precantibus, ut tenui*
*Membra cibo recreata levent,*
*Neu piger immodicis dapibus*
*Viscera tanta gravet stomachus,*
*Sospitet ut jecur incolume.*

III. Notat hæc pius æque, ac eruditus Sausſay Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Lib. II. Articulo XVI. ubi etiam ait, quod propter hominum intemperantiam, & prodigiosam erga Deum ingratitudinem (plerique enim sunt, qui Epicureo more edunt, & bibunt sine moderatione ulla, & quod pejus est, sine ulla recognitione beneficiorum Dei Creatoris mundi) usurparunt sibi dæmones nonnihil potestatis in cibos, qui plerumque justo Dei judicio ipsis carnalibus, & ingratis hominibus valde nocent, ut docet S. Augustinus Lib. XVIII. *De Civitate Dei*, Cap. XVII. & XVIII. exemploque notat insigni S. Gregorius Lib. I. Dialogorum, Cap. IV. dum narrat dæmonem invasisse Monialem, quæ lactucam sumpserat sine prævia Benedictione. Hinc a Sanctis Patribus, & Eremitis panes, mel, lac, vinum, & cætera alimenta statis formulis benedicebantur, ut diaboli vis, & potestas ex eis expelleretur, & per has Benedictiones fieret sanitas mentis, & corporis iis, qui illis utebantur, unaque Deo, ut omnium bonorum vero principio gratiarum actiones de beneficiis suis rependerentur. Cæterum hanc semper Ecclesia disciplinam servavit, & ut efficacior foret Benedictio, ubi adesset Sacerdos, speciali formula, quæ supra recitata est, illam ab eo fieri ordinavit.

# CAPUT XX.

## *Benedictio Olei simplicis.*

I. RECte observat ad Capitis hujus Rubricam inter alios Barrufaldus, non in sola aquæ substantia, ad salutem humani generis, Deum condidisse Sacramenta, sed Oleum quoque assumpsisse, ut in aliquibus Sacramentis locum, & quidem dignissimum, haberet, nempe in Baptismo, in Confirmatione, in Ordine, & in Extrema Unctione, ac in quibusdam etiam Benedictionibus, de quibus, & supra in Commentariis ad Tomum I. hujus Operis diximus, & in iis, quibus Pontificale Romanum explicuimus. At vero in præsenti Capite loquitur nostrum Rituale de Olei simplicis Benedictione, quæ quidem a quocumque Sacerdote fieri potest sub præscripta forma in §. I. notata. Dupliciter autem intelligi potest ea vox *simplex*; nempe quod tale Oleum sit simplex olivarum, & usuale, non compositum, neque mixtum, aut medicinale. Vel quod talis Benedictio Olei simplicis, sit simplex, & ordinaria, non autem illa solemnis, quæ fit ab Episcopo in Feria V. majoris hebdomadæ, uti observat memoratus toties Paulus Maria Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Tit. III. Sectione XIII. Præludio I. Sed vide & ea, quæ dicemus etiam nos mox in Commentario ad sequentem §. in quo multa invenies, quibus ipsa Olei simplicis Benedictio, aliaque ad eam spectantia dilucidantur.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

Exorcismus.

*Exorcizo te creatura Olei per Deum Patrem ✠ Omnipotentem, qui fecit Cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma Satanæ eradicare, & effugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis, & corporis in Nomine Dei Patris ✠ Omnipotentis, & Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & Spiritus Sancti ✠ Paracliti, & in charitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem*. ℟. *Amen*.

℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

*Domine Deus Omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur; dignare respicere, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare hanc creaturam Olei, quam ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus, sanitate percepta, tibi Deo vivo, & vero gratias agerent: præsta quæsumus, ut hi, qui hoc Oleo, quod in tuo Nomine bene ✠ dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, & cunctæ adversitates separentur a plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti, ut nun-*

*nunquam lædatur a morsu hostis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate &c.* Aspergat Oleum Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. RItum benedicendi Oleum ad curandos infirmos, manasse a Christo Domino, cujus mandato Apostoli ungentes Oleo infirmos, plurimos a variis morbis liberarunt, docet nos Evangelium Marci, Cap. VI. versu II. ubi de ipsis Apostolis dicitur, quod *ungebant Oleo multos ægros, & sanabant*. Non loquimur in præsentiarum de Oleo, quod est materia Sacramentorum Confirmationis, & Extremæ Unctionis, & solemni ritu benedici solet ab Episcopis quotannis Feria V. in Cœna Domini, de quibus abunde loquuti sumus Tomo III. Commentariorum in Partem III. Pontificalis Romani, in Commentariis ad Titulum IV. qui inscriptus est, *De Officio in Feria V. Cœnæ Domini, cum benedicitur Oleum Catechumenorum, & Infirmorum, & conficitur Chrisma*; sed de Oleo simplici olivarum, quod simplici ritu in utraque Ecclesia Orientali, & Occidentali, ab inferioribus Sacerdotibus benedici solitum fuit, ad curandos, ut dictum est, infirmos. Hoc ergo simplex Oleum Ecclesia a Christo edocta a temporibus Apostolorum benedicere solita fuit, ut patet ex Rituali Græcorum, & Ritualibus priscis æque, ac recentioribus Latinis, in quibus variæ extant orationes ad ungendos hoc simplici Oleo, rite tamen benedicto, morbis affectos.

II. Porro ex verbis Exorcismi, & Orationis in hoc Capite præscriptis satis patet, quo fine Oleum istud benedicatur. Sed quæri potest hic primum, cur hoc Oleum dicatur Oleum simplex? Forte ad differentiam Chrismatis, quod mixtum est ex Oleo olivarum, & balsamo; seu potius, quia non ad usum ullius Sacramenti benedicitur, ut sit illius materia, ut Oleum Infirmorum Extremæ Unctionis, Chrisma Confirmationis, & Oleum Catechumenorum, appendix, & accessorium Baptismi, sed tantum ad hunc effectum, ut infirmis solatium afferat, dæmonibus terrorem incutiat, hosque expellat, & Fideles adversus eorum insidias, ac insultus, & contra adversa quæque tueatur, & per modum deprecationis tantum, non vero, ut fit per Sacramenta, per modum operis operati, ut loquuntur Theologi, ac præsertim eruditus Sauffay, Parte II. Panopliæ Sacerdotalis, Libro II. Articulo VIII. ubi eam quæstionem movet, atque resolvit.

III. Quæri II. potest, cur istud Oleum Exorcismo adjuretur, & non alia esculenta, poculentave? Cui respondendum est, institutum fuisse in ista Olei simplicis Benedictione Exorcismum, tum quia materia Olei solet multis præstigiis fascinari, ut ad maleficia inserviat, ut tradit Delrius, Lib. I Disquisitionum magicarum, Parte I. Quæstione III. Sectione II. qui narrat etiam, olivarum ossa incendendo quandoque fieri maleficia; tum vero potissimum, quod Oleum ipsum benedici solet ad curandos infirmos, & energumenos liberandos, uti pluribus exemplis probari posset; ideoque opportune Ecclesia Exorcismum ipsum instituit, ut per eum, *omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma satanæ eradicetur &c.* ut in eodem Exorcismo legitur, & post memoratum Quarti notavit Barrufaldus loco citato, num. 10. Esse autem antiquum ritum, ut Oleum ipsum, præmisso Exorcismo, benediceretur, docet nos exemplum S. Martini, qui, ut testatur Severus Sulpitius in Dialogo III. de virtute, & miraculis ejusdem S. Præsulis, cum Oleo benedicto mutæ cuidam puellæ loquendi facultatem reddidit, *pusillum Olei*, inquit, *cum Exorcismi præfatione benedicit, atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit*.

IV. Tandem quæri & illud potest, undenam colligitur, quod in recitata superius Oratione istius Benedictionis Olei simplicis legitur, videlicet, quod jusserit Deus, Oleo infirmos inungi? Si enim hic fiat respectus ad illa verba Jacobi in Epistola sua Canonica, Cap. V. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini*: Oleum istud a Presbytero benedictum, esset materia Sacramenti Extremæ Unctionis; quod alienum est ab Ecclesiæ usu, & consensu; ex quo liquet, nonnisi Episcopo licere Oleum Infirmorum benedicere, quod sit materia illius Sacramenti. Dico igitur cum eodem Sauffay loco citato, Divinum hoc mandatum, cujus in Oratione Benedictionis Olei simplicis fit mentio, elici ex Capite VI. Evangelii S. Marci, ubi refert missos a Christo Domino Discipulos, prædicasse pœnitentiam, & dæmonia multa ejecisse; additque: *Et ungebant Oleo multos ægros, & sanabant*. Sicut igitur Christi mandato prædicabant, & dæmonia expellebant, ita etiam sanabant ægros, ungentes eos Oleo per modum opitulationis corporalis, non tamen per modum virtutis Sacramentalis, quæ per Sacramentum Extremæ Unctionis adhibetur, cui annexa est gratia spiritualis; nam ait in citata Epistola sua Apostolus Jacobus memorati Sacramenti promulgator: *Et oratio Fidei salvabit infirmum &c. Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Quod minime fiebat per unctionem illam, quam commemorat S. Marcus; hujus enim effectus circa corpora tantum versabatur, quamobrem de ea dumtaxat ait: *Et ungebant Oleo multos ægros, & sanabant*.

V. Quo exemplo usus invaluit apud Sanctos, qui dono curationum Divino munere præditi erant, ut, ne sibi sanitatum solatia tribuerentur, sed Divinæ virtuti, ac beneficio, infirmos Oleo benedicto inungerent. Ejusmodi Oleo Proculum Christianum curasse Severum Impetorem, testis est Tertullianus in Libro ad Scapulam, Cap. V. Moris hujus Christianorum, qui morbos Oleo benedicto curabant, meminit idem Tertullianus initio Scorpiaci adversus Gnosticos, Cap. I. ubi ait, Christianos a scorpione læsos tria hæc remedia adhibuisse, signaculum sanctæ Crucis, adjurationem, seu Exorcismum, & unctionem, factam scilicet Oleo per Verbum Dei sanctificato: *In remediis*, contra ictus scilicet scorpionum, *naturalia plurimum, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro, & poculo occurrit*. Et mox: *Nobis Fides præsidium, si non*

*non & ipsa percutitur diffidentia, signandi statim, & adjurandi, & ungendi bestiæ calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis sæpe subvenimus donati a Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, quum morsum viperæ sprevit.* Alludit ad illud, quod legitur initio Capitis XXVIII. Actuum Apostolorum, ubi dicitur, quod in Insula Melita S. Paulus percussus a vipera, excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. Sane recitatus Tertulliani locus aperte illud evincit, vetustissimos Christianos Oleo benedicto venenatis morsibus, aliisque incommodis medicinam fecisse; tametsi Junius Calvinista in Notis suis ad Tertullianum omni ope annitatur, ut huic tantæ luci tenebras inspergat; quem tamen doctissimus Gretserus in suis ad Notas Junianas Notationibus egregie confutavit, & pestilentes sectarii offucias profligavit.

VI. Testis præterea est S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, qui claruit Sæculo III. agricolas a serpentibus, & venenatis animalibus percussos, accepto Oleo ab illo benedicto, vulnera sua ungentes, pristinæ sanitati fuisse restitutos: *Terra sitiens*, inquit, *arenosaque regio, postquam pluviis irrorata est, tantam serpentum, & venenatorum animalium ex improviso ebullivit multitudinem, ut percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque Oleo universi agricolæ, atque pastores, tangentes vulnera, certam salutem resumebant.* Idem refert Ruffinus Lib. II. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. IV. de Discipulis S. Antonii, & Severus Sulpitius in Vita S. Martini, Lib. I. Capite XV. & Dialogo III. Cap. II. ubi refert insignia miracula ab ipso S. Martino patrata Olei benedicti perfusione super infirmos. Similia de duobus Macariis refert Palladius, ac alii prisci Scriptores de aliis Sanctis, quorum varia, ac innumera pene miracula per Oleum ab ipsis benedictum recensentur in eorum Vitis a Surio, & a Bollandianis collectis, de quibus nos mox infra dicemus. Ubi enim donum opitulationum, de quibus inter alia loquitur Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XII. Versu XXVIII. minus in Ecclesia frequens esse cœpit, & infirmorum gratiam mos ille crebriori usu receptus est, ut citra Sacramentum Extremæ Unctionis, ægrotis variis languoribus vexatis Oleum concederetur, non modo ab Episcopo, sed & a Sacerdote quolibet ad hunc usum benedicto, quo sanitatum solatia, si cum fide hoc lenimentum adhiberent, consequerentur, sicut plerisque contigisse pie hoc subsidio utentibus, experientia longæva docuit, tum apud Latinos, tum apud Græcos, in quorum Ritualibus formula etiam extat Benedictionis Olei simplicis, de qua in præsenti loquimur.

VII. Sed ut aliqua nunc ex pene innumeris miracula referam virtute Olei benedicti variis temporibus patrata, Oleo quidem benedicto multos morbos depulit S. Germanus Episcopus Parisiensis, ut scribit in ejus Vita Fortunatus Pictavorum Episcopus, & primum Cap. XXV. ubi sic inquit: *In Pago Parisiaco quidam impetu lupi rabidi laceratus, & extra sensum effectus, Beato Sacerdoti est miserabiliter oblatus. Hic ad illa suæ artis recurrens suffragia, mox brachio Olei benedicti liquore circumlito, & sacris digitis medicabiliter attracto, pestis illa, quæ viscera dolore grassante pervaserat, loca fugit obsessa, jamque putredine resoluta; sicque vigore pristino restituto, sine cunctatione, velut experrecto de sopore, dolor omnis recessit, mens rediit.* Idem Sanctus, ut in prædicta ejus Vita legitur, mulierem mancam, cui palma digitis affixa fuerat, curavit, cum prius eam salva tetigisset, ac deinde *Oleo perunxisset*. Eodem Olei benedicti remedio cæcæ feminæ oculos aperuit. Aliam *novem dies aperto ore biantem, neque ullo modo dentes, aut labia jungere valentem*, similiter Oleo benedicto a malo præsenti liberavit. Paralyticum quoque curavit, *sanctificati Olei liquore eum perfundens*. Simili medicamine medicinam fecit alii cuidam puero paralytico, *continuatim per triduum sacro liniens Oleo*. Iterum paralyticum eodem Oleo sanavit, ut & podagricum; ac puellam præterea, quæ simul cæca, surda, & muta erat. Alium etiam, cujus brachium valde intumuerat; alium cæcitate percussum; itemque aliam mulierem cæcam, hydropicum, & contractum.

VIII. Lubet & his alia adjungere. Quod S. Guthbertus Episcopus Lindisfarnensis puellam capitis, & laterum doloribus cruciatam Oleo benedicto sanaverit, testatur Beda in ejus Vita, Cap. XXX. Quod S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus feminam curaverit, cujus ubera propemodum exaruerant, ut infantibus alimenta suppeditare non possent, docet Auctor ejus Vitæ apud Surium die VI. Aprilis. Quod S. Nicetas Confessor quemdam Oleo benedicto ab amentia liberarit, Scriptor etiam ejus Vitæ testatur. Quod S. Theodosius Coenobiarcha Oleo benedicto bruchos, & locustas fugaverit, ne frugibus detrimentum afferrent, ex Metaphraste laudatus Surius tradit die XI. Januarii. Sedatam maris tempestatem per Oleum benedictum a B. Aidano, testis est laudatus Beda Lib. III. Historiæ Anglicanæ. Cum enim Utta Presbyter Cantuariam profecturus una cum suis sociis, preces a B. Aidano postulasset, *ille benedicens eos, & Domino commendans, dedit etiam Oleum sanctificatum*. Scio, *inquiens*, quod, ubi navem ascenderitis, tempestas vobis, & ventus contrarius superveniet, sed tu memento, ut hoc Oleum, quod tibi do, mittas in mare, & statim, quiescientibus ventis, serenitas maris vos læta prosequetur, & cupito itinere domum remittet. *Quæ cuncta, ut prædixerat Antistes, ex ordine completa sunt. Equidem in primis furentibus undis pelagi, tentabant nautæ, anchoris in mare missis, navem retinere; neque hoc agentes aliquid proficiebant. Cumque mergentibus undique, & implere incipientibus navem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, jam jamque adesse viderent, tandem Presbyter reminiscens verba Antistitis, assumpta ampulla, misit de Oleo in pontum, & statim, ut prædictum erat, a suo quievit fervore, sicque factum est, ut Vir Dei per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram, & per virtutem ejusdem spiritus, hanc exortam, quamvis corporaliter absens, sopiverit.*

IX. Liberatos præsertim energumenos fuisse a dæmoniis virtute Olei benedicti, permultis constat exemplis, quæ in Sanctorum Vitis occurrunt. Certe refert Palladius in Historia Lausiaca, S. Macarium puero energumeno per Oleum benedictum saluti fuisse. De S. Theodoro Siceota narrat inter alia Auctor ejus Vitæ, quod Ostiarium suum, cui dæmon manum ingenti cum tumo-

more, & dolore invaserat, *accepto Oleo, cui Vir Sanctus benedixerat, manum unxit, triduoque convaluit*. Nautam quoque ait vexatum a dæmone liberasse. Hinc, ut alia exempla omittam, quod ipsum Oleum ad obsessos a dæmonio liberandos quammaxime valeat, factum est, ut Oleum prædictum, præmisso Exorcismo, benedici ex antiquo, prolatoque Ecclesiæ ritu soleat, uti jam diximus supra, num. III. ubi locum insignem descripsimus Severi Sulpitii, exemplumque S. Martini Episcopi, qui Oleum ipsum, ad reddendam cuidam puellæ mutæ loquendi facultatem, cum Exorcismi præfatione benedixit.

X. Aliis tandem omissis exemplis, hanc plane de Oleo benedicto ad curandos morbos legem tradiderunt Capitularia Regum Francorum, Lib. VI. Cap. LXXII. *Ut a Clericis, vel laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ, quæ imprudentes pro frebribus, aut aliis pestibus adjuvari putant, nullo modo, vel ab illis, vel a quoquam Christiano fiant, quia magicæ artis insignia sunt. Sed pro infirmitate, illud, quod Apostoli, & Canones sanxerunt, idest, Orationes, & sacri Olei unctio fiat*. Teste Sozomeno Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XXIX. Beniamino Monacho, Oleoque ab eo benedicto Deus hanc gratiam largitus fuerat, *ut solo contactu manus, aut Oleo, supra quod orabat, absque medicamentis, ægrotos omni morborum genere liberaret*. Quod etiam S. Theodoricus Abbas Oleo benedicto filiam Theodorici Regis Franciæ a morte ad vitam revocasset, docet Auctor ejus Vitæ apud Surium die 1. Julii. Cum vero Oleum ipsum ex superius dictis, & testimoniis veterum, recentiorumque Scriptorum sit omnium morborum remedium, multumque valeat contra venenatos serpentium morsus, mirari subit, quod, ubi tot sunt buccinatores illius medicaminis, quod *Trejaca* vulgo appellatur, ad cujus vascula emenda vel ipsi rustici pauperiores turmatim confluunt, ut se muniant contra serpentium venatorum ictus, nullus sit, qui virtutem Olei benedicti prædicet, illudque ad probatum tot miraculis usum revocet, juxta ritum etiam in recentiori Romano Rituali præscriptum. Atque hic lubet exemplum referre S. Paterni Episcopi Abrincensis, qui ut narrat Auctor Vitæ illius apud Surium die XVI. Aprilis, per Oleum benedictum, puerum a serpente percussum ab interitu servavit: *Edito*, inquit, *Crucis signo, & Olei liquore puero perfuso, exitiale virus tali antidoto profligavit*.

XI. Forte dicet quispiam ideo Olei simplicis, sicut & aliarum quarundam rerum Benedictiones in desuetudinem abiisse, quod earum usu miracula patrari non videantur. Sed possem breviter respondere cum Gretsero, Lib. II. *De Benedictionibis*, Cap. LI. id fieri, si fiat, ea de causa, qua factum est, cur Christus Dominus sua in Patria, vel nulla, vel pauca miracula ediderit: *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*, ut inquit S. Matthæus Cap. XIII. vel, ut disertius ait S. Marcus Cap. VI. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curavit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum*. Ut igitur tunc miraculis patrandis incredulitas obstitit, ita & nunc forsan obsistere posset, quando plerique Benedictiones, & res benedictas in postremis ducunt, & exiguo honore dignantur, si non omnino aspernantur; & contemptus comes incredulitatis, miraculorum obex est. Nec populares Christi Christo tantum non credebant, sed & eundem contemnebant, dictitantes haud sine despectu apud eundem Marcum loco citato: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo*. Nec quidquam honoris, & reverentiæ ei deferebant. Qua occasione Dominus sententiam illam protulit: *Quia non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua*. Jure igitur illi fructu miraculorum privati sunt. Jure his etiam temporibus ejusdem fructu expertes manent, qui & incredulitate, & contemptione Benedictionum, rerumque benedictarum laborant.

XII. Deinde respondeo cum eodem Scriptore, etiam hoc ævo miracula per Benedictiones, & res benedictas fieri, sed quæ nunc est, socordia hominum vix observari, nec ad plurium notitiam studiose diffundi. Utar hic verbis S. Augustini Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. ubi ita inquit: *Etiam nunc fiunt miracula in ejus Nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per Orationes, vel Memorias Sanctorum ejus, sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe Sacrarum Literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum; hæc autem ubicumque fiunt ibi sciuntur, vix a tota ipsa Civitate, vel quocumque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit Civitas, & quando alibi, aliisque narrantur, non tanta ea commendat authoritas, ut sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamvis Christianis Fidelibus a Fidelibus indicentur*. Tum narratis multis miraculis suo ævo patratis, ita concludit: *Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa, quæ legimus, fecit; sed ista nec similiter innotescunt, neque, ut non excidant animo, quasi glarea memoriæ crebra lectione tunduntur. Nam & ubi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, ut libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo, semel hoc audiunt qui adsunt, pluresque non adsunt, ut nec illi qui adfuerunt, post aliquot dies quod audierunt, mente retineant & vix quisquam reperiatur illorum, qui ei, quem non affuisse cognoverit, indicet quod audivit*.

XIII. Addi & his insuper potest, nos usu rerum benedictarum aliquando etiam nescientes beneficia Divinitus accipere. Quoties enim, ut recte ratiocinatur Gretserus citato loco, vel tibi, vel rebus tuis damnum inferretur, nisi illud, vel Aqua benedicta, vel alia quapiam re sacra averteres? Multis exemplis notum est, veneficos, aliosque dæmonis satellites, & administros, hominibus, vel pecoribus nocere voluisse, nec potuisse, quod præsentia rerum benedictarum impedirentur. Recte igitur rebus suis consulunt, qui domibus, itemque ubi pecora pabulantur, Aquam benedictam, vel spargunt, vel certo loco in urceolis suspendunt. Idemque dictum sit de Agno cereo Pontificio, de Candelis, Palmisque benedictis, ac præsertim de Oleo simplici benedicto, cujus virtute, uti superius ostendimus, innumera pene omni ævo Fideles con

consequuti sunt beneficia, mirarique iccirco nunquam desinam, cur ipsa Olei simplicis Benedictio in Rituali Romano notata, multis in locis in desuetudinem abierit.

XIV. Porro communiter pro Oleo rite a Sacerdote benedicto adhiberi solet a Fidelibus Oleum illud, quod ardet in lampadibus, quæ collucent in Altaribus, in quibus extant miraculosæ Imagines, Reliquiæve Sanctorum, quodque ad avertenda mala plurimum valet, ut docent nos varia exempla gratiarum, quæ hujusmodi Oleo frequenter obtinentur; ac illo, quod ardet Suriani nostræ Calabriæ ulterioris coram celebri S. Dominici Imagine. In veterum Sanctorum Vitis a Surio allatis varia occurrunt id genus exempla. Certe quod olim Oleo ex S. Petri Sepulchro Romæ sumpto multi ægri fuerint sanati, constat ex Vita S. Boniti Arvernorum Episcopi apud eundem Surium die xv. Januarii, ubi sic inter alia legitur: *Cum autem multa infirmorum turba eum ubique prosequeretur, ille ubicumque poterat, in hospitiolum se se abdidit, jactantiæ virus summopere devitans; ægros autem Oleo, quod ex B. Petri Sepulchro pro benedictione assumi jusserat, ungi mandavit; mox autem percepta salute, cum Dei laudibus illi ad propria discedebant.* Præ cæteris autem commendandum est Oleum, quod ante Altare Sanctissimi Sacramenti ardet: *Nam hæc Mensa*, ut verbis utar S. Joannis Chrysostomi in Homilia xxxiii. in Caput ix. Matthæi, *longe pretiosior est, atque jucundior; & lucerna hæc, quam illa, ut norunt, qui cum Fide Oleo peruncti, a morbis liberati sunt. Arca etiam hæc multo melior, magisque necessaria; non enim vestes, sed misericordiam inclusam continet, quamvis pauci sint, qui eam possideant.*

XV. Sed ut tandem quod in nostro §. edicitur, strictius explicemus, Oleo simplici benedicendo. præmittendum esse Exorcismum, docet nos antiqua Ecclesiæ disciplina, cui quidem inhæsit S. Martinus, qui, ut testatur Severus Sulpitius jam a nobis allegatus in præfatione hujus Capitis, num iii. quum Oleo benedicto mutæ cuidam puellæ loquendi facultatem reddidit, *pusillum Olei cum Exorcismi præfatione benedixit, atque ita os puellæ sanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit*. Cur in ipsa Olei simplicis Benedictione Exorcismus adhibeatur, in eadem præfatione explicuimus, citato loco. Ad Orationem quod attinet in nostro §. notatam, legitur & ipsa una cum Exorcismo in variis Ritualibus. Viguit olim, vigetque hodie & apud Græcos hic ritus benedicendi Oleum simplex in gratiam infirmorum, ut liquet ex Euchologio, seu Rituali Græcorum a doctissimo Jacobo Goar Notis illustrato, ubi juxta editionem Venetam pag. 679. extat *Oratio super infirmi Oleo*, quæ sic habet: *Deus multæ misericordiæ, dives in bonitate, Domine, & Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui animarum, corporumque nostrorum infirmitates curas; qui per Sanctos Apostolos tuos Oleo cum Oratione Ecclesiæ Presbyteros infirmitates curare docuisti: ipse Domine Oleum quoque istud sanctifica, ut ex eo ungendis in omnis doloris, & corporeæ infirmitatis, carnisque, & spiritus sordium medelam fiat, ut & nunc celebretur Sanctissimum Nomen tuum. Tuum enim est misereri, & salvare, Deus noster; & tibi gloriam &c.* Sane tradit laudatus Goar, desumptam esse hanc Orationem ex antiquo ms. Codice Cryptoferratensi Cardinalis Bessarionis.

## CAPUT XXI.

### *Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendæ.*

I. Certa est illa Theologorum, & Canonistarum doctrina, Benedictiones quarundam rerum, quæ nonnisi ut benedictæ sunt materia alicujus Sacramenti, ita ad Episcopos pertinere, ut nec auctoritate Summi Pontificis delegari aliis Episcopo inferioribus possint, cujusmodi sunt Benedictiones Chrismatis, & Olei Catechumenorum, & Infirmorum, ut ajunt qui tractant de Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ad quos lectorem remittimus; non enim hæ Benedictiones proprie spectant ad nostrum institutum. Pertinent præterea & ad solum Episcopum Benedictiones, quæ sacra Unctione perficiuntur, & quidem ex institutione Ecclesiæ, strictoque jure ita sunt Episcopali Ordini adnexæ, ut non possint ab ipso Episcopo Sacerdotibus inferioribus delegari, cujusmodi sunt consecratio Ecclesiæ, Altaris, Calicis, Campanarum, atque aliarum rerum Benedictiones, quarum Ecclesia Ministros voluit solos Episcopos. Sunt tandem & aliæ Benedictiones reservatæ Episcopis, licet ipse sacra Unctione minime peragantur, Corporalium scilicet, Sacerdotalium indumentorum, & similium, quæ ad usum, & ornatum Sacrificii destinantur, ad majorem ipsius Sacrificii reverentiam, sed non ita tamen Ordini Episcopali adnexæ, quin delegari nequeant aliis Sacerdotibus, saltem ex privilegio Summi Pontificis, uti addiscere licet ex Concilio Provinciali vi. Mediolanensi, Capite, quod inscriptum est, *De Sacramentalibus*, ubi S. Carolus sic edicit: *Ne quis Episcopo inferior vestes, indumenta, vasave ad Missæ Sacrificium, Divinorumque Officiorum cultum, aut ad Altaris ornatum parata, sine Sedis Apostolicæ facultate benedicat, nisi si alicui de Jure talia benedicendi facultas competeret.*

II. Sed jam longe ante S. Carolum, & antiquissimi Sacramentorum Codices, & Sacræ Synodi expresse statuerant, ut nullus vestimenta Sacerdotalia, vel Altaris utensilia præter Episcopum benedicere præsumat. Ita plane cautum est ex Concilio Pictaviensi celebrato anno MC. Can. iv. Ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, cui consonant alii complures Pontificales Codices posterioris ætatis, ubi Ecclesia dedicabatur, *tenentibus Subdiaconis, vel Acolythis Linteamina, vel omnia ornamenta Ecclesiæ, seu vasa sacra, quæcumque ad cultum Dei, & Ecclesiæ pertinere videntur*, benedicebat *ea Pontifex*. Huic antiquæ disciplinæ religiose adhærentes Reges Francorum, Lib. vii. Capitularium, Cap. cccxxix. inter alia sic inquiunt: *Sunt etiam ab*

*ab Episcopis consecranda, & benedicenda Corporales, Pallæ, & alia vestimenta Sacerdotalia, necnon & omnia, quæ in usus Basilicæ, vel Altaris, sive in ministerio Sacerdotum ad Divina mysteria explenda complectuntur, quatenus cum his sacratis sacratius, sive placabilius ministrare valeant*. Concilium tandem Rotomagense anni MCDXLV. Cap. XII. Episcopis præcipit, ut *pro Benedictionibus vestimentorum, & vasorum Ecclesiasticorum nihil recipiatur*.

III. Ipsos etiam Abbates non posse sine facultate Apostolicæ Sedis sacra indumenta benedicere, testata est inter alias Provincialis Synodus VI. Beneventana anno MCCCLXXIV. habita sub Hugone II. Guidardio Archiepiscopo Beneventano, Titulo XII. Cap. III. ubi postquam, dixit, *Vestimenta, & ornamenta, Ministrorum, Ecclesiarum, & Altaris, Cruces, Calices, & Imagines, & Icones, & hujusmodi Ecclesiastica ornamenta, benedici, & consecrari debere per Episcopum, antequam Divino Officio deputentur, nec post consecrationem debere a laicis contrectari*, ita statim subjicit: *Abbates quoque harum rerum Benedictiones facere non debent, quia Benedictio est Ordinis Episcopalis, & fortius recipit Benedictionem res inanimata, quam animata, quia inanimata, si furtive consecrata fuerit, non restituitur, animata vero sic; & hoc verum, nisi eorum privilegiis caveretur; præscriptio enim non juvaret, quia hoc proprie proprium est Superioris, & Ordinis Episcopalis, & sic impræscriptibile. Quidam tamen abutuntur, sed quo jure, nescimus, nisi abusivo, ut in multis aliis comprobavimus.* Concilio Provinciali VI. Beneventano concinit Concilium Provinciale XIV. itidem Beneventanum, celebratum anno MDCXCIII. a Fr. Vincentio Maria Cardinali Ursino, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. Titulo X. Cap. II. *Advertant*, inquit, *Episcopi, se delegare non posse simplici Sacerdoti, ut Vestes sacras, & alia, quamvis in eis unctio non adhibeatur, benedicat.* Tum vero mox: *Ecclesiarum quoque Rectores sciant, quod Abbates, & alii Regularium Superiores facultate benedicendi sacra ornamenta, nisi in suis, & pro suis Ecclesiis, uti non possunt*. Similia his legere est in aliis Synodis Provincialibus, Diœcesanisque, in quibus Archiepiscopi, Episcopique, etiam S. R. E. Cardinales ingenue fatentur, ac districte mandant, non posse ipsos simplici Sacerdoti eam Benedictionem delegare, quam scilicet sola Apostolica Sedes potest concedere. Sed de hac facultate ab Apostolica Sede Abbatibus concessa, benedicendi scilicet non modo sacra indumenta Sacerdotalia, sed & illas quoque res Divino cultui addictas, in quibus sacra Unctio adhibetur, fuse disserit Ascanius Tamburinus in suo Opere, *De jure Abbatum*.

IV. Opportune examinanda nunc Quæstio illa, an Episcopi hanc facultatem benedicendi vestes Sacerdotales committere aliis Sacerdotibus, quos vocant simplices, possint? Et quidem si communis sententia spectetur, dicendum est, non posse, quia ut communiter asserunt Canonistæ, Theologi, & rerum ritualiam Scriptores, non possunt ab Episcopo ea delegari, quæ sunt Ordinis, ut docet Abbas Panormitanus, Fagnanus, & alii passim in Capite, *Aqua, De consecratione Ecclesiæ*, & Silvester in Summa, verbo, *Benedictio*; cum autem munus illud benedicendi sit *Ordinis Episcopalis*, ut ait memorata Synodus Beneventana, & fatentur communiter Doctores citati a Silvestro, & Barbosa, Parte II. *De officio, & potestate Episcopi*, Allegatione XXVII. hinc recte sequitur, non posse Episcopum eam facultatem concedere; tum vero potissimum, quod testetur Gavantus, Parte IV. Thesauri Sacrorum Rituum, Tit. XIX. num. XXIII. hanc in praxi disciplinam esse servatam, ut a Sacra Rituum Congregatione non semel ad preces Episcoporum a suis Ecclesiis absentium hujusmodi facultas simplicibus modo Presbyteris, modo in dignitate constitutis, aliquando ad tempus, interdum sine ulla temporis limitatione, concederetur; atque hanc praxim confirmat mox etiam Gavantus ea ratione: *Quia de potestate Ordinis est hæc Benedictio; ea vero non potest ab Episcopo delegari, sicuti potestas jurisdictionis, quæ delegari potest*. Cæterum non esse improbabilem nonnullorum opinionem ajentium posse Episcopum facultatem illam Sacerdotibus sibi subditis impertire, pluribus probare conatur Paulus Maria Quarti in Commentariis ad Rubricas Missalis, Parte II. Titulo I. Sectione IV. Dubio III. & in peculiari Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo I. Sectione IV. Dubitatione V.

V. Quicquid sit de hac opinione, omnes pene Religiosi Ordines hodie, vel propria Indulta habent a Sede Apostolica, vel saltem per communicationem, ut ajunt, privilegiis aliorum gaudent, ut Antistites, ac Præsides ipsorum Ordinum, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, aliique his similes, possint sacras suarum Ecclesiarum Vestes, ad usum Sacrificii benedicere. Testatur id quidem Augustinus Barbosa, citato superius loco, num. 44. ubi refert quandam concessionem Leonis Papæ X. favore Fratrum Minorum, aliamque Gregorii IX. qui eisdem id tribuit facultatis, ut in Terris infidelium existentes benedicere valerent non modo Vestes Sacerdotales, verum etiam Altaris Pallas, Corporalia, cum necesse fuerit, & ubi Episcoporum copia non habetur. Simile privilegium concessit idem Pontifex Gregorius IX. anno MCCXXXVII. Fratribus Ordinis Prædicatorum, uti videre est Tomo I. Bullarii Dominicani, pag. 93. editi a Viro clarissimo Fr. Antonio Bremond ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magistro, & Casanatensis Bibliothecæ Theologo, tum vero laudati Ordinis supremo Moderatore. Porro eisdem Fratribus Dominicanis præclarius privilegium largitus est S. Pius V. anno MDLXXI. non enim ad Terras infidelium se restringit, & ubi Episcoporum copia desideratur, sed absolute loquitur, permittitque ipsis quæcumque Vestimenta Ecclesiastica secundum ritum S. R. E. benedicere. Vide idem Bullarium Dominicanum, Tomo V. pag. 279.

VI. Sciendum vero hic illud, quod ex compluribus Sacræ Rituum Congregationis Decretis allatis ab ipso Gavanto, & ab ejus illustratore Cajetano Merati Clerico Regulari, possunt quidem Abbates, & alii Regularium Superiores virtute privilegiorum Sacerdotalia sibi subditarum Ecclesiarum indumenta benedicere, non vero aliarum, quæ ipsis subditæ non sunt. Quod adeo verum est, ut asserentibus Congregationis Cassinensis Abbatibus, obtinuisse jam olim ipsos a Summis Pontificibus facultatem benedicendi Ecclesiasticam etiam non sibi subjectarum Eccle-

fiarum supellectilem, mandatum eis fuerit exhibere Indultum authenticum ex Archivo Apostolico, & interim abstinere ab hujusmodi Benedictionibus peragendis. Asserit autem in fine suæ Instructionis Pastoralis doctissimus Cardinalis Lambertinus, nunc Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. nunquam dictum privilegium exhibitum fuisse. Forte habuerunt olim Abbates Indultum istud, sed revocatum fuit Decreto Sacræ Rituum Congregationis habitæ coram Alexandro Papa VII. die XXVII. Septembris anni MDCLIX. ubi num. XVIII. Abbatibus mandatur, ut *Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant*. Sed de hac re jam nos disseruimus in aliis nostrorum Operum locis.

# CAPUT XXII.

## *Benedictio Sacerdotalium Indumentorum.*

I. ILlud jam ex dictis supra in Rubricam Capitis XXI. constat, benedici omnino debere Sacerdotales vestes sacro usui addictas. Extat de eo ritu pervetustum pariter, ac celebre Decretum, quod passim S. Stephano Papæ I. ac Martyri, qui vixit anno CCL. tribuunt. Is siquidem ad rem nostram ita ad Hilarium scripsisse perhibetur: *Vestimenta Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta, quibus aliis usibus non debent frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis; quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus; ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corruere eos faciat ad ima*. Hujus S. Pontificis Decreti meminit quidem in ejus Vita Author Libri Pontificalis, itemque Venerabilis Beda, Ado Viennensis, Alcuinus, Strabo, Ivo Carnotensis, & inter alios Gratianus, Canone, *Vestimenta*, De consecratione, Distinctione I. Multa sunt in ipso Decreto, quæ observari possent circa sacrarum vestium usum; sed quod in præsenti scopum facit, illud est, *sacratas* illas esse debere, idest rite ab Episcopo benedictas, uti probatum superius fuit ex Conciliorum Decretis, & perpetua Latinæ Ecclesiæ praxi, in qua etiam antiquus mos fuit, consecrandi sacra vasa, Sacerdotalia indumenta, aliaque Ecclesiæ utensilia, ubi Ecclesia ipsa dedicabatur, uti constat ex antiquis Pontificalibus, ex Sacramentario S. Gregorii Papæ superius memorato, atque ex Ordine vetusto Romano ab Hittorpio edito. Benedictionis Sacerdotalium indumentorum, sicut & aliorum, quæ usui Altaris, ad Divina mysteria inserviunt, mentio, imo sanctio est in Capitularibus Francicis, Lib. VII. Cap. CCCXXIX. his verbis: *Sunt etiam ab Episcopis consecranda, & benedicenda Corporales, Pallæ, ac alia vestimenta Sacerdotalia, necnon & omnia, quæ in usus Basilicæ, vel Altaris sive ministerio Sacerdotis ad Divina Mysteria explenda complectuntur, quatenus cum his sacratis Deo sacratius, sive placabilius ministrare valeant.*

II. Admonendum vero hoc loco est, quod inter alia Concilia statuit vel olim Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. XII. Cap. IV. nimirum, *quod Vestes sacræ si ruptæ fuerint, possunt reparari, & refici, nec est opus eas iterato, seu de novo consecrari, etiamsi apponatur pannus non sacratus, vel filum non sacratum; nam quamdiu remanet forma sacræ Vestis, licet per plures partes reficitur, semper eadem, & prima censetur; non sic, si forma mutetur, vel solvatur*. Nec omittendum, quod paulo inferius idem Concilium subdit: *Inhibemus*, inquit, *ne laici intra Ecclesiam, vel extra ad Processionem, vel ad aliud Divinum Officium utantur vestimentis benedictis*. Quod quidem contra est quosdam Religiosos laicos, quos & vulgo vocant *Conversos*, qui in sacris Processionibus, in quibus ipsi Sanctorum Statuas portant, incedere alicubi solent, Albis, Dalmaticisque induti. Porro, quod Sacerdotalia Indumenta spectat, quæ, nisi rite benedicta sint, adhiberi nequeunt, sunt plane Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, seu Planeta, de quibus late jam nos alias diximus.

III. Apud Græcos, tametsi Leviticis, Sacerdotalibusque Indumentis semel, & generatim cultui Divino dicandis Benedictiones Euchologium nullas assignet; sua tamen quoties Diaconus induit, Sacerdoti benedicenda offert; propriaque Sacerdos assumpturus Benedictionis expertia nusquam relinquit. Est sane is apud Græcos ritus antiquus, de quo in ordine sacræ, & Divinæ Missæ S. Joannis Chrysostomi ita circa initium legimus: *Ingressi autem in Sacrarium*, Diaconus scilicet, & Sacerdos, *accipiunt in manibus suis Tunicam sibi propriam*. Statimque hæc de Diacono subdit: *Deinde Diaconus inclinato capite accedit ad Sacerdotem, & manu dextra tenens Dalmaticam cum Stola, dicit*: Benedic, Domine, Tunicam cum Stola. *At Sacerdos benedicens manu, dicit*: Benedictus Deus noster, perpetuo, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. *Dehinc secedit Diaconus seorsum in unam Sacrarii partem, & induitur Tunica, orans hoc pacto*. Exultabit anima mea in Domino, induit me vestimento salutis, & Tunica lætitiæ circumdedit me; & tanquam sponso mihi mitram imposuit, & velut sponsam me ornamento circumvestivit. *Et Stolam osculatus, sinistro humero illam imponit*.

IV. Tum de Sacerdote propria sibi vestimenta sumturo sermonem instituens, hæc habet: *Sacerdos autem, cum & ipse Tunicam acceperit, eam benedicit, & osculatus induit, dicens apud se, sicut & Diaconus, præfatum Psalmum, & Sacerdos accipit Supermanicalia, & in dextra quidem manu, sic dicit*: Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute; dextera tua, Domine, confregit inimicos; & multitudine gloriæ tuæ adversarios contrivisti. *At in sinistra manu dicit sic*: Benedictus Deus, qui effundit gratiam super Sacerdotes suos, ut unguentum super caput, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus, ut ros Hermon, qui descendit in montem Sion; quoniam ibi mandavit Dominus Benedictionem, vitam usque in sæculum. *Et accipiens Zonam benedictam osculatur, & ait*: Benedictus Deus, qui præcingit me virtute, & effundit gratiam suam, per-

perpetuo, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. *Mox accepto Subgenuali, si est Protosyncellus magnæ Ecclesiæ, vel quivis alius habens dignitatem aliquam, & postquam id benedixit, & osculatus est, dicit*: Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua, & intende, & prospere procede, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua; perpetuo, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. *Post hæc accipiens Casulam, & benedicens, exosculatur, & ait*: Sacerdotes tui, Domine, induantur justitia, & Sancti tui exultatione exultabunt, jugiter, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

V. Atque hæc sunt, quæ Vestium Sacerdotalium Benedictionem spectant, de qua videri possunt, quæ fusius scripsimus nostro II. Tomo Commentariorum ad Partem alteram Romani Pontificalis, in Commentario ad Titulum x. qui inscriptus est, *De Benedictione Sacerdotalium Indumentorum in genere*; ubi etiam de antiquitate, varietate, ac usu sacrarum Vestium nonnihil diximus, quia scilicet late rem ipsam Tomo I. ejusdem Operis in Prolegomenis per multa Capita, ac alibi in Commentariis explicuimus.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum, Pontificalia, & Sacerdotalia, seu Levitica Vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad decorem, & honorem Nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, & hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri ✠ ficare, bene ✠ dicere, & conse ✠ crare digneris, ut Divinis cultibus, & sacris mysteriis apta, & benedicta existant; his quoque sacris Vestibus Pontifices, & Sacerdotes, seu Levitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti, & defensi esse mereantur; tuisque mysteriis apte, & condigne servire, & inhærere, atque in his tibi placite, & devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

*Oremus.*

*Deus, invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator, ac sanctificator, intende propitius preces nostras, & hæc Indumenta Leviticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis gloriæ Ministris tuis fruenda, tuo ore proprio bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris, omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos, & tibi in eis devote, & laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

*Oremus.*

*Domine Deus Omnipotens, qui Vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Levitis in usum Tabernaculi fœderis necessaria Moysen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti: hæc Vestimenta in usum, & cultum mysterii tui bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris, atque Ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis Stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Deinde aspergit ipsa Indumenta Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Adhibuisse jam olim in Benedictione Sacerdotalium Indumentorum has orationes Ecclesiam, constat ex variis antiquis Pontificalibus, ac Ritualibus Libris, in quibus ipsæ inveniuntur, ac præsertim in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, atque in ms. Pontificali Gulielmi Durandi, cujus locum descripsimus nos Tomo II. Romani Pontificalis, in Appendice ad Titulum x. Primæ orationis, quæ quidem alludit ad Caput Exodi xxv. in quo Pontificalia indumenta Aaronis, & filiorum ejus præscripta a Deo Moysi describuntur, mentionem facit Sacramentarium S. Gregorii, in quo tamen sub initium insignis est verborum mutatio. Meminit quoque inter alios antiquus Codex Ratoldi Abbatis, in quo etiam ad singula illa verba, *purificare*, *benedicere*, *sanctificare*, singulæ Cruces appositæ sunt, quas etiam videre est in recitato Gulielmi Durandi Pontificali, & in aliis antiquis Ritualibus multis.

II. Sciendum nunc illud est, teneri Sacerdotes sub peccato læthali adhibere in Sacrificio Vestes sacras, & rite benedictas, idque ex communi consuetudine Ecclesiæ, & omnium Doctorum sententia. Ex quibus etiam docemur, conservari in ipsis benedictionem semel acceptam, quandiu retinent eandem formam, seu figuram, sub qua sunt aptæ ad sacrum ministerium. Amittunt autem benedictionem, quum ita dissolvuntur, aut minuuntur, ut vel formam perdant, aut mutent, vel aptæ non sint ad usum suum. Dicitur vero forma mutari, quum tanta pars amota est, ut non liceat sine illa celebrare, nempe si medietas, vel tota manica Albæ. De Cingulo fracto tradunt Doctores, quod quamdiu alterius partis tantum remanet, quantum sufficiat ad honeste ex more cingendum, liceat cum eo celebrare, maxime vero in necessitate, quia scilicet videtur esse corpus uniforme, cujus quælibet pars est ejusdem rationis, vel qualitatis cum

cum alia, vel cum toto. Ad ista autem facit illud dictum communiter apud Doctores approbatum, nempe quod si de Stola fiat Manipulus, aut e contra, non oportet, quod iterum benedicantur, quia scilicet non videtur esse alia forma, nisi quod unum est longius, aliud brevius; quæ brevitas formam non mutat.

III. Sacerdotales Vestes benedictas non posse in usus profanos converti, sed, si vetustate consumtæ sint, comburi debere, & cineres in loco sacro sepeliri, docent passim Canonici Juris Consulti, allegantque celebrem illam Juris Canonici regulam: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum*. Quod & adeo verum est, ut ne ligna quidem Ecclesiæ dirutæ, vel collapsæ, in usum laicorum transferri queant; sed vel alteri Ecclesiæ, sive Monasterio applicanda, vel flammis tradenda, uti expresse habetur in Canone, *Ligna*, De consecratione, Distinctione I. Vestibus ipsis sacris, ac benedictis, nec prætextu pietatis posse mortuos indui, & cum eisdem sepeliri, constat ex Canone, *Nemo*, XXXVIII. De consecratione, Distinctione I. Quod autem Sacerdotes, & Episcopi sic induti sepeliantur, potest dici, ait Silvester in Summa, verbo, *Benedictio*, Quæsito VII. quod non debent vestes illæ esse benedictæ, vel si sunt benedictæ, consuetudo excusat. Certe morem jam vel olim inolevisse ad hæc usque tempora servatum, ut Episcopi, ac reliqui etiam Clerici defuncti vestibus Ordini suo congruentibus sepeliantur, fuse demonstrat, pluribus allatis exemplis, Hugo Menardus in Sacramentarium S. Gregorii Papæ, pag. 267. Edmundus Martene, Lib. III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XII. num. X. XI. & XII. Vanespen, Parte II. *Juris Ecclesiastici*, Titulo XXXVIII. Cap. I. num. XVIII. & seq. Sed de hoc ritu vide & quæ scripsimus nos supra Tomo I. Titulo VI. Cap. I. *De Exequiis*, in Commentario ad §. XI.

IV. Finem facio huic Commentario, unumque illud adnotabo, quod alias dixi in Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. III. Capite XLI. Evangelicas nempe historias sacris olim Ecclesiæ ornamentis adpingi, intexive consuevisse, rejecto aliquorum abusu, qui ea lege ornamenta, vel vasa Ecclesiæ offerunt, ut in iis gentilitia eorum stemmata effulgeant. Indignum sane, nec omnino ferendum, ut hominum aliquando etiam infimæ plebis insignia, quasi auctoramenta servitutis ferant Sacerdotes, quum Sacris operantur, sicut pedissequi quum famulantur, sicut muli quum sarcinas ferunt. Dolent de hoc abusu pii æque, ac docti Sacerdotes, insignesque Præsules Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimi, inter quos magnus Ecclesiæ Mediolanensis Antistes S. Carolus in Synodo sua Diœcesana XI. ubi ita statuit: *Sacris Indumentis, & Locis ne insignia, stemmatave familiarum, aliaque profana appingantur, aut sculpantur*. Idipsum jubent Constitutiones Clericorum Regularium, Parte I. Cap. III. *Ne permittatur, ut in sacris Indumentis familiarum ponantur insignia*. Sed de hac re fuse jam alibi loquuti fuimus.

## CAPUT XXIII.

### *Benedictio Mapparum, seu Linteaminum Altaris.*

I. IDem hic ritus est, ac ille in Pontificali Romano præscriptus, Parte II. Titulo XI. *De Benedictione Mapparum, seu Linteaminum sacri Altaris*, in quem plura adnotavimus, quæ & ad explicationem Capitis hujus plurimum faciunt. Est autem ritus profecto antiquus, ut ista, ubi Ecclesia dedicabatur, ab Episcopo benedicerentur, testemque ejus rei habemus Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, in quo inter alia legitur, *Benedictio ad Linteamina, vel ad omnia in usum Basilicæ*. Sane Mappæ, vel Linteamina, quæ etiam aliis nominibus, lintea, velamina, pallæ, mantilia, in pervetustis Ritualibus appellari solent, tegumenta Altaris sunt, spectantque ad sacram supellectilem pro celebratione Missæ necessariam. Hujusmodi Linteaminum, seu Mapparum meminit antiquus Canon, ubi loquitur de pœnitentia illius, cujus negligentia de Sanguine Christi super istas Mappas aliquid stillet: *Si super Linteum Altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat; si usque ad tertium, novem diebus pœniteat; si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat; & Linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus Minister abluat, Calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & juxta Altare recondatur*. Refert hoc Decretum Gratianus, Can. XXVI. De consecratione, Distinctione II. Ivo Carnotensis Episcopus, Lib. I. Parte IX. & alii antiqui Canonum Collectores, illudque S. Pio Papæ I. & Martyri adscribunt.

II. Verum quum fatentibus doctis omnibus, falso ea Constitutio laudato Pontifici attribuatur, prætermisso argumento, quod ex ipsa Constitutione pro Mapparum, seu Linteaminum Altaris antiquitate quidam Auctores rerum Liturgicarum desumunt, recte alii usum, de quo agitur, ubique IV. Christi Sæculo receptum, deducunt ex Optato Milevitano, Lib. VI. contra Parmenianum, qui quidem tanquam morem ubique receptum commemorat, quod Altaria Linteis cooperirentur: *Quis Fidelium*, ait, *nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna* (Altaria scilicet, quæ, ut alibi ostendimus, in Africa lignea erant) *Linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta Velamen potuit tangi, non lignum*. Ubi nota, tegumentum, quo Altare sternitur, Linteamen, aut Velamen hic appellari. Huc facit, quod Victor Episcopus Vitensis, Lib. I. *De persecutione Vandalica*, scribit de quodam Proculo, ab impio Geiserico in Provinciam Zeugitanam adversus Catholicos misso, qui rapaci manu cuncta devastans de Pallis sacri Altaris camisias sibi, & fœmoralia fecit, quem tandem brevi frustatim linguam sibi comedentem turpissima consumptum morte testatur. Claruit Victor senescente Sæculo V. teste Bellarmino.

III. Certe verosimillimum est, quod Viri plerique docti tradunt, Apostolos pro sua in pretiosum Christi Corpus, & Sanguinem reverentia, non in nudo Altari, sed quod Linteamine coopertum esset, Missæ Sacrificium peregisse. Quod quidem consentaneum est rationi, quam innuunt Patres cujusdam Concilii Remensis relati

lati ab Ivone Carnotensi, Parte II. Decretorum, Cap. cxxxii. his verbis: *Observandum est, ut Mensa Christi, idest, Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis Linteis, & Pallis diligentissime custodiatur*. Si autem profanæ mensæ, in quibus, vel infimæ plebis homines quotidianum cibum sumunt, mantilibus cooperiri solent, quanto magis Mensa Christi, idest, Altare sacris Linteis sterni debet? Non ergo mirum videri debet, si ob reverentiam Mensæ Domini, & Divinissimi Sacrificii, quod in eadem celebratur, pluribus Mappis, seu Linteis Altare ipsum cooperiretur, vel medio secundo Christi Sæculo, quo vixit Pius Papa I. siqua fides est ipsius Decreto superius recitato. Morem enim ipsum supponit Optatus Milevitanus, qui Sæculo Christi quarto claruit, cujus locum superius descripsimus.

IV. Pluribus Mappis consuevisse vel olim cooperiri Altare, supponunt Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, vetus Ordo Romanus, & antiquissimi Libri Pontificales, atque Missales, in quibus hic Titulus plurali numero legitur: *De Benedictione Linteaminum*; quod plura scilicet Linteamina super Altare sternerentur. His temporibus tres Mappæ, seu Linteamina, sive, uti hodie loquuntur, tres Tobaleæ, quæ prius per benedictionem, de qua mox infra, consecratæ fuerint, requiruntur, aut saltem duæ, quarum una simplex sit, altera vero sic complicata, ut duarum locum teneat. Ita enim Missalis Romani Regulæ definiunt, ac recentiores Synodi, præsertim vero Provincialis iv. Mediolanensis, Constitutionum Parte i. ubi S. Carolus ita inquit: *Altaria singula Mappis tribus mundis, una oblonga, quæ ad ima eorum partem pertingat, duabusque reliquis brevioribus vestita sint*. Idipsum legere est passim in multis aliis Synodis, & apud Auctores, ubi Altaris ornatum describunt, labiturque inter alios Gretserus, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. xliv. ubi loquens de ipsis Mappis, Linteisque Altaris benedicendis, ait gemina ea esse debere, cum & Sacri Canones, & Rituales Codices, & Auctores passim diserte doceant, tribus omnino Mappis, seu Linteis ornandum esse Altare, in quo Missæ celebrantur, præter Corporale, quod super ipsa expanditur.

V. Mappas ipsas, seu Linteamina Altaris, in quo celebratur, non modo, antequam adhibeantur, esse benedicenda, verum etiam a Clerico purganda, antequam Missa inchoetur, statuit quidem S. Carolus non uno in loco Actorum Ecclesiæ Mediolanensis. Utinam Sacristæ, Rectoresque Ecclesiarum & ea observarent diligenter, quæ idem Antistes religiosissimus statuit in Regulis, seu Instructionibus, *De nitore, & munditia Ecclesiarum, Altarium &c.* ubi inter alia mandat, ut *ternæ Altarium Mappæ, superior quidem singulis mensibus, inferiores vero quater in anno mundæ apponantur*. His adde quod & præscripsit Lib. II. Instructionum Supellectilis Ecclesiasticæ, Capite inscripto, *De Mappis, Tobaleisve Altaris*, sic inter alia inquiens: *Mappæ ipsæ, quæ Vela, Velaminave, aut Sindones alias dicebantur, supernam Altaris partem contegentes, e lino, aut ubi lini copia non est, e cannabi sint*.

## §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oremus.

*Exaudi, Domine, preces nostras, & hæc Linteamina sacri Altaris usibus præparata bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris*. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen*.

Oremus.

*Domine Deus Omnipotens, qui per Moysen famulum tuum ornamenta, & Linteamina facere per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in usum ministerii, & Tabernaculi fœderis; bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris hæc Linteamina ad tegendum, involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*. Deinde aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Quod Benedictionem spectat Mapparum Altaris, de qua agit hic noster §. consuevisse & illas una cum aliis Ecclesiæ ornamentis ab Episcopis benedici, ubi Ecclesia dedicabant, constat plane ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, & antiquissimis Libris Pontificalibus. Extat prima Oratio in Ordine antiquo Romano, ubi is præfixus est Titulus: *Benedictio Linteaminum, aliorumque in usum sacri ministerii*; in ms. Pontificali Gulielmi Durandi annorum circiter D. & in Romano Pontificali, loco citato initio hujus Commentarii. Altera Oratio, quæ incipit, *Domine Deus Omnipotens, qui ornamenta, & Linteamina &c.* non modo legitur in memoratis Pontificalibus, verum etiam in pervetusto Gelasii Papæ Sacramentario, & in laudato antiquo Romano Ordine; in quo tamen sub initium nonnulla habentur, quæ in ipsa secunda Oratione desiderantur. Sic enim memoratus Ordo Romanus incipit: *Domine Deus Omnipotens, qui ab initio hominibus utilia, & necessaria creasti, Vestimenta quoque Pontificalia Sacerdotibus, & Levitis tuis ornamenta, & Linteamina facere famulum tuum Moysen per quadraginta dies docuisti &c.* Quibus verbis alludit ad Pontificalia Indumenta Aaronis, & Filiorum ejus, atque Altaris ornamenta varia, quæ distinctim describuntur in Exodi Libro per mul-

multa Capita, juxta ritum Moysi a Deo praeceptum in Monte Oreb per quadraginta dies. Maria autem, quæ in hac secunda oratione ornamenta ipsa texuisse, & fecisse dicitur in usum ministerii, & Tabernaculi fœderis, soror Moysi, & Aaron erat, de qua plura differit doctissimus Augustinus Calmet in Lexico Biblico, & eruditi Auctores, qui eum locum illustrarunt.

# CAPUT XXIV.

## *Benedictio Corporalium.*

I. Qualis sit finis Ecclesiæ, cum ipsa benedicit Corporalia, addiscere licet ex ipsis Orationibus. Notatu illud hic dignum censeo, summa semper in veneratione habitum fuisse ipsum Corporale, & quidem loco sanctarum Reliquiarum. Testatur Panormitanus in Capite 1. *De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, Leonem Papam in consecratione cujusdam Ecclesiæ, cum Reliquiæ non adessent, dedisse partem Corporalis, & Eucharistiæ. De Sancto Birino Episcopo Dorcestriensi, qui obiit circa annum DCXL. narrat in ejus Vita ad diem III. Decembris Surius, Pallam dedisse ei Honorium Papam I. *super quam ipse Birinus Corpus Christi consecrabat, & in qua Corpus Dominicum involutum, & ad collum suspensum semper ferebat, atque inter sacranda sacrosancta mysteria super sanctum Altare ponere consuevit*. Idem Birinus cum aliquando navigaturus navem conscendisset, animadvertens se ipsam Pallam in litore, a quo longe distabat, reliquisse, ait Auctor Vitæ, quod Fide armatus in mare descendit, securusque per illud incessit, & reperto, quod reliquerat, siccis ad navem pedibus, regressus est. Applicatione sacri Corporalis fugatos morbos, & extincta incendia, narrat Glaber Rodulphus Lib. 1. Historiæ, Cap. IV. vocatque illud *Chrismale*; quo etiam nomine appellat Venerabilis Beda in suo Pœnitentiali.

II. Restat, ut & illud de Corporalibus dicam, quod, etsi ipsa abluere Subdiaconorum muneris fuerit, ut notavi Tomo 1. Romani Pontificali ad Titulum, *De ordinatione Subdiaconi*, cautum tamen fuit ex Salmuriensi Synodo anni MCCLIII. Canone III. curarent Archipresbyteri, ut Corporalia, seu Christi Corpori obvolvendo destinata Lintea, a Diacono, vel Presbytero induto lineis sacris vestibus abluerentur; Linteamina vero omnia Altarium, a pia Virgine, aut honestissimis moribus Matrona,

## §. I.

*℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum, & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc Linteamen tuæ propitiationis bene ✠ dictione sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus, & Sanguinem Dei, & Domini nostri Jesu Christi Filii tui. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.*

*Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris Linteamen istud ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui. Qui tecum vivit, & regnat &c. ℟. Amen.*

*Oremus.*

*Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram bene ✠ dictionem hoc Linteamen sanctificetur, & Corporis, ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti. ℟. Amen.* Et aspergat Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. Quod hodie Corporale dicitur, Palla olim linea, seu frequentius Palla Corporalis appellabatur, quia scilicet in ipsa Corpus Christi consecratur, uti jam notavimus Parte II. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XII. qui inscriptus est, *De Benedictione Corporalium*, ubi etiam Joannis Cardinalis Bonæ opinionem attulimus, scite ajentis Lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXV. num. XI. *Apostolos non in nudo Altari, sed Pannis, seu Linteis ornato Sacrum celebrasse*. Extat apud Burchardum Wormaciensem Episcopum, Libro III. Decretorum, Cap. XCIX. Constitutio, quam ex Epistola Eusebii Papæ recitat, in eaque cautum legitur, *ut Sacrificium Altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit*. Referunt hoc Decretum ipsum sub nomine ejusdem Papæ Eusebii, Ivo Carnotensis Episcopus, Parte II. Capite CXXXIV. Gratianus, Can. *Consulto*, XLV. De consecratione, Distinctione 1. & alii.

II. Scio, Librum Pontificalem Damaso Papæ adscriptum, Rabanum Maurum, Lib. 1. *De institutione Clericorum*, Cap. XXXIII. & alios, Silvestri Papæ nomine Decretum istud citare.

Sed

Sed quicquid sit de ejusdem Decreti Auctore, duo potissimum sunt in ipso consideranda, a nobis jam alias observata in Commentario ad citatum Titulum XII. Partis II. Romani Pontificalis. Primum quidem est, ex lino Corporale debere confici, quia scilicet Corpus Christi sindone linea munda obvolutum sepulturæ traditum fuit, uti passim etiam docent tum Græci, tum Latini Scriptores, ubi de hac re loquuntur. Isidorus Pelusiota, Lib. I. Epistola CXXIII. ita scribit: *Pura illa sindon, quæ sub Divinorum mysterio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium; ut enim ille Domini Corpus sindone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit; eodem modo nos Propositionis Panem in sindone sanctificantes, Christi Corpus sine dubitatione reperimus &c.* Claruit Isidorus Sæculo Christi V. fuitque Monachus plane doctissimus. Cui adde alium Græcum Auctorem dignitate Episcopum Constantinopolitanum, S. Germanum, qui claruit senescente Sæculo VII. obiitque nonagenarius in exilio anno DCCXXX. Sic enim hic scribit in sua rerum Ecclesiasticarum Theoria: *Corporale significat sindonem, in qua involutum est Corpus Christi de Cruce descensum, & in monumento positum.*

III. Eodem ferme tempore, quo S. Germanus in Oriente, florebat in Occidente Venerabilis Beda, qui Capite XLIV. in Marcum, Ecclesiæ morem obtinuisse inquit, *ut Sacrificium Altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut Corpus Domini est in sindone munda sepultum.* Exscripsit fere ad verbum recitatam superius Eusebii, sive Silvestri Constitutionem. Idem quod Beda, tradunt & alii Scriptores Latini, inter quos, ut recentiores sileam, Rabanus Maurus, Abbas primum Fuldensis, tum Episcopus Moguntinus, Libro I. *De institutione Clericorum*, Cap. XXXIII. diserte inquit, ex lino puro textum esse debere sacrum Corporale, & non ex serico, vel purpura: *Quia in Evangelio legitur: Sindone munda involutum est a Joseph Corpus Salvatoris &c.* Cui adde Albinum Flaccum in Libro, *De Divinis Officiis*, Capite, *De celebratione Missæ, & ejus significatione*, ubi ita scribit: *Corporale, cui superponitur Corpus Dominicum, non aliud, quam lineum esse oportet, quoniam Joseph linteum mundum legitur emisse, ubi Corpus Dominicum involvit &c.* Vide plura de forma antiqua ipsius Corporalis, & aliis ad ipsum spectantibus in citato nostro Commentario ad Pontificale Romanum, num. V. & seq. pag. 262. & seq.

IV. Alterum quod ex recitata superius Eusebii, vel Silvestri, sive alius antiquissimi Præsulis Constitutione considerandum proposui, illud est, consuevisse scilicet jam olim Corporale, antequam in Missæ Sacrificio adhiberetur, ab Episcopo consecrari: *Sed in puro lineo*, inquit, *ab Episcopo consecrato*. Quod mirum videri non debet, si is ritus passim in antiquis Sacramentorum Libris inveniatur; cum constet, sacrari debuisse antiquitus alia inferioris dignitatis ornamenta, nempe Linteamina Altaris non modo, ut supra dictum est, sed & candelabra, & alia, quæ hic necesse non est commemorare, quæque non ita Divinissimæ Eucharistiæ proxima sunt, ut Corporale. Cujus nominis non modo frequenter vetus Ordo Romanus, & prisci Libri Pontificales meminere, verum etiam varias exhibent ad ipsum benedicendum Orationum formulas, de quibus jam & nos fuse diximus in toties memoratis Commentariis nostris ad Partem II. Romani Pontificalis, Titulo XII. in Commentario ad §. I. ubi eædem Orationes ad Corporale benedicendum, quæ in præsenti Capite Ritualis Romani, recensentur; eædemque etiam una cum aliis prolixioribus in pervetustis supra annos mille exaratis Pontificalibus descriptæ habentur, ut in eodem citato nostro Commentario videre est.

## CAPUT XXV.

### *Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.*

### §. I.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices deprecamur, ut Vasculum hoc pro Corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene ✠ dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Dominum nostrum &c.* ℟. *Amen.*

Deinde aspergit illud Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Extat & in Parte II. Romani Pontificalis Titulus XVIII. qui inscriptus est, *De Benedictione Tabernaculi, seu Vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda*, quique a nobis longo, plenoque Commentario illustratus fuit: Oportuit enim allatis variis sacræ antiquitatis monumentis impium Hospinianum refellere, qui agens de origine Cæremoniarum, & Rituum, non veritus est asserere, post Concilium Lateranense IV. quod habitum fuit anno MCCXV. sub Innocentio Papa III. cœpisse primum in Templis parari *Tabernacula, & ædiculas, in quibus incluserunt Sacramentum*. Iis itaque omissis, aliisque ad pervetustum hujusmodi Tabernaculorum, vasculorumque usum, in quibus olim Eucharistia asservabatur, spectantibus, quæ in citato nostro Pontificali videri possunt; quod attinet ad Benedictionem, benedicebat jam illud Pontifex, in quo recondi solita fuit Eucharistia, ubi Ecclesiam dedicabat, uti

uti ex Ordine antiquo Romano constat; qui agens de dedicatione Ecclesiæ, idest, de ritu eam benedicendi, inter aliarum sacrarum supellectilium Benedictiones, Præfationem exhibet ad ipsum Vasculum benedicendum his verbis: *Oremus, Fratres dilectissimi, ut Deus Omnipotens hoc Vasculum Corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerulum suæ benedictionis tutamine, suique Filii Domini nostri munere, ac Sancti Spiritus virtute implere dignetur. Per. In unitate ejusdem Spiritus Sancti*. Sequitur mox Benedictio, quæ & est hujusmodi: *Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc Vasculum sanctificetur, & Corporis Christi novum Sepulchrum, Spiritus Sancti gratia, perficiatur. Per eundem. In unitate ejusdem Spiritus Sancti*.

II. Extat tum hæc Præfatio, tum Benedictio, sive Oratio, ad benedicendum Vasculum pro Eucharistia asservanda in ms. Pontificali Egberti Eboracensis Archiepiscopi, qui vixit Sæculo VII. in quo tamen, sicut & in aliis plerisque Pontificalibus, appellatur *Chrismale*, *Mysteriale*, seu *Eucharistiale*, ut in ms. Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, in quo, licet prima Oratio, seu Præfatio cum descripta ex antiquo Romano Ordine concordet, secunda tamen omnino diversa est, & in hunc modum concepta: *Deus, qui, Sacra Scriptura testante, tribus diebus, & tribus noctibus, servata integritate Divinitatis, sponteque peracta humani Corporis fractione, insinuans cæsurum, quod corruptibile est, & resurrecturum quod spirituale, in Sepulchro jacuisti: Eucharistiale, quæsumus, quod nos indigni ad mystici Corporis tui custodiam consecramus, & benedicimus, tu in Nomine Sanctæ Trinitatis, Angelum tuum Custodem deputans, consecrare, & benedicere digneris, quatenus ex eo in acceptione Corporis tui viarum præsumserit viaticum paternarum, Cælesti hic, & in futuro, te miserante, non destituatur auxilio. Per*. Porro Vasculum ipsum, quod, antequam in eo Eucharistia conservetur, ex antiquo ritu benedici debet, uti probatum est, dicitur hodie Pyxis, eoque etiam nomine antiquitus appellari consuevit, constatque ex Leone Papa IV. in Libro, *De cura Pastorali*, ubi sic inter alia ait: *Super Altare nihil ponatur, nisi capsæ cum Reliquiis Sanctorum ..... aut Pyxis cum Corpore Domini ad Viaticum pro infirmis*. Alia plura veterum testimonia hanc in rem videri possunt apud Dufresne in medio, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Pyxis*.

III. Quocumque nomine Vasculum istud, in quo Eucharistia asservatur, appelletur, non est dubium, quin benedictum prius esse oporteat, idque etiam ex Rubrica Romani Missalis, Parte II. Titulo II. num. 3. ubi agit de consecratione plurium Particularum pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patena manere non possunt: *Locat eas*, inquit, *super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato, vel Vase mundo benedicto, ponit eas retro post Calicem*. Jam non desunt, qui ajunt, Rubricam istam *non esse præceptivam, sed solum directivam*, ideoque *nullum esse peccatum consecrare Hostias in Pyxide non benedicta, & in ea servare Sacramentum*. Est quidem hujus opinionis Quarti in Commentario ad ipsam Rubricam, Dubio V. ubi etiam varios Auctores citat. Tenet & hanc opinionem Gretserus, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XLIV. ubi sic inquit: *Pyxidem, seu Vasculum*, Ciborium *vocamus, in quo Sacratissima Eucharistia asservatur, benedici quidem decet, sed non est absolute necessarium, idemque dicendum de Hierotheca, quam ipsi etiam Germani* Monstrantiam *appellant, in qua Sacra Hostia publice ad adorationem exponi solet*. Sed minime adhæreo huic sententiæ, quæ & reverentiæ Eucharistico Sacramento debitæ adversatur, & veteri, novæque Ecclesiæ disciplinæ, quæ expresse mandat, ut rite Vasculum, seu Pyxis, & Monstrantia ipsa, quam nos Itali Ostensorium, ac Spheram dicimus, antequam in eis Sacramentum asservetur, statis precibus benedicatur. Non possum autem non admirari quorundam Scriptorum libertatem, qui suo plerumque arbitrio Romani Missalis Rubricas, præceptivas, ut ajunt, directivasve definiunt. Peccaret itaque, & forte etiam lethaliter Sacerdos, si contra ritum in antiquis, recentibusque Pontificalibus, Ritualibus, Missalibus, atque Conciliis præscriptum, Pyxidem adhiberet non prius rite benedictam pro consecrandis Particulis. Quod idem dico de ipsa Monstrantia, quam nos Itali Ostensorium, & Spheram vocamus.

IV. Neque vero solum Pyxis, verum etiam Tabernaculum Altaris, in quo Pyxis cum sacris Particulis ex vetustissimo Ecclesiæ more asservari solet, benedici etiam prius debet ex memoratis Pontificalibus, & prisco Ecclesiæ usu, quibus inhærens S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi VI. Capite, *De Sacramentalibus*, sic inter alia statuit: *Sacra prece ex formula Libri Pontificalis Tabernaculum etiam ligneum, in quo Sanctissima Eucharistia recondatur, ante benedicatur, quam ad illius recondendæ usum adhibeatur*. Similia legere est in aliis Conciliis recentioribus multis Provincialibus, pariter & Diœcesanis, in quibus & Tabernaculi, in quo Pyxis, & Pyxidis, in qua sacræ asservantur Particulæ, benedictio ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente facienda præscribitur. Cæterum de Tabernaculo ipso, ac Pyxide videri possunt, quæ jam fuse diximus nos pridem in citatum Titulum XVIII. Partis II. Romani Pontificalis.

V. Notandum denique censui & in hujus Commentarii calce, quod ait Gretserus, Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XLIV. Urceolos quoque, Scyphos, & siquæ sunt alia Vasa rebus Divinis inservientia, ut thuribula, acerræ, candelabra, benedici posse, & par esse, ut benedicantur, tametsi non necessarium semper. Vela quoque Calicis, & id genus alia, thecas, seu bursas Corporalium, quibus Calix tegitur, benedici quoque posse asserit, forsitan & purificatoria, quæ licet ipso sacro usu satis sacrentur, accedente tamen Ecclesiæ consecratione, uberior fit benedictio. Nam si omnis creatura per Verbum Dei, & Orationem sanctificatur, ut docet Apostolus in Epistola I. ad Timotheum Cap. IV. & explicuimus nos supra non uno in loco, ac præsertim in Rubricam Capitis XIII. omnino credendum est, neque has ad tam eximium usum destinatas, benedictionis exortes remanere, quando Verbum Dei, & Oratio Ecclesiæ accedit.

dit. Nec sine grandi malo temeratores harum rerum experti sunt interdum, quam consultum sit ab his profanas manus abstinere. Terribile est, quod narrat Victor Vitensis, Libro I, Persecutionis Vandalicæ, de Proculo Ariano, *sive de Pallis Altaris, camisias, & fœmoralia facere solito; qui frustatim sibi comedens linguam, in brevi turpissima consumptus est morte.*

# CAPUT XXVI.

## *Benedictio novæ Crucis.*

## §. I.

*℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum, & terram. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Rogamus te, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut digneris bene ✠ dicere hoc signum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas Fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.*

Alia Oratio ad idem.

*Bene ✠ dic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti Mundum a potestate dæmonum, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.* Hic aspergat Aqua benedicta. *Sanctificetur hoc signum Crucis, in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis, & animæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. AB initio nascentis Ecclesiæ nedum Crucis signatione usos Christianos fuisse, sed & Crucis Imaginem pinxisse, ac religiosa adoratione coluisse, fuse jampridem, solideque pii, & eruditi Scriptores demonstrarunt, uberrimisque Commentariis ea omnia complexi sunt, quæ ad antiquissimam Crucis venerationem attinent, adversus inimicos Crucis Christi antiquos, ac recentiores hæreticos. Nos jam ex iisdem doctis Scriptoribus nonnulla selegimus, quibus illustravimus, explicuimusque Titulum XIII. Partis secundæ Romani Pontificalis, inscriptum, *De Benedictione novæ Crucis*. Ne actum autem iterum agamus, censuimus quædam ex Commentariis nostris ad prædictum Titulum, describere, quibus præsens Ritualis Romani Caput, cui Titulus, *Benedictio novæ Crucis*, dilucidabimus, multis aliis omissis, quæ ibidem legi possunt a sacrarum rerum, & Catholicæ Ecclesiæ rituum studioso.

II. Ergo antiquam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut Crux vel a nascentis Christianæ Religionis temporibus in Altaribus locaretur, scite observat Jueninus in celebri Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione V. *De Eucharistia*, Quæstione VIII. Articulo III. probatque Concilii Turonensis celebrati anni DLXX. Canone III. ubi statutum legitur: *Ut Corpus Dominicum non Imaginario ordine*, seu inter Imagines super Altari ex antiquo ritu poni solitas, *sed sub Crucis titulo componatur*. Tum addit, sic ferre Ecclesiarum omnium consuetudinem, cujus quidem cum in Conciliis, aut in Patribus, initium non reperiatur, ad ipsos Apostolos, juxta solidum S. Augustini principium in Lib. V. *De Baptismo*, refundi debet. Cæterum decuisse, inquit, quammaxime, in Sacro Altari, ubi Divinum Sacrificium offertur, collocari Crucem, ut nimirum Christi Passio Sacerdotis sacrificantis oculis obversetur, quam Missa ad vivum exhibet. Atque hinc est, quod etiam hodie ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis in Altari, ubi publicæ venerationi expositum est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, si ibidem non adsit Crux, minime possit Missæ Sacrificium celebrari.

III. Præter allatum ex Concilio Turonensi testimonium, quod de veteri Ecclesiæ ritu collocandi Crucem in Sacro Altari fidem luculentissimam facit, de ipsa Cruce in summo Altaris fastigio posita, jam longe ante prædictum Concilium mentionem fecit S. Paulinus, qui claruit quarto Christi Sæculo, in Epistola XII. ad Severum his versibus.

*Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus,*
*Compositisque sacra cum Cruce Martyribus.*
*Cuncta salutiferi coeunt insignia Christi,*
*Crux, Corpus, Sanguis Martyris, ipse Deus.*

Postremum versum explicat Mabillonius Lib. I. *De Liturgia Gallicana*, Cap. IX. hunc plane in modum: *Crux in summo Ciborii vertice. Corpus, & Sanguis, idest, Reliquiæ Martyris in imo. Ipse Deus, hoc est ipsum Domini Corpus in columba appensum in medio*. Crucem auream purissimam, quæ pendebat libras centum quinquaginta, donasse olim Constantinum, Auctor est in Silvestro Papa Liber Pontificalis. Crucis quoque aureæ in Altari positæ meminit Venerabilis Beda Lib.II. *Historiæ*, Cap. XX. Atque, ut alia exempla omittam, ac veterum Patrum testimonia de usu Crucis in Altari, ubi Sacra peraguntur, celebre est, quod hac in re scripsit Jonas Aurelianensis in Præfatione Libri II. adversus Claudium Taurinensem: *Multa sunt*, ait, *quæ mos Sanctæ Ecclesiæ, sicuti a Majoribus tradita sunt, quadam in-*

*insita, atque nativa celebratione frequentant. Neque enim nostro tempore usus irrepsit, figuram Crucis in Basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit.*

IV. Quod vero ritum benedicendi Crucem spectat, de quo nobis in præsenti agendum est, videtur & ipse a nascente Christiana Religione suam ducere originem, siqua fides Decreto Pii I. Papæ, qui claruit medio Sæculo II. In eo siquidem Decreto legitur, ut *qui pejerat in manu Episcopi, aut in Cruce consecrata, tres annos pœniteat; si vero in Cruce non consecrata, annum unum pœniteat.* Meminere hujus Decreti non modo Ivo Carnotensis Episcopus, Parte XII. Cap. LXII. Burchardus Episcopus Wormatiensis, Lib. XII. Cap. V. Gratianus in Canone, *Qui pejerat*, XXII. Quæstione V. & alii veterum Canonum Collectores, sed & in suo Pœnitentiali Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis. Extat in antiquo Romano Ordine, & in pervetustis Pontificalibus Libris peculiaris Ordo Pontificalis, seu Ritus benedicendi, seu consecrandi Crucem, in Ecclesia scilicet Latina; non enim puto in Orientali Ecclesia hujusmodi Benedictionem esse antiquam. Nam cum in Concilii Niceni II. Actione VI. Gregorius Episcopus Neocæsareæ Iconoclasta asseruisset, Imagines, & Cruces esse res profanas, nihilque sanctitatis in se continere, cum a pictore, vel sculptore nequeant sanctificari, neque ulla sit certa precum formula, qua consecrentur, respondit Epiphanius Diaconus: *Multa, quæ in nobis sacrata sunt, orationem sacram non recipiunt, cum inde, & ex ipso nomine plena sint sanctitudine simul, & gratia. Et propterea hæc ut revera veneranda honoramus, & salutamus. Ipse enim typus vivificæ Crucis absque oratione sacra effectus penes nos colitur, & contenti sumus figura ejus ad suscipiendam sanctificationem &c.* Ubi nota, eo tempore, quo celebrata fuit Nicæna II. Generalis Synodus, anno scilicet DCCLXXXVII. apud Orientales morem non fuisse Cruces, Imaginesve benedicendi; alioqui unico verbo potuisset Epiphanius, Gregorii Iconomachi calumniam, & impietatem refellere.

V. Scite porro docet eruditissimus æque, ac religiosissimus Jacobus Gretserus, Lib. I. *De Sancta Cruce*, Cap. LIII. non consecrari Crucifixi Imagines, quasi sine Benedictione non sint id quod sunt, nempe typi Salvatoris nostri Crucifixi, & firmissima adversus dæmones, dæmonumque insidias præsidia, & propugnacula, signaque sancta, & adoranda; sed benedici ait, ut hoc veluti publico testimonio ad usus pios destinentur, utque ad priorem sanctificationem, & virtutem, quam habent, hoc ipso, quod sunt Christi Imagines, accedat, precibus, & meritis Ecclesiæ, major sanctificatio, & virtus; cum Benedictiones Ecclesia tam habeat efficaces, ut ea itidem, quæ nihil virtutis, & sanctificationis habent, nisi quam a Benedictione Ecclesiæ accipiunt, ut est aqua, & sal, precationibus suis sanctificet, & ex numero rerum profanarum eximat, efficiatque, ut mirandos effectus producere possint, uti vel ex dictis in superioribus Commentariis liquet, in quibus frequenter ostendimus, virtute rerum benedictarum Sanctos Viros innumera pene patrasse miracula.

VI. Sed his omissis, primus ritus, qui olim ad benedicendam Crucem ex antiquo Romano Ordine servabatur, fuit profecto Benedictio salis, & aquæ, deinde Litania, tum vero duæ Orationes in nostro non modo Rituali, sed & in Pontificali Romano, descriptæ, in quo etiam, sicut & in ipso Ordine Romano, & in aliis Pontificalibus pervetustis, legitur ad ipsam Crucis Benedictionem longa Præfatio, ac aliæ Orationes, & non modo Aqua benedicta aspergitur Crux, verum incensatur. Quos plane ritus omnes fuse jam nos explicuimus in Commentariis ad prædictum Titulum XIII. *De Benedictione novæ Crucis*, Parte II. Pontificalis Romani, ad quos lectorem remittimus; non enim justum putamus ea quæ attulimus ad explicandum uberiorem ritum de novæ Crucis Benedictione in Pontificali præscriptum, referre hoc loco, ubi totus benedicendæ novæ Crucis ritus duabus dumtaxat Orationibus, & unica Aquæ benedictæ aspersione concluditur.

VII. Siquis autem hic roget, utrum nova Crux indigeat necessaria Benedictione, ut possit collocari in Altari, Respondet Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione XIV. Dubitatione II. non esse necessariam hanc Benedictionem, etiamsi in Altari peragendum esset Sacrificium, quia scilicet nullibi Benedictio ipsa præcipitur. Sed nequeo huic opinioni adhærere, non enim puto Ecclesiarum Præsides antiquos pariter, & recentiores in Pontificalibus, in Ritualibus, in Missalibus, atque in Conciliis voluisse ritum benedicendæ novæ Crucis describi, ut in eisdem lateret, & nulli usui essent. Cæterum si Concilia consulamus, in multis ipsorum legimus statutum, benedicendas esse scilicet Cruces, antequam adhibeantur. Ita plane mandat S. Carolus, ut alios omittam, in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Parte I. Constitutionum, Capite inscripto, *De sacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus*, prope finem: *Cruces, & Sanctorum Imagines solemniter, statisque precibus, & Ecclesiæ ritu benedicantur.* Cum generatim de Crucibus loquatur, nulla facta distinctione inter illas, quæ in Altari locantur, & illas, quæ in Processionibus feruntur, puto equidem, utrasque benedicendas, etiamsi Cruces ipsæ a Regularibus adhibentur, ut idem Sanctus Carolus edicit Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, ubi Capita quædam recenset ad Regulares pertinentia, in quibus sic inter alia inquit: *Benedictio Paramentorum, Crucum, & Sacrarum Imaginum, antequam adhibeantur in usum, fiat ab iis, qui facultatem habent a Sede Apostolica, vel a Reverendissimo Archiepiscopo, ex ejusdem Sedis concessione.*

VIII. Ex postremis hisce S. Caroli verbis jam illud quoque addiscimus, Benedictionem Crucis non posse peragi nisi ab Episcopo, vel *ab iis, qui facultatem habent a Sede Apostolica &c.* non autem a simplici Sacerdote, ex delegatione Episcoporum, ut contendit Quarti citato loco, Dubitatione I. ea nixus ratione, *quod Crucis, & Imaginum Benedictio ponitur in Rituali Romano sub hoc Titulo*, Benedictiones ab Episcopis faciendæ, vel aliis facultatem habentibus, *idest, vel a Sede Apostolica, vel ex delegatione eorundem Episcoporum.* Sed inanis est hæc interpretatio, nam illa verba, *vel aliis facultatem habentibus faciendæ*, exponi potius debent juxta declarationem S. Caroli, qui licet Archiepiscopus esset, & S. R. E. Cardinalis, expresse ait,

con-

concedi quidem posse eam facultatem benedicendi Crucem &c. ab Episcopo simplici Sacerdoti, sed tamen *ex ejusdem Sedis*, Apostolicæ scilicet, *concessione*. Optandum plane, ut Apostolica Sedes omnibus indistincte hujusmodi facultatem Sacerdotibus donaret, ad evitandam scilicet antiquissimi hujus, ac sanctissimi ritus omissionem. A multis enim negligitur, & quidem passim Crucum, aliorumque id genus, Benedictio, quod in promptu non habent Episcopum, aliosve eam benedicendi facultatem habentes a Sede Apostolica. Cæterum non video, cur simplices ipsi Sacerdotes ea facultate donari nequeant, quum vi suæ potestatis Christi Corpus, & Sanguinem consecrent, & a peccatis homines absolvere possint. Quæ quidem potestas quarumcumque aliarum facultatum maxima est. Sed & ordinari ipsos ad benedicendum, expresse ait Romanum Pontificale, Titulo inscripto, *De Ordinatione Presbyteri*, ubi in allocutione, quam ad eum facit Episcopus, ita primum inquit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, &c.* & ubi cum ambas eorum manus inungit, ait, & orat: *Consecrare, & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, & nostram bene ✠ dictionem, Amen*; productoque manu dextera signaculo Crucis super manus Ordinandi, sic prosequitur: *Ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecraverint, consecrentur, & sanctificentur, in Nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen.*

IX. Plura jam in hunc locum diximus nos Tomo I. Commentariorum in Partem I. Romani Pontificalis, redeundosque iccirco ad ea, quæ hunc nostrum §. spectant, docet Barrufaldus, quod, *licet occasio nova Crucis benedicendæ multiplex esse potest, nunquam vero pro Cruce super Altare collocanda, est facienda hæc Benedictio, eo quia Textus loquitur de simplici Cruce, non autem de Cruce cum Imagine Christi Crucifixi, quæ ex ritu collocanda est super Altare cum candelabris hinc inde, & pro qua specialis Benedictio statuta est, circa Imagines Jesu Christi*; de quibus scilicet in Capite sequenti agitur. Pergit autem Barrufaldus, iterumque asserit, in hoc præsenti Capite sermonem fieri de Crucibus, ex quacumque materia illæ sint, sed sine Crucifixi Christi Redemptoris Imagine, quæ variis ex causis construi solent in Capitibus viarum, in triviis frequentioribus, in Cœmeteriis, ut non uno in loco S. Carolus Actorum suæ Ecclesiæ Mediolanensis mandat. Item ad ostia Religiosarum domorum, & præcipue Regularium strictioris observantiæ, quales inter alios sunt Capuccini. Peregrini quoque nonnulli sunt, qui pœnitentiæ causa ad longinquas Urbes, & insignia Sanctuaria procedere solent, bajulando prægrandes Cruces in memoriam Dominicæ Passionis. Potissimum denique Missionarii hoc alicubi in usu habuerunt, ut Cruces magnas in summis Oppidorum locis ponant, ut Fideles scilicet crebrius, illis perspectis, se se erigant ad summi mysterii in Cruce peracti gratam recordationem, & ad orandum, seu adorandi stimulum sentiant, quotiescumque illam inspiciunt, vel ei obviam fiunt. Cunctas istas Cruces, ut *solemniter, statisque precibus ex Ecclesiæ ritu benedicantur*, ex Concilio S. Caroli Mediolanensi IV. citato superius Capite, memoratus Barrufaldus docet.

X. Operæ nunc pretium ducimus mysteria, & documenta quædam exponere, quæ continentur in salutifera, & sanctissima Cruce Domini nostri Jesu Christi, de qua egregie loquitur inter alios Patres S. Leo Magnus Pontifex Maximus in Sermonibus, *De Passione Domini*, præsertim vero in octavo, ubi ita commendat efficaciam Crucis: *Nunc etenim & Ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum*, Presbyterorum scilicet, *& sacratior est unctio Sacerdotum, quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte*. Hinc omnis Benedictio signo Crucis perficitur, nec ulla res sanctificatur, nisi adhibito Crucis signo, & quidem ex pervetusto Ecclesiæ ritu nascenti nostræ Religioni coævo, itaut etiam Sacramenta ipsa, quæ fontes sunt gratiarum, non sine Cruce peragantur, ut expresse docet Canon X. apud Gratianum, De consecratione, Distinctione V. *Numquid*, inquit, *non omnia Chrismata Sacerdotalis mysterii Crucis figura perficiuntur? Numquid Baptismatis unda nisi Cruce sanctificata peccata relaxantur? Et, ut cætera prætereamus, sine Crucis signaculo quis Sacerdotii gradus ascendit?*

XI. Porro quum longum esset omnia mysteria, ac documenta de Christi Cruce in hoc Commentario, quæ luculenter Sancti Ecclesiæ Patres exposuerunt, describere, ea dumtaxat commemorabo, quæ ex iisdem S. Thomas collegit, recensuitque Parte III. Quæstione XLVI. Articulo IV. ubi quærens, an Christus debuerit pati in Cruce, sapienter suo more hæc præcipue explicat Crucis Mysteria, quæ deinde ex laudato Theologorum omnium Principe, & Ecclesiæ Doctore eruditus Quarti suo Tractatui, *De Benedictionibus*, inseruit, Titulo III. Sectione XIV. Præludio II. Primo ergo Christus Dominus convenientissime elegit Crucem in instrumentum præcipuum, magisque insigne suæ Passionis, & mortis, ut hoc medio tanquam Caput Martyrum suos Discipulos, omnesque alios futuros Martyres animaret ad tolerantiam quarumvis passionum, & cujusvis generis supplicii etiam summi opprobrii, & doloris, quale est supplicium Crucis, atque suo exemplo redderet eos impavidos. Unde Augustinus in Psalmum LXIII. *Intendite*, inquit, *parum ergo erat, Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo*. Et Cyrillus Lib. XII. in Joannem, Cap. XXVIII. sic ait: *Hoc singulari Christi facinore ad fortitudinem, qua pati omnia pro pietate velimus, mirum in modum exhortamur; nam qui non accipit Crucem, non est Christo dignus*. Hoc etiam mystice præsignavit Moyses, Exodi Capite XV. quando aquas amarissimas, quas Israelitæ in Deserto bibere recusabant, injecto in eas ligno, quod illi Deus ostendit, potabiles reddidit, & suaves. Eo siquidem signo Crux Christi figurabatur, cujus consideratione, aquæ tribulationum quantumvis amaræ, suaves redduntur, & Calix passionis exemplo Christi avide sumitur a Martyribus.

XII. Secundo voluit Christus per Crucem genus humanum redimere, ut satisfactio esset magis conveniens, & proportionata culpæ primi Parentis nostri Adæ, & eisdem armis diabolum vinceret, quibus ipse primum hominem læserat, ligno scilicet eum superaret, qui in ligno vicerat, juxta illud quod canere solet Ecclesia tempore Passionis.

*Hoc opus nostræ salutis*
*Ordo depoposcerat,*
*Multiformis proditoris*
*Ars ut artem falleret*
*Et medelam ferret inde,*
*Hostis unde læserat,*

Quibus concinit Præfatio Missæ eodem tempore dici solita, & in solemnitatibus Crucis: *Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Et S. Joannes Damascenus, Lib. IV. Capite XII. *Quoniam*, inquit, *morti per lignum aditus patuerat, consentaneum erat, ut per lignum quoque vita, & resurrectio donaretur*.

XIII. Tertio super Crucem ascendit Christus, ut sic nobis ascensum pararet ad Cælum per Crucem, tanquam per scalam firmissimam, atque tutissimam, uti notavit S. Joannes Chrysostomus relatus a S. Thoma loco citato: *Quotquot prædinati sunt ad gloriam, virtute Crucis elevantur in Cælum*. Cui consonat S. Hieronymus in Evangelium Marci, Cap. XI. ubi affert similitudinem avium, quæ, ut volent ad æthera, necesse est, ut alas expandant, & sic formam Crucis assumunt. Sic Electi nonnisi virtute Crucis volant ad Cælos. Quarto demum super Crucem ascendit Christus, tanquam super Cathedram veræ sapientiæ, & Christianæ perfectionis. Unde S. Augustinus Tractatu IX. in Joannem sic inquit: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, Cathedra fuit Magistri docentis*. Id quod fusius citato loco S. Thomas explicat. Vide Catechismum Romanum ad Articulum IV. Symboli Apostolorum, ubi dicitur Christus *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*.

## §. II.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adorat, & osculatur, & idem faciunt quicumque voluerint.

## COMMENTARIUS.

I. Reliquum est, ut aliquid notemus in hoc præsenti §. II. ubi edicitur, ut, peracta Crucis Benedictione, *Sacerdos genuflexus ante Crucem, devote adoret, & osculetur, & idem faciant quicumque voluerint*. Idipsum Pontificale Romanum præscribit in citato Titulo XIII. *De Benedictione novæ Crucis*, §. V. *Tum Pontifex, flexis ante Crucem genibus, eam devote adorat, & osculatur &c.* Atque his concinit Pontificale antiquum Gulielmi Durandi, quod nos in Appendice ad prædictum Titulum descripsimus, ubi mandat, ut *omnibus expeditis, ipse*, Pontifex scilicet, *flexis genibus devote adoret ante Crucem, & osculetur ipsam, & alii quicumque voluerint*. Pontificale denique Monasterii Lyrensis ante annos DC. exaratum, editumque ab Edmundo Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XXIII. pag. 373. edicit, ut, terminata Benedictione, *elevetur Crux, & ab omnibus adoretur, canteturque hæc Antiphona*: O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Alleluja, alleluja, alleluja, alleluja. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua Vita mundi pependit, in qua triumphavit, & mors mortem superavit, Alleluja.

II. Sequitur mox Oratio, quæ est hujusmodi: *Omnipotens sempiterne Deus, cujus sanctum, & terribile Nomen inter cæteras visibiles creaturas, signa quoque fructifera laudare, ac benedicere non cessant: te supplices deprecamur, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum illius primi sacratissimique vexilli ob memoriam sanctæ Crucis expressum est, cælesti benedictione sanctificare digneris, ut omnibus ante illud genuflectentibus, ac tuæ Majestati supplicantibus largiatur cordis compunctio, & indulgentia concedatur admissorum, atque intercedente ipsa victoriosissima Passione Unigeniti tui, & tibi placita postulare, & citius valeat postulata percipere. Per.* Hac Oratione finita, mandat mox etiam idem Lyrense Pontificale, ut *consecrata Crux benedicatur his verbis*: Benedictio, atque sanctificatio Omnipotentis Dei Patris, simulque Incarnati Verbi, atque Paracliti Spiritus Sancti maneat jugiter super hanc similitudinem Crucis Christi, ut sit hæc Crux omnibus adorantibus salubre remedium in sæcula sæculorum.

III. Itaque statim, ac benedicta est Crux, adoranda est ab eo, qui benedixit, & osculanda in signum venerationis, & cultus, qui ei debetur, ratione repræsentationis, ut cum S. Thoma, Parte III. Quæstione XXV. Articulo IV. docent communiter Theologi. Videsis quæ de ipsa Crucis adoratione scripsimus, Tomo II. Commentariorum in Concilia Oecumenica ad Canonem LXXIII. Concilii Trullani, qui ita habet: *Cum Crux nobis vivifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum quem par est honorem habeamus. Quamobrem, & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur*. Vide & quæ de hoc abusu insculpendi Crucis effigiem in pavimentis Ecclesiarum, ac multo magis de turpiori illo eandem pingendi in domorum vestibulis ad arcendum mejentes, scripsimus nos Lib. II. *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Cap. XVIII.

IV. At vero, ut de Crucis adoratione paulo fusius disseramus, explicandum hoc loco censemus quomodo ipsa Crux Christi adoranda sit. Et quidem Crucem ipsam recte a Fidelibus adorari, probat perpetua Ecclesiæ traditione observata consuetudo, uti recte inter alios Theologos Gulielmus Estius sequutus Theologorum omnium Principem S. Thomam notavit Lib. III. Sen-

Sententiarum, Distinctione IX. §. III. ubi etiam varia Patrum testimonia recenset, sed illud potissimum, quod in Ecclesiæ Canticis auditur: *O Crux adoranda*; & quod in antiquo Carmine legitur Lactantio attributo.

*Flecte genu, lignūque Crucis venerabile adora.* Quum autem inter Doctores de genere adorationis Cruci Christi exhibendæ, utrum videlicet latriæ, an inferiori aliquo cultu adoranda sit, Quæstio versetur; quod latriæ cultus ei sit exhibendus, hisce plane argumentis ostendere Theologi non pauci conantur.

V. Primo itaque, Ecclesia Crucem Christi vocat spem nostram unicam, & ab ea gratiam, & remissionem expectat, *O Crux ave spes unica*. Et mox: *Piis adauge gratiam, reisque dele crimina*. Tale est & illud Apostoli in Epistola ad Galatas, Cap. VI. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Secundo, in Officio Ecclesiastico ex antiquo ritu cantantur & alia nonnulla, per quæ latriæ cultus Cruci deferri videtur. Vocatur enim *Vitæ lignum; mortis remedium; spes, & victoria Christianorum*; aliisque ejusmodi Divinis titulis honoratur. Tertio, testantur S. Joannes Damascenus, & alii, Purpuram, & Diadema Regis eodem honore cum Rege adorari, licet hæc non subsistant in eadem hypostasi cum Rege. Igitur & Crux Christi, licet Christo non sit conjuncta hypostatice, eadem cum illo adoratione colenda erit. His accedit auctoritas S. Basilii allegata a Patribus Septimæ Synodi, itemque a Sancto Joanne Damasceno, & ab omnibus fere Scholasticis in citata Distinctione IX. Libri III. Sententiarum. Qui quidem Basilius, Cap. XVIII. *De Spiritu Sancto ad Amphilochium*, diserte ait, honorem Imaginis referri ad Prototypum, idest, ad exemplar suum. Quare cum Christus adoretur cultu latriæ, erit & Crux Christi, quatenus Christum Crucifixum nobis repræsentet, eodem cultu adoranda. Sed hoc ipso conforme videtur Philosopho, qui in Libro, *De memoria, & reminiscentia*, dicit, eundem esse motum in Imagine, ut Imago est, & in ipsum exemplar. Similia habet Sanctus Thomas II. II. Quæstione LXXXI. Art. III. ad III. item Quæstione CXIV. Articulo II. ad I. & Quæstione CIII. Articulo III. ad III. Qui etiam Parte III. Quæstione XXV. Articulo III. & IV. hanc sententiam tam de Imagine, quam de Cruce Christi tuetur. Quin & S. Bonaventura, & alii plerique Scholastici in ejus sententiam descendunt.

VI. Pro majori hujus sententiæ declaratione, & confirmatione, distinguit S. Thomas citato Articulo IV. duplicem honorem circa rem insensibilem. Primus est, qui ei impenditur, in quantum repræsentat naturam intellectualem. Secundus est, quo res honoratur, in quantum rationali creaturæ quocumque modo est, aut fuit conjuncta: *Si ergo*, inquit ibidem S. Thomas in Corpore Articuli, *loquamur de Cruce, in qua Christus pependit, utroque modo est a nobis veneranda latriæ cultu, sicut eadem veneratione honoramus Regem, & Imaginem, & vestimentum Regis. Si vero loquamur de effigie Crucis in quacumque alia materia, illa priori tantum modo adoranda erit, sed tamen latriæ cultu*. Similia exempla videre licet apud Medinam super prædictis Articulis III. & IV. ubi hanc sententiam ita propugnat, ut contrariam tanquam temerariam, & periculosam in Fide damnare non vereatur; quod tamen temerarie ab eo factum esse, contendit Estius loco citato, ubi etiam pro contraria parte argumenta affert non contemnenda, quibus probare conatur, quod etsi Crux illa, in qua Christus salutem nostram operatus est, contactu Corporis ejus sanctificata, majori prosequenda sit veneratione, quam Imagines illius repræsentativæ, latriæ tamen cultus, nec his, nec illi sit deferendus conformiter Sanctorum Patrum censuræ.

VII. Sed omissa hac Quæstione, notandum illud omnino est, quod licet ejusdem generis cultu, cum vera Christi Cruce, veneranda sit effigies Crucis, de qua hic noster §. loquitur, ex quacumque materia illa sit, non tamen una eademque ratione. Nam lignum Crucis contactu Sanguinis, & Corporis Christi sanctificatum, ita veneramur, ut etiam destructa figura, materiam ejus in minutissimas partes divisam summo in honore habeamus. Effigiem vero tantum veneramur ratione repræsentationis, sicut & cæteras sacras Imagines, de quibus in Commentario ad sequens Caput dicemus. Quod autem Crux ipsa, sive simplex sit, sive cum Crucifixi Imagine, sicut & aliæ Imagines Sacræ, si vetustate corrupta, & reparari non possit, absumenda sit igni, & cineres in Sacrarium projiciendæ, deduci potest ex celebri Canone, *Ligna*, & Canone, *Altaris*, De consecratione, Distinctione I. Quibus adde quod eandem in rem statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite inscripto, *De sacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus*, prope finem, ubi sic habet: *Ne Tabulæ Sanctorum Imaginibus expresse, nimia vetustate consumptæ, in vilem, & sordidum, profanumque usum convertantur, sed ut de Altaris pallis, ac velis temporis usura pene confectis, Beati Clementis Pontificis, & Martyris Decreto sancitum est, in ignem conjiciantur; tum cineres præterea, ne pedibus inquinentur, in pavimenti fossis collocentur. Imagines quoque Sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoveantur, & sub pavimento Ecclesiæ, aut saltem sub Cæmeterii solo collocentur*. Quod hic S. Antistes, sancitum ait Decreto fuisse S. Clementis Papæ I. alludit ad Epistolam ejus secundam ad Jacobum Fratrem Domini, quæ licet communi Eruditorum judicio supposititia sit, antiquissima tamen est, & quoad memoratam disciplinam, ab Ecclesia communiter recepta, & variis jamdudum Conciliis confirmata.

VIII. Quod tandem de Sacris Imaginibus in tabulis, telisque depictis dictum hactenus est, servatum velim & in iis, quæ sunt in chartis impressæ, multas enim sæpe videmus in terram projectas, luto fœdatas, & pedibus incedentium conculcatas, nonnullas etiam ad alios viliores usus adhiberi. Huc facit exemplum S. Francisci de Assisio, qui, ut ejus Acta testantur, cujusque meminimus nos Lib. III. *De Codice Sancti Evangelii &c.* Cap. XIX. *si quando in terra aliquam reperiebat Scripturam, humiliter elevans venerabatur eam, & in loco mundo ponebat, eo quod fortassis contineret scriptum Nomen sanctum*. Varia miracula per hujusmodi Sanctorum Imagines occurrunt passim in Vitis Sanctorum, præclarumque est illud, quod de chartacea Imagine S. Philippi Nerii refert Baccius in ejus Vita, Libro VI. Cap. XIII. num. II. *Quo primum*, inquit, *Viri*

*Viri Dei Imagines typis impressæ a compluribus colebantur, vir impius, cum vidisset amicum ex iis unam apud se habentem, irridentium more caput movet, rictumque obducit, insuper Imaginem rapit, inque globulum redigens, in terram projecit. Mirum! illico Imago, antequam humum tangat, explicat se se, ac librata in aere pendet. Verum vir improbus pedem impingit, calcatque, & iterum Imago pendulam se in aere librat. Tunc is perterritus, facti pœnitens, repente genuflectit, Imaginem veneratur, Confessarium adit, culpas diluit, & ad meliorem frugem se recepit.*

IX. Quanto autem honore habendæ sint chartaceæ ipsæ Sanctorum Imagines, satis jam ostendit Civis meus S. Franciscus de Paula, qui, ut refert antiquus ejus Vitæ Auctor, Cap. XII. donatus a Galliæ Rege Sacra Deiparæ Imagine, *ex auro puro ducatorum, & valebat septendecim millia ducatorum, mandando, ut eam susciperet, & quod illi dabat ad faciendas suas devotiones... remisit ei, dicendo, quod devotio sua non erat in auro, nec in argento, sed in nostra Domina, quæ regnat in Cælis cum Filio suo; & dixit Nuntio Regis, quod habebat unam Imaginem papiraceam, quæ ei sufficiebat*. Rem fusius narrat prædictus Vitæ Auctor apud alium Civem meum Josephum Mariam Perrimezzi, qui Vitam ipsam Notis, ac Dissertationibus illustravit, Parte I. pag. 212.

## CAPUT XXVII.

### *Benedictio Imaginum Jesu Christi Domini nostri, Beatæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum.*

### §. I.

*℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum, & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines* (sive *effigies*) *sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc quæsumus Imaginem* (seu *sculpturam*) *in honorem, vel memoriam Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, vel *Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi*, vel *Beati N. Apostoli tui*, vel *Martyris*, vel *Confessoris*, aut *Pontificis*, aut *Virginis*) *adaptatam bene✠dicere, & sancti✠ficare digneris; & præsta, ut quicumque coram illa, Unigenitum Filium tuum* (vel *Beatissimam Virginem*, vel *gloriosum Apostolum*, sive *Martyrem*, sive *Confessorem*, aut *Virginem*) *suppliciter colere, & honorare studuerit, illius meritis, & obtentu, a te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.* Ultimo aspergat Aqua benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Sacras Christi Domini, Deiparæ Virginis, atque aliorum Sanctorum Imagines consuevisse a Christianis, a primis nostræ Religionis Sæculis depingi, & in Ecclesiis haberi, affirmant constanter, ac passim antiqui Scriptores, Synodi, Patres, Summique Romani Pontifices, quorum loca attulimus, Tomo II. Conciliorum in Commentariis ad Generalem Synodum Nicænam II. & Tomo II. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulos XV. & XVI. ac alibi, ubi se se nobis dedit occasio de sacris ipsis Imaginibus differendi. Ad Imaginem Christi quod attinet, testatur non uno in loco Tertullianus, qui claruit Sæculo Ecclesiæ II. consuevisse suo ævo ipsam Christi Imaginem vel in Calicibus depingi, sculpive, in figura Pastoris ovem perditam, inventamque, cujus meminit Evangelium S.Lucæ Cap. XV. super humeris suis gestantis. Sic enim inquit in Libro, *De pudicitia*, Cap. VII. *Procedant Picturæ Calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius*, ovis scilicet perditæ, & a Domino requisitæ, & humeris ejus revectæ. Et infra Cap. X. *Si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis*. Et post pauca: *At ego ejus Pastoris Scripturas haurio, qui non potest frangi*. Continent citata hæc verba Tertulliani jam hæretici adversus Catholicos amarulenta convitia, ac si Pastorem ovem perditam gestantem in Calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur, tanquam pœnitentiam, quam ipse factus Montanista negabat, Summi Pastoris misericordia recepturi post lapsum.

II. Præterea quod ipse Dominus Jesus Christus Imaginem suam Abgaro Edessenorum Principi miserit, docent inter alios Gregorius II. Pontifex Maximus in Epistola ad Leonem Isauricum, Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum pro Synodo Nicæna II. & S. Joannes Damascenus, Lib. IV. *De Fide orthodoxa*, Capite XVI. Orientalisque Ecclesia etiam semper indubitatum habuit. Præter allegatos testes, qui omni procul dubio exceptione majores sunt, utpote sanctitate, doctrina, & dignitate præstantes, ejus Imaginis a Christo ad Abgarum missæ antiquissima invenitur mentio in Actis Samonæ & Guriæ Martyrum Edessenorum, quæ non ita multo post eorum mortem anno scilicet Christi CCCVI. inscripta sunt, extantque apud Surium XVI. Kalendas Decembris, ipsiusque Bailletti judicio ex Codice probato deprompta videntur. His adde Procopium Sæculi VI. Scriptorem, cujus

jus meminit Evagrius, Lib. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXVI. Theophylactum Simocattam, Lib. II. *Historiarum*, Cap. III. Patresque Synodi Nicænæ II, qui actione V. ipsius Synodi, ejusdem Imaginis testimonium ad convincendos hæreticos Iconoclastas protulerunt. Jam non desunt, qui Imaginem ipsam rejiciunt, hæretici pariter, & Catholici nonnulli, quos tamen in Commentario ad Rubricam prædicti Tituli XVI. Partis II. Romani Pontificalis abunde, solideque confutavimus.

III. Christi Salvatoris Imaginem per manus S. Lucæ Evangelistæ designatam, ac deinde ab ipso Christo, Angelorum ministerio perfectam, testantur monumenta Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, itemque Joannes Lateranensis Diaconus in Opere ms. de eadem Basilica, ubi ita inquit: *Super hoc Altare est Imago S. Salvatoris mirabiliter in quadam tabula depicta, quam Lucas Evangelista designavit, sed virtus Domini Angelico perfecit opificio*. Idipsum tradit S. Thomas Parte III. Quæstione XXV. Articulo III. ad IV. sic dicens: *Beatus Lucas dicitur dipinxisse Christi Imaginem, quæ Romæ habetur*. Servatur ipsa Imago multis, & maximis ornamentis aureis, & argenteis, gemmisque referta, & cortinis aureis decorata, in Oratorio, quod dicitur, *Sancta Sanctorum*, ab ipsomet Christo, ex miraculo, sacrato, ut scribit Joannes Baptista Paulianus in Tractatu, *De Jubilæo, & Indulgentiis*, & a Nicolao III. in præsentem formam extructo, quod quidem Oratorium, sicut & ipsa Sanctissimi Salvatoris Imago pie custoditur a nobilissimorum Civium Romanorum Sodalitate, ut inter alios testatur Floravantes Martinellus in sua Roma ex ethnica Sacra Romæ edita anno MDCLXVIII. pag. 153. ubi etiam inter alia scribit, ipsum Oratorium nemini, nisi soli Romano Pontifici licuisse olim intrare; & in memoriam mortis, quam per Evam incurrimus, in ipsum locum ingredi vetitum prorsus feminis esse. Sed de prædicto Oratorio videri potest religiosissimus æque, ac eruditissimus Joannes Marangonus nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, qui peculiarem de eodem Tractatum edidit multis antiquis notitiis non ita obviis refertum.

IV. Nunc ut aliquid dicam de sacris Deiparæ Virginis, atque aliorum SS. Imaginibus; quod etiam S. Lucas Evangelista Deiparam Virginem depinxerit, testantur antiqui Auctores, & communis variarum Ecclesiarum traditio, cujus meminit doctissimus Lupus in Dissertatione, *De septima Synodo Generali*, Cap. II. & ante ipsum Petrus Cotonus Lib. I. *Ecclesiæ triumphantis*, Cap. XXII. Bellarminus, Petavius, & alii emunctæ naris Scriptores. Auctor est Liber Pontificalis, seu de Vitis Romanorum Pontificum, Gregorium Papam III. in Imagine S. Dei Genitricis diadema aureum, & collare aureum de gemmis fecisse, & in Oratorio Sancto, quod Præsepe dicitur, fecisse Imaginem auream Dei Genitricis amplectentem Salvatorem Dominum nostrum. Scribitque, ut alios antiquos testes omittam priscas Deiparæ Imagines recensentes, Germanus Episcopus Constantinopolitanus, Imaginem intemeratæ Virginis Matris in Zosopoli Pisidiæ Civitate ex picta manu sua unguentorum scaturiginem emittere.

V. Sequens autem rectum ordinem Orationis in nostro hoc Capite, & §. I. descriptæ, post Deiparam Virginem venio nunc ad Sanctos Apostolos, quorum quidem celebres fuerunt in primitiva Ecclesia picturæ. Scribit Auctor Libri Pontificalis in Silvestro Papa, Constantinum Imperatorem posuisse in Basilica Constantiniana, dicta etiam Lateranensi, cum Salvatore sedente in Sella *duodecim Apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt singuli libras nonagenas cum coronis argenti purissimi*. Idem Constantinus, Eusebio referente in ejus Vita Lib. IV. Cap. LX. Constantinopoli Apostolorum Templum, sive *Martyrium* ædificavit, & ibi Conditorium suum, Sepulchrum scilicet, *quod utrinque seni claudebant Apostoli; ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent, ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur*. Varios antiquos Patres luculentissima testimonia proferentes de sacris Apostolorum Imaginibus jam olim veneratione in Ecclesia cultis recenset eruditus Molanus, Lib. II. *Historiæ sacrarum Imaginum*, Cap. XIII.

VI. Post Apostolos fit in Oratione Ritualis mentio Martyrum, quorum Imagines vel a primis sæculis in Ecclesiis venerati sunt Christiani, teste S. Paulino in Natali X. S. Felicis, ubi meminit Martyrum utriusque sexus, qui supra regias, seu medios fores sacræ Ædis picti erant, una cum aliorum Sanctorum Veteris Testamenti, Job, Tobiæ, Judith, Esther, qui supra laterales Templi fores erant depicti,

*Inter quæ & modicis variatur gratia cellis;*
*Quas in porticibus (qua longius una coactum*
*Porticus in spatium tractu protenditur uno)*
*Appositas lateri tria comminus ora recludunt,*
*Trinaque cancellis currentibus ostia pandunt.*
*Martyribus mediam pictis pia nomina signant,*
*Quos par in vario redimivit gloria sexu.*
*At geminas quæ sunt dextra levaque patentes,*
*Binis historiis ornat pictura fidelis.*
*Unam Sanctorum complent sacra gesta virorum,*
*Jobus vulneribus tentatus, lumine Tobis.*
*Ast alia sexus minor obtinet, inclita Judith,*
*Qua simul & Regina potens depingitur Esther,*

Plura de antiquis Martyrum Imaginibus videri possunt apud laudatum Molanum, Lib. II. Cap. XIV. ubi inter alia mentionem facit S. Stephani primi Martyris Imaginis divinitus allatæ, de qua fuse loquitur Evodius Uzalensis Episcopus, qui claruit tempore S. Augustini, Lib. II. *De miraculis S. Stephani*.

VII. Sanctorum quoque Pontificum, & Confessorum Picturis ornatas fuisse Ecclesias, testem habemus memoratum S. Paulinum Nolanum Episcopum. Cum enim Severus novam Ecclesiam Imagine S. Martini Turonensis Episcopi, aliisque picturis exornasset, peteretque de iis per suum Victorem versus quosdam a Paulino, libenter eos transmisit, imo urgente Victore, misit præterea picturas, & versus, quibus ipse duas Basilicas exornarat, Nolanam videlicet suam, & Fundanam. Lege Epistolam XII. Paulini ad Severum, quæ juxta recentiorem Clarissimi Muratorii editionem nunc est Epistola XXXII. Neque vero in Ecclesiis solum, verum quoque in aliis locis consuevisse hujusmodi Sanctorum Imagines, venerationis studio, depingi, testis est S. Joannes Chrysostomus in Encomio Magni Meletii Antistitis Antiocheni, sic inquiens: *In annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, & ubique sanctam illam Meletii Imaginem multi pinxerunt, ut non tantum sanctam illam appellationem audirent, sed & ubique corporis formam inspicientes*,

*tes, duplicem haberent peregrinationis consolationem.*

VIII. Ad Virgines demum quod spectat, antiquæ etiam sunt illarum Imagines in sacris Templis, priscumque morem haud dubie sequutus Gregorius III. Pontifex Maximus, ut ait Auctor ejus Vitæ, sicut in Ecclesia Beati Petri Apostoli ab uno latere posuit effigies Salvatoris, & Apostolorum, ita ab alio latere expressit effigies Dei Genitricis, & Sanctarum Virginum. Antiquæ S. Euphemiæ Imaginis meminit Asterius Amaseæ Episcopus, qui eam etiam variis encomiis exornavit. Cui subjiciendum est, quod de eadem refert Constantinus Tius Episcopus apud laudatum Molanum citato loco, Capite XVI. dum inventionem scilicet Reliquiarum prædictæ S. Virginis narrat, sacram ait ipsius Imaginem ubique habere chartam in manu, eo quod Decretum Chalcedonensis Synodi, dum adversarii quidam Reliquiis Euphemiæ admovere vellent, ut ab ea dijudicaretur, ipsa magno miraculo mortuam manum extendit, & receptam chartam in Fidei corroborationem Ministris rectæ Fidei reddidit.

IX. Hactenus de illis Sanctorum classibus, quorum Imaginibus benedicendis præscripta est Oratio in præsenti Capite a Rituali Romano. Mirum autem videri debet, cur nulla in ipsa Oratione mentio de Imaginibus SS. Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, ac Viduarum, quum non dubium sit, quin & ipsæ benedici possint, ac debeant, præsertim si in Altari collocandæ sint. Puto autem, si benedicendæ sint hujusmodi Imagines, posse & ipsis præscriptam Orationem sub suis propriis denominationibus applicari; cum nulla assignari possit ratio, cur in ipsa habere non possint locum alii Sanctorum Ordines, & non possit dici, *in honorem, ac memoriam B. Michaelis Archangeli tui*, vel *Abraham Patriarchæ*, vel *Eliæ Prophetæ*, vel *Monicæ Viduæ*. Mirari quoque satis nescio, cur nulla in hoc Rituali, & in Pontificali nulla extet formula Benedictionis pro Imagine Sanctissimæ Trinitatis, vel solius Dei Patris, aut Spiritus Sancti, cum alias & olim in usu fuerint, & tum Romæ, tum alibi passim conspiciantur sacræ hujusmodi Imagines. Optandum itaque, ut Sacra Rituum Congregatio de istarum Imaginum Benedictionibus aliquid statuat; non enim aliis licet sacros Ritus præscribere, aut publicas Orationes ordinare, easque ad publicas, ac solemnes Benedictiones adhibere, nisi prius examinatæ, ac probatæ a Sede Apostolica fuerint. Hinc cum Petrus S. R. E. Cardinalis Otthobonus Vicecancellarius, & insignis Sanctorum Laurentii, ac Damasi Basilicæ perpetuus Commendatarius novam Sanctissimæ Trinitatis Imaginem in Altari propriis sumtibus a se erecto, ac decentissime ornato, quod anno Christi MDCCXXXVI. solemni ritu dedicavit, benedicere voluit, hac quidem Orationis formula a sanctæ memoriæ Clemente XII. Pontifice Maximo approbata usus est: ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, a quo universa creata benedici desiderant, & ipse nullius horum indiges Benedictione, suscipe propitius vota, ac deprecationes nostras, quibus te humiliter exoramus, ut bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris hanc Imaginem, & quoties illam intuemur, Nomen sanctum tuum credere semper, & invocare nos facias: quatenus æternæ, & individuæ Trinitatis mysterium ore, & corde integro confitentes in terris, una cum Angelis, & Sanctis omnibus, te sine fine glorificare mereamur in Cælis. Qui trinus, & unus vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

X. Porro multa scitu digna de sacris Imaginibus, earumque antiquo usu, cultu, ac Benedictione omitto in hoc Commentario, quia scilicet de ea re late disserui Tomo II. Commentariorum in Partem II. Pontificalis Romani in Commentariis ad Titulum XV. qui est, *De benedictione Imaginis Beatissimæ Mariæ Virginis*; & Commentariis ad Titulum XVII. *De benedictione Imaginum aliorum Sanctorum*, in quibus etiam celebre Decretum Tridentinæ Synodi de sacris Imaginibus, quod legitur Sessione XXV. explicuimus. Ut ergo aliquid de Oratione dicamus, de qua alias diximus in Commentario ad §. V. prædicti Tituli XVI. Romani Pontificalis, non enim istud omnes præ manibus habere possunt, dicimus initio ipsius, a Deo Sanctorum Imagines, seu effigies sculpi, aut pingi, non reprobari. Cui quidem nihil obstat locus ille Capitis XX. Exodi I. in quo Deus præcepit Moysi, ne faceret sibi sculptile, neque omnem similitudinem. Nam, ut sapientissime docet Tridentini Concilii Catechismus, Parte III. ubi exponit primum Præceptum Decalogi, num. XXXIII. in Scripturis jussu Dei simulacra, & Imagines effectas legimus, Cherubin, & serpentis ænei; ut videre est Exodi Capite XXV. & Numerorum Capite XXI. Recte addit, Imagines ob eam rem vetitas eo præcepto fuisse, nequid simulachris, quasi Diis colendis de vero Dei vivi cultu detraheretur.

XI. Pergit Catechismus docetque num. seq. duplici potissimum ratione, quod ad hoc præceptum attinet, Dei Majestatem vehementer lædi perspicuum esse. Altera, si Idola, & Imagines tanquam Deus, credantur, aut credatur inesse aliqua in his Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem sua collocabant, quod passim Sacræ Literæ reprehendunt. Altera, siquis conetur Divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Quis enim Deum, ut inquit Damascenus, Lib. IV. *De Fide orthodoxa*, Cap. XVII. qui sub aspectum non cadit, qui corporis expers est, qui nullis terminis circumscribi, aut ulla figura describi queat, possit exprimere? Quæ res in secunda Nicæna Synodo, Actione III. uberius explicatur. Præclare igitur Apostolus in Epistola ad Romanos, Cap. I. eos mutasse Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum, ac serpentum dixit; hæc enim omnia tanquam Deum venerabantur, cum illi harum rerum Imagines ponerent. Quocirca Israelitæ, qui ante vituli simulacrum clamabant, Cap. XXXII. Exodi: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti*, idololatræ sunt appellati, *quia mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, uti legitur Psalmo CV. Cum igitur

tur omnibus (verba sunt laudati Catechismi, num. XXXV.) Deos alienos coli prohibuisset, ut penitus idololatriam tolleret, imaginem Divinitatis ex ære duci, aut alia quavis materia fieri, prohibuit; quod Isaias, Cap. XL. declarans inquit: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Atque in hoc præcepto hanc sententiam contineri, præter Patrum scripta, qui eam, quemadmodum in Septima Synodo expositum est, sic interpretantur; illa etiam Deuteronomii verba, Cap. IV. ubi Moyses populum avertere ab idololatria cum vellet, ajebat: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Quod sapientissimus Legislator ideo dixit, ne quo errore ducti Divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem, rei creatæ tribuerent.

XII. Notanda nunc sunt illa prædictæ Orationis verba, quibus docemur, admitti quidem a Deo Sanctorum Imagines, *ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, & sanctitatem ad imitandum, memoriæ oculis meditemur.* Est una hæc ex multis utilitatibus, quæ proveniunt Fidelibus ex sacrarum Imaginum usu, *excitatio* scilicet *ad imitandum*; explicaturque prolixe in Septima Generali Synodo, Nicæna secunda, Actione VI. de qua egregie etiam loquitur Basilius Oratione in quadraginta Martyres. Notum est apud Terentium in Eunucho, juvenem quemdam, conspecta tabella, in qua pictus erat Juppiter stuprum inferens Dianæ, ad simile flagitium perpetrandum, provocatum fuisse. E contrario Sanctus Gregorius Nazianzenus in Carmine, *De virtute*, quod in memorata Synodo Septima, Actione IV. legitur, ait, impudicam mulierem, cum ad quendam evocata veniret, & in ipso limine conspexisset imaginem Polemonis continentissimi hominis, non modo confusam erubuisse, sed & pœnitentia ductam domum suam rediisse. Si autem Gentilium imagines tantam apud ipsos vim habuerunt, recte admodum Catholica Ecclesia non modo in Generali II. Nicæna Synodo, sed & in aliis etiam jussit, eas potissimum observandas esse Sanctorum Imagines, quæ ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem ipso visu nos movent. Sed de hac utilitate jam fuse diximus nos in nostro Commentario ad §. I. Tituli XVI. Partis II. Romani Pontificalis.

XIII. In ipsa demum Oratione rogatur Deus, ut quicumque Imaginem alicujus Sancti *suppliciter colere, & honorare studuerit, illius meritis, & obtentu* (ab ipso Deo) *gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futurum.* Innumera pene beneficia per religiosum cultum sacrarum Imaginum a Deo impetrata, passim narrant Scriptores Ecclesiastici, præsertim vero Bollandiani in Vitis Sanctorum, testanturque passim tabellæ votivæ, ut ajunt, argenteæ, apud Imagines Sanctorum in Ecclesiis appensæ pro gratiis eorum intercessionibus a Deo obtentis. Extat Suriani in nostra Calabria, celeberrima toto Orbe Catholico S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris Imago, de qua innumera pene prædicantur miracula, authentica quidem, & in variis Libris descripta. Vix invenies Urbem, Oppidumve, in quo non extet aliqua Deiparæ Virginis, vel Sancti, Sanctæve Imago, miraculis insignis. Sed ut de antiquis hic etiam loquamur, scribit Theodoretus in Historia veterum Patrum, ubi agit de S. Simone Stilite, ita ipsum cultum, honoratumque Romæ fuisse, ut publicis, privatisque in locis, in porticibus, in atriis, in officinis, ejus effigies poneretur, illumque veluti vitæ suæ præsidium haberent. Tradit etiam Zonaras in Vita Michaelis Balbi, cum Leo Armenus sacras Imagines persequeretur, filium ejus Sabbatium Constantinum, qui mutus erat, accessisse ad statuam Sancti Gregorii Nazianzeni, & Sanctum ipsum mente precatum, loquendi usum divino miraculo protinus recepisse.

XIV. Finita Benedictione, ex Ritualis præscripto, Sacerdos, sicut in aliarum rerum Benedictionibus ex antiquissimo ritu fieri solet, sacram Imaginem Aqua benedicta aspergit. Præter aspersionem Aquæ benedictæ, consuevisse Imagines ipsas etiam incensari, probari posset ex variis Ritualibus etiam recentioribus, quale est Sacerdotale editum anno MDLXVII. ubi Parte II. tum Capite VII. ubi agitur de Benedictione Imaginis Beatæ Mariæ Virginis, tum etiam Capite VIII. quod inscriptum est, *De Benedictione anchonarum, seu Imaginum Dei, & Sanctorum*; mandat enim, ut terminata Oratione, *ultimo aspergantur Aqua benedicta, & thurificentur.* Cæterum consuevisse & olim sacras Imagines, quum benedicebantur, sacro Chrismate prius inungi, docet nos Adrianus Papa I. in Epistola ad Carolum Magnum, ubi sic inter alia scribit: *Fideliter, & veraciter dicimus, & probamus, quia usus sanctæ nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fuit, & est, quando sacræ Imagines, vel historiæ pinguntur, ut prius sacro Chrismate ungantur, & tunc a Fidelibus venerantur, instar facientes, ut locutus est Dominus ad Moysen, dicens*, Exodi Capite XXX. *Faciesque unctionis Oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum Testimonii, & Arcam Testamenti, Mensamque cum vasis, candelabrum, & utensilia, Altaria thimiamatis, & Holocausta, & universam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet; sanctificabisque omnia, & erunt Sancta Sanctorum; qui tetigerit ea, sanctificabitur.* Affert & hunc locum Molanus, Lib. II. *De historia sacrarum Imaginum*, Cap. XLVII. Sed praxim istius ritus addiscere licet ex ms. Pontificali Codice Ecclesiæ Arelatensis in Ordine ad benedicendam Imaginem S. Stephani, ex quo illud cautum est, ut Imago ipsa ungatur in pectore ad modum Crucis sub ista verborum formula: *Unctio ✠, consecratio ✠, & sanctificatio ✠, quam huic Imagini ad honorem Sancti Patroni nostri Protomartyris Stephani dignanter infigimus, sit totius diabolicæ fraudis expulsio, sitque Fidelium augmentatrix devotio, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

XV. Nefas mihi esse duco silentio eam quæstionem præterire, quæ mihi semper visa est magni momenti, an liceat Sacras Imagines non præmissa earum Benedictione in Altaribus collocare? Sunt qui passim eum ritum negligunt, non sine Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, cui restaurandæ multum adlaboravit S. Carolus Borromæus, statuens inter alia in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. ut *Cruces, & Sanctorum Imagines solemniter, statisque precibus ex Ecclesiæ ritu benedicantur.* Ritum Ecclesiæ hujusmodi

modi Benedictionem appellat, ideoque Parte IV. Actorum suæ Mediolanensis Ecclesiæ, ubi agit de instructionibus Fabricæ Ecclesiasticæ, Capite XVII, de sacris Imaginibus, picturisve, non modo mandat habendam esse rationem loci, in quo sacræ Imagines poni debent, *sed & antiqui ritus Ecclesiastici, ut, cum scilicet expressæ sunt Sanctorum Imagines, solemni Benedictione, statisque precibus Pontificali, Sacerdotalive Libro præscriptis consecrentur*. Veteri huic Ecclesiæ ritui inhæsere alii zelantissimi Episcopi, & præsertim Patres Concilii Bituricensis anni MDLXXXIV Titulo XI, ubi expresse jubent, ut *benedicant Episcopi novas Imagines, priusquam in Ecclesiis recipiantur; & nemo Imaginem ponere audeat, nisi ab Episcopo probatam*. His adde Concilium Provinciale XIV, Beneventanum anni MDCXCIII, a Fr. Vincentio S. R. E. Cardinale Ursino Archiepiscopo, qui fuit postea Benedictus Papa XIII, celebratum, Tit. XXXVIII, Cap. III, in quo præscriptum legitur, ut *Imagines Altaribus, & Capellis non apponantur, nisi prius ab Episcopo, vel de ejus facultate, stato ritu benedicantur*. Quibus verbis sat docet, posse de licentia Episcoporum suæ Provinciæ alios inferiores Sacerdotes Sacras Imagines benedicere. Id quod etiam alii tradunt de omnibus Episcopis, quos ajunt, posse eam licentiam benedicendi Imagines aliis Sacerdotibus impertiri, tametsi id alii negent.

XVI. Porro ex dictis hucusque duo præsertim addiscimus, quod alias notavimus ad Titulum XVI, *De Benedictione Imaginum aliorum Sanctorum*, Partis II, Romani Pontificalis, num. I. Primum quidem, non posse publice in Ecclesia exponi aliquam Christi, Sanctorumve Imaginem pictam, sculptamve, quæ prius examinata, & approbata ab Episcopo non fuerit; improbari autem Imaginem insolitam, illam scilicet, quæ veritati Scripturarum, traditionum, atque sinceriorum Ecclesiasticarum historiarum adversetur. Hinc cum Fratres Servitæ depinxissent Imaginem Beatæ Virginis cum Stola, sive amiculo nigri coloris, jussum eis fuit a Sacra Rituum Congregatione, ut depingeretur cum Stola cærulea, teste Pignatello, Tomo IX, *Consultationum Canonicarum*, Consultatione LXXXVI. Cavendum sane summopere, quod alias edixit Concilium Tridentinum Sessione XXV. in Decreto, *De invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus*, ut *nullæ falsi dogmatis Imagines, & rudibus falsi erroris occasionem præbentes statuantur*. Hujusmodi erat pictura, quæ alicubi cernebatur, Annunciationis Deiparæ, & Incarnationis Dominicæ, in qua corpusculum quoddam humanum apparebat inter radios, quos diffundebat Spiritus Sanctus, descendens ad uterum Beatissimæ Virginis; hanc enim picturam præbere non solum occasionem periculosi erroris, sed & hæretici, ex eo liquet, quia Valentinus quidem jam olim ab Ecclesia uti hæreticus damnatus fuit, quod doceret, Christum corpus de Cælo attulisse, & per Mariam tantum tanquam per fistulam transisse. Picturis hujusmodi addi & aliæ possunt, quas hodieque cernimus fieri contra Evangelii narrationem, qualis est illa Deiparæ Virginis semivivæ humi jacentis juxta Crucem Filii sui Domini nostri Jesu Christi, cum alias teste Joanne in Evangelio, Cap. XIX, versu 25. *stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene*.

XVII. Longum esset hic recensere picturas reprehensione dignas, quæ tamen passim in Ecclesiis etiam super Altaribus conspiciuntur. Latrones cum Christo crucifixos, clavis affixos patibulis ejusdem omnino formæ cum Salvatoris nostri patibulo, ex Ruffino notum est, & aliis, qui de Sanctæ Crucis inventione scribunt, pictores tamen funibus eos in diversæ formæ patibulis ligant; cum alias, uti dictum est, eodem modo, & ejusdem formæ patibulis, quo Christus, crucifixi & ipsi fuerint. Id quod etiam ex Breviario Romano die III. Maji in Festo inventionis Sanctæ Crucis addiscere licet; ubi habetur, quod, cum Helena Constantini mater insomnis admonita conquirendæ Crucis studio Hierosolymam venisset, *loco Crucis purgato, alte defossæ tres Cruces erutæ sunt, repertusque seorsim ab illis Crucis Dominicæ titulus, qui cum ex tribus, cui affixus fuisset non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum*. Nulla ergo erat distinctio inter Crucem Christi, & illas Latronum. Sed hoc parum est; majus vero, quod quidam pingunt, Christum aperto Sepulchro resurrexisse, cum ex clauso, & obserato resurrexerit, sicut antea ex clauso matris utero in hunc mundum venerat. Item quidam contra Evangelium pingunt S. Deiparam inter eas, quæ ibant ad monumentum ad ungendum Christum.

XVIII. Præter sacras Imagines falsum dogma, periculosumve errorem continentes, sunt & aliæ permultæ, quas amoveri oporteret, utpote indecentes, atque iccirco indignæ prorsus, ut in Ecclesiis, Altaribusque conspiciantur, quales sunt inter alias illæ, in quibus pictores Sanctorum effigies pingunt similes illis, quos ipsi, aliique norunt; uti pluribus exemplis probari posset, allatis ab erudito Sarnello Vigiliensi Episcopo Tomo III. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistola VII. ubi abusum ipsum refellit; additque Barrufaldus in suo ad Capitis hujus Rubricam Commentario, puniendos esse hujusmodi pictores juxta Decretum Concilii IV. Provincialis Mediolanensis, ubi S. Carolus Capite inscripto, *De sacris Reliquiis, miraculis, & Imaginibus*, sic inter alia inquit; *Pictoribus, & Sculptoribus gravis mulcta, ac pœna, etiam Interdicti ab Ecclesia, Episcopi arbitratu, proposita sit, siquid inordinate, aut præpostere, aut tumultuarie accommodatum, siquid profanum, aut inhonestum pinxerint, aut effinxerint, contra ejusdem Concilii Tridentini Decretum*. Subditque mox: *Rectoribus etiam Ecclesiarum, qui ullam Sacram Imaginem insolitam, contraque illius Concilii Sanctionem, suis Ecclesiis etiam exemptis poni permiserint, pœna etiam excommunicationis, mulctave, constituta sit arbitratu Episcopi, pro ratione culpæ irroganda*.

XIX. Alterum, quod ex superius dictis addiscimus, illud est, decere quammaxime, imo pene esse necessarium, ut sacræ Imagines saltim in Altaribus collocandæ benedicantur. Id enim præscribunt, non quidem privati Auctores, sed variæ Synodi Provinciales, Diœcesanæque complures, itemque Rituales Codices passim. Quibus inhærens Benedictus Papa XIII. qui eum ritum innovavit in Concilio Provinciali XIV. jam supra allegato, pictas, sculptasque Sanctorum Imagines innumeras pene consecravit. Afferri pos-

possent & alia zelantissimorum Episcoporum exempla, qui nunquam sinunt, collocari in Altaribus suarum Dioecesum Imagines, nisi prius sint ab ipsis probatæ, ac benedictæ. Sed his omissis, ut nihil nostro huic Commentario desit, quod ad disciplinam sacrarum Imaginum attinet, duo alia explicanda censui. Primum est, eas benedictione donari debere Imagines, coram quibus solet populus Sanctos colere, & honorare, ideoque non oportere Imagines illas, quæ in Ecclesiarum parietibus, trullisque, ornatus causa, pinguntur. Alterum est, Imagines sacras vetustate corruptas, si reparari non possint, comburi debere, & cineres in Sacrarium projici; uti in variis Conciliis statutum fuit, de quibus non modo diximus in Commentario ad §. I. Tituli XVI. Partis II. Romani Pontificalis, num. XI. verum etiam supra in Commentario ad §. I. Capitis superioris, & in aliis multis, quæ non opus est allegare, nostrorum Operum locis.

# CAPUT XXVIII.

## *Ritus benedicendi, & imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda a Sacerdote facultatem habente ab Episcopo.*

I. AB ipsis Apostolorum temporibus tam in Oriente, quam in Occidente fuisse Ecclesias constructas, ac Deo dedicatas, pluribus Veterum testimoniis ostendit Cardinalis Baronius ad annum Christi LVII. ubi inter alia docet, probatque auctoritate Actuum Apostolorum, Cap. I. Versu XII. & XX. antequam novas Ecclesias licuisset erigere, privatas domos, ampliora videlicet earum membra, quæ cœnacula dicebantur in locis superioribus constituta, ejusmodi ministerio inservisse; & quamvis de erectis olim Ecclesiis publicis nullum aliud suppeteret argumentum, vel ratio; ipsa saltem Imperatorum Ethnicorum Edicta de demoliendis Christianorum Ecclesiis, quorum Eusebius, Lib. VIII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite II. meminit, fidem ait laudatus Baronius certissimam facere. Est & apud Lampridium de pervetustis Christianorum Ecclesiis testimonium luculentissimum, ac notatu dignum. Refert enim, Alexandrum Severum Imperatorem ethnica superstitione cæteroqui occupatum, Christianis addixisse Ecclesiam, de qua controversiam faciebant caupones: *Cum Christiani*, inquit, *quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent; contra popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Meminit apud Vopiscum Valerianus Imperator Ecclesiæ Christianorum. Et Lucianus demum, qui Apostolorum tempore vixit, res Christianorum deridens, in Philopatre Critiam quemdam introducit, qui cum ab aliquo Fidelium Christianus fieri suaderetur, ab eo deductus est in locum, ubi conventus Christianorum agebatur. Sed de Templorum antiquitate, eorumque perpetuo usu apud Christianos, jam nos late disseruimus Tomo II. Commentariorum in Partem II. Romani Pontificalis ad Titulum I. qui inscriptus est, *De benedictione, & impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda*, ubi etiam eam in rem calumnias, & vanas hæreticorum objectiones confutavimus, qui nullas olim Ecclesias trium priorum Sæculorum Christianis fuisse, ajunt.

## §. I.

Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum Canonum Decreta, ædificari fas est. Si vero Sacerdos ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

## §. II.

Pridie, quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti vero die lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo.

# COMMENTARIUS.

I. DAta Ecclesiæ pace per Constantinum Magnum Imperatorem, uti jam notavimus in Commentario ad §. I. citati Tituli I. Pontificalis Romani, tot passim cœperunt ædificari Ecclesiæ, ut ipsi primi Imperatores pii, religiosique, ac Sacræ etiam Synodi modum earum constructioni ponere coacti sint, uti videre est in Codice Theodosiano Lib. XVI. Tit. II. & in Novella CXXXI. Justiniani Imperatoris, Cap. VII. in Concilio Chalcedonensi, Canone IV. in Aurelianensi, & aliis, ex quibus desumptus §. I. & II. hujus præsentis Capitis, & laudatus §. I. memorati Tituli Romani Pontificalis: *Si quis voluerit*, ait Justinianus in citata Novella, *fabricare venerabile Oratorium, aut Monasterium, præcipimus, non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum Sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem.* Verba hæc quidem sunt Novellæ CXXXI. Justiniani, qui etiam in Novella LXVII. Cap. II. edixerat, *non aliter quempiam de novo Ecclesiam ædificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem Episcopum, & definiat mensuram, quam deputat, & ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendæ Domus custodiam, & observantium alimenta; &, si sufficienter habere*

*bere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt deputari, & ita Domus ædificetur*. Mandat itaque Justinianus, ne Ecclesia, vel Monasterium ædificetur, sine consensu Episcopi, sine constituta dote, & antequam ipse Episcopus Crucem in eo loco fixerit.

II. Ante Justinianum Concilium Generale Chalcedonense, Canone IV. jam prohibuerat ædificari Monasteria, sacrasque Ædes, sine Episcopi proprii auctoritate: *Placuit*, inquit, *nullum quidem usquam ædificare, aut constituere Monasterium, vel Oratorii Domum præter conscientiam Civitatis Episcopi*. Porro in Commentario hujus Canonis nostro I. Tomo Commentariorum in Concilia Oecumenica jam nos observavimus, quod, quum Monasteria olim in eremo primum assurgerent, difficile apud Scriptores inveniatur, an requisitus fuerit Episcoporum consensus, sed opus tamen consensu illorum semper habuerint, ubi Monachi primum ex eremis ad Civitates migrarunt, in iisque Monasteria construxerunt. Id nos hoc loco repetimus occasione Justinianeæ Constitutionis, qui non solum de Ecclesiæ, sed & de Monasterii ædificatione non peragenda sine Episcopi auctoritate in citatis Novellis loquutus est; cum alias de nova construenda Ecclesia celebris sit Canon Concilii Aurelianensis relatus a Gratiano in Canone VII. De Consecratione, Distinctione I. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus veniat, & ibidem Crucem figat, publice atrium designet; & ante præfiniat qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & custodiam, & ad stipendia costodum sufficiant, & ostensa donatione sic Domum ædificet*. Sunt fere ipsissima verba Justinianeæ Constitutionis, quæ etiam leguntur in antiquo Romano Ordine Titulo, *De ædificanda Ecclesia*.

III. Omissis variis veterum eandem in rem Conciliorum Decretis, & Pontificalium, Ritualiumque ordinationibus, recte statuit Concilium Bracharense III. anno DCLXXV. habitum, Canone V. *ut unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, aut Basilicam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat*. Sed notanda hujus Decreti ratio, quam statim subjungit: *Nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, ita consecretur Ecclesia*. Loquitur quidem Canon de Ecclesiæ consecratione, sed eadem tamen ratio, quam affert, militat in constructione ejusdem. Atque hinc extat, quod cum anno Christi CMXXIV. Joannes Archidiaconus ab Arnoldo Arvernorum Episcopo in suo fundo Ecclesiam ædificare peteret, interrogatus ab ipso Episcopo, *si valeret ex rebus suis tantum ibi conferre, ex quibus Sacerdos in ipso loco Deo militans, pauperem vitam possit sustentare. Cum ad hæc respondisset, velle se quandam particulam ex suis facultatibus elargiri toti Ecclesiæ; a præfato confestim illustri Episcopo speculatore sancitum est, eandem dedicandam Ædem*. Extat hoc monumentum apud Dacherium Tomo III. pag. 371. ultimæ æditionis.

IV. Ergo nemini licet Ecclesiam ædificare antequam Episcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, & ante præfiniat, qui ædificare Ecclesiam vult, quæ ad luminaria, & utensilia, atque ad stipendia Ministrorum sufficiant. Cujus rei variæ sunt rationes. Prima quidem, ut ante sciatur, quæ sit dos Ecclesiæ. Secunda, ne antiquiores Ecclesiæ propter novas Decimam amittant, ex Concilio Wormaciensi Can. VI. ex Burchardo Lib. III. Decretorum, Cap. VII. Tertia, ut videatur, an quæstus potius, quam devotionis causa, quis Ecclesiam ædificet, ut olim non semel contigit, testaturque Concilium Bracharense II. apud Gratianum, Can. X. De consecratione, Distinctione I. hisce verbis: *Siquis Basilicam, non pro devotione Fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quicquid ibidem de oblatione colligitur, medium cum Clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua quæstus causa condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri, hoc de cætero observari debet, ut nullus Episcopus tam abominabili voto consentiat, nec Basilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare*. Profecto, si in extructione Ecclesiarum, Oratoriorum, Sacellorumve, causam extructionis Episcopi penitius examinarent, verisimile est, quod non raro deprehenderetur, ea potius quæstus, quam solidæ devotionis causa extrui, interdumque miracula ficta supponi, falsasque, aut non sat probatas Sanctorum Reliquias ostentari, ut oblationes populi sibi, suisque Ecclesiis, Sacellisve appropriare queant. Quod prævidens Synodus Tridentina Sessione XXV. in Decreto, *De invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, sapientissime statuit, *nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo. Qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis Viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit*.

V. Apud Græcos quam fuerit solemnis Crucis fixio ubi primum Ecclesia debebat ædificari, docet nos Euchologium, seu Rituale ipsorum Græcorum, ac præcipue Græci Scriptores, inter quos Theodorus Balsamon in Commentario Canonis XXXI. vulgo Apostolorum, ait, veteri quidem consuetudine fuisse receptum, ut Episcopi apud Græcos nequaquam potuerint Cruces figere, ubi Ecclesias in suis Diœcesibus construebant, sed soli Patriarchæ, qui mittebant *Crucis fixiones*. Et quidem Euchologium ipsum in eo Titulo, qui inscribitur, *De Crucis defixione*, sic eum ritum recenset: *Crucis defixio hoc pacto perficitur. De ædificio Templi hujusmodi sermo fit cum Patriarcha; & literis datur facultas Visitatori, aut Pontificum cuipiam, ut fundetur, & consecretur, perficiaturque Templum sub Patriarchali Crucis defixione. Crux autem lignea mandatur fieri, in qua Patriarchæ Notarii scribunt, in una quidem ejus facie hoc pacto*. Crucis defixio Patriarchalis in Sancti N. Nomine consecrata, in custodita a Deo Civitate N. in Provincia N. assentiente N. Sanctissimo, & Oecumenico Patriarcha. *In adversa autem parte*: Regnantibus Imperatoribus N. mense N. anni N. *Et mittitur Crux hujusmodi, sub qua Templum ædificandum est, quam qui recipit, suprapositum in fundanda Ecclesia Officium celebrat. Cum vero consecrationem peregerit, retro sacram mensam elato quopiam aut e lapidibus, aut ferro, aut ære ædificiolo loculum habente, Crucem collocat, prout in magna Ecclesia conspicitur*.

VI. Ita-

VI. Itaque rogabatur Patriarcha, ut permitteret fundamenta fieri alicujus Ecclesiæ per Crucis defixionem Patriarchalem; jubebatque is fieri Crucem ligneam, & in utraque ejus parte scribi, uti mox ex Euchologio dictum est. Ex quo etiam constat, ferri Crucem ipsam consuevisse in locum, in quo fieri debebat Ecclesia, figique illam ab Episcopo circa locum Mensæ Sanctæ, seu Altaris. Quod quidem affine est Latinæ Ecclesiæ ritui, in Pontificalibus passim, & in nostro §. II. expresso, ubi edicitur, ut *ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare*, majus scilicet, *figat ipse*, Episcopus nempe, *vel alius Sacerdos*, cui Episcopus scilicet id committeret, ut infra dicemus. Sane ex laudato Euchologio & illud constat, eam Crucis defixionem, nequaquam fuisse consecrationem, verum Ecclesiæ constructionem primam. Consecratio enim, peracto Templo, celebrabatur, ut docet Balsamon in Canone VII. Synodi VII. sic inquiens: *Cum autem interrogassent aliqui, quando sit Ecclesiarum consecratio? Audierunt, quod fundamenti quidem projectio fit per solam orationem Episcopi illius regionis, & Crucis fixionem; consecratio vero post Templi perfectionem, quando fiunt encænia, & apertiones, & inthronzatio, & universa ejus perfectio sacro Chrismate inuncti, & Martyrum Reliquias suscipientis.*

VII. Forte ad evitandas etiam fraudes, seu turpes quæstus, qui hominum malitia in novarum Ecclesiarum constructione aliquando committebantur, apud nos quoque Latinos non potuere aliquando ædificari Ecclesiæ sine Summi Romani Pontificis permissu. Id plane constat ex Epistola Gelasii Papæ ad Episcopos per Lucaniam constitutos, apud Gratianum, Can. IV. *De Consecratione*, Distinctione I. ubi ita inquit: *Basilicas noviter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare nemo audeat &c.* Cui consonat Epistola Nicolai Papæ I. ad Clerum, & Populum Viennensem his verbis: *Ecclesia, idest, Catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ Sedis instituetur nutu, quando juxta sacra Decreta, nec ipsa debet absque præceptione Papæ Basilica noviter constitui, quæ ipsam Catholicorum intra semet amplecti catervam dignoscitur?*

VIII. Quantum ad formam construendæ Ecclesiæ, fuisse ad modum Crucis, præter varia antiquarum Ecclesiarum monumenta, quæ adhuc supersunt, addiscimus ex testimonio Marci Scriptoris Vitæ S. Porphyrii Gazensis Episcopi, qui ab Eudoxia Augusta impetravit, ut destructo Marni Delubro, novam ibi vero Deo Ecclesiam a fundamentis excitaret: *Interim*, inquit, *dum repurgatur locus, venit Magistranus Epistolas afferens Imperatorias semper memorandæ Eudoxiæ. Continebant vero Litteræ salutationem, & precum petitionem pro suo marito, & filio. Erat autem in alia charta intra Litteras descripta forma Sanctæ Ecclesiæ in figuram Crucis, quomodo nunc quoque Deo volente cernitur; & continebant Litteræ, ut convenienter dictæ figuræ sancta conderetur Ecclesia. Lætatus est autem S. Porphyrius cum legisset, & vidisset formam descriptam. Sciebat enim, hoc quoque factum fuisse ex Divina revelatione, & meminit Scripturæ, quæ dicit*: Cor Regis in manu Dei. *Continebant autem Litteræ pretiosas quoque columnas esse mittendas, & marmora.* Videri hæc fusius possunt apud Baronium ad annum CDI. & apud Surium, & Bollandianos ad diem XXVI. Februarii in Vita S. Porphyrii.

IX. Fuisse hunc ritum in Ecclesia antiquiorem ædificandi Templa in modum Crucis, constat ex Magno Belgii Chronico, in quo legimus, quod anno CCCXXVII. in Trevirensi Civitate *jussu Beatæ Helenæ Ecclesia maximi ornatus, & structuræ in honorem Sanctæ Crucis est ædificata, & in modum Crucis.* Etiam apud Gallos erectas fuisse antiquitus Basilicas instar Crucis, addiscere licet a S. Gregorio Turonensi Episcopo, Lib. II. Capite XVI. ubi describit Ecclesiam, quam S. Namatius apud Arvernos ædificavit, *habentem in longum pedes centumquinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra capsum usque cameram pedes quinquaginta; in ante absidem rotundam habens; ab utroque latere ascellas*, idest alas, seu porticus, *eleganti constructas opere; totumque ædificium in modum Crucis habetur expositum.* Confirmatur hic idem ritus ex descriptione Ecclesiæ Gemmeticensis, qualis a Filiberto Abbate Sæculo VII. condita est: *Introrsus Domus alma fulget, habitantibus digna, ab Euro surgens Ecclesia Crucis instar erecta, cujus apicem obtinet Alma Virgo Maria, Altare ante faciem Lectuli, condente Beatissimo Filiberto, pictum gemmarum lumine, comtum auri, & argenti congerie.* Lectus, seu Lectulus, aliquando Altare, aliquando Sancti Tumulum significat, ut docet Clarissimus Mabillonius, Lib. I. *De Liturgia Gallicana*, Cap. VII. Satis autem mirari nequeo, cur hodie neglecta antiqua disciplina construendarum Ecclesiarum in modum Crucis, passim in formam rotundam, ovatamqae Ecclesiæ novæ excitentur.

X. S. Carolus qui rituum Ecclesiæ veterum tenax fuit, Lib. I. Instructionum Fabricæ Ecclesiæ, Cap. II. improbat quidem ædificii rotundi speciem, quod olim idolorum Templis in usu fuit, minusque usitatum in Populo Christiano; tum vero ita præscribit: *Ecclesia igitur omnis, ac illa præsertim, quæ insignem structuræ speciem requirit, ita exædificanda potius erit, ut Crucis instar sit, quæ cum multiplex, tum oblonga esse potest; hæc in frequentiori usu, reliquæ minus usitatæ sunt. Ea igitur, quæ Crucis oblongæ similitudinem præsefert ædificatio, ubi potest, in omni Ecclesia vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali, quæ extruenda est, servetur. Ubi vero situs de consilio architecti, aliam potius, quam longam ædificii formam postulat, ad illius præscriptum modum Episcopi judicio comprobatum, ejusmodi structura Ecclesiæ fieri poterit.* De modo tandem Ecclesiæ ædificandæ instar Crucis ita subjicit: *Hæcque ipsa Ecclesia, sive unam tantum, sive tres, sive quinque, ut dicunt, naves habitura est, Crucis instar cum alia multiplici ratione, & modo, tum hoc uno constare potest, exstructis scilicet extra Cappellæ majoris ingressum duabus ab utroque latere Cappellis, quæ ad brachiorum similitudinem productæ, a toto Ecclesiæ ædificio pro amplitudine extent, ac foris aliquantulum pro architecturæ ratione promineant.* Legendus integer Liber hujusmodi Instructionum Fabricæ Ecclesiæ, ejusdemque S. Antistitis Concilia Provincialia consulenda, in quibus multa invenies, quæ ad Ecclesiæ novæ fabricam spectant; præsertim vero Concilium Provinciale IV. ubi sic inter alia statuit: *Nova Ecclesia ne ædificetur, inconsulto Episcopo, & scripta facultate*

*ab*

*ab eo non impetrata; qui præter alia, quæ in novis ejusmodi ædificationibus requiruntur, videat in primis diligenter, an situs decens, honestusque sit, an capax Populi, an item disjunctus ab ædibus, ut possit circumdari, curetque omnino, ita illam ædificari, ne ab antiquo more, probataque traditione discedatur, ut Sacerdos in Altari majori Missam celebrans, Orientem spectet.*

XI. Longum esset varios abusus notare, qui in novarum Ecclesiarum constructione invaluerunt; videmus enim Ecclesias, Oratoriaque ita non semel construi, ut super eisdem ædificata cubicula viris, mulieribusque locentur; in aliis vero fenestras permitti, ut qui in conjunctis ædibus habitant, possint ex illis Missam, aliasque functiones, quæ in Ecclesiis peraguntur, spectare. Utinam in situ deligendo ea etiam cautio adhiberetur, quam sapientissime præscripsit S. Carolus citato Lib. I. Instructionum Fabricæ, Cap. I. ut scilicet, & qua majori in veneratione Ecclesia habeatur, & quoad ejus fieri potest, ab omni strepitu, unde Divinorum Officiorum interturbatio existit, longius absit; illius positura loco sit, qui ab omni luto, cœno, spurcitia, ab omnique sordium genere, a stabulis, caulis, cauponis, officinis ferrariis, emporiis, atque ab omni foro venalitio procul distet, ac ne e regione quidem istiusmodi locorum prope sit.

XII. Denique etsi absque Episcopi auctoritate, uti superius probatum est, construi Ecclesia non possit, potest tamen ipse Episcopus alicui Sacerdoti committere, ut locum novæ Ecclesiæ designet, primariumque lapidem in Ecclesiæ fundatione ponendum benedicat. Id enim expresse dicitur in §. I. & II. hujus Capitis, testanturque passim antiqui Codices Pontificales, Ritualesque, & Scriptores de Divinis Officiis, inter quos Belethus in sua Divinorum Officiorum Explicatione, Cap. II. in fine sic inquit: *Facto loco fundamenti, necesse est, ut Episcopus, eum primo Aqua lustrali, quam benedictam vocant, aspergat, ac tum denique primum fundamenti lapidem, qui Crucem sibi impressam habere debet, ipse jaciat, vel jussu ejus Sacerdos alius, si ipse adesse nequeat.* Concinit Beletho Durandus Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. I. num. 7. his verbis: *Parato fundamenti loco juxta illud*, Bene fundata est Domus Domini super firmam petram, *debet Episcopus, vel Sacerdos de ejus licentia, ibi Aquam aspergere benedictam, ad abigendas inde dæmonum phantasias, & primarium lapidem, ubi impressa sit Crux, in fundamento ponere.*

XIII. Ergo impedito Episcopo, ad quem proprie spectat fundatio, seu erectio Ecclesiarum, necessarium est, ut ab eodem concedatur facultas simplici Sacerdoti imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, quæ quidem facultas expressa omnino esse debet, non vero tacita, ac super ea Instrumentum confici a Cancellario Episcopali, cujus Instrumenti radix, & fundamentum esse debet delegatio ista facta simplici Sacerdoti a proprio Episcopo in scriptis, juxta formulam, quam affert Monacellus Tomo III. suæ Praxis, in Appendice, Formula IV. quæ est hujusmodi: *N. N. Episcopus &c. Dilecto &c. Cum ad instantiam N. in loco N. nostræ Diœcesis ædificari debeat nova Ecclesia sub invocatione S. N. Nos aliis gravioribus negotiis præpediti, illuc personaliter accedere non valentes, tibi facultatem committimus, & delegamus, ut rite, & auctoritate nostra, & servata forma in Pontificali, & Rituali Romano præscripta, primum lapidem in fundamento ipsius Ecclesiæ solemniter ponas. Volumus autem, ut præsentis nostræ delegationis Literæ una cum Actu publico peractæ functionis in Archivio N. reponere, & ad nos authenticum exemplar transmittere debeas. Datum &c. N. Episcopus N. Locus ✠ Sigilli. N. Cancellarius.*

XIV. Formula vero Instrumenti positionis primi lapidis hæc recensetur: *In Dei Nomine. Amen. N. N. Presbyter ab Illustriss. & Reverendiss.* seu, *Eminentissimo &c. N. Episcopo N. delegatus. Existens in loco N. in quo N. intendit novam Ecclesiam sub invocatione S. N. ædificare, ubi Crux lignea erecta conspiciebatur, indutus Amictu, Alba, Stola, & Pluviali albi coloris, exorcizata cum Sale Aqua, lapidem primum benedictum in fundamento ipsius Ecclesiæ, servata forma in Rituali Romano præscripta, Populo adstante, solemniter posuit, & mandavit mihi Notario infrascripto, ut de prædictis publicum Instrumentum conficerem, prout rogatus fui. Præsentibus discretis Viris N. N. testibus. Actum, &c. Locus ✠ Sigilli. Ita est. N. Notarius &c.* Hæc sunt, quæ convalidant Actum, legitimamque reddunt tam benedictionem, quam impositionem novi lapidis, adeo ut nequeat impugnari, uti notavit Barrufaldus ad hunc §. ubi etiam formulas ipsas ex Monacello descripsit, quæ quidem juxta stylum Curiarum Episcopalium variari possunt, & clausulis etiam nonnullis augeri, quas Episcopus apponendas censeret; cum uti dictum est, diceturque etiam inferius, ad ipsum spectet licentiam ædificandæ, benedicendæ, reconciliandæve Ecclesiæ concedere.

XV. Restat, ut aliquid uberius dicamus in §. II. ubi edicitur, ut, si simplex Sacerdos, ex facultate scilicet data ei ab Episcopo, benedicturus sit lapidem primarium in fundamento Ecclesiæ ponendum, *pridie, quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat.* Estque hic ritus etiam in Romano Pontificali præscriptus, Parte II. Tit. I. §. II. Verum licet, nec in Pontificali, neque in Rituali ullæ præscribantur preces in Crucis defixione, sciendum nihilominus est, apud Græcos, nonnisi cum Oratione figi Crucem, quæ est hujusmodi: *Domine Deus Omnipotens, qui Moysis Virgam in pretiosæ, & vivificæ Crucis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi figuram designasti, benedic ipse, & sanctifica locum istum virtute, & operatione pretiosi, vivifici, & illibati Ligni Crucis in dæmonum, & omnis adversarii expulsionem, custodiens locum hunc, & Ædem istam, & animas omnium in ea commorantium, intercessionibus super omnes gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ. Quia benedictum est, & glorificatum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Legitur quidem hæc Oratio in Euchologio, ubi nota, defigi quidem primum Crucem in loco construendæ Ecclesiæ, *in dæmonum, & omnis adversarii expulsionem.*

XVI. Crucem ligneam rite benedictam indagandæ Divinæ voluntatis gratia, ad locum missam, ubi ardentes apparebant lucernæ, & suavissimi odores redolebant, num ibidem scilicet construenda esset Ecclesia, docet nos Vita S. Ruperti, seu Rudberti, Episcopi Salisburgensis, de quo apud Bollandianos ad diem XXVII. Martii, Cap. II.

Cap. II. ita legimus: *Porro diebus certis probabiles quidam Viri Beatissimo Pontifici cum magna admiratione narraverunt, quod ipsi in eremo, quod tunc temporis verbo appellationis caruit, nunc* Bongotobi *dicitur, cælestia prodigia ardentium lucernarum ter, quaterque vidissent, & mirificæ suavitatis odores ibi redolere sensissent; mirantibus autem cunctis, qui aderant super talibus prodigiis, Sanctus Episcopus Domingum Presbyterum suum ad eundem locum misit, præcipiens, ut veritatem hujus signi diligenter approbaret, ponendo in eodem loco Crucem ligneam, quam ipse Sanctus sua manu benedixit, & illuc direxit.* Addit, comperta a memorato Domingo, & aliis Religiosis miraculi veritate, ipsum deinde Rupertum annosa robora extirpare, sylvarumque condensa in planitiem campi redigere, atque Ecclesiam cum habitaculis Servorum Dei ædificare cœpisse in honorem S. Maximiliani. Floruit autem Rupertus Sæculo VII.

## §. III.

Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, sal & aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra, & interim dum cantatur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est cum Aqua benedicta. Antiphona; *Signum salutis pone, Domine Jesu Christe, in loco isto, & non permittas introire Angelum percutientem.* Psalmus LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutem &c.*

## §. IV.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum, dicit.

*Oremus.*

*Domine Deus, qui licet Cælo, & terra non capiaris, Domum tuam dignaris habere in terris, ubi Nomen tuum jugiter invocetur; locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati N.* (nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem, ac Nomen fundabitur Ecclesia) *omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & infusione gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; & qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Designatum Ecclesiæ ædificandæ locum Aqua benedicta aspergi debere, præsertim vero eum loci situm, ubi Crux posita est, & cæremoniis quidem, Antiphona, Psalmo, & Oratione, in Paragraphis hisce notatis, mandat etiam Pontificale Romanum Parte II. Titulo I. §. IV. in cujus Commentario jam nos plura observavimus, quæ ibidem videri possunt, præsertim vero esse ipsum antiquum ritum in Pontificalibus passim, ac in antiquo Ordine Romano præscriptum. Porro in ms. Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod extat in celebri Bibliotheca Angelica Romæ apud Fratres Eremitanos Sancti Augustini, Antiphona, *Signum salutis pone Domine &c.* dicebatur quidem, ubi in singulis Ecclesiæ angulis ponebat Episcopus signatum lapidem cum *Cambuca*, Psalmus vero, *Quam dilecta tabernacula &c.* decantabatur, cum ipse Episcopus quinque lapides eodem modo signatos accipiens, quatuor sub quatuor Altaris angulis, quintum vero in medio Altaris collocabat. Quo facto, cantabatur Responsorium, *Domine Jesu Christe, ne despicias desiderium meum &c.* sequebaturque Oratio, *Domine Deus, qui licet Cælo, & terra non capiaris &c.* de quibus vide nostrum Tomum II. Commentariorum in Partem II. Romani Pontificalis in Appendice ad Tit. I. Cambuca dicebatur olim Baculus Pastoralis.

## §. V.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens: ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Sit Nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc, nunc, & usque in sæculum.* ℣. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.* ℟. *Hic factus est in locum anguli.* ℣. *Tu es Petrus.* ℟. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* ℣. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

*Oremus.*

*Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus Omnipotens Deus, splendor, & imago æterni Patris, & vita æterna, qui lapis angularis de monte sine manibus abscissus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo Nomine confirma; & tu*

*tu qui es principium, & finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis quæsumus principium, & incrementum, & consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem, & gloriam tui Nominis inchoari. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

## §. VI.

Tunc aspergit lapidem istum Aqua benedicta, & accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum Crucis, dicens: *In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.* ℟. *Amen.* Quo facto, dicit.

*Oremus.*

*Benedic ✠ Domine creaturam istam lapidis, & præsta per invocationem sancti Nominis tui, ut quicumque ad hanc Ecclesiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, & animæ medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. EAdem, quæ & in duobus hisce Paragraphis, legere etiam est in Pontificali Romano, Parte II. Titulo I. §. V. & VI. quibus concinit antiquum ms. Pontificale Gulielmi Durandi, quod descripsimus in Appendice ad memoratum Titulum I. Romani Pontificalis. Prima Oratio compacta est ex variis Novi ac Veteris Testamenti locis, quæ ad Christum pertinent. Ad lapidem quod attinet, de quo loquitur hic noster §. VI. notandum censeo, consuevisse scilicet alicubi, saltem in Diœcesi Barensi, ut ex antiquo illius ms. Pontificali addiscimus, non modo in singulis angulis fundamentorum novæ Ecclesiæ poni *signatum lapidem*, verum etiam alios quinque in loco, ubi costruendum erat Altare, *quatuor* nempe *eodem modo signatos sub quatuor angulis Altaris, quintum vero in medio*. Sed his peculiaris forte fuit Barensis Ecclesiæ ritus, nam alias in antiquis Auctoribus Beletho, & Durando, & in omnibus fere Pontificalibus, unius dumtaxat primarii lapidis ponendi in Ecclesiæ fundamentis fit mentio.

II. Fuit præterea aliquando mos, ut Romani Pontifices ad novas construendas Ecclesias, ac illas præsertim, quæ sub protectione S. Petri, & Romanæ Apostolicæ Sedis ædificabantur, primum lapidem ad fundatores mitterent, uti liquet ex Literis, quas Callistus II. Pontifex Maximus ad Marcum Julianum misit, qui anno Christi MCXIX. Venetiis Monasterium S. Mariæ de Charitate extruxit. *Callistus Servus Servorum Dei dilecto Filio Marco Clerico salutem & Apostolicam benedictionem. Clarissimus, & Venerabilis Frater, & Legatus noster P. Portuensis Episcopus, missis Literis, significavit nobis, te possessiones tuas per manus suas B. Petro, ejusque Romanæ Ecclesiæ obtulisse, sub censu annuo unius Byzantii. Ubi videlicet Ecclesiam ædificare desideras, in qua sub jure, ac dominio B. Petri, Regulares Canonici conversentur. Et nos ergo devotionem tuam, & desiderium approbantes oblationem istam suscepimus & pro te Omnipotenti Deo supplicamus, ut bonum, quod cœpisti, opus ad honorem suum, & salutem tuam, te faciat consummare. Propterea lapidem, quem in fundamento illius Ecclesiæ ponere debeas, mittimus, in eo tibi nostrum consensum, & gratiam indulgentes.* Extant hæ Litteræ Callisti II. Papæ apud Ughellum Tomo V. Italiæ Sacræ ubi agit de Venetiarum Patriarchis, in Vitale Michaele. Porro an istiusmodi lapides, quos Romani Pontifices memoratis Fundatoribus Ecclesiarum mittere soliti erant, essent prius ab ipsis benedicti, & si affirmare pro certo nequeam, puto nihilominus, benedictos fuisse.

## §. VII.

Postea dicantur Litaniæ ordinariæ sine Orationibus in fine positis; quibus dictis, parato cæmento, & cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam: *Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum; fundens oleum desuper, votum vovit Domino. Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam.* Psalmus CXXVI. *Nisi Dominus ædificaverit domum &c.*

## COMMENTARIUS.

I. PEracta benedictione lapidis primarii, de qua supra dictum est, cautum est ex præsenti §. ut *postea dicantur Litaniæ ordinariæ sine Orationibus in fine positis*, genuflexo scilicet Sacerdote, & aliis assistentibus; illisque dictis, *parato cæmento, & cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam*: Mane surgens Jacob &c. Tum vero sequitur Psalmus: *Nisi Dominus ædificaverit domum &c.* Ita plane Rituale Romanum præscribens ritum, quem servare debet Sacerdos in impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda; nam alias si Episcopus eam functionem peragat, recitatis Litaniis, ut ait Romanum Pontificale, *stans versus ad primarium lapidem, dicit orationem*, Actiones nostras, quæsumus Domine aspirando præveni &c. & *deinde parato cæmento, cæmentario assistente, cum Mitra inchoat,*

*Scho-*

*Schola prosequente*, *Antiphonam*, Mane surgens Jacob &c. eaque dicta, canitur Psalmus, *Nisi Dominus ædificaverit domum &c.*

II. Si veterem Ecclesiæ disciplinam spectemus, illud plane constat, sacræ Ædis fundamenta nonnisi prævиis Precibus, ac solemni ad illius designatum locum Processione dedicari consuevisse. Certe S. Porphyrius Gazensis Episcopus, qui claruit Sæculo IV. combusto Marnio Templo, ac funditus diruto, indixit primum jejunium, ac Preces; *tum vero jussit, ut unusquisque afferret ligones, ac rastra, & alia hujusmodi instrumenta. Congregato autem Populo cum dictis instrumentis in Sancta Ecclesia, quæ appellabatur* Irene, *jussit, omnes psallentes simul proficisci in Marnium, quod olim fuerat; ipse vero sequebatur portans Sanctum Evangelium, & circa se habens pium Clerum, revera imitans Christum cum Discipulis. Præcedebat autem Populum semper memorandus Barochas venerandæ Crucis portans effigiem .... Euntes autem psallebant, & in versiculorum Psalmi intercisione dicebant*, Alleluja. *Erat autem Psalmus*: Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro &c.

III. Narrat hæc quidem in Vita S.Porphyrii Marcus Diaconus ejus Discipulus, & fidelissimus Scriptor apud Surium ad diem XXVI. Februarii, & apud Cardinalem Baronium ad annum CDI. qui etiam postquam dixit, alios quoque recitatos fuisse Psalmos, donec ingressi in memoratum locum fuerunt; hortatuque S. Episcopi Porphyrii Ruffinum quemdam Architectum Antiochenum virum fidelem, & peritissimum, *accepto gypso, designasse posituram Sanctæ Ecclesiæ* in formam Crucis, juxta exemplum, quod ei miserat Eudoxia Augusta, cujus impensis ipsa Ecclesia construebatur, hæc statim subjungit: *Cumque precatus esset Sanctissimus Episcopus, & genuflexisset, jussit Populum fodere; statim autem omnes uno animo, & eadem alacritate fodiebant, clamantes*: Christus vicit. *Non licebat vero videre differentiam inter virum, & mulierem, aut senem, aut puerum; sed promptus, & alacer animus vires præbebat omnibus; & alii quidem fodiebant, alii autem terram asportabant, adeout paucis diebus fuerint, & omnia loca effossa, & terra egesta. Prius itaque præparata materia, & ingentibus lapidibus ex tumulo, qui dicitur,* Aldioma, *a parte Orientali Civitatis, & alia materia, Sanctus rursus congregato Christi amante Populo, multisque Precibus, & Psalmodiis dictis, ipse primus se succingens cœpit portare lapides, & jacere fundamenta; deinde pii quoque Clerici, & omnes laici lætantes, & magna voce psallentes, adeout audirentur a tribus milliariis ex Civitate.*

IV. Placuit prolixam hanc narrationem referre, quod ex ea addiscimus, ingenti vel olim solemnitate, Psalmodia, ac Processione, novæ Ecclesiæ fundamenta jacirentur. Id quod etiam variis aliis exemplis confirmari potest, ex historia Ecclesiastica, & Vitis Sanctorum desumtis, quæ legi possunt apud Cardinalem Baronium, & Surium, quæque supervacaneum est hic recensere.

## §. VIII.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens: *In fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento, in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, ut vigeat vera fides hic, & timor Dei, fraternaque dilectio, & sit hic locus destinatus orationi, & ad invocandum, & laudandum Nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Sunt plane & hæc ipsissima verba, quæ leguntur in Pontificali Romano, Parte II. Titulo I. §. VIII. in cujus Commentario non modo Ecclesiæ Latinæ, sed etiam Græcæ ritum ponendi scilicet primarium lapidem explicuimus. Verum quicquid sit de Ecclesia Orientali, mos aliquando fuit in Ecclesia Latina servatus, ut ubi primarius ad construendam novam Ecclesiam ab Episcopo proprio lapis imponebatur, alii quoque Episcopi adessent. Ait enim Ughellus Tomo VIII. Italiæ Sacræ, editionis Venetæ, ubi agit de Episcopis Bovinensibus nostri Regni Neapolitani, Joannem Baptistam Bovini Episcopum in ædificatione celebris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Valleverde suæ Diœcesis, cujus devotissimus erat, anno MCCLXV. primum jecisse lapidem, *præsentibus N. Asculano, Guillelmo Melphiensi, Joanne Rapollano, Ursino Montis viridis, Antonio Laquedonensi, Perenno Lesinensi, Bartholomæo Lucerino, Zacharia Bisaciensi, Benedicto Vulturariensi, Odosio Triventino, Joanne Termulano, Episcopis, qui perennem Indulgentiam Ecclesiæ pie visitantibus quotannis concesserunt.* Ejus Ecclesiæ historiam ex antiquo ms. Codice evulgavit Dominicus Petrus Pauli, ut ipse Ughellus ibidem tradit.

II. Quamquam vero ex Pontificalium, ac Ritualium tum veterum, tum recentiorum præscripto munus Episcopi sit, vel simplicis etiam Sacerdotis de illius licentia, primarium lapidem in fundamento novæ Ecclesiæ ponere, observatum tamen aliquando fuit, ut ipse lapis primarius ab eo poneretur, qui Ecclesiam sumptibus suis fundabat, teste Matthæo Parisio in Vita Offæ Anglorum Regis II. ubi de Cœnobio ab ipso ædificato ita scribit: *Post inventionem memoratam statim Rex cœpit Ecclesiam ædificare, ponens primum lapidem in fundamento, dicens*: In honore Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Martyris sui Albani totius Terræ meæ Protomartyris. *Et addens ait, junctis manibus, flexis genibus, lacrymisque profusis*: Domine Jesu Christe tibi hanc tuam Domum, & tibi Martyr Albane, & tibi Willegode commendo fideliter custodiendam. Cujus omnes adversarii, vel perturbatores, vel spiritualibus diminitores maledicantur; omnes quoque benefactores præmia recipiant sempiterna. *Willegodus* Monachus erat, quem

quem ipse Offa *præfecit fabricæ Ecclesiasticæ præceptorem*, & primum Abbatem memorati Cœnobii constituit tempore Adriani I. Summi Pontificis. Ritum hunc etiam apud Græcos, & pridem usitatum, ut Primarius Vir quispiam, aut Princeps in Ecclesiæ structura lapidem primarium in fundamento locaret, docet nos Georgius Codinus, *De origine Constantinopolis*, ubi loquens de ædificatione Templi S. Sophiæ toto Orbe celeberrimi, ait, Imperatorem Justinianum propriis manibus calcem cum tegula accepisse, ac fundamenti initium posuisse. His plane affinia sunt, quæ de Constantino Magno Imperatore leguntur in Breviario Romano die XVIII. Novembris, in Lectione V. Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, quod nempe ipse Imperator, *deposito diademate, & humi jacens, vim lacrymarum profudit; mox sumpto ligone, ac bidente terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis, honoris causa duodecim Apostolorum, ablatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato, Ecclesiam ædificavit*.

III. At vero omissis aliis id genus exemplis, quibus magis magisque posset ostendi, Viros Principes, ac Fundatores, non modo locum ædificandæ Ecclesiæ designasse, & fundamenta excavare cœpisse, verum etiam primum lapidem collocasse; probatus ille quidem est ritus, & a Pontificalibus, uti dictum est, ac Ritualibus præscriptus, ut Episcopus, & ex ejus permissione aliquis Sacerdos, primum lapidem ponat, juxta ritum in Rituali præscriptum; nam alias Episcopus tenere solemniorem illum ordinem debet quem Pontificale præscribit. Hinc ubi Civis meus S. Franciscus de Paula inclytus Minimorum Ordinis Institutor in ipsa Paulæ Civitate suam Religionis Domum, atque Ecclesiam a S. Francisco de Assisio designatam ædificare cœpit, scribit antiquus ejus Vitæ Scriptor, Archiepiscopum Consentinum, qui tunc temporis, anno scilicet MCDLXVII. erat Pirrhus Caracciolus, posuisse *primum lapidem cum Cruce, & magnis solemnitatibus*, in quo scilicet lapide juxta ritum superius descriptum, Crucem sculpserat. Unde adhærere nequeo opinioni Civis mei eruditissimi Josephi Mariæ Perrimezzi, qui in Notis ad ipsam Vitam, quam Romæ edidit anno MDCCVI. ait, hanc Crucem, cujus Scriptor prædictus meminit, argenteam, vel argento saltem tectam, quæ in Paulanæ Ecclesiæ S. Patris Sacello in loco pro sacris ejus Reliquiis custodiendis deputato religiose asservatur, in solemni Conventus Paulæ fundatione erectam fuisse, ejusque traditionem a memoratæ Vitæ Auctore testimonio firmari. Verum pace Viri doctissimi, quem sæpe in Operibus nostris ob ejus eximiam eruditionom laudavimus, Auctor Vitæ nullum in eo loco, ubi agit de impositione primi lapidis, de Crucis erectione testimonium profert; ait dumtaxat, Consentinum Archiepiscopum posuisse primum lapidem Conventus *cum Cruce, & magnis solemnitatibus*, ut nimirum nobis significaret, servatos fuisse in ea fundatione ritus, ac cæremonias, quas Libri Pontificales præscribunt. Cæterum nec dici potest, Crucem ipsam, quæ inter Reliquias Paulani Conventus asservatur, priusquam primarius lapis benedicetur, positam fuisse in loco, ubi debebat esse Altare; non enim tunc Crux argentea adhibenda est, sed lignea, ut Pontificale mandat, ac Rituale supra in §. II.

IV. Varias etiam Reliquias Sanctorum Martyrum una cum vasculis sanguine ipsorum respersis sub ipso primo lapide, & in Ecclesiæ novæ angulis, ac sub parietum fundamentis rite positas ab Episcopo Anagnino, cum anno Christi MDCCXXXIII. cœptum est Anagniæ novi Templi ædificium in honorem immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis, ac Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, in Monasterio scilicet Virginum Ordinis Cisterciensis Oblatarum, contestatus est mihi ejusdem Monasterii, ac Templi Fundator Joannes Marangonus nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, qui etiam dixit, non modo ipsi cæmento in parietibus erigendis immixtos fuisse innumerorum pene Martyrum cineres, ex diversis Sacris Urbis Cœmeteriis erutos, sed & centum ac amplius Sanctorum Martyrum Corpora, quorum singuli nomen proprium habent, per ipsius Ecclesiæ parietes, in variis loculis fuisse deposita, adeout memorata Ecclesia appellari merito queat Sanctorum Martyrum habitatio. Quod quidem mirum videri non debet, cum ex Ecclesiastica historia constet, super Sepulchra Martyrum ædificatas olim Ecclesias, Reliquiasque Sanctorum in ipsarum parietibus fuisse reconditas. Sane obiit noster Marangonus in nostra Domo Oratorii S. Hieronymi Charitatis anno MDCCLIII. die V. Februarii, celebris non modo ob edita insignia varia Opera, verum ob recusatum bis Episcopatum, primum a Clemente Papa XI. oblatum, secundum vero a feliciter regnante Pontice Maximo BENEDICTO XIV. sepultusque est in communi nostrorum Patrum sepulchro.

V. Sed hoc obiter dicto, receptum prætere morem fuisse, ut non modo Crux in primario lapide sculperetur, sed & epocha ipsius lapidis in fundamento novæ Ecclesiæ collocandi signaretur, docet nos marmor Massiliense editum a Viro Clarissimo Stephano Baluzio de Scriptoribus Ecclesiasticis in Commentario ad Lactantium, & ab illustribus Massiliæ historicis Ruffis, Lib. X. pag. 46. in quo legitur, jactum fuisse primarium lapidem ipsius Ecclesiæ a fundamentis restitutæ, Consulatu VI. Valentiniani Augusti, scilicet anno Christi CDXLV. XIII. Kal. Decembris, anno XIX. Episcopatus Rustici, ubi etiam consignantur nomina Episcoporum subsidia corrogantium ad constructionem sacri ædificii, numerata summa solidorum, quam quisque contulerat. Sed de his vide quæ scripsimus Tomo II. nostri Romani Pontificalis, Parte II. Titulo I. in Commentario ad §. IX. num. IX. ubi etiam notavimus, expressum fuisse & olim tempus, quo Ecclesia ædificabatur, probavimusque ex veteri musivo Ecclesiæ S. Sabinæ Fratrum Prædicatorum in Monte Aventino, ubi ejusdem Tituli Clerici, ad quos antiquitus Ecclesia ipsa pertinebat, expresserunt epocham Pontificatus S. Cælestini I. quo Ecclesiam universam regente, Ædes illa sacra fundabatur. Sic autem ibidem legitur.

✠ *Culmen Apostolicum cum Cælestinus haberet*
*Primus, & in toto fulgeret Episcopus Orbe,*
*Hæc quæ miraris fundavit Presbyter Urbis*
*Illyrica de gente Petrus &c.*

VI. Illud insuper elapso Christi Sæculo observatum fuit, ut Ludovicus Cardinalis Ludovisius Gregorii XV. Papæ nepos, ubi Templum in honorem S. Ignatii Societatis Jesu Fundatoris Ro-

Romæ extruxit, primumque lapidem solemni ritu benedictum in fundamentis posuit, in uno lapidis latere inscribi fecerit: ✠ LUDOVICUS CARD. LUDOVISIUS S. R. E. VICECANC. TEMPLUM JACTO AB SE LAPIDE FUNDAVIT IV. NON. AUGUSTI A. SAL. MDCXXVI. Ab alio vero lapidis latere hunc in modum: ERIT LAPIS ISTE IN SIGNUM MEÆ ERGA S. IGNATIUM EJUSQUE ORDINEM PIETATIS. Celebritatem dictæ cæremoniæ descripsit, typisque mandavit hæres Bartholomæi Zannetti anno MDCXXVI. Cæterum nequid omittam, quod ad impositionem primarii lapidis in fundamento novæ Ecclesiæ pertinet, consuevisse una cum ipso numismata argentea, aureaque immitti, pluribus exemplis probari posset. Vidi equidem hunc ritum Paulæ, quæ Patria mea est, servatum, quum nempe initio hujus Sæculi anno scilicet MDCCIII. die XVIII. Octobris erecta nova Ecclesia ad honorem B. Virginis in egregio Civitatis foro, laudatus superius Josephus Maria Perrimezzi tunc Calabriæ citerioris Fratrum Minimorum Provincialis de licentia nostri Antistitis primum lapidem solemni pompa in fundamento posuit, lapidem scilicet fune alligatum stans a superiori loco fundamenti in illud immisit. Sic enim intelligi debet ponere lapidem primarium in fundamento.

## §. IX.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento. Postea Sacerdos spargit super lapidem Aquam benedictam, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Psalmus L. *Miserere mei Deus secundum magnam &c.* dicitur totus cum *Gloria Patri*. Quo dicto, Sacerdos spargit Aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta; si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata; & incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente, *O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta Cæli.* Psalmus LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis &c.* Antiphona: *O quam metuendus est locus iste! vere hic non est aliud, nisi Domus Dei, & porta Cæli.*

## §. X.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, & repetita Antiphona, dicit: *Oremus.* Ministri: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

*Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

*Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum Majestati tuæ concedis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia, ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Quamquam in Pontificali Romano, Parte II. Titulo I. ubi ritus præscribitur, quo Episcopus benedicere, & imponere debet primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, multæ aliæ cæremoniæ, & Preces, atque Orationes legantur, de quibus nos in ipsius Tituli Commentariis late diximus, extant quoque ibidem, quæ in duobus hisce Paragraphis notata sunt. Mandat enim Pontificale, ut postquam cæmentarius locavit ipsum primarium lapidem cum cæmento, Pontifex spargat super lapidem Aquam benedictam, dicens, *Asperges me hyssopo &c.* cum Psalmo, *Miserere mei Deus &c.* & alia peragat ibidem notata, ex quibus desumptus est ritus, quem servare debet Sacerdos, ubi de Episcopi licentia primarium ipse lapidem benedicit, imponitque in fundamento novæ Ecclesiæ. Porro variæ aspersiones Aquæ benedictæ fiunt in ipsa functione ad abigendos dæmones, qui cum pati non possint sacrarum Ædium constructionem, locum illum infestare conantur; atque hinc est, quod in Oratione in §. X. notata inter alia sic orat Sacerdos: *Sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus.*

II. Sed & ex eadem Oratione illud potissimum addiscere licet, quanta sit Ordinis Sacerdotalis dignitas, cui tantam præ cæteris Deus gratiam contulisse dicitur, ut quicquid in ejus Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, ab ipso Deo fieri credatur. Prolixe de Sacerdotis dignitate, potestateque loquuntur Sancti Ecclesiæ Patres, inter quos videri potest Sanctus Joannes Chrysostomus in aureis Libris de Sacerdotio, quos nos in varia Capita divisos, Præfatione, Argumentis, ac Notis auctos, ad Episcoporum, aliorumque inferiorum Sacerdotum utilitatem, multis jam ab hinc annis in lucem edidimus. Non omittendum autem hoc loco censeo, quod in Sermone, *De Sacerdotio*, scripsit S. Ephræm Syrus: *O miraculum stupendum, o potestas ineffabilis, o tremendum Sacerdotii mysterium, spiritua-*

*rituale, ac sanctum, venerandum, & irreprehensibile, quod Christus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est. Genu posito, lacrymis, atque suspiriis oro, ut hunc Sacerdotii thesaurum inspiciamus, thesaurum, inquam, his, qui eum digne, & sancte custodiunt. Scutum siquidem est refulgens, & incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum, ac stabile, a terra ad axem usque Cæli pertingens &c.* Cum hæc, tanta, ac talia sint, quibus Sacerdotalis auctoritas, & potestas de Divina dignatione firmatur, culpæ certe læthalis sunt rei, tum Sacerdotes ipsi non pauci, tum laici homines permulti, qui Sacerdotium contemptui habent, negotiis sæcularibus deturpant, vilive famulitio deprimunt.

# CAPUT XXIX.

## *Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.*

I. Certa est illorum sententia, quæ dicit, non posse Sanctissimum Missæ Sacrificium, nisi in Ecclesia consecrata, seu benedicta, vel in Oratorio publico, nisi prius & ipsum benedictum fuerit, celebrari. Celebre est in hanc rem Concilii Tridentini Decretum, *De observandis, & vitandis in celebratione Missæ*, quod legitur Sessione XXII. his verbis: *Ne patiantur, Episcopi, privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Fuisse hanc veterem Ecclesiæ disciplinam, docet nos Breviarium Romanum in Festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris die IX. Novembris: *Ritus*, inquit, *quos in consecrandis Ecclesiis, & Altaribus, Romana servat Ecclesia, Silvester Papa primus instituit. Nam etsi jam ab Apostolorum tempore, loca fuerunt Deo dicata, quæ a quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, ubi Collectæ fiebant per unam Sabbati, & Christianus populus orare, Dei verbum audire, & Eucharistiam sumere solebat, non tamen illa adeo solemni ritu consecrabantur &c.* Ex quibus verbis liquet, ritum benedicendi, & consecrandi Ecclesias suam quidem originem ducere ab Apostolis, sed tamen a S. Silvestro Papa, reddita Ecclesiæ pace, ad solemniorem formam, quam modo servat Ecclesia, redactum fuisse. Quod etiam disertis verbis tradunt antiqui Patres, quos recenset Durantus, Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIV. testanturque Auctores Vitarum veterum Romanorum Pontificum, ex quibus docemur, S. Urbanum I. domum S. Ceciliæ in Ecclesiam consecrasse, & S. Marcellum domum S. Lucinæ.

II. Antequam vero de Benedictione novæ Ecclesiæ, seu Oratorii, dicamus, sciendum est, aliud esse Oratorium publicum, aliud privatum. Publicum dicitur, quod publico, seu omnium usui patet, privatum vero, quod etiam domesticum appellatur, quod privato, seu aliquorum usui tantummodo in propriis ædibus parari solet, ut late explicat accuratus Gatticus, *De Oratoriis Domesticis*, Cap. III. ubi etiam notat, utrumque Oratorium, privatum scilicet, ac publicum fuisse in usu apud Veteres; & quod notatu dignum est, utrumque consuevisse olim rite ab Episcopo consecrari, fuse idem Auctor conatur ostendere Cap. XII. Quicquid autem de hac opinione sit, certum illud est, vetuisse jam olim Concilium Laodicenum, Can. LVIII. in domibus privatis offerri Sacrificium, sive ab Episcopis, sive a Presbyteris. Quod tamen intelligendum putat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XCII. de domibus, quæ in Urbe sunt, ubi sunt & Ecclesiæ, non de iis, quæ ruri, ubi nullæ Ecclesiæ perdiu fuere; quia scilicet S. Chrysostomus Homilia XVIII. in Acta Apostolorum nobiles, divitesque omnes quibus maxime potuit eloquentiæ viribus stimulisque excitabat, ut Ecclesias, seu Capellas ruri in domibus suis extruerent, Presbyterumque, & Diaconum, sive alios haberent Clericos, qui Dominicis diebus incruentum ibi Deo offerrent Sacrificium, matutina, vespertinaque celebrarent Officia, mensæ benedicerent, pueros, domesticosque omnes pietatis rudimentis imbuerent, denique ut frequenti oratione cælestium benedictionum rorem provocarent.

III. Neque vero hortamenta hæc tantum erant Chrysostomi, sed præcepta, nec sinebat quemquam prætexere, ne id faceret, Ecclesiæ alicujus propinquitatem; denique in hæc Religionis monumenta pie existimabat impendi ea, quæ alioqui in pauperes erogarentur. Sed audiamus ipsum Chrysostomum citato loco sic ajentem: *Oro, ac supplico, & gratiam peto, imo & legem pono, ut nullus, qui habet Villam, appareat carere Ecclesia. Ne mihi dixeris, prope est, in vicinia est, magnus est sumptus, non magnum commodum, siquid habes insumendum in pauperes, illuc insume. Melius illuc, quam ibi. Educa Magistrum, educa Diaconum, & Sacerdotalem Ordinem.* Et paulo post: *Venerabilis erit & Presbyter postea, & ad securitatem Agri conducet. Preces illic perpetuæ propter te; laudes & synaxes propter te, Oblatio per singulos dies Dominicos. Quale est, Matutinis, Vespertinisque Hymnis præsentem esse, & simul prandentem Sacerdotem videre.* Tum vero infra: *An parum est in sanctis Oblationibus nomen tuum referre, & quotidie pro Villa preces ad Deum fieri?* Tandem ut tergiversationes omnes refellat, instat Chrysostomus, ut duo saltem, vel tres communi sumtu Ædiculam, Oratoriumve hujusmodi sacrum extruant, dotentque in Villis suis: *Et si quidem tres fuerint domini, in commune conferant; si autem unus, & aliis vicinis suadeat.*

IV. Ad domestica Urbium, Oppidorumve Oratoria quod attinet, prohibuit illa Justinianus Novella sua Constitutione LVIII. non permittens ibi, nisi privatas Preces, ipsam vero Mysteriorum celebrationem solis servari jubens Ecclesiis, *Orationis solius gratia, & nulla celebranda penitus eorum, quæ sacri sunt Mysterii, hoc eis permittimus.* Separata tamen non vetat Oratoria, dum impetrentur ab Episcopo proprio, qui rem Divinam ibi faciant: *Invidia enim nulla est*, ait in Novella Constitutione CXXXI. Cap. VIII. *si velint*

*lint citra hæc habere habitacula quædam, & in eis tanquam in Sacris orare, aliis autem omnibus abstinere, nisi tamen eis voluerint aliquos invitare Clericos, hic quidem sanctissimæ majoris Ecclesiæ, & sub ea sanctissimarum Domuum, voluntate, ac probatione sanctissimi Archiepiscopi ad hoc deputatos, in Provincia vero Deo amabilium Episcoporum*. Ubi adverte, quod alias notavit Thomassinus citato loco, Cap. XCIII. num. III. nolle in ea Constitutione Imperatorem, ordinari Presbyteros, Clericosque ad domestica hæc Oratoria, sed ex iis, qui jam ordinati sunt ad Ecclesias publicas, aliquos delegari, qui Sacris ibi operentur.

V. Jam non desunt exempla, & Romanorum Pontificum Placita, ac præsertim S. Gregorii Magni, apud Thomassinum loco mox citato, quibus docemur, permissa quidem fuisse Nobilibus Magnatibus, aliqua domestica Sacella, atque Oratoria, in quibus Missæ Sacrificium celebraretur; verum cum sensim labentibus sæculis magis, magisque numerus Sacerdotum excresceret, Missæque multiplicarentur, potentiores passim, ditioresque, quibus non placebat certa, determinataque hora ipsis subinde minus commoda ad Ecclesias Parochiales Missarum solemnia cum reliquo populo audituri accedere, illicque per longius temporis spatium in Missarum ipsis solemnibus, quæ & Concionem comprehendebant, permanere, facile Sacerdotem reperire, & conducere potuerunt, qui in domesticis suis Oratoriis, ad ipsorum nutum, commoditatemque, veluti alter famulus mercede conductus celebraret, ut ita Præcepto audiendi Missam diebus festis satisfacerent. Quam hi Sacellani domestici, seu conductitii frequentes fuerint, quamque indigne habiti in Gallia a suis Dominis, vel unius S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis in Tractatu, *De privilegio, & jure Sacerdotii*, Cap. XI. testimonium evincit, quod quidem legere est apud laudatum Thomassinum Cap. XCV. num. XII. & apud Vanespen Parte II. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo V. Cap. VIII. num. VII.

VI. Rursus, quod occasione domesticorum Oratoriorum, Missarumque ibidem celebrari solitarum, Nobiles, ditioresque, non sine animarum suarum detrimento Parochiales Ecclesias, aliasque, in quibus sacræ Conciones habebantur, desererent, dolet Concilium Ticinense sæculo IX. habitum his plane verbis: *Quidam laici, & maxime potentes, ac nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos suas Basilicas habent, in quibus Divinum audientes Officium, ad majores Ecclesias rarius venire consueverunt, & dum soli afflicti, & pauperes veniunt, quid aliud, quam, ut mala patienter ferant, illis prædicandum est. Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti sunt, venire non renuerint, admoneri utique possent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, ut a fluxu rerum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur Potentes, ut ad majores Ecclesias, ubi prædicationem audire possint, conveniant, & quantum dono Omnipotentis Dei, divitiis, & honoribus cæteros antecellunt, tanto ad audiendum præcepta Conditoris sui alacrius festinent*.

VII. Ergo his abusibus occurrens Synodus Tridentina, recte statuit in citata superius Sessione XXII. ne patiantur Episcopi, privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi. Quo Decreto putat Fagnanus in Capite, *In his*, *De privilegiis*, & ibidem Barbosa, ac alii nonnulli, Concilium ademisse auctoritatem Episcopis concedendi licentiam celebrandi quacumque de causa in domibus privatis, tametsi in illis essent extructa Oratoria ad Divinum tantum cultum destinata; eamque interpretationem sæpius sequutam fuisse Sacram Congregationem variis declarationibus, quas refert Azorius Lib. X. *Institutionum Moralium*, Cap. XXVI. quem citat Zipæus Titulo, *De celebratione Missarum*, num. VIII. qui tamen huic sententiæ non acquiescens, subjungit: *Certe, salva Sedis Apostolicæ censura, locus hic*, idest Concilii Tridentini, *tantum est ad abusus extirpandos eorum, qui id sua auctoritate præsumunt, quos ne patiantur, monentur Episcopi, sed ea verba*, ne patiantur, *si ad rigorem examinentur, non inferunt, ut permittere non possint, vel derogationem auctoritatis Episcopis competentis, ne id queant, ubi juxta ex causa id permittendum censuerint*. Atque hæc ibidem latius prosequitur Zypæus, cujus interpretationem, ut ait Vanespen loco citato num. XIII. Belgii, vicinarumque Provinciarum Episcopi notorie amplectuntur concedendi licentiam celebrandi in Oratoriis privatis, quamvis in domibus privatis extructis. Zypæi interpretationem sequitur quidem, multisque argumentis probare conatur memoratus Vanespen. Sed tamen quidquid sit de veteri disciplina, & Episcoporum jure in concedendis licentiis celebrandi Missam in domesticis privatisque Oratoriis, præter quotidianam praxim, qua Sedes Apostolica hujusmodi licentias concedit, ingenue fatetur Jueninus, Auctor Gallus, ut alios omittam, in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione V. Capite II. Articulo III. *Concilium* ipsum Tridentinum *illis in locis, ubi promulgatum fuit, abstulisse ab Episcopis facultatem, qua alias fruebantur, concedendi nimirum, ut, etiam extra necessitatis casum, in privatis, ac domesticis Oratoriis Sacrificium offeratur*.

VIII. Quamquam denique ejus sit opinionis Gatticus in citato Tractatu, *De Oratoriis domesticis*, Cap. XII. consuevisse & olim Oratoria ipsa domestica consecrari, variasque causas afferat, ob quas post annum Christi millesimum consecrari, vel etiam benedici illa desierint; addubitari tamen nequit, quin Ecclesiæ novæ, & Oratoria publica, ut in iis Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit, prius debeant, si non consecrari, saltem benedici. Cum enim post annum potissimum millesimum, magna sit Ecclesiarum, Oratoriorumque multitudo, propter quam difficile visum fuisset Episcopis aliis pastoralibus muneribus occupatis omnia illa consecrare, mandarunt iccirco variæ Synodi, ac præsertim Londinensis anni MCCXXXVII. Capite I. Mediolanensis IV. S. Caroli, & novissime Lateranensis Benedicti XIII. Tit. XXV. Cap. I. ut majores saltem Ecclesiæ consecrarentur, tametsi jam essent benedictæ. Non enim, uti jam iterum, atque iterum dictum est, celebrari in Ecclesiis, aut Oratoriis potest, nisi Sacerdotali sint prius Benedictione donatæ. Porro dedicandi minores Ecclesias, sive Oratoria publica modus, non est ille solemniter, quem Pontificale Romanum Parte II. Titulo II. pro consecratione Ecclesiæ ab Epi-

Episcopo tantum facienda præscribit, sed est alter minus solemnis, qui in hoc præsenti Romani Ritualis Capite præscriptus est, diciturque *Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum*.

IX. Opportune hic illud notandum, ritum ipsum, quem Rituale pro benedicenda nova Ecclesia, seu Oratorio publico præscripsit, convenire quidem cum Consecratione Ecclesiæ, itaut non minus perpetuo devota Deo remaneant Oratoria ipsa post illam Benedictionem, quam Ecclesiæ solemni Pontificali Consecratione Divinis obsequiis mancipatæ. Porro differt ritus ipse Benedictionis a Consecratione, quod in ista majores solemnioresque cæremoniæ adhibeantur, & quidem a solo Episcopo, non enim simplex Sacerdos consecrare Ecclesiam potest. Quandonam introductus fuerit hujusmodi ritus a Consecratione distinctus, non ausim definire; puto equidem, introductum illum fuisse post nimiam Ecclesiarum multiplicationem, ne scilicet, cum gravissimum foret Episcopis omnia Oratoria, minoresque Ecclesias dedicare, vetustus ille, & Apostolicus ritus sanctificandi, Deoque dicandi certis precum formulis, sacrisque cæremoniis loca perpetuo ad celebrationem Divinorum Mysteriorum destinata omitteretur. Atque hac ratione majores Ecclesiæ a minoribus differunt, dum pro majoribus solemnis Consecratio per Episcopum peragenda desideratur, pro minoribus vero Benedictio minus solemnis, quæ a quocumque Sacerdote de Episcopi licentia peragi potest, sufficit, ut scite observat memoratus Gatticus loco citato, num. XIX.

X. Reliquum est, ut & illud notemus, quod idem Auctor advertit num. XX. Oratoria in domibus privatis erecta, ut in iis Sacrificium Missæ celebretur, nequaquam benedici debere præscriptis in Rituali precibus pro Benedictione novæ Ecclesiæ, vel Oratorii publici; & ratio est, quia Oratoria illa non perpetuo Deo devoventur, sed pro libito illius, qui gaudet hujusmodi Indulto ab Apostolica Sede obtento in alios usus converti solent, vel saltem post illius mortem Sacrificio inepta redduntur. Sed neque conveniens est, ut privatæ domus Oratoria passim illa prærogativa decorentur, quæ præcipue pro publicis Oratoriis a Rituali præscripta est. Ut enim majores Ecclesiæ a minoribus, sive ab Oratoriis publicis circa ritum Dedicationis distinguuntur, nam illæ, ut dictum est, Pontificali Consecratione indigent, ista vero Sacerdotali dumtaxat Benedictione; ita par esse videtur, ut privata Oratoria a publicis differant circa ritum Benedictionis, quæ in Rituali solum pro novis Ecclesiis, publicisque Oratoriis assignatur. Cæterum docet laudatus Gatticus, satis esse, si Oratoria privatarum domorum, antequam Sacrificium Missæ in iis celebretur, Aqua benedicta aspergantur, & super illa recitetur communis, ac generalis Precum formula, quam pro nova benedicenda domo Rituale nostrum proponit.

## §. I.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Missæ rite celebretur, Stola, ac Pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus, & Clericis adhibitis, prælata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolute Orationem.

*Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra Oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

## §. II.

Deinde inchoat Antiphonam, *Asperges me Domine &c.* & Clerus alternatim dicit Psalmum, *Miserere mei Deus*; in fine *Gloria Patri*. Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua, & nuda, excluso Populo, donec absoluta est Benedictio) & Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi; ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, & in fundamentis, cum Aqua benedicta aspergit, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans, ut prius, versus Ecclesiam, dicit: *Oremus*. Et Ministri: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Oratio.

*Domine Deus, qui licet Cælo, & terra non capiaris, Domum tamen dignaris habere in terris, ubi Nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; & qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum &c.*

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam ritus Pontificalis Consecrationis Ecclesiarum uberior sit, ac prolixior, uti late ostendimus nos, explicuimusque, Parte II. nostri Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum II. accepta nihilominus sunt ex eodem Pontificali, quæ Rituale Ro-

Romanum in præsenti Capite præscribit, peragenda a Sacerdote, ubi ex Episcopi permissu benedicturus est novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum. Ergo, quod nostrum I. §. spectat, consuevisse olim Ecclesiæ Dedicationem solemni cum Processione inchoari, ex antiquis variarum Dedicationum historiis patet, ac præsertim ex ms. Ceccani Chronico apud Ughellum Tomo I. Italiæ Sacræ in Episcopis Ferentinis, ubi agitur de Consecratione Ecclesiæ S. Mariæ de Flumine facta a Cardinale Jordano de Fossa Nova anno MCXCVI. & a nobis relata citato Tomo II. Romani Pontificalis, pag. 162. & seq. *Officium, inquit, sicut inceptum est ix. Kal. Augusti, post cœnam convenientibus Episcopis cum Domino Cardinali, & cum maxima multitudine Clericorum, & laicorum, tam Campaniæ, quam Maritimæ, & aliarum Provinciarum, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Flaminis ordinata est Processio, in qua Processione fuerunt septem paria facularum accensa, viginti thuribula argentea, duodecim Cruces argenteæ, &c.* Porro licet, nec possit, nec debeat, solemnissima hujusmodi Processio fieri, ubi Sacerdos, non vero Episcopus, Ecclesiam novam benedicit, vel publicum Oratorium, expresse nihilominus noster I. §. mandat, ut *Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Missæ rite celebretur, Stola, ac Pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus, & Clericis adbibitis*, Superpelliceo scilicet indutis, *prælata Cruce media inter duos Clericos*, indutos scilicet Superpelliceo, *deferentes cereos accensos*, candelabra scilicet cum accensis cereis, ut moris est, *mane procedat ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto conversus ad eam*, Clerico scilicet tenente ante eum Librum hunc Ritualem, *dicit absolute Orationem*, Actiones nostras &c.

II. Extat & ipsa Oratio, *Actiones nostras &c.* in Pontificali Romano, a quo illam, sicut & alios Ritus, Rituale nostrum desumpsit. Ex cujus præscripto, uti legitur in §. II. *deinde inchoat*, Sacerdos scilicet, *Antiphonam*, Asperges me Domine &c. *& Clerus alternatim dicit Psalmum*, Miserere mei Deus &c. *Interim circumdant exterius Ecclesiam ... & Sacerdos accepto aspergillo ex berba byssopi, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, & in fundamentis cum Aqua benedicta aspergit, dicens, Asperges me Domine &c.* Variat non parum Rituale a Pontificali, uti videre est in citato Titulo II. §. IX. ubi expleta Benedictione aquæ ante fores Ecclesiæ, Pontifex stans sine Mitra aspergit primum se, & circumstantes cum illa, inchoans, Schola prosequente, Antiphonam, *Asperges me &c.* eaque incepta, imposita sibi Mitra, præcedentibus ipsum duobus Acolythis cum candelis accensis, procedens cum Clero, & Populo incipit circumire Ecclesiam, & aspergit cum ipsa Aqua *forinsecus parietes Ecclesiæ &c.* Ceterum, licet nostrum Rituale nihil dicat, quod Sacerdos aspersurus parietes Ecclesiæ, primum se aspergat, & circumstantes, puto equidem, debere & ipsum Sacerdotem servare hunc ritum, aspergendi nempe se primum, tum vero potissimum, quod dicit Antiphonam, *Asperges me &c.* Esse autem antiquum ritum, ut ubi Ecclesiæ dedicantur, Aqua benedicta adhibeatur, docent passim vetusti Codices Pontificales; narratque de Sancto Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi Osbertus Monachus in ejus Vita, Cap. VII. quod cum invitatus aliquando fuisset ad dedicandam Ecclesiam cujusdam Principis, & aqua ad ministerium Dedicationis defuisset, *ad vocem Viri, quam per naturam non babuit, per gratiam Dei arida rupes aquam profudit, quæ de eadem rupe usque hodie manans, ac salutiferum Fidelibus poculum præbens, Dunstani nomen celebre facit.* Quamquam demum innumera pene de Aqua benedicta narrentur miracula, celebre & illud profecto est, quod de S. Joanne Hagustaldensis Ecclesiæ primum, deinde Eboracensis Episcopo, qui floruit anno DCCXXI. refert Beda Libro V. *Historiæ Anglorum*, Cap. IV. Aqua nimirum benedicta in Dedicatione Ecclesiæ cujusdam Comitis adhibita, a memorato Sanctissimo Antistite sanatam fuisse ipsius Comitis conjugem, quam gravis morbus pene consumserat.

III. Præter hanc Aquam benedictam, qua Sacerdos utitur in Benedictione novæ Ecclesiæ, extat in Pontificali altera Aquæ Benedictio, una cum vino, hyssopo, & cinere, quam adhibet Episcopus, ubi ipse Ecclesiam consecrat, de eaque jam diximus nos in Commentariis ad Titulum II. Partis II. Romani Pontificalis. Sed ut finem huic Commentario faciam, ex præscripto quidem nostri §. facta aspersione ad parietes Ecclesiæ in superiori parte, & in fundamentis, reversaque Processione *ad locum, unde initium babuit*, ad fores scilicet Ecclesiæ, *Sacerdos stans, ut prius*, capite nempe aperto, *versus Ecclesiam, dicit, Oremus; & Ministri, Flectamus genua.* ℞. *Levate*; tum vero Orationem: *Domine Deus, qui licet Cælo, & terra non capiaris &c.* quæ etiam ex præscripto Ritualis, uti habetur supra Cap. XXVIII. dicitur in Ritu benedicendi, & imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda &c. Est & ipsa antiqua Oratio, occurritque passim non modo in Pontificali Romano, sed & in priscis Sacramentorum Libris a Martene allatis, ubi ritus Dedicationis Ecclesiarum recensent.

## §. III.

Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes.

## §. IV.

Ubi dictum fuerit, *Ut omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos*, surgit Sacerdos, & intelligibili voce, dicit: *Ut hanc Ecclesiam, & Altare, ad honorem tuum, & Nomen Sancti tui N. purgare, & bene ✠ dicere digneris, Te rogamus audi nos.* Cum dicit, *benedicere*, manu dextera benedicit Eccle-

clesiam, ac Altare, deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniæ, & Cantores prosequuntur: *Ut nos exaudire digneris*, *Te rogamus audi nos &c. Agnus Dei &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Antequam Processio intret Ecclesiam, & ad Altare majus dicantur Litaniæ, ex Pontificali Romano multi alii peragendi sunt ritus, ubi Episcopus Ecclesiam consecret. Merito autem Rituale Litaniam dicendam præscribit, quod antiquissimus sit ritus in Dedicatione Ecclesiæ usitatus, & in omnibus Sacramentorum Libris præscriptus, ut Litaniæ scilicet dicantur. Id sane ostendimus nos nostro Tomo II. Romani Pontificalis in Commentario ad §. XVIII. Tituli II. Ritum hunc antiquum explicat Auctor, qui floruit labente IX. Christi Sæculo, Remigius Autissiodorensis Monachus, in Tractatu, *De Dedicatione Ecclesiæ*, Cap. II. ubi ita inquit: *Quod vero, intrante Pontifice Ecclesiam, Clerus cum Litania, Sacerdotes, & Levitæ prostrati in terram, ad Dominum clamant pro sanctificatione ipsius domus, hoc est, quod & Dominus ante passionem egit pro Discipulis, & pro cunctis, qui post sequuntur, Fidelibus, Patrem exorans dicendo*: Pater sanctifica eos in Nomine tuo, quos dedisti mihi. Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. *Sed & Apostoli in Epistolis suis Discipulis scribunt, orare se sine intermissione ad Dominum pro ipsis, & memoriam facere eorum in orationibus &c.* Id ipsum totidem fere verbis legere est apud Ivonem Carnotensem Episcopum in Sermone, *De Sacramentis Dedicationis*. Contractius autem apud Gulielmum Durandum, Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. VI. *Cum dicitur Litania, prostratus orat pro sanctificatione Domus; nam & Christus humiliatus ante passionem, pro Discipulis ei credituris omnibus orabat, dicens* Pater sanctifica eos in Nomine tuo. Et paulo post: *Clerus orans, & Litaniam concinens, Apostolos repræsentat, qui pro Ecclesiæ, & animarum sanctificatione ad Deum intercedebant.*

II. Quamquam vero, ubi dicebantur Litaniæ, prostrati esse deberent Episcopus & Clerus, uti constat ex antiquissimis Sacramentorum Libris, ac præsertim ex illo S. Gregorii Papæ, & antiquissimo Romano Ordine; ex Romano tamen Pontificali, Ecclesiam consecrans Episcopus *accumbit super Faldistorium*; ideoque multo magis Sacerdos benedicens novam Ecclesiam genuflexus esse debet, quod quidem aperte edicit noster §. IV. iis verbis: *Ubi dictum fuerit*, Ut omnibus fidelibus defunctis &c. *surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit*, Ut hanc Ecclesiam &c. *Cum dicit*, benedicere, *manu dextera benedicit Ecclesiam, & Altare*. Si *surgit*, erat itaque genuflexus, & quidem capite aperto, manens ita usque dum eam proferre Benedictionis formulam debet præscriptam in ipso §. IV. *Ut hanc Ecclesiam, & Altare &c.* Solemnior, uberiorque est plane formula, quam ab Episcopis Ecclesiam consecrantibus dicendam Pontificale præscribit in citato §. XVIII. quamque nos ibidem late explicuimus, adversus etiam hæreticos, qui perperam contendunt, obstinateque, nefas esse Sanctis Ecclesias erigi, & dedicari. Sed hujusmodi Sectarios egregie jam confutavit præstantissimus Bellarminus, Lib. III. *De cultu Sanctorum*, Cap. IV. ubi ex Conciliis, & veterum Patrum, ac Scriptorum testimoniis docet sacras Ædes non solum Deo, sed & Sanctis recte erigi, & dedicari.

III. Cæterum non Sanctis, sed in honore, & Nomine Sanctorum Ecclesias erigimus, dedicamusque, ut eorum patrociniis in nostris necessitatibus adjuvemur, & una Ecclesia ab alia destinguatur, ut scite docet Canisius Lib. IV. *De Beata Virgine*, Cap. XIII. nam alias certa est doctrina S. Augustini, qui Lib. VIII. *De Civitate Dei*, Cap. XXVII. rem ita explicat: *Nec tamen nos eisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam Sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt &c.* Et paulo post: *Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt Memoriarum, non Sacra, vel Sacrificia mortuorum tamquam Deorum.* Quod itaque Ecclesiæ passim Martyrum, aliorumque Sanctorum Nomine dedicentur, id eo sensu fieri intelligendum est, ut non Sanctis ipsis primario, sed Deo, in memoriam ipsorum, hoc est, in gratiarum actione pro collata ipsis a Deo gloria, & ut ibi Deus oretur per eorum intercessionem, consecrentur. Quæ ratio cum Ecclesiis omnibus æque conveniat, manifeste sequitur & illud, quod docet Guyetus in sua Heortologia, Lib. I. Cap. VI. Quæstione III. *Deum absolute sumptum, idoneum haud esse Titulum, qui Ecclesiæ alicui specialiter imponatur.* Sed hæc aliaque scitu digna jam exposuimus citato Tomo II. Romani Pontificalis, Titulo II. in Commentario ad §. XVIII. num. IV. & seqq.

## §. V.

Dicto ultimo, *Kyrie eleison*, Sacerdos stans dicit: *Oremus*. Ministri: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. *Præveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

## §. VI.

Tum distans ab Altari, congruenti spatio genuflexus, & se signans, dicit: *Deus in adjutorium meum intende*; & statim surgit, Clero respondente: *Domine ad adjuvandum*

*dum me festina*. Ipse vero stans, dicit: *Gloria Patri*, *&* *Filio*, *&* *Spiritui Sancto*. Chorus respondet: *Sicut erat in principio*, *&c.* Postea Sacerdos dicit: *Oremus*. Ministri: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Oratio.

*Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum.*

## COMMENTARIUS.

I. Finita Litania, surgit Sacerdos, & , ut ait noster §. v. stans dicit, *Oremus*, & ubi Ministri dixerunt, *Flectamus genua*, & *Levate*, dicit ille Orationem, *Preveniat nos quæsumus Domine &c.* juxta ritum præscriptum jam in Romano Pontificali Parte II. Titulo II. §. XIX. in cujus Commentario notavimus, de ista Oratione altum in omnibus Pontificalibus vel D. annorum fieri silentium. Extat nihilominus in memorato Pontificali Romano una cum alia, quæ incipit, *Magnificare Domine Deus noster &c.* Quod in nostro §. VI. edicitur, expressum est etiam in citato Pontificali Romano §. XXII. ex cujus tamen præscripto Episcopus ter, voce semper altius elevata, dicit, *Deus in adjutorium meum intende &c.* Cujus ritus meminit quidem Gulielmus Durandus, ut alios antiquiores Auctores omittam, Lib. I. Rationalis, Cap. VI. ubi etiam ait, dici ad Altare, *Deus in adjutorium meum intende &c.* quia tunc demum incipit quod est in hoc Officio principale. Addit, dici versum, *Gloria Patri &c.* quia hæc Benedictio fit ad exhibendam gloriam Trinitati. Observat mox etiam, omitti tunc temporis *Alleluja*, quia hæc Dedicatio significat baptizandos, qui, percepta Fide, ad pugnam se præparant; & quia adhuc sunt inter suspiria, & certamina constituti, ideo non dici, *Alleluja*; qui enim baptizati non sunt, laudibus Angelorum digni non sunt. Ita plane Durandus, ex quo confirmatur, quod iterum, iterumque in Commentariis ad memoratum Titulum II. Partis II. Romani Pontificalis diximus, probavimusque, plerasque cæremonias in Dedicatione Templi materialis adhiberi, quæ in spiritualis Templi, animæ scilicet, Dedicatione per Baptismum peraguntur; eo quod a Patribus Dedicatio Templi materialis repræsentatur, ut figura Dedicationis Templi spiritualis. Oratio tandem, *Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus &c.* in nostro §. VI. descripta, antiqua & ipsa est, & dici etiam solita in Benedictione, & impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda, ut videre est supra Cap. XXVIII. de eaque nonnihil diximus in Commentario ad §. X. ejusdem Capitis, quod inscriptum est: *Ritus benedicendi, & imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, a Sacerdote facultatem habente ab Episcopo*.

## §. VII.

His dictis, inchoat Antiphonam, *Benedic, Domine, Domum istam Nomini tuo ædificatam*, cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet, Psalmo CXIX. *Ad Dominum cum tribularer clamavi &c.* Psalmo CXX. *Levavi oculos meos in montes &c.* Psalmo CXXI. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c.* Antiphona, *Benedic, Domine, Domum istam &c.*

## §. VIII.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori, & inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: *Asperges me Domine &c.* Tum ad Altare reversus, dicit: *Oremus*. *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Oratio.

*Deus, qui loca Nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc Orationis Domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic Nomen tuum invocantibus auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*.

## COMMENTARIUS.

I. Dum cantatur Antiphona, *Benedic, Domine, Domum istam &c.* cum tribus Psalmis notatis in §. VII. Sacerdos, ut ait sequens §. VIII. *interim aspergit interius parietes in parte superiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens*, Asperges me Domine &c. *Tum ad Altare reversus, dicit*, Oremus &c. Incipit itaque Sacerdotis Processio ab inchoatione prædictæ Antiphonæ, eaque finita, cantantur tres Psalmi prædicti, ut sufficiant ad faciendam Processionem ipsam, aspersionemque parietum Ecclesiæ. Cæterum si Processio finem suum haberet, ut in parvis Oratoriis accidere solet, ante Psalmorum terminationem, monet ad hunc §. Barrufaldus, silere tunc debere Cantores, ubi finem habet Processio, dicto tamen in

in fine, *Gloria Patri &c.* ut fieri solet in aliis Processionibus. Quod vero memoratos tres Psalmos spectat in §.VII. notatos, sunt ipsi plane centesimus decimus nonus, centesimus vigesimus, & centesimus vigesimus primus Psalterii, vocanturque Cantica Graduum, seu Gradualia, quia cantabantur una cum aliis duodecim in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis; tot enim fuisse gradus ejusdem Templi, testantur non modo recentiores Interpretes, verum antiqui Ecclesiæ Patres, ac præsertim S. Augustinus, ut idem Barrufaldus notavit loco citato, ubi etiam monet, quod ubi Ecclesia benedicenda, adeo vastæ sit amplitudinis, ut isti tres Psalmi, ad faciendum ejus circuitum, parietumque aspersionem minime sufficiant, addi & alii possint ex Gradualibus, quia scilicet sunt ad eundem effectum. Ad Orationem tandem quod attinet, *Deus, qui loca Nomini tuo &c.* supra in §. VIII. notatam legitur illa in Romano Pontificali, Parte II. Tit. II. *De Ecclesiæ Dedicatione, seu Consecratione*, de qua nos, sicut & de ritibus in præsenti Capite Romani Ritualis præscriptis ad benedicendam novam Ecclesiam, sive Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit, abunde diximus in nostris ad ipsum Pontificalis Romani Titulum Commentariis.

## §. IX.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

## COMMENTARIUS.

I. EXpleta Benedictione, Populus Ecclesiam ingreditur; ab ipsa enim excludi debet, donec absoluta est Benedictio, uti habetur supra in §. II. interimque a Clericis parantur Altaria, colore adhibito tempori, & Officio congruente. Ex præscripto hujus nostri §. *dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto*, cujus scilicet sit eo die Officium; lapsusque videtur Barrufaldus in sua ad hunc §. Nota, ubi ait, quod *magis conveniens videtur celebrare Missam in Dedicatione Ecclesiæ.* Sicut enim Ecclesia non consuevit celebrare anniversarium Benedictionis Ecclesiarum, sed dumtaxat Dedicationis, seu Consecrationis, ita nec Missam Dedicationis celebrare, ubi Ecclesia non dedicatur, sed benedicitur. Atque hæc est una inter alias differentia inter Benedictionem Ecclesiæ, & Dedicationem, quod ista peculiari Missa, & Officio, etiam anniversario celebratur, illa vero nequaquam. Cæterum teste Quarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Tit. II. Sectione x. in Doctrina Morali, Dubitatione I. *Benedictio simplex, & Consecratio Ecclesiarum differunt inter se penes majorum, & minorem solemnitatem, seu penes ritum altiorem, & inferiorem; simplex enim Benedictio, quæ etiam verbalis dicitur, fit solis verbis, & simplicioribus ritibus; Consecratio vero est Benedictio realis, in qua intervenit unctio sacri Olei, & Chrismatis, & pluribus, sacratioribusque ritibus conficitur, quibus expressius significatur excellentia Divinæ Majestatis, cui Templum dicatur, & pertinet ad Ministrum majoris dignitatis. Sicut etiam in Horis Canonicis differt Officium simplex, vel semiduplex ab Officio solemni primæ classis; item Missa privata a solemni, & Beatificatio a Canonizatione Sanctorum.* Similia his legere est apud alios Scriptores.

## §. X.

Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta; ab Episcopo tamen consecranda est.

## COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc nostro §. edicitur, ut Ecclesia semper, quamvis a simplici Sacerdote sit benedicta, ab Episcopo tamen sit consecranda, constitutum id jam antea fuit a variis Synodis, ac præsertim a Londinensi celebrata anno MCCXXXVII. Can. I. quem lubet hoc loco describere: *Basilicarum Dedicatio*, inquit, *a veteri Testamento initium dignoscitur habuisse, & in Novo est a Sanctis Patribus observata. In quo est eo dignius, & studiosius facienda, quo in illo offerebantur tantum hostiæ animalium mortuorum, in isto vero cælestis Hostia viva, & vera, ipse scilicet Unigenitus Dei Filius in Altari offertur pro nobis, manibus Sacerdotis. Quare statuerunt provide Sancti Patres, ne in aliis locis, quam Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebraretur Officium tam sublime. Porro quia vidimus per nos ipsos, & a plerisque audivimus, tam salubre ministerium contemni, vel saltem negligi a nonnullis, dum multas invenimus Ecclesias, & etiam Cathedrales, quæ licet sint ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratæ Oleo sanctificationis: volentes huic periculosæ negligentiæ obviare, statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes Ecclesiæ Cathedrales, Conventuales, & Parochiales, quæ perfectis parietibus sunt constructæ, infra biennium per Diœcesanos Episcopos, ad quos pertinent, vel eorum auctoritate per alios consecrentur, sicque infra simile tempus fiat de cætero construendis.* Statuit & mox Synodus ipsa, ne tam salubre Statutum transeat in contemptum, si loca hujusmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata, a Missarum solemniis usque ad Consecrationem manere interdicta, nisi aliqua rationabili causa excusentur.

II. Huic plane Canoni, aliisque permultis antiquioribus, sanctæ memoriæ Benedictus Papa

pa XIII. Ecclesiasticæ disciplinæ, ac sacrorum rituum tenax, servator, & custos observantissimus, non modo in minoribus constitutus, Episcopali, & Cardinalitia dignitate præditus, ac factus Pontifex Maximus, & senio confectus permultas, tum variis in locis, tum Romæ potissimum consecravit Ecclesias; verum etiam in suo Romano Concilio, quod celebravit in Lateranensi Ecclesia anno Jubilæi MDCCXXV. Titulo xxv. Cap. 1. expresse mandavit, ut Cathedrales Ecclesiæ, & Parochiales, licet jam antea benedictæ, cum majoribus saltem Altaribus intra annum in Civitatibus, & in Diœcesibus intra biennium post earum restaurationem ab Episcopo consecrentur. Sic autem inquit: *Antiqua mandant Sanctorum Patrum Decreta, ut, sicut non alii possunt, quam Sacrati Domino Sacerdotes Sacra peragere, & Hostias offerre super Altare, ita non alibi, necessitas nisi summa coegerit, quam in Deo dedicatis locis, idest, in Tabernaculis, Divinis ab Episcopo precibus delibutis, Divina debeant Sacrificia celebrari.* Tum vero subdit: *Incumbant quocirca Episcopi, ut Ecclesiæ saltem Cathedrales, & Parochiales, & majora ipsarum Altaria, quæ adhuc perfecta non sunt, nec dedicata, intra annum, si fieri poterit, in Civitatibus, per Diœceses vero intra biennium, omnino perficiantur, & solemniter consecrentur.* Notandum plane adverbium illud *saltem*, ex quo addiscimus, mentem fuisse Pontificis, ut Collegiatæ etiam, Conventuales, atque insigniores locorum Ecclesiæ, tametsi Parochiales non sint, Consecrationis munere decorentur, quia scilicet multæ sunt consecratarum ab Episcopis Ecclesiarum supra cæteras a simplicibus Sacerdotibus benedictas prærogativæ, de quibus nonnihil diximus nos in nostris ad Romanum Pontificale Commentariis.

III. Omissis itaque hoc loco consecratæ Ecclesiæ prærogativis, ac privilegiis, illud plane hoc loco monendum censui, etiam Ecclesiam non consecratam, modo ædificata sit proprii Episcopi auctoritate, privilegio immunitatis gaudere, etiamsi interdicta postea fuerit; uti inter alia statuit Concilium Provinciale vi. Beneventanum sub Beneventano Archiepiscopo Hugone Guidardio anno MCCCLXXIV. celebratum, Tit. xii. Cap. xv. *Præmissum*, inquit, *privilegium immunitatis, & pœnam violationis extendimus per omnia ad Ecclesias etiam non consecratas, dummodo auctoritate Episcopi fundatæ fuerint, & ædificatæ; & idem de Ecclesiis interdictis, cum sit Dei privilegium, qui non peccat.* Tum paucis interjectis diserte ait, *Oratoria privata non habere talem immunitatem, cum possint quotidie ad aliam formam mutari.* Atque hæc est ratio potissima, cur privata, domesticave Magnatum, divitumque Oratoria minime benedici soleant, uti jam supra diximus in Præfatione ad Caput xxix.

# CAPUT XXX.

## *Ritus Reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.*

I. Sicut Reconciliatio Ecclesiæ violatæ, quæ fuerat ab Episcopo consecrata, ab Episcopo fieri debet, ut late diximus Tomo II. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum vii. qui inscriptus est, *De Ecclesiæ, & Cœmeterii Reconciliatione*, ita & Ecclesia a simplici Sacerdote benedicta, si fuerit violata, vel polluta, per simplicem pariter Sacerdotem, ab Episcopo tamen delegatum, ut dicemus infra in Commentario ad §. peragitur. Quamquam vero Rubrica nostri hujus Capitis loquatur de violatione, non autem de pollutione Ecclesiæ, & apud Auctores non paucos aliud sit violare Ecclesiam, aliud ipsam polluere, recte nihilominus docet Passerinus, *De pollutione Ecclesiæ*, Disputatione I. Cap. III. num. 1. Ecclesiæ violationem dici etiam pollutionem; idque pluribus probat Barrufaldus ad Rubricam hujus Capitis, ubi & varios Auctores citat, quos non opus est hic recensere.

II. Porro dicitur reconciliari Ecclesia, cum scelere aliquo violata, ac polluta est. Sicut enim Templum spirituale, quod est Christianus, per crimen profanatum, non potest amplius per Baptismum consecrari, sed tantum reconciliari debet per aquas pœnitentiæ, uti loquuntur Theologi, ita & Templum materiale profanatum, seu violatum, non quidem amplius solemni ritu reconsecrandum est, seu benedicendum, sed tantum reconciliandum, iisque reconciliationis ritibus, qui cæremoniis reconciliationis Templi spiritualis per pœnitentiam respondeant. Fit autem Reconciliatio Ecclesiæ, ut notat Durandus in Rationali Divinorum Officiorum Lib. 1. Cap. vi. num. 34. ad exemplum, & terrorem, ut videlicet videntes Ecclesiam, quæ in nullo peccavit, propter peccatum alterius lavari, & purificari, vel inde existiment, quantum propter suorum delictorum expiationem sit laborandum. Atque id est, quod etiam docet Coloniensis Synodus MDXXXVI. Parte ix. Cap. xvii. adverterantque jam olim Theologi, per reconciliationem Ecclesiæ figurari peccatoris reconciliationem, uti inter alios notat antiquus Glossographus ad Caput unicum, *De Consecratione Ecclesiæ* in vi. verbo, *pollui*.

III. Jam non propter omne vel enormissimum crimen Ecclesia polluitur, sed propter quædam a Sacris Canonibus, & ab antiqua Ecclesiæ consuetudine notata, ac late a nobis explicata in citato Tomo II. Romani Pontificalis, ad Rubricam Tituli vii. num. v. & seqq. Sed, ut de iis etiam hoc loco nonnihil dicamus, polluitur inprimis Ecclesia per sanguinis humani effusionem in eo factam, uti videre est in Capite iv. & Capite ultimo, *De Consecratione Ecclesiæ*, atque in Capite unico, Titulo eodem in vi. in quibus simpliciter dicitur, *sanguinis effusione Ecclesiam violari*. Sed id indubie de injuriosa, & voluntaria effusione intelligi debet, quemadmodum & Canonici Juris Interpretes, & Theologi uno consensu docent, & communis praxis observat: Unde Synodus Coloniensis anni MDXXXVI. Parte ix. Capite vii. ait: *Reconciliatur Ecclesia, aut Cœmeterium ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera, violenter, & injuriose commissam.* Cum ergo non ipsa materialis sanguinis effusio ipsam Ecclesiæ pollutionem, seu profanationem præ-

præcipue inducat, sed ipsum crimen, quod in sanguinis effusione perpetratur, consequens est, ipsam Ecclesiam ex mente Canonum non pollui, tametsi etiam copiosus sanguis effluat, si tamen percussio levis fuerit, ut, si verbi gratia pueri in rixa alter alterum percutiat, & ex naso copiosus sanguis effluat, uti post alios citatos notat Barbosa, *De Officio Episcopi*, *Allegatione* XXVIII. num. 26. Porro Beneventanum VI. Provinciale Concilium habitum anno MCCCLXXIV. Tit. XII. Cap. XI. ubi recenset causas, quibus Ecclesiæ sint reconciliandæ, postquam dixit, enormi, & violenta sanguinis effusione, per contentionem facta, & ex animo, pollui Ecclesiam, statim subdit, quod, *si esset modica, vel levis, ut si quis forte, dum contendit cum aliquo in Ecclesia, impetu facto, offendat eum in naribus, vel cum ungue excoriet aliquantulum sanguinis effusione, & sine animo effundendi sanguinem, vel in ore leviter, non esset Ecclesia reconcilianda.* Idem ait dicendum, *si de lapide, vel ligno, vel alio cadente de Ecclesia, fortuito casu aliquis occidatur in ea; vel si aliquis furiosus se ibi præcipitaverit, aut ictu proprio occisus fuerit.* Pergit Concilium subditque statim, *idem dicendum si Martyr infra Ecclesiam occidatur, nam ejus sanguine non polluitur Ecclesia, sed consecratur.* Verum puto, labi in hoc Concilium, cum constet, etiam Martyrum nece pollutas fuisse Ecclesias, & reconciliatas; ejusque rei celebre exemplum habemus apud Alexandrum Papam III. qui polluta Cantuariensi Ecclesia ex sanguine, ac nece S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, illius reconciliationem decrevit, ita scribens Alberto, & Theodoberto Cardinalibus: *Mandamus vobis, quatenus Ecclesiam Cantuariæ faciatis reconciliari, ita tamen ut Sacramentum pristinæ Dedicationis non debeat iterari, sed sicut solet fieri in Ecclesia S. Petri, tantum Aqua benedicta aspergatur.* Extat hæc Epistola inter Epistolas S. Thomæ Cantuariensis, Lib. V. Epistola XCV. apud Christianum Lupum Tomo X. Operum editionis Venetæ, pag. 371. col. I. & apud Baronium ad annum MLXXII.

IV. Quamquam vero ex communi Doctorum sententia, sola percussio etiam gravis, & enormis sine sanguinis effusione non profanet Ecclesiam, certum nihilominus est, si citra sanguinis effusionem ex vulnere in Ecclesia inflicto sequatur mors vulnerati, Ecclesiam censeri pollutam, constatque ex citato Capite IV. *De Consecratione Ecclesiæ*, ubi Innocentius Papa III. Compostellano Archiepiscopo rescribens, diserte docet, propter homicidia in Ecclesia contingentia, Ecclesiam pollui, atque iccirco reconciliandam esse respondet. Cæterum ubi vulnus inflictum esset extra Ecclesiam, & vulneratus moreretur intra Ecclesiam, non pollui ob eam mortem, ipsam Ecclesiam, quia ipsum homicidium, cui ipsa pollutio adscribitur, non contigit in Ecclesia, resolvit Barbosa citato loco, num. 23. quem inter alios sequutus est Vanespen, Parte II. Juris Ecclesiastici, Tit. XVI. Cap. IV. num. XVII. ubi etiam recte subdit, quod e contrario, si vulnus læthale inflictum sit in Ecclesia, & mors sequatur extra Ecclesiam, polluta censebitur Ecclesia. Atque id est, quod non modo Scriptores passim recentiores docent, verum etiam variæ Synodi, inter quas Provincialis VI. Beneventana citato superius loco rationem etiam ejus doctrinæ assignat sic inquiens: *Si tamen aliquis in Ecclesia lethaliter vulneratur, & post moriatur extra Ecclesiam in domo sua, vel alibi, quia ibi mori intelligitur, ubi causam mortis accepit, reconciliabitur Ecclesia.*

V. Alius modus, quo apud Latinos Ecclesia polluitur, humani seminis effusione contingit: *Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, & denuo consecretur.* Verba sunt Canonis, *Si motum*, XVII. De Consecratione, Distinctione I. quem Iginio Papæ Gratianus tribuit, Quod tamen falsum est, cum vix tempore Higini, qui electus Romanus Pontifex fuit anno CXXXVII. ut docet Pagius in ejus Vita, Ecclesiæ publicæ fuerint, & consecratæ. Extant nihilominus eam in rem varii posterioribus sæculis editi in Conciliis Canones, ac Summorum Pontificum Decretales Epistolæ, qualis est illa Alexandri Papæ III. in Capite, *Significasti*, *De adulteriis, & stupro*; & illa Gregorii IX. in Capite ultimo, *De Consecratione Ecclesiæ*, in qua hic Pontifex Episcopo Astoricensi rescribit: *Si Ecclesia non consecrata cujuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, Aqua protinus exorcizata lavetur, ac Divinæ laudis organa suspendantur. Est autem, quam citius fieri poterit, consecranda.* Ubi nota, ut Ecclesia violetur, polluaturve, non esse necessarium, ut sit consecrata, vel benedicta, sufficit enim, ut ab Episcopo ad publicam Missarum celebrationem destinata sit. Sed invaluit tamen usus, & quidem multis ab hinc sæculis, a nostro non modo Rituali Romano, verum etiam in variis Synodis præscriptus, ut Ecclesiæ, seu Oratoria publica, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit, prius rite a Sacerdote aliquo de Episcopi licentia benedicerentur, uti jam dictum superius fuit initio Capitis XXIX. Cæterum ex recitata Gregorii Papæ IX. Decretali docent Canonici Juris Interpretes, Ecclesiam non consecratam, vel illam, quæ tantum est benedicta, per simplicem Presbyterum expiari posse.

VI. Circa hunc modum polluendi Ecclesiam humani scilicet seminis effusione, varias quæstiones resolvit jam laudata superius Synodus VI. Provincialis Beneventana citato Titulo XII. Cap. XI. nam primo ait, propter pollutionem in somnis habitam intra Ecclesiam, eam minime reconciliandam. Secundo, si vir intra Ecclesiam debitum reddat uxori, vel e converso, aut causa prolis coierit, licet quidam dicant, quod factum occultum est, potius Papam consulendum, quam reconciliandam Ecclesiam, contrarium tamen statuit, eamque reconciliandam affirmat; idemque ait faciendum *pro vitio sodomitico ibi perpetrato*. Proponit tertio hanc sibi quæstionem, an polluatur nempe Ecclesia propter occultam fornicationem, aut adulterium, quam ita resolvit: *Propter occultam autem fornicationem, aut adulterium intra Ecclesiam commissam, super quo pluries fuimus consulti, non reconciliabitur Ecclesia, sed propter manifestam, & quando publica fama esset de hoc, & uterque delinquentium, vel alter eorum publice crimen confiteretur. Absonum enim, & difficile satis videtur, propter hujusmodi occultas pollutiones, cum forsan potissime in his partibus sæpius a quibusdam vilissimis Presbyteris, & aliis quandoque in Vigiliis Sanctorum committantur, teste Domino, & nostra conscientia, cui pluries revelatum est, de quibus nulla fama, aut scandalum est, per Episcopum, qui non po-*

*potest alii committere, fieri solemnes reconciliationes Ecclesiæ consecratæ, quia sic oportet quotidie discurrere*. Addit mox, *quosdam consulere, tutius esse, si fiat reconciliatio in omni eventu, etiamsi non sit publicum, & hoc ideo, ut is, qui ibi peccavit, conteratur, & confundatur, & alii hoc videntes terreantur, & arceantur a simili, & ut Ecclesia in majori reverentia habeatur*. Opportune autem subdit, *cavendum tamen, ne etiam signo pœnitens denudetur*. Quid autem agendum a Confessario, qui pollutionem Ecclesiæ per pollutionem scit, exponit tandem eadem Synodus, sic plane inquiens: *Sacerdos autem, qui hoc scit per Confessionem, tutius faciet, si Episcopo revelet in genere sic dicendo*: Talis Ecclesia indiget reconciliatione, nihil plus quæratis a me. *Talis autem Sacerdos sic sciens hoc in Confessione, salva conscientia, poterit ibi celebrare, non tamen, ubi alias esset violata, vel polluta*.

VII. Apud Græcos, etsi in Orationibus, quæ violationis Ecclesiæ causas memorant, nulla de impuritate ob effusum semen contracta, mentio fiat, puto nihilominus, apud ipsos eam etiam ob causam humani scilicet effusi seminis Ecclesiam pollui, & expiatione indigere. Qui enim mulieres menstruis sordidas ab Ecclesiæ limine repellunt, & eas cum viris in locis adjunctis, puta vestibulis, Catechumeneis, aliisque id genus locis habitare prohibent, juxta Canonem LXXIV. Concilii Trullani, prohibitum quoque concubitum, libidinosamve quamcumque seminis effusionem tanquam a non violata per ipsam Ecclesia, nequaquam excusare poterunt, ut scite notat eruditus Goar, qui etiam in Notis ad Orationem pro muliere puerpera post quadraginta dies, inter alia observat, corporum munditiem tantam requirere Græcos in Ecclesiis, ut a partu nondum purgatas mulieres ab illarum ingressu arceant, & menstruis defluentibus inquinatæ, rubore contempto, conscientia urgente, se ipsas hodie eliminent, panem pro oblatione pinsere detrectent, sed & Sacra quævis tangere, Reliquiasque deosculari vereantur, illisque satis est juxta limina, forisque sub dio oculis transeuntium expositas stare. Addit & alia memoratus Auctor, quæ Græcorum rituum studiosus apud ipsum citato loco videre poterit, ubi eam in rem non modo veterum Græcorum Scriptorum, sed & Latinorum testimonia recenset, atque describit.

VIII. At vero omissis Græcorum ritibus, tertio polluitur Ecclesia apud Latinos, si in ipsa ejusque Cœmeterio, excommunicatus denunciatus, vel publicus Clerici percussor, infidelis, hæreticusve, sepeliatur; eamque iccirco, sacris esse cæremoniis expiandam Juris Canonici Scriptores docent in Capite, *Consuluisti*, VII. *De Consecratione Ecclesiæ*. Hæreticorum quacumque injuria, & insolentia Sacra Templa non profanari, seu violari, Juris Ecclesiastici Decreta perspicue docent, quæ quidem propter solam eorum sepulturam reconcilianda esse, declarant in Capite, *Proposuisti*, *De Consecratione Ecclesiæ*. Juxta ritum Græcorum reconciliatur etiam Templum ab hæreticis, vel gentilibus profanatum, uti videre est in eorum Euchologio, ubi legitur, *Oratio in aperiendo, seu reconciliando Templo a Gentibus, seu ab hæreticis prophanato*. Testatur etiam S. Gregorius, Libro III. Dialogorum, Cap. XXX. se dedicasse, seu reconciliasse Templum, quod Ariani contaminaverant, Deumque miraculis illustribus hanc Dedicationem probasse. Quæ vero fuerit Veterum disciplina circa Idolorum Templa, Judæorum Synagogas, & hæreticorum Ecclesias, an scilicet ubi illa Christiani occupabant, Catholicis ritibus consecrarent, vel ne, late explicat eruditus Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Capite XIV. per totum, ubi variam fuisse temporum disciplinam tradit, allatis variis antiquorum Scriptorum testimoniis, quibus docemur, fuisse ipsa Templa aliquando ritu Ecclesiastico expiata, aliquando vero funditus eversa.

IX. Quicquid autem de ea disciplina fuerit, ut Rubricam nostri hujus Capitis magis magisque illustremus, pollutioni, seu violationi Ecclesiæ unicum remedium statuit Ecclesia, per reconciliationem scilicet sub præscriptis ritibus, ac precibus infra enarrandis peragendam. Dixi plane unicum remedium, quia scilicet improbanda est Dianæ sententia, qui ait, posse remanere reconciliatam Ecclesiam, si bona fide Sacerdos in ipsa polluta, violataque Ecclesia, celebret. Merito autem Dianæ sententiam rejicit, confutatque inter alios Nicolius in Flosculis, verbo, *Ecclesia*, num. 29. quem etiam sequitur Barrufaldus in Notis ad hanc nostram Rubricam, num. 19. rationemque assignat, quod nempe Sacrificium Missæ, licet summum, & sanctissimum sit, attamen non habet extensionem ad sanctificandum locum; aliter enim quæcumque, ubi erigi possunt Altaria, etiam extemporanea, & pro interim remanerent sacra, & immunia. Licet itaque in Ecclesia polluta Sacerdos aliquis bona etiam fide celebraverit, adhuc reconciliari debet, nullum enim extat Conciliorum Decretum, authenticumve Ritualium, Doctorumque insignium testimonium, quo niti valeat inanis Dianæ opinio.

X. Illud vero in citato toties Rubricæ Capite, quod inscriptum est, *Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata*, notandum potissimum est, Ecclesiam ab Episcopo consecratam, si fuerit polluta, jam a nullo alio Sacerdote, nisi ab Episcopo posse expiari, ac reconciliari. Hinc statim, ac aliqua Ecclesia, vel Oratorium publicum, violatum, pollutumve remanet, quærendum profecto est, an consecrata, vel benedicta fuerint. Si utique consecrata fuisse illa constet, quod præsumi certe non debet, nisi talia esse probentur, veteri inscriptione, vel anniversario ejus Dedicationis cultu, nonnisi a proprio Episcopo, seu ejus delegatione, ab alio Episcopali dignitate prædito, reconcilianda sunt, tametsi longe distent, & inacessis montibus posita. Si vero fuerint dumtaxat benedicta, delegari tunc potest ab ipso proprio Episcopo simplex Sacerdos, ut ea reconciliet, uti expresse habetur in Capite, *Proposuisti*, IV. & Capite, *Aqua* IX. *De Reconciliatione Ecclesiæ*, quorum alterum, ita plane inquit: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine Provinciæ Bracharensis, quæ dicenda est potius corruptela, quia licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis, super Reconciliatione factum est*,

*est, hactenus per eosdem, misericorditer toleramus*. Quod quidem dignum notatu est.

XI. Loquitur quidem Auctor hujus Decretalis Gregorius Papa IX. de Ecclesia polluta, quæ jam fuerat per Episcopum consecrata, eamque ait non posse per simplicem Sacerdotem reconciliari, etiamsi Episcopus ei hanc facultatem præberet, ob eam scilicet rationem, quod licet Episcopus committere valeat ea, quæ jurisdictionis existunt, Clericis etiam minoribus, non potest tamen eisdem, vel simplicibus Sacerdotibus ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, qualis est Consecratio Virginum, Ordinatio Clericorum, Dedicatio Ecclesiarum, & similia, de quibus in Canone, *Quamvis*, Distinctione LXVIII. Ratio differentiæ, cur ea, quæ sunt jurisdictionis, possint inferioribus delegari ab Episcopo, non autem ea quæ sunt Ordinis, assignatur a Glossa in recitato Capite, *Aqua*, verbo, *jurisdictionis*, quia scilicet jurisdictio sola voluntate, & verbo committitur, sive delegata fuerit, sive ordinaria, & revocatur, ut in Capite, *Super quæstionem*, §. *Porro*, *De officio Delegati*. Collatio vero Sacramentorum non confertur sola voluntate, vel verbo, imo facto opus est, quia necessaria est visibilis unctio, & exterior, quæ est signum interioris unctionis in corde, Capite unico, *De Sacra Unctione*; quæ perpetua est, & amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur, ut late probat Fagnanus in citato Capite, *Aqua*, num. 4. ubi non modo Canonistarum, sed & Theologorum Principis S. Thomæ auctoritate docet, quod hactenus dictum est, posse quidem Episcopum ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem quæ sunt Ordinis, inferioribus Clericis, & Sacerdotibus demandare.

XII. Cæterum posse Papam ea, quæ sunt Ordinis, committere etiam inferioribus Sacerdotibus, patet ex Canone, *Quoniam*, Distinctione LXIX. Cap. *Cum contingat*, *De ætate, & qualitate*, & Cap. *Abbates*, *De privilegiis* in VI. Certe de Sacramento Chrismatis perspicuus est Textus in Canone, *Pervenit*, Distinctione XCV. & tradunt Doctores omnes in Capite, *Quanto*, *De consuetudine*. Et de Reconciliatione Ecclesiæ pollutæ, de qua nos in præsenti agimus, testis est Innocentius in citato Capite, *Aqua*, ubi dicit, se ante audivisse, Papam pluribus Episcopis indulsisse, ut per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, Aqua tamen prius per Episcopum benedicta. Verum Clemens IV, qui electus Romanus Pontifex fuit anno MCCLXV. ut subdit Hostiensis in fine, & ex eo Fagnanus loco citato, num. 6. hoc de facili non concedebat, nisi de Ecclesiis nondum consecratis, de quo se remittit ad id, quod legitur, & notatur in Capite proxime sequenti, quod incipit, *Si Ecclesia*, citato Titulo, *De Consecratione Ecclesiæ*, & in quod nos supra jam aliquid, quod huc facit, notavimus. Sed non omittendum, quod in re, quam tractamus, statuit laudata superius Beneventana Synodus VI. Provincialis celebrata anno Christi MCCCLXXIV. Tit. XII. Cap. XI. in fine: *Est autem attendendum, quod sicut ad Episcopum spectat Ecclesiarum Consecratio, sic & Reconciliatio, vel potest alteri Episcopo delegare, non distincto a quo fuerit Aqua benedicta. Nam unus Episcopus potest aquam benedicere, & alter reconciliare, & hoc tenendum de Ecclesia consecrata*. Tum vero mox: *Si vero non sit consecrata, tunc potest committi simplici Sacerdoti, ut superius expressimus*. Concludit tandem, & ait: *Auctoritate Papæ etiam posset committi de Ecclesia consecrata, sicut multos vidimus impetrantes*. Quod Sæculo præsertim XIV. Ecclesiæ passim benedictæ, consecratæque, effusione humani sanguinis, ac cædibus hominum polluerentur, nec possent Episcopi senio præsertim confecti, aliove impedimento detenti, in amplis vastisque Diœcesibus, ad istas Pontificalibus ritibus reconciliandas accurrere, facultatemve simplicibus Sacerdotibus delegare, opus fuit dispensatione Summi Romani Pontificis, qui pro sua qua pollet plenitudine potestatis, facultatem illam Sacerdotibus inferioribus demandaret. Quod vero Sæculo etiam XV. non modo in nostra Italia, verum etiam in Hispania adeo cruentis factionibus Divina humanaque omnia permixta essent, *ut singulis propemodum horis cædes fierent, & omnium Ordinum, ac præsertim nobilium sanguine, non viæ solum, & Fora, sed Templa etiam redundarent*, vel ex Romano Breviario addiscere licet, in Festo S. Joannis a S. Facundo die XII. Junii, Lectione V. quæ in secundo Nocturno legitur,

## §. I.

Ecclesiæ violatæ Reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo. Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit libere circumiri, tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum Aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, ubi stans Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente, *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor*. Psalmus, *Miserere mei Deus*, totus cum *Gloria Patri*. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, & Psalmus dicuntur, Sacerdos cum Aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ac ad terram Cœmeterii, præsertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incepit aspergere, & stans, dicit,

*Oremus.*

*Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites,*

*tes, & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas, sisque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus.* Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

# COMMENTARIUS.

I. Reconciliari posse Ecclesiam pollutam, ubi scilicet fuerat tantum benedicta, per simplicem Sacerdotem, permissu scilicet Episcopi, in cujus Diœcesi Ecclesia ipsa extat, jam dictum superius fuit, constatque ex præsenti §. ubi primum edicitur, *ut Ecclesiæ violatæ Reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat*; errantque iccirco Auctores illi, qui volunt, non esse necessariam licentiam Episcopi ad reconciliandam Ecclesiam non consecratam, quique merito refutantur a Pasqualigo Tomo I. *De Sacramentis Novæ Legis*, Quæstione DCIV. & a Barrufaldo in sua ad hunc §. Nota, num. 31. & seq. Porro quod ipsæ etiam Regularium Ecclesiæ, si fuerint pollutæ, licentia Episcopi indigeant, ut reconciliari possint, aperte deducitur ex nonnullis privilegiis, quæ eam in rem a Summis Romanis Pontificibus frequenter Regulares conati sunt obtinere.

II. Huc plane referri illud privilegium potest, quod Clemens Papa VII. anno MDXXX. concessit Priori Hispalensis Conventus Dominicani, ut ejusdem sacras Ædes pollutas reconciliare posset, datis Literis ad ipsum Priorem nomine laudati Pontificis a Francisco Quinnone S.R.E. Tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero Cardinali, quas legere est Tomo IV. Bullarii Ordinis Prædicatorum, pag. 479. & seq. *Vobis*, inquit, *Religiosis Viris Dominis Priori, seu Præsidenti Monasterii S. Pauli Hispalen. Ordinis Prædicatorum S. Dominici præsentibus, & futuris, fidem facimus, & attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, ac D.N. D. Clemens Divina providenta PP. VII. vivæ vocis oraculo nobis facto, ad humilem supplicationem Reverendi in Christo Patris, & D. Balthasaris de Dio Episcopi Scalen. ac Alberti de las Casas, & Michaelis de Arcos, Fratrum ejusdem Ordinis, ac Sacræ Theologiæ Professorum ante Sanctitatis suæ pedes personaliter constitutorum, vobis, & ad perpetuam rei memoriam pro tempore futuris dicti Monasterii Prioribus, seu Præsidentibus, aut vestras vices, aut loca tenentibus, quoties Ecclesiam, Conventum, & Monasterum vestrum S. Pauli hujusmodi aliqua sanguinis effusione, seu alia quavis re, seu modo, pollui contigerit, toties cum Aqua per aliquem Catholicum Antistitem a Sede Apostolica gratiam, & communionem habentem semel benedicta, & quæ Gregoriana nuncupatur, Domum, Ecclesiam, quæ consacrata est, & Monasterium ipsum reconciliare possitis, licentiam concessit, & facultatem, perinde ac si minime polluta fuisset, eo scilicet modo, quo Ecclesiæ non consecratæ, sed tantum benedictæ reconciliantur.* Scio, loqui hoc privilegium de Ecclesia consecrata, cujus Reconciliatio, si ea fuerit violata, simplici Sacerdoti conceditur, sed quis dubitare queat, quin Summi Pontifices de plenitudine potestatis possint a fortiori facultatem simplici Sacerdoti concedere reconciliare Ecclesiam dumtaxat benedictam, si fuerit polluta, inscio etiam, ac invito proprio Episcopo Diœcesano.

III. Excepto Sedis Apostolicæ privilegio, illud pro certo haberi debet, Ecclesiæ violatæ Reconciliationem non nisi per Sacerdotem ab Episcopo delegatum peragi posse, uti ex hoc nostro §. addiscimus, qui etiam mox subdit, in ea Reconciliatione Altare Ecclesiæ omnino nudandum, providendumque, ut Ecclesia possit libere circumiri, tam exterius, quam interius, si fieri potest. Ista denudatio jam non fit tantum ob horrorem inserendum Fidelibus, sed ob commoditatem Sacerdotis benedicentis, qui totam Ecclesiam exterius interiusque circumire debet, aspergendo in circuitu, ut hoc nostro eodem §. edicitur, & notat Barrufaldus ad §. ipsum num. 33. & seq. ubi etiam recte admonet, omnia, & singula amovibilia quæ obstare circuitui possunt, amovenda esse, tum intra, tum extra, nullo habito respectu ad ædificii, reive amovendæ nobilitatem; neque labori, aut expensis parcendum pro murorum fractura, ut liber, & commodus habeatur transitus, præcipue in parte exteriori; cavendumque iis ait, qui volunt habitacula contigua alicui Ecclesiæ ædificare, ne aditum obstruant, quia in hujusmodi Benedictionis, Reconciliationisve Ecclesiarum casibus, habitacula ipsa ruinæ, & demolitioni exponuntur, uti factum non semel vidi. Mandat præterea hic noster §. ut *paretur vasculum cum Aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum.* Aquam benedictam, sicut in Consecratione, aut Benedictione Ecclesiarum, ita & in ipsarum Reconciliatione, adhibendam, docent nos Rituales Codices passim. Sed sciendum hic tamen, quod, ubi agitur de expiatione Ecclesiæ jam consecratæ peragenda per Episcopum, adhibenda tunc quidem est aqua, vino, & cineri admixta, de qua diximus Tomo II. Romani Pontificalis, Tit. VII. in Commentario ad §. I. At vero si Ecclesia polluta tantummodo esset benedicta, tunc simplex Sacerdos, qui illam reconciliat, utetur sola Aqua benedicta ex dispositione insignis Epistolæ Decretalis Gregorii Papæ IX. in Capite X. *De Consecratione Ecclesiæ*, ubi ita inquit: *Si Ecclesia non consecrata, cujuscumque semine fuerit, vel sanguinis effusione polluta, Aqua protinus exorcizata lavetur*; idest, Aqua benedicta communi cum sale ex Glossa Canonici Juris in recitato Capite X. Dicitur autem Aqua exorcizata, quia in illius Benedictione exorcizantur dæmones, jubenturque, ut ab ea recedant.

IV. Oppositam quidem sententiam tenent Cardinalis Toletus, Lib. V. Cap. VIII. num. 13. & Pax Jordanus, Tomo I. Lucubrationum, Libro V. Tit. XII. num. 160. volentes, Aquam, cum qua reconciliatur a simplici Sacerdote Ecclesia, quæ fuerat tantum benedicta, debere ab Episcopo benedici. Sed huic opinioni communis, & vera sententia adversatur, quæ docet, non esse necessarium, quod Aqua sit per Episcopum benedicta, ut Ecclesia non Consecrata reconcilietur. Id quod non modo deducitur ex recitatis verbis Decretalis Gregorii Papæ IX. *Aqua protinus exorcizata lavetur*; quod non liceret, si esset Aqua benedicta per Episcopum expe-

pectanda; verum etiam ex hoc nostro præsenti §. in quo nulla fit mentio adhibendæ Aquæ per Episcopum benedictæ in Ecclesiæ benedictæ Reconciliatione, quæ per simplicem Sacerdotem de licentia scilicet proprii Episcopi peragitur: *Paretur*, inquit, *vasculum cum Aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum*. Si enim necessarium fuisset, adhiberi Aquam ab Episcopo benedictam, dixisset utique noster §. *Paretur vasculum cum Aqua benedicta per Episcopum*.

V. Illud vero fateri cogimur, quod, ubi simplex Sacerdos ex concessione Summi Romani Pontificis consecratam Ecclesiam esset expiaturus, deberet tunc quidem aqua uti per Episcodum benedicta, vino, ac cineri admixta, uti addiscere licet ex recitato superius Clementis Papæ VII. Diplomate in gratiam Conventus Hispalensis Ordinis Fratrum Prædicatorum, ubi etiam aquam ipsam Gregorianam appellat, non quod scilicet Gregorius Papa IX. ejus aquæ auctor fuerit, sed quod ejus mentionem fecerit in sua Decretali Epistola data ad Episcopum Astoricensem, & relata in Capite IX. *De Consecratione Ecclesiæ*, ubi hæc habet: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam*, consecratam nempe, *reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes*; Improbat plane quorundam Episcoporum Hispanorum abusum, qui simplices Sacerdotes destinabant ad reconciliandas Ecclesias violatas, licet ab Episcopis consecratas. Qua in re adnotatione dignum est, quod legitur in Concilio Hispalensi II. celebrato anno DCXIX. cui præfuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, ubi nimirum Agapii Cordubensis Episcopi factum, qui ad consecrandas Ecclesias quandoque simplices Presbyteros delegerat, tanquam adversus Canonicas Sanctiones attentatum a Patribus improbatur, atque damnatur, Canone VII. sic ajentibus: *Septimo examine relatum est nobis, Venerandissimum quondam Agapium Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Presbyteros destinasse, qui, absente Pontifice, Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse Virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, & statim a sæculari militia in Sacerdotale ministerium delegatum. Ergo, ne ultra talis a nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut Presbytero illicita Consecratio est Altaris, ita & constitutio*.

VI. Sicut Ecclesias consecrare, ut cuique compertum est, ad Diœcesanum Episcopum pertinet, cui non licet id muneris simplici Presbytero etiam cum sacris Oleis, & aqua per ipsum Episcopum benedictis exequendum delegare, hujus quippe rei facultas uni Romano Pontifici reservata est, uti jam dictum superius fuit; ita si Ecclesia jam consecrata polluatur, a nemine potest, præterquam ab Episcopo Diœcesano reconciliari; nec licet Episcopo hujusmodi Ecclesiæ reconciliandæ facultatem simplici Presbytero delegare, quantumvis aquam ab Episcopo benedictam adhibiturus esset; cum hoc etiam Summo Pontifici reservatum sit, ut simplici Presbytero facultatem reconciliandæ Ecclesiæ pollutæ, quæ prius fuerat consecrata, indulgere valeat, quemadmodum legere est in citata toties Decretali Gregorii IX. quæ incipit, *Aqua*, *De Consecratione Ecclesiæ*, & inter alios docet BENEDICTUS Papa XIV. Lib. XIII. *De Synodo Diœcesana*, Cap. XV. num. II. ubi etiam notat, quod, *si Ecclesia simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Gregorius IX. in Capite*, Si Ecclesia, De Consecratione Ecclesiæ, *statuit, nulla præobtenta delegatione per simplicem Sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam Sanctam, sive lustralem vocant, posse Ecclesiam pollutam reconciliari*. Porro tametsi laudatus Gregorius Pontifex statuerit, ut possit simplex Sacerdos Ecclesiam pollutam, quæ prius scilicet fuerat benedicta, expiare, *nulla præobtenta delegatione*, non puto hodie posse a simplici Sacerdote reconciliari Ecclesiam absque sui Episcopi licentia, & delegatione, juxta illud, quod perspicue, expresseque præscriptum est in præsenti nostro §. ubi illud primum statuit, ut nempe *Ecclesiæ violatæ Reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat*.

VII. Sed ut cætera in eodem nostro §. contenta explicemus, postquam dixit, parandum vasculum cum Aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum, ita statim subdit: *Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, ubi stans Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente*, Asperges me Domine &c. Vestes præscriptæ sunt habitus Benedictionis, Reconciliationisve solemnis Ecclesiarum, Sacerdotes autem, Clericique aliquot adhibentur, tum ad psallendum, tum ad ea peragenda, quæ ritum ipsum Reconciliationis spectant, qui quidem ex Romano Pontificali desumptus est, nonnullis mutatis, uti videre Tomo II. Tit. VII. §. III. in quem nos in nostris ad ipsum Pontificale Romanum Commentariis nonihil diximus; ibidemque legere est non modo ritum aspersionis Aquæ benedictæ in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium, verum etiam Orationem in hoc præsenti §. præscriptam, *Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis &c.* & habetur in multis antiquis Ritualibus in ritu Reconciliandæ Ecclesiæ violatæ.

VIII. Ad aspersionem quod attinet, de qua loquitur hic noster §. mandans, ut *Sacerdos cum Aqua benedicta aspergat in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ac ad terram Cœmeterii, præsertim ad loca contaminata*; supponit quidem ipse §. ut recte observat Barrufaldus, Cœmeterium esse Ecclesiæ contiguum, itaut tangat Ecclesiæ parietes, & nullo medio separetur; contigua enim sunt, quorum extrema se contingunt, uti ait Glossa Canonici Juris in Capite, *Si Civitas*, *De sententia excommunicationis* in VI. verbo *contigua*, ideoque firmum stat, quod polluta Ecclesia, Cœmeterium quoque pollutum sit, non vero e contra, ut communiter Scriptores docent in Capite unico, *De Consecratione Ecclesiæ*, in VI. & ratio est, quia major, & nobilior pars trahit ad se minorem, & accessorium, quod est Cœmeterium, sequitur principale, quod est Ecclesia, uti addiscere licet ex Capite, *Accessorium*, *De regulis Juris*, in VI. Supposito igitur, quod una simul cum Ecclesia pollutum sit Cœmeterium ob contiguitatem, hinc est, quod & ipsum Reconciliatione indiget, quæ fit uno eodemque tempore cum ipsa Ecclesiæ Reconciliatione. Atque hic illud notandum, secus scilicet dicendum, si Cœmeterium esset pollutum

lutum etiamsi esset contiguum Ecclesiæ, nam tunc cum solum ipsum censeatur pollutum, ita & ipsum solum reconciliandum est ritibus præscriptis infra in Capite XXXII. quod inscriptum est, *Ordo reconciliandi Cœmeterium violatum, sive Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta*.

IX. Quod vero polluta Ecclesia, una eademque Benedictione, & Ecclesia ipsa, & Cœmeterium Ecclesiæ contiguum rite recteque reconcilietur, patet ex illis nostri §. verbis, *Sacerdos cum Aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ac ad terram Cœmeterii*. Parietes autem sunt aspergendi, quia isti sacrum locum formant, & continent. Cœmeterium vero non aspergitur, nisi in terra, quia solo tantum opus habent, in quo mortui sepeliuntur. Cæterum ex ejusdem nostri §. præscripto fieri debet aspersio, *præsertim ad loca contaminata*, quocumque modo ex superius jam enarratis fuerint illa polluta, signarique iccirco solent in praxi nigra linea, ut Sacerdoti reconcilianti, ejusque Ministris, innotescant, uti notat ad hunc §. Barrufaldus, num. 51. & seq. ubi ait ita factum fuisse Ferrariæ anno DCXCIII. ubi polluta per injuriosam sanguinis effusionem Ecclesia Cathedrali, Sede Episcopali vacante per obitum Cardinalis Cerri Episcopi, delegatus fuit ad illius reconciliationem Nicolaus de Artano Episcopus Comaclensis, qui opus hoc assumpsit, ac sancte peregit die III. mensis Julii ejusdem anni. Hac occasione, inquit, cuncta disponente Antonio Francisco Montano Sacrarum Cæremoniarum Magistro, loca a sanguine contaminata nigris lineis signata fuisse, atque interclusa, ut facile innotescerent, aspergerentur, ac subinde debitis modis abstergerentur.

X. Advertendum superest, quod inter alios idem Barrufaldus, num. 53. observat, si Ecclesia scilicet, ejusve Cœmeterium fuerit pollutum per sepulturam infidelis, seu excommunicati, antequam illa reconcilietur, corpus illud extrahendum esse, seu exhumandum, si a ceteris discerni possit, secus vero, si nequeat distingui, uti expresse declarat Innocentius Papa III. in Capite, *Sacris, De sepulturis*, sic inter alia inquiens: *Si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur Fidelium, cum, licet non obsit justis sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit*. Atque hæc est communis sententia, quæ in praxi servatur.

## §. II.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas, acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit; cumque dictum fuerit, *Ut omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris*. ℟. *Te rogamus, audi nos*. Sacerdos surgit, & clara voce dicit: *Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, & recon ✠ ciliare digneris, Te rogamus &c.* Quibus dictis, rursus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare dicit: *Oremus*; & Ministri: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*.

*Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

## COMMENTARIUS.

I. Desumptus & hic ritus est ex Pontificali Romano, Parte II. Titulo VII. sive potius ex antiquis Sacramentorum Libris, quos nos recensuimus in Commentario ad §. VI. prædicti Tituli, qui inscriptus est, *De Ecclesiæ, & Cœmeterii Reconciliatione*, quæ scilicet per Episcopum peragitur, ubi scilicet, uti compluries dictum fuit, Ecclesia polluta, vel Cœmeterium violatum fuerant prius per Episcopum consecrata. Antiquus itaque est ritus cantandi Litanias, Sanctorum scilicet, una cum precibus, addendique in iis illum versiculum: *Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, & recon ✠ ciliare digneris*, uti ex citato §. Romani Pontificalis constat. Porro addendum est in ea precatione *Cœmeterium*, si una cum Ecclesia, cui illud esset contiguum Cœmeterium expiaretur; alias enim omittendum esset. Altare autem necessario exprimi debet, cum ad hoc ædificentur Ecclesiæ, ut in erecto in ea Altari Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit, uti addiscere licet ex Rubrica Capitis XXIX.

## §. III.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & signo Crucis se muniens, clara voce dicit: *Deus in adjutorium meum intende*. Tum surgit, & Clerus, seu astantes Clerici respondent: *Domine ad adjuvandum me festina*. Et Sacerdos stans dicit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. ℟. *Sicut erat in principio, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Quo dicto, Sacerdos inchoat, Choro prosequente, Antiphonam: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus*. Psalmus LXVII. *In Ecclesia benedicite Deo Domino, de fontibus Is-*

*Israel*. Repetitur Antiphona: *Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu*. Repetitur Antiphona: *Principes Juda, Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali*. Repetitur Antiphona: *Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*. Repetitur Antiphona: *A Templo sancto tuo in Jerusalem, tibi offerent Reges munera*. Repetitur Antiphona: *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; ut excludant eos, qui probati sunt argento*. Repetitur Antiphona: *Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient Legati ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus Deo*. Repetitur Antiphona: *Regna terræ cantate Deo; psallite Domino*. Repetitur Antiphona: *Psallite Deo, qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem*. Repetitur Antiphona: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel; magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus*. Repetitur Antiphona: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ; benedictus Deus*. Et non dicitur, *Gloria Patri*, sed Antiphona repetitur. Interim, dum Antiphona, & Psalmi prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo, aspergit etiam specialiter loca contaminata; quo facto, stans in Presbyterio versus ad Altare, dicit.

*Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus purificator assistis: exaudi nos, quæsumus, & concede, ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio, & tui muneris beneficia universitas Fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*.

## COMMENTARIUS.

I. SIcuti præcedentes, ita & hic quoque ritus in præsenti §. præscriptus, ex memorato superius Romano Pontificali, Parte II. Titulo VII. §. VII. & VIII. exceptus est, ex parte nimirum, nam alias Pontificalis ritus in Reconciliatione Ecclesiæ, Cœmeteriive, si post Consecrationem fuerint polluta, majori cum solemnitate, amplioribusque cæremoniis peragi consuevit. Sane juxta ritum Pontificalem in citatis §. VII. & VIII. expressum, Episcopus, dicto ter, *Deus in adjutorium meum intende &c.* benedicit aquam cum sale, cineri, & vino admixtam, ac deinde incœpta Antiphona, *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.* dum ea cantatur cum Psalmo, *In Ecclesiis benedicite Deo Domino &c.* circuit ter Ecclesiam intrinsecus aspergendo in primo circuitu parietes in superiori parte, in secundo autem in inferiori parte eorum, in tertio vero pavimentum Ecclesiæ, & specialiter etiam loca contaminata, quando scilicet Ecclesia principaliter est polluta, vel violata. At vero ex præscripto Romani Ritualis in præsenti §. sine ulla prorsus novæ aquæ benedictione, dum prædicta Antiphona cum Psalmo cantatur, Sacerdos circuit quidem Ecclesiam intrinsecus aspergendo, etiam loca contaminata, sed semel tantum, non vero ter, ut in Reconciliatione per Episcopum peragenda præscribitur. Porro fit repetitio Antiphonæ, interpositis versiculis Psalmi, ut eo tempore compleatur interior Ecclesiæ aspersio, & sufficiat ad præstandam canendi materiam in illo intervallo aspersionis, uti notat ad hunc §. Barrufaldus. Psalmus præscriptus, tum in Pontificali, tum in Rituali est quidem LXVII. in Ordine Psalterii, & inchoatur per versiculum primum, qui pro Antiphona intercalari inservit; sed non totus tamen Psalmus cantatur, nam a versiculo primo, *Exurgat Deus &c.* fit saltus ad versiculum XXVIII. *In Ecclesiis &c.* qui est quasi parenthesis, qua Deus prævidens futuram lætitiam Principum Ecclesiæ, hortatur eos, ut in Ecclesiis, quas fundaturi erant, pergant benedicere Domino Deo, materiam laudis de fontibus Israel haurientes, ut ex Bellarmino in ipsum Versiculum XXVIII. prædicti Psalmi LXVII. idem Barrufaldus notavit, num. 58. qui etiam, num. seq. subdit, per verba illa Antiphonæ, *Dissipentur inimici ejus &c.* fieri exorcizationem, & mundationem loci, ut ita expellatur virtus inimici. Oratio tandem, *Deus, qui in omni loco &c.* in §. præsenti præscripta, sicut & illa præscripta in §. superiori, *Præveniat nos, quæsumus Domine &c.* legitur quidem in multis Ritualibus recentioribus, ubi tractant de Ecclesiæ Reconciliatione, quæ per simplicem Sacerdotem peragitur, sed diversa est prorsus ab illis, quæ extant in Romano Pontificali in Reconciliatione Ecclesiæ, quæ ritu solemniori ex antiquo Ecclesiæ instituto, a nobis jam in Commentariis ad memoratum Titulum Romani Pontificalis explicato fit per Episcopum.

## §. IV.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

## COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum in Benedictione novæ Ecclesiæ, sive Oratorii publici, facta per simplicem Sacerdotem, uti præscriptum superius fuit Capite XXIX. §. IX. *dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto*, cujus scilicet Festum eo die occurrit, ita quoque ex præscripto præsentis §. facta alicujus pollutæ Ecclesiæ Reconciliatione, *dicitur Missa de*

*de die occurrenti*, & quidem, si potest, ab ipso Sacerdote, qui Ecclesiam reconciliavit, sive ab alio. Jam non esse aliam Missam dicendam, nisi illam, quæ eo die occurrit, expresse edicit hic noster §. Dixi, Missam celebrandam ab eo, qui expiavit Ecclesiam, tametsi nihil de hac re §. noster statuerit, quia scilicet Missa est veluti absolutio Reconciliationis, atque perfectio; ideoque decet quammaxime, ut, quatenus fieri possit, ab eo celebretur, qui Reconciliationem peregit. Ex præscripto Romani Pontificalis, Parte II. Titulo VII. §. XIII. in Reconciliatione Ecclesiæ, quæ fit per Episcopum, Missa quoque de die dicitur, sed cum Oratione diei sub una conclusione, *Per Dominum nostrum &c.* dicitur alia Oratio, quæ Reconciliationem ipsam spectat, itemque Secreta, & Postcommunio. Sed hic ritus peculiaris est, ubi Ecclesia per Episcopum expiatur; neque enim licet simplici Sacerdoti, ubi ipse Ecclesiam reconciliavit, eam Orationem præscriptæ Missæ diei adjungere, sicut nec Missam ipsam mutare cum alia votiva, multoque minus cum illa, quæ dici pro Defunctis solet.

II. Missam peculiarem in Reconciliatione Ecclesiæ fuisse aliquando celebratam, jam nos late ostendimus in Commentario ad memoratum §. XIII. Tituli VII. Partis II. Romani Pontificalis; in cujus Appendice, pag. 239. col. 2. Missam ipsam descripsimus ex ms. Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticuna Bibliotheca asservatur, num. 4744. Cui quidem concinunt & alii mss. Pontificales Codices recentiores.

## §. V.

Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare; & tunc utatur ritu in Pontificali præscripto, procedatque indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris, & Clericis Superpelliceis indutis, cum Aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta.

## COMMENTARIUS.

I. Ecclesiam per Episcopum consecratam, si fuerit polluta, non posse nisi per proprium Episcopum, vel de ejus licentia per Episcopum alium expiari, jam non uno in loco supra adnotavimus, itemque ostendimus, non posse Episcopum eam facultatem simplici Sacerdoti committere, cum hoc uni Summo Romano Pontifici reservatum sit, ut simplici Presbytero facultatem reconciliandæ Ecclesiæ pollutæ, quæ prius fuerat consecrata, indulgere valeat, uti addiscere licet ex Decretali Gregorii Papæ IX. ad Episcopum Astoricensem data, & relata in Capite, *Aqua*, *De Consecratione Ecclesiæ*, quam nos etiam supra descripsimus. Consuevisse autem Romanos Pontifices priscis æque, ac recentioribus Sæculis, eam facultatem inferioribus Sacerdotibus demandare, luculentissimis etiam testimoniis, & exemplis demonstravimus, quibus addi potest illud Pauli Papæ III. qui Abbati Ludovico, ejusque in Einsidlensis Monasterii regimine successoribus, donec certæ rerum circumstantiæ manerent, reconciliandi non modo consecratas Ecclesias, sed & eas consecrandi tribuit facultatem, datis Literis die XVIII. Decembris MDXLII. & deinde confirmatis a Pio Papa IV. die IX. Februarii MDLXII. quas recenset Benedictus Papa XIV. Lib. XII. *De Synodo Diœcesana*, Cap. XV. num. III. & sunt hujusmodi: *Quod ipse Ludovicus, & pro tempore existens Abbas Monasterii hujusmodi, durantibus dictis hæresibus, præfatum Monasterium, & quæcumque ad illud pertinentia, Ecclesias, Oratoria, Cæmeteria, & loca hactenus consecrata, & benedicta, quovis modo pro tempore polluta, reconciliare, & nondum consecrata, & benedicta, nec non Calices, Patenas, Libros, Vestimenta, & alia mobilia, ac Tabernacula Custodiæ Eucharistiæ, consecrare, & benedicere.*

II. Eodem teste Benedicto Papa XIV. citato loco, num. V. hujus generis Indulta difficile admodum ab Apostolica Sede solent concedi, nec nisi justis de causis, ac certis urgentibus circumstantiis, atque legitimis adjectis conditionibus, impertita fuerunt, ubi scilicet alii quam Episcopi Indulta ipsa a Sede Apostolica postularunt. Non enim eandem difficultatem fore ait, ubi agatur de facultatibus, quas sibi quandoque indulgeri petunt Episcopi, ut scilicet aliquem simplicem Sacerdotem delegare ipsi possint ad reconciliandas Ecclesias consecratas, quæ casu aliquo pollutæ fuerint; probatque insigni auctoritate Innocentii Papæ IV. a nobis etiam superius allata, qui in suis Commentariis ad Caput, *Aqua*, *De consecratione Ecclesiæ*, pro hujusmodi concessionum usu amplissimum testimonium tulit, sic inquiens: *Audivimus ante, quod Papa pluribus Episcopis indulsit, quod per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aqua tamen primum per Episcopum benedicta*, illa nempe, quæ sali non modo, sed cineri, ac vino admixta est, de qua fit mentio Parte II. Romani Pontificalis, Tit. II. §. XXIII. juxta nostram editionem, qua Romanum ipsum Pontificale perpetuis Commentariis omnium primi, ac soli illustravimus. Atque hæc est Aqua, quam alii *Episcopalem*, alii *Consecratam*, alii *Gregorianam*, alii *Reconciliationis Aquam* appellant, uti notavimus citata Parte II. Tit. VII. in fine Commentarii ad §. II. Porro obtenta hujusmodi Aqua a proprio scilicet Episcopo, mandat quidem noster §. ut simplex Sacerdos, cui hanc facultatem Apostolica Sedes concessit reconciliandæ pollutæ Ecclesiæ, quæ consecrata fuerat, *utatur ritu in Pontificali præscripto*, citato scilicet Tit. VII. non autem insignibus Episcopalibus, Baculo nempe, Mitra, Sandaliis, aliisque id genus ad Episcopum spectantibus, sed procedet, ut expresse inquit hic idem noster §. *indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris, & Clericis Superpelliceis indutis.*

III. Tandem, ut aliquid dicam de ritu Græcæ Ecclesiæ, extat in Euchologio, sive Rituali Græcorum

rum apud eruditissimum Jacobum Goar Dominicanum, qui illud eruditis Notis ditavit, Oratio in aperiendo, sive reconciliando Templo a gentilibus, & ab hæreticis prophanato. Templa, in quibus Sacra facere licet, *aperiri* quidem; in quibus autem nefas est, *claudi* apud Græcos æque, ac apud Latinos Scriptores dicuntur. Nicephorus, Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXXIX. refert, Joviniani Edicto Ecclesias Dei rursus apertas, Græcorum autem, idest, Idololatrarum Templa clausa. S. Gregorius Libro III. Dialogorum Capite III. de quadam Arianorum Ecclesia, quæ Romæ extabat, sic sane loquitur: *Arianorum Ecclesia in regione Urbis illa, quæ Suburra dicitur, cum clausa usque ad biennium permansisset &c.* Sed omissis aliis Veterum locis, quæ nos docent, aperiri dici Templa, in quibus Sacra facere licitum erat, claudi vero, in quibus ea peragere nefas esset, ecce hic antiqua formula Orationis a Tarasio Patriarcha Constantinopolitano concinnata in apertione, seu reconciliatione Ecclesiæ ab hæreticis prophanatæ: *Dominum precemur. Dominator Domine Deus noster, te super peccatis nostris propitium, & clementem rogamus, exaudi servorum tuorum preces, & si qua ex hæretico usu, vel attactu inflicta est Sancto Altari tuo labes, ut bonus, & humanus eam dele. Ut coram sancta gloria tua inculpate adstantes, in illo sacrificare, & incruentas hostias veri nostri cultus, æterna bona diligentibus te præparata consequuturi, offerre mereamur. Quia tu es sanctificatio nostra, tibi gloriam rependimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

IV. Porro is Tarasius in locum Pauli Patriarchæ Constantinopolitani se ipsum Præsulatu abdicantis suffectus, temporibus Constantini & Irenes floruit, Sæculo scilicet Christi VIII. obiitque anno DCCCVI. sanctitate & doctrina conspicuus; ejusque Festum agit Ecclesia Græca die XXV. Februarii. Quo obiter dicto, illud ex Euchologio addiscimus, fieri nempe consuevisse olim apud Græcos violati Templi Reconciliationem sola Oratione, nulla alia adhibita cæremonia aspersionis Aquæ benedictæ cineri, ac vino admistæ, quæ quidem nec hodie apud eosdem in usu est, uti in Euchologio a laudato Goar concinnato videre est, in quo præter Orationes in reconciliando Templo a gentibus, & ab hæreticis prophanata, nulla cæremonia alia invenitur.

# CAPUT XXXI.

## *Ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.*

I. Late de Cœmeterio, ejusque Benedictione egimus jam Parte II. Romani Pontificalis, in Commentariis ad Rubricam, Paragraphosque Tituli VI. qui inscriptus est, *De Cœmeterii Benedictione*. At vero operæ pretium duco eandem hic iterum rem pertractare, ne sacrorum rituum studiosum cogere pene videar ad comparandum sibi, legendumque Pontificale Romanum, quod alias non ita obvium est, a me Commentariis illustratum. Ergo Cœmeterium, ut docet Joannes Belethus in sua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. CLIX. circa medium, suam ducit originem ab Abrahamo, qui emit agrum ab Ephron Ethæo, in quo duplex erat spelunca, ubi ipse sepultus est cum suis, Sara, Isaac, Jacob, & aliis. Ad hoc enim emit, ut sibi, & suis sepultura esset. Duplicem speluncam ex eo dictam putat Belethus, quod ibi duo sepeliebantur contigue, maritus & uxor; vel quia in una viri, in altera mulieres sepeliebantur; cujus moris vestigium cernitur hodieque in multis Ecclesiis, servaturque hic ritus, ut in alio viri, in alio sepulcro feminæ humentur. Quod tamen de iis intelligendum est, qui propriis sepulcris carent, in quibus viri æque, atque uxores, fratres, sororesque simul sepeliuntur. Cæterum duplex fuisse apud Hebreos Cœmeterium ad sepulturam destinatum, publicum nempe, in quo cuilibet jus erat tumulari, vel privatum, in quod non licebat passim quoslibet inferre, sed eos dumtaxat, qui illius gentis essent, aut familiæ, quæ jus privatum sepulturæ eo loco nacta fuisset, pluribus probat Sacræ Scripturæ locis eruditus Joannes Stephanus Menochius Lib. I. *Institutionis Œconomicæ ex sacris ~~Literis~~ depromptæ*, Cap. XXX.

II. Ad Cœmeterii verbum quod attinet, Cœmeterium Latine, dicitur κοιμητήριον a κοιμάω *sopio*, quod idem est ac *dormitorium*. Unde locum sepulturæ destinatum vocant passim prisci Scriptores *Cœmeterium*, quia ibi mortui dormire dicuntur, quasi dormitorium mortuorum. Certe in Novo Testamento Christiani mortui dormire dicuntur, eaque voce usus est Christus Dominus, ubi in Evangelio Joannis Cap. XI. Lazarum dixit dormire, quum tamen obiisset. Id quod etiam constat ex aliis Evangelii locis, & ex Apostolo in Epistola ad Thessalonicenses, Cap. IV. ubi Christianos, qui mortem obierunt, non quidem mortuos, sed dormientes appellat; quia certum est eos resurrecturos: *Nolumus*, inquit, *vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo &c.* Sane mortis nomen, ut ad Epistolam S. Cypriani tertiam Rigaltius, & ad sexagesimam sextam recentior Annotator Benedictinus Monachus Congregationis S. Mauri notant, quantum poterant, evitabant Christiani ob spem resurrectionis, & vitæ sempiternæ. Itaque pro mortuo dicebant *præmissum*, & pro morte *obitum*, *excessum*, *dormitionem*, & *assumptionem*, ut facile esset probare testimoniis ejusdem S. Cypriani, Tertulliani, & aliorum Patrum complurium.

III. Quum ergo non modo Patres Ecclesiæ, sed & Sacræ, & Veteris, Novique Testamenti Scripturæ mortem somnum, & dormitionem passim appellent, Cœmeterium vero quasi dormitorium, & dormitionis locum, rejicienda penitus est interpretatio Gulielmi Durandi Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. V. num. 4. & aliorum, qui Durandum sequuti ajunt, Cœmeterium dici *a cimen, quod est dulce, & sterion, quod est statio; ibi enim dulciter defunctorum ossa quiescunt, & Salvatoris adventum expectant; vel quia ibi sunt cimices, idest, vermes ultra modum fœtentes*. Rejicienda etiam interpretatio Silvestri Prieratis, qui in sua Summa, verbo

bo *Cœmeterium*, illud a *cis* appellari autumat, *quod est ante, quia ante Ecclesiam fieri solet*. Rejicienda insuper opinio Lucæ Tudensis, qui Lib. I. contra Valdenses, Cap. XXII. Cœmeterium dictum tradit, eo quod sit Christiani Corporis cineribus consecratum; quasi nihil aliud sit Cœmeterium, quam *Ciniterium*, in quo cineres defunctorum terantur; quam tamen opinionem, sicut & alias ab illa superius tradita diversas, dissonantesque a vera sua ethimologia merito Auctores eruditi explodunt, atque irrident.

IV. Christianos olim loca quædam habuisse sibi peculiaria pro sepeliendis mortuis, vel inde agnoscere licet, quod persecutionis temporibus peracturi cultum Divinum, sæpe ad Martyrum suorum sepulchra, & monumenta convenerunt; quæ non fuissent loca istiusmodi conventibus accomoda, si ipsis cum gentilibus fuissent communia, ut inter alios observat Binghamus Lib. III. *Originum Ecclesiasticarum*, Cap. I. §. I. Quod antiquitus in Cœmeteriis Episcopi Synodos congregarent, Psalmos canerent, & Sacramenta administrarent, Christianisque insuper Cœmeteria ipsa, Templa, & Orationis loca essent, docet nos doctus æque, ac pius Auctor Stephanus Duranti, Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIII. allatis ibidem veterum Patrum testimoniis, quæ longum esset describere. Itaque cum prophani Imperatores persecutionem in Christianos instaurabant, in primis eos a Cœmeteriis arcere solebant, ne in unum conveniendi facultas esset. Dum vero persecutionem intermittebant, Cœmeteria Christianis restitui jubebant. Certe apud Eusebium Lib. VII. Capite XI. Emilianus Præfectus Romanus loquens ad Dionysium Episcopum Alexandrinum, ita ad rem inquit: *Nullatenus licebit vobis, & quibuscumque aliis conventus agere, aut ea, quæ vocantur Cœmeteria, adire*. Ex quibus verbis manifestum fit, Cœmeterium promiscue accipi pro locis sepulturæ, & pro locis conventuum ad cultum peragendum religiosum. Legendi Mendoza, & Gonzalez in Canonem XXXV. Concilii Illiberritani, itemque Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. num. III. Spondanus Lib. I. *De Cœmeteriis*, Parte III. Cap. XIII. Baronius, Buldethus in celebri Opere Italice scripto, *De Cœmeteriis*, Marangonus noster non uno in loco suorum Operum, aliique eruditi Scriptores, qui veterum testimoniis, exemplisque antiquis demonstrant, in Cœmeteriis, & mysteria Sacramenorum, & sacras functiones obiri, ac præterea Christianorum cadavera sepeliri consuevisse.

V. Romæ in Suburbanis, quod amplissima esset Civitas, & Christianis a nascente Religione pene innumeris abundaret, quadraginta tria istiusmodi Cœmeteria recenset ad annum Christi CCXXVI. laudatus Baronius, itemque Panvinius in Libro, *De Cœmeteriis*, Cap. XII. qui singillatim commemorat eorum nomina desumta a nominibus Conditorum suorum, vel talium beneficorum hominum, præsertim vero Romanorum Pontificum, quibus curæ fuit ea ædificare, vel instaurare, uti in eorum Vitis apud Anastasium, aliosque veteres, recentioresque Scriptores videre est. Observat autem idem Panvinius, Cœmeteria non in Urbe, sed in publicis viis extra mœnia Roma ad alia loca ducentibus extructa fuisse, ut in Via Appia, Aurelia, Ostiensi, Nomentana, Tiburtina, Latina, Salaria, Flaminia, Portuensi, Ardeatina, Lavicana, & aliis. Quæ notæ viæ sunt ad vicina Romæ Oppida ducentes. Atque hac ratione intelligere possumus, loqui S. Hieronymum de ipsis Cryptis, Cœmeteriisque, quæ secundum diversas vias circa Romam constructa sunt, cum ait, se adhuc adolescentem Romæ Studiorum causa commorantem, habuisse in more positum, diebus Dominicis istiusmodi Cryptas, & Cœmeteria una cum aliis adolescentibus circuire; quorum etiam in Commentariis ad Caput XL. Ezechielis hanc habet elegantissimam descriptionem: *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi, diebus Dominicis, Sepulchra Apostolorum, & Martyrum circuire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur*: Descendant in infernum viventes; *& raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum; ut non tam fenestram, quam foramen dimissi luminis putes; rursumque pedetentim attenditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur*.

*Horror ubique, animos simul ipsa silentia terrent.*

VI. Quod hucusque soluta Oratione de Romanis Cœmeteriis S. Hieronymus narrat, graphice, disticisque elegantibus exprimit quidem in Hymno XI. *De Coronis*, antiquissimus, & celebris Christianus Poeta Prudentius.

*Haud procul extremo culta ad pomeria vallo*
*Mersa latebrosis Crypta latet foveis.*
*Hujus in occultum gradibus via prona reflexis*
*Ire per anfractus luce latente docet.*
*Primas namque fores summetenus intrat hiatu,*
*Illustratque dies limina vestibuli.*
*Inde ubi progressu facili nigrescere visa est*
*Nox obscura loci per specus ambiguum.*
*Occurrunt celsis immensa foramina tectis,*
*Quæ jaciunt claros antra super radios.*
*Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,*
*Arcta sub umbrosis atria porticibus.*
*Attamen excisi subter cava viscera montis*
*Crebra terebrato fornice lux penetrat.*
*Sic datur absentis per subterranea solis*
*Cernere fulgorem, luminibusque frui.*

In his Cryptis sepultum fuisse S. Hyppoliti Corpus, ait idem citato loco Prudentius; inde enim effossa arena sepeliendi Martyribus ampli recessus relicti sunt.

VII. Quod de Urbis Romæ Cœmeteriis Hieronymus, & Prudentius narrant, non semel nos oculis nostris perspeximus, expertique sumus, quod de uno quodam ipsorum suo tempore invento, quod Priscillæ Cœmeterium dictum est, scribit ad annum CXXX. memoratus Baronius, num. II. *Vidimus*, inquit, *sæpiusque lustravimus Priscillæ Cœmeterium haud pridem inventum, atque refossum via Salaria tertio ab Urbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus pro ejus amplitudine, multisque, atque diversis ejusdem viis, quam subterraneam Civitatem; quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde diversas vias habeat, easdemque frequentes, quæ rursus in diversos viculos dividantur, & angiportus. Rursus, ut in Civitatibus, statis locis veluti fora quædam, ampliora sint spatia ad Conventus sacros agendos, eademque Sanctorum Imaginibus exornata; nec de-*

*desint, licet nunc obstructa, ad lumen recipiendum desuper excisa foramina. Obstupuit Urbs, cum in suis Suburbiis abditas se novit habere Civitates, Christianorum tempore persecutionis Colonias, modo autem Sepulcris tantum refertas.* Sed, quod magis mirum videri debet, ubi perspecta est una hujusmodi Civitas subterranea, ad alias etiam sub illa Civitates effossas, seu Cryptas vastissimas descenditur, adeo ut tres aliquando in hujusmodi Cœmeteriis Civitates, & unam quidem sub alia lustraverim. Atque hæc Cœmeteria Urbis Romæ sunt illæ Catacumbæ omnium sermone celebratæ, ad earumque exemplum erant & aliis Civitatibus suæ Catacumbæ extra mœnia, de quibus etiam loquitur Buldethus in Celebri Opere Italice scripto, *De Cœmeteris Sanctorum Martyrum, & antiquorum Christianorum Urbis Romæ*. Porro, ut alias omittam, Catacumbas Civitatis Neapolis, quas non semel vidi, dum ibi longo temporis spatio studiorum causa adolescens degerem, in Epistola IV. describit Gilbertus Burnetus, easque nobiliores, ac spatiosiores etiam Romanis Catacumbis esse testatur.

VIII. Jam non est nostri instituti eam quæstionem discutere, ab Ethnicis ne, an vero a Christianis, hujusmodi Cœmeteria fuerint constructa. Etenim sive ab his, quod de quibusdam saltem est probabilius, sive ab illis facta fuerint, quod præsentem nostram rem spectant, cuncta extra Civitates sunt. Apud Romanos jam pridem vetitum fuisse in Civitatibus hominem sepelire, notum sane est ex Lege XII. Tabularum, Cap. XXXI. *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito*. Meminit hujus Capitis Cicero Lib. II. *De Legibus*, causamque adjiciens, *Credo*, inquit, *propter ignem, vel periculum*. Legem hanc ex Græcia Romam fuisse allatam, non dubium est. Athenienses vero nullam magis, quam istam retinuerunt, diutiusque, & constantius, atque religiosius observaverunt. Nam & tempore Ciceronis annis post Solonem plusquam quingentis adeo quemquam intra suam Urbem sepeliri non patiebantur, ut Servius Sulpitius ad Ciceronem scribens, testetur, numquam se potuisse ab eis impetrare, ut locum sepulturæ darent M. Marco Marcello intra suam Urbem, neque id antea utique concessisse. Solos Tarentinos morem alium observasse, cum Oraculum accepissent, futuros beatiores, si cum pluribus habitarent, ac propterea intra Urbem suos mortuos sepelisse, scribit Polybius, Lib. VIII. Cæterum etsi aliæ Græcorum, ac Romanorum Leges erant, non erant tamen omnes semper sic severæ, quin aliquando veluti privilegio concederetur viris magnis sepultura in Urbe, honoris causa, ut ex variis veterum Scriptorum testimoniis ostendit Auctor eruditissimus Franciscus Balduinus in recitatam superius Legem XXXI. duodecim Tabularum.

IX. Apud ipsos Romanos cum multæ deinde Municipales Leges permitterent, in Civitatibus sepeliri, Ulpianus quidem in Lege III. §. V. ff. *De Sepulchro violato*, respondit, ad eas tollendas Imperialia Statuta, quæ generalia sunt, suam vim obtinere, & in omni loco valere. Ait, Adrianum Edicto suo pœnam statuisse quadraginta aureorum, & in eos, qui aliquem in Civitate sepeliunt, & in Magistratus, qui hoc passi sunt; locumque publicari jussisse, & Corpus transferri. Sed & Diocletianus Legem hanc rursus confirmans in Lege, *Mortuorum*, Cod. *De religiosis, & sumptibus funerum*, hunc in modum rescripsit: *Mortuorum reliquias, ne sanctum Municipiorum jus polluatur, intra Civitatem condi, jampridem vetitum est*. Verum cum harum Legum observatio sensim variis prætextibus exolesceret, sequuta est anno CCCLXXXI. Constitutio Theodosii Junioris, quæ refertur in Lege VI. Codicis Theodosiani, *De Sepulcro violato*, quæque egregie explicatur a doctissimo Jacobo Gothofredo, qui Codicem ipsum Theodosianum variis Notis, Commentariisque illustravit.

X. Ergo in ea Lege Theodosius, primo quidem mortuos in Ecclesiis æque, ac in Civitatibus sepeliri prohibet; idque sive solum cineres, & reliquiæ corporum essent supra terram urnis clausæ, sive integra corpora sarchophagis detenta, omnia extra Urbem deferri jubet, ex eisdem rationibus, quas veteres Leges assignarunt, nimirum: *Ut & humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem*. Pœnam deinde in prævaricatores præfatæ Legis denuntians, sic inquit: *Quisquis hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquis tale ab hujus interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte mulctetur; officium quoque, quod sibi paret, quinquaginta librarum auri adfectum dispoliatione merebitur. Ac ne alicujus fallax, & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum, vel Martyrum Sedem humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque ita, ut a reliquo Civitatis noverint se, atque intelligant esse submotos*. Ea verba, *Apostolorum, & Martyrum Sedem*, Sepulcrum quidem, seu Conditorium significant, in quo Reliquiæ, vel Corpora Apostolorum, & Martyrum condita erant. Sane S. Isidorus Episcopus Hispalensis, Lib. XIV. *Originum*, Cap. XII. vetitæ sepulturæ in Civitate hanc rationem reddit, quam & alii etiam Scriptores assignarunt, ne fœtore ipso cadaverum, corpora viventium inficerentur.

XI. Theodosianæ Legis meminit quidem S. Joannes Chrysostomus, Homilia XXXVII. in Matthæum, ubi peccatores, quos nihilo meliores esse sepulcris judicat, si in paccatis suis moriantur, redarguens, ita loquitur: *Cogita, quia nullum in Civitate sepulcrum struitur, quare nec tu in supernam poteris Civitatem introire. Nam si in terrestri Civitate hoc interdictum est, multo magis in cælesti*. Idem Chrysostomus, sive alius Scriptor sub ejus nomine delitescens, fortasse Severianus Gabaleensis, qui eodem tempore floruit, in Homilia XVI. *De Fide, & Lege naturæ*, de eadem re sic inquit: *Si mortua corpora extra Urbem sepelimus, multo magis eos, qui verba mortua, & qui talia proferunt, & ne tegere, aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis Civitatis pernicies*. Auctor ipse sub nomine Chrysostomi in præfata Homilia ad memoratam Theodosii Legem respexisse videtur, quando id scriptum reliquit: *Omnis Civitas, omne Castellum, ante ingressum sepulcra habet, ut contendens intrare in Civitatem, quæ imperat, & floret divitiis, & potentatu, aliisque dignitatibus, priusquam videt, quod secum concepit, videat primum quod fit. Ante Civitates sunt sepulcra. Ubique ante oculos est nostræ humilitatis*

*tatis Schola, & docemur, in quid desinamus tandem, & tunc videmus quæ intus sunt spectacula.*

XII. In Gallia, in Hispania, & in Africa, eundem morem obtinuisse, ut mortui extra Civitates sepelirentur, apertissime indicant prisci Patres, & antiquæ Synodi. Sidonius Apollinaris Episcopus Arvernensis in Gallia, Lib. III. Epistola XII. quam ad Secundum scripsit, loquens de avi suo tumulo, campum esse dicit, in quo sepultus sit, tam bustualibus favillis, quam cadaveribus refertum in publicis viis, ac Suburbiis Urbis Arvernæ. Idipsum de Hispanis testatur Concilium Bracharense anno DLXIII. celebratum, Can. XVIII. eoque argumento utitur, cur nullus intra Ecclesiam in Hispaniis sepeliri debet. Ex Concilio v. Carthaginensi habito anno CDI. in Africa, Can. XIV. addiscere licet, debuisse mortuos in Campis sepeliri. Sed de hac universi fere Orbis consuetudine supervacaneum est fusiori orationis ambitu disputare, cum nihil tam frequenter apud Scriptores antquos legatur, quam mortuos extra Civitatum muros fuisse sepulturæ traditos.

XIII. Siquis autem causas quærat, ob quas intra Civitates, & Ecclesias sepultura introducta sit, multæ quidem ab eruditis Scriptoribus recensentur. Prima est, quod cum Martyrum Sepulchra in ipsis Civitatibus permitterentur, nonnullorum *fallax, & arguta solertia* contendebat, hæc Sepulchra a Lege generali vetante loca sepulturæ deputari, esse excepta, quasi in hisce saltem Sepulchris Martyrum, privatorum quorumcumque cadavera sepelire licitum esset. Hanc persuasionem etsi Theodosius in recitata superius Lege fallacem, & argutam solertiam appellarit, atque ut talem rejecerit, adhuc tamen privatos quosque summopere desiderasse apud Martyrum loca sepeliri, ex eadem Theodosii Lege constat. De hoc desiderio videri potest S. Augustinus, *De octo Dultitii Quæstionibus*, Quæstione II. & in Libro, *De cura pro mortuis agenda*. Hoc itaque Christiani populi desiderio, partim pietate, partim æmulatione, & fortasse etiam ambitione subnixo, sensim Sepulchra urbana invaluerunt, donec tandem Leonis Imperatoris Constitutione in Novella LIII. data fuit plena libertas eligendæ sepulturæ, vel intra, vel extra Urbem, abrogata omnino conraria Lege Civili.

XIV. Altera causa fuit exemplum Imperatorum, ac Regum, qui primis quidem Sæculis peculiare præ reliquis mortalibus habuisse videntur privilegium, ut in Atrio, sive Porticu, aliisve quibusdam exterioribus Ecclesiæ ædificiis sepelirentur. Constantinum Imperatorem tradit Eusebius in ejus Vita, Lib. IV. Cap. VI. juxta Apostolos sepeliri voluisse, quorum memoriam, Ecclesiam nominibus eorum appellatam, ædificando honoravit. Constantini voluntatem religiose fuisse exequutum Filium Constantium, diserte docet S. Joannes Chrysostomus, Homilia XXVI. in Epistolam II. ad Corinthios, sic dicens: *Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se adfecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus sunt in Aulis janitores, hoc in Sepulchro Piscatoris sunt Imperatores. Atque illi quidem velut Domini inferiores loci partes obtinent; hi autem velut accolæ, ac vicini præclare secum agi putarunt, si vestibuli janua ipsis assignatur.* Idem in eo Libro, qui inscribitur, *Quod Christus sit Deus*, Cap. VIII. illud præterea testatur, Constantinopoli Reges magnam putare gratiam, si non prope Apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliantur, *fiantque Piscatorum ostiarii Reges*. Unde non mirum, si apud Nicephorum, Lib. IV. Cap. LVIII. legamus, Theodosium Juniorem, Patrem quoque Arcadium, necnon avum Theodosium Seniorem in Templi Apostolorum Porticu Constantinopoli sepultos.

XV. Quod Episcopi olim in Ecclesiis etiam conderentur, docet nos celebre testimonium S. Pulcheriæ Augustæ in Epistola ad S. Leonem Papam, quæ inter ejusdem Pontificis Epistolas est quinquagesima octava, ubi ita de S. Flaviano Constantinopolitano Episcopo scribit: *Super hæc sciat tua Sanctitas, quoniam præcepto nostri Domini, & tranquillissimi Principis mei Conjugis in gloriosam Civitatem Constantinopolitanam sanctæ memoriæ Episcopi Flaviani Corpus allatum est, & in Basilica Apostolorum, in qua consueverant prædecessores Episcopi sepeliri, competenter est positum.* S. Joannes Alexandrinus, ob insignem in pauperes liberalitatem per antonomasiam *Eleemosynarius* nuncupatus, teste Auctore ejus Vitæ, in Oratorio S. Tychonis conditus fuit. Eundem ritum servatum in Gallia, & in aliis Christiani Orbis partibus, ut Episcopi nempe in Sacris Templis humarentur, docent passim S. Gregorius Turonensis, aliique prisci Auctores apud Surium, atque Bollandianos in Vitis SS. Episcoporum.

XVI. At non modo in Ecclesia, sed in ipso Ecclesiæ Sanctuario, imo sub ipso Altari sepultos olim fuisse Episcopos, luculenter ostendit Edmundus Martene, Lib. III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XIII. n. XIII. ubi describit egregium S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi testimonium qui in Epistola XXII. ad sororem suam sic scribit: *Hunc ego locum*, sub Altari scilicet, *prædestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit*. Cujus ritus eam reddit rationem Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. *Hac eadem de causa veteres Ecclesiæ Patres Episcopos orthodoxos sub Altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis Sacrificia, & Ordinationes fierent; quia ad servandam Fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam, communionem viventis Episcopi cum antecessore defuncto necessariam existimabant*. Addit, apparere moris hujus vestigium in Collatione Catholicorum cum Donatistis tempore Innocentii Papæ I. Cognitione I. Cap. CCIV. Ibi enim Donatus Episcopus Sitifensis orthodoxus dixit: *Supra Corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi, &, Deo volente, ordinabitur illic Episcopus*. Alios Episcopos, si non sub Altari ipso, saltem ante illud, vel in alio insigni Ecclesiæ loco sepultos legimus apud Gregorium Turonensem in Libro, *De gloria Confessorum*, Cap. LXXXIV. ubi agit de sepultura S. Valerii Conseranensis Episcopi, & apud Surium, ac Bollandianos in Sanctorum Episcoporum Vitis, ubi de eorum sepultura tractant. Cæterum, quod etiam olim Abbates in Ecclesia sepeliri consueverunt, fuse ostendit idem Martene Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*.

XVII. Etsi autem Sacri Canones etiam posterioribus Sæculis sepeliri in Ecclesia Fideles mortuos interdicant, adeo ut Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in suo Capitulari, num.

LXVIII.

LXVIII. statuat, ut in Ecclesia sanctificata nulli mortui sepeliantur, & si antequam fuerit sanctificata, sepulti sunt, non sanctificetur; res tamen eo tandem devenit, ut arbitrio Episcoporum, atque Presbyterorum relictum sit, quos in Ecclesia sepeliri, aut non sepeliri, oporteret. Sæculo IX. cum quædam familiæ in Galliis hæreditarias sepulturas sibi assererent, Patres Meldensis Concilii, quod anno DCCCXLV. habitum fuit, hoc Decretum edidere: *Nemo quemlibet mortuum in Ecclesia quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus, & Presbyter pro qualitate conversationis, & vitæ, dignum duxerit, sepelire præsumat*. Idipsum edixerat Sæculo VIII. Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Epistola ad suos Presbyteros, quibus postquam prohibuit, ut nemo in Ecclesia sepeliatur, hanc mox clausulam addidit; *Nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit*. Non absimilis exceptio in pluribus ejusdem, ac sequentis Sæculi Episcoporum Decretis legitur.

XVIII. Verum enim vero cum vitæ merita, ob quæ hujusmodi prærogativa conceditur, determinata minime essent, illa exceptio latum aperuit campum laicis ambiendi sepulturam in Templis, & Sacerdotibus plenam illam concedendi libertatem, quod nempe ex sepulturis intra Ecclesiam frequenter emolumenta permulta in Sacerdotes ipsos redundarent; dum vel laici, ut honoratiorem sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores, vel ipsi Sacerdotes pro locis honorabilioribus pretium exigere non erubescerent, ut scite observat Vanespen Parte II. Juris Ecclesiastici universi, Tit. XXXVIII. Cap. II. ubi etiam hæc adjungit: *Mirum quanta velocitate duobus hisce, scilicet laicorum ambitione, & Clericorum cupiditate, impellentibus, disciplina hæc antiquitus religiose observata de non sepeliendis mortuis in Ecclesiis, quasi ad interitum descenderit, ipsæque Ecclesiæ factæ sint divitum quorumcumque Cœmeteria, in sepulturam pauperum dumtaxat relictis Cœmeteriis*. Sane quod magnæ olim personæ, & quidem Sæculo Christi XIII. in Cœmeteriis sepelirentur, docet nos Matthæus Parisius, qui in sua Anglicana Historia ad annum MCCLIV. agens de Henrico III. Angliæ Rege, ait, quod *veniens ad sepulchrum matris suæ, quod erat in Cœmeterio, fecit transferri Corpus in Ecclesiam, & superposito Mausoleo, obtulit ibi, & alibi in eadem Ecclesia pannos sericos pretiosos, illud adimplens præceptum Dominicum*; Honora patrem, & matrem &c.

XIX. In Italia etsi passim tam divites, quam pauperes; tam nobiles, quam plebei in Ecclesiis hodie sepeliantur, ab omnibus tamen multiplex exigitur emolumentum, quod alicubi etiam Simoniam sapit, datque laicis occasionem Ecclesiasticos de summa avaritia redarguendi, manusque apponendi in re funeraria, quæ ad Ecclesiasticam jurisdictionem spectat. Sed de hoc abusu videri plane possunt, quæ diximus Tomo I. hujus Operis in Commentariis ad Titulum VI. qui inscriptus est, *De Exequiis*. Quod ergo præsentem rem spectat, illud plane potissimum adnotandum censemus, postremis etiam hisce Sæculis varias Episcoporum Synodos, Ritualesque Ecclesiarum Codices recentiores, valde exoptare, ut juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, Christiani homines, quibus sepultura non est interdicta, in Cœmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur; uti late ostendimus in citato Tomo I. hujus Operis, Titulo VI. Cap. I. in Commentario ad §. IX. cujus verba hæc sunt: *Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur; & ubi fieri potest, restituatur*. Id quod etiam, ut alia omittam, expressum legimus in Concilio Provinciali Mediolanensi I. Parte II. ubi Sanctus Carolus Episcopos monet, *ut morem multis locis intermissum mortuos in Cœmeteriis sepeliendi restituendum curent*. Cæterum ad quid etiamnum hodie Ecclesia specialem illum ritum benedicendi novum Cœmeterium retinet Capite præsenti expressum, quod inscriptum est, *Ritus benedicendi novum Cœmeterium &c.* nisi ut ostendat, locum proprium sepeliendis mortuorum corporibus esse Cœmeterium?

XX. Explicato antiquo Cœmeteriorum usu, in quibus extra Ecclesiam Fideles sepeliantur, & sepeliri hodie etiam deberent; venio nunc ad eorum Benedictionem, cujus origo licet nequeat definiri, addubitari tamen non potest, quin antiquus sit ritus ea benedicendi, quum de ritu ipso non tamquam suo tempore adinvento S. Gregorius Turonensis Episcopus, qui Sæculo Christi VI. claruit, luculentissimam mentionem fecerit in Libro, *De gloria Confessorum*, Capite CVI. ubi refert, quod cum ipse monuisset Abbatissam Monasterii Pictaviensis, ut Corpus Beatæ Radegundis Francorum Reginæ sepeliret, illa responderit: *Quid faciemus, si Episcopus Urbis non advenerit, quia locus ille, in quo sepeliri debet, non est Sacerdotali Benedictione sacratus*. Hoc responsum non obscure innuit, jam tunc moris fuisse, ut locus sepulturæ prævie sacraretur, & quidem Benedictione Sacerdotali, seu Episcopali. Laudat hoc Gregorii Turonensis testimonium, Libro I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIII. ubi agit de Cœmeteriis, eruditus æque, ac pius Stephanus Duranti, quem inepte carpere videtur Joseph Binghamus, Lib. XXIII. *Originum Ecclesiasticarum*, Cap. II. §. I. quod originem consuetudinis benedicendi Cœmeteria altius repetere non potuerit. Verum Binghamus ipse protestantium hæreticorum ritus, quorum ipse sectator est, antiquiores ostendere minime poterit, cum illos constet in hac postremorum temporum fœce ab impiissimis apostatis introductos fuisse.

XXI. Sæculo X. & quidem anno CMLXVII. Cœmeteriorum benedicendorum mentio illustris habetur in Legibus ab Eggaro Anglorum Rege editis, Cap. XXII. Post annum Christi millesimum multa apud Scriptores consecratorum Cœmeteriorum exempla inveniuntur. Ut autem aliqua recenseam, Matthæus Parisius in Vitis XXIII. Sancti Albani Abbatum, de Gadfrido XVI. Abbate agens, qui anno MCXL. Monasterium Virginibus fundavit, sic inter alia inquit: *Assignavitque eis Cœmeterium, & fecit dedicari, in quo nullus, nisi de ejusdem Sanctimonialibus sepeliretur, sicut charta super his confecta testificatur, quam præsenti paginæ duximus inscribendam: Notum sit omnibus Fidelibus Sanctæ Ecclesiæ ipsa die, qua benedictum est Cœmeterium Virginum de Sopwella, videlicet vij. Octobris, perpetua conventione statutum, quod in illo Cœmeterio nullus habebit sepulturam, neque vir, neque femina, nec Clericus, neque laicus, neque serviens, nec forinsecus, præter Virgines tantum, quæ inclusæ fuerint &c.* Idem Auctor in

in Vita Roberti XVIII. S. Albani Abbatis, ait, quod Rodulphus Ruffensis Episcopus, qui postea fuit Archiepiscopus Cantuariensis, *dedicavit Ecclesiam de Hecstanestun in honorem S. Fidei Virginis, & Martyris, benedixitque Cœmeterium S. Stephani eodem tempore, testibus Dunstano, & Nicolao*. Et de Gulielmo Abbate XXII. scribit, quod ab ipso vocatus Thomas Dunensis Episcopus *dedicavit Polyandrium Conventuale apud S. Albanum, in quo sepulta fuerunt corpora Fidelium in Interdicto xvi. Kal. Januarii. Item idem dedicavit Cœmeterium S. Mariæ de Prato vi. Kal Januarii*.

XXII. Altissime quidem consecrandi, benedicendive Cœmeterii ritum ea ratione probat inter alios Vanespen, Parte II. *Juris Ecclesiastici*, Tit. XXXVIII. Cap. I. quod ipsa Cœmeterii Consecratio cum ipsa quodammodo Ecclesiæ Consecratione cœperit; seu potius Cœmeterium tanquam pars, & appendix, una quasi Consecratione cum ipsa Ecclesia consecratum fuerit, cum nempe alicubi saltem vel priscis Sæculis Cœmeterium prope Ecclesiam construeretur. Cui opinioni mirifice suffragari videtur Innocentius Papa III. in Capite, *Consuluisti*, VII. *De Consecratione Ecclesiæ*, ubi ita inquit: *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda sunt Aqua solemniter benedicta, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*. Similiter declarat Bonifacius Papa VIII. quod polluta Ecclesia, etiam pollutum censetur Cœmeterium, tanquam scilicet Ecclesiæ accessorium, ut idem significat. Hinc ortum autumant, vix in antiquissimis variis Libris Pontificalibus inveniri peculiarem ritum benedicendi Cœmeterium, quod benedictum censeretur, ubi Ecclesia dedicabatur, cujus illud erat accessorium. Fuisse hanc aliquorum Doctorum opinionem Sæculi XIII. & XIV. docet nos Gulielmus Durandus, qui eo tempore claruit, in ms. Pontificali annorum circiter D. in cujus Rubrica, *De Poliandri, seu Cimiterii Benedictione*, ita legimus: *Quamquam plerique asserant, Cimiterii Benedictionem necessariam non esse, dicentes, ad hoc sufficere circuitus extra Ecclesiam, & Cimiterii aspersiones, quæ fiunt, quando Ecclesia dedicatur, non tamen supervacaneum est, sequentem Benedictionem fieri &c.*

XXIII. Extant nihilominus non pauca pervetusta Pontificalia, quæ Benedictionis, seu Consecrationis Cœmeteriorum ordinem describunt. Tale est Pontificale ms. Egberti Eboracensis Archiepiscopi, annorum circiter M. & ms. Pontificale Monasterii Lyrensis annorum circiter DCC. in quibus Titulus inscriptus legitur: *In Consecratione Cimiterii*. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria, & aliud Ecclesiæ Senonensis, annorum D. itemque Pontificale Christiani Moguntini Archiepiscopi, atque alia, quæ omittimus, hunc præseferunt Titulum, *Benedictio Cimiterii*. In ms. Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod asservatur Romæ in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini, hic Titulus præfixus est: *Benedictio Poliandri, seu Cimeterii*, Porro Polyandrum, etsi apud quosdam inferioris ævi Scriptores pro sepultura unius hominis accipiatur, uti videre est apud eruditum Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Polyandrum*; in multis tamen Pontificalibus, Ritualibusque, & juxta communem opinionem, pro loco, in quo plurium mortuorum cadavera reconduntur, sumitur, ejusque varias etymologias legere est apud Durandum, Lib. I. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. V. num. 5. & sequentis.

XXIV. Quanta virtus sit Benedictionis Cœmeteriorum, addiscere licet ex Vita S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi, de quo ita scribit in ejus Vita S. Bernardus, Cap. XVII. *Perveniens ad portum Laperasperi, transitum ibi per aliquot dies præstolabatur, sed mora minime transit otiosa. Construitur interim de virgis in sepem textis Oratorium, ipso jubente, ipso operante pariter. Consummatum circumdedit vallo, atque interjacens spatium in Cœmeterium benedixit*. Addit merita benedicentis miraculis declarari, quæ suo adhuc tempore ibidem actitari dicebantur: *Inde est*, inquit, *quod de finitimis locis infirmos, & male habentes illo portare consueverint, & sanantur multi*. Varios ritus, qui multis ab hinc Sæculis in Benedictione Cœmeterii fieri solent, egregie explicat Vir doctus, piusque Dominicanæ Familiæ Scriptor antiquus Humbertus de Romanis in Opere, *De modo cudendi prompte sermones*, Lib. II. Cap. XXII. quod extat Tomo XXV. Bibliothecæ Patrum ultimæ editionis, quodque nos Notis quibusdam illustratum Romæ iterum publici juris fecimus typis Antonii de Rubeis anno DCCXXXIX.

XXV. Multis gravissimisque cæremoniis benedici, consecrarive Cœmeteria, ex antiquis Ritualibus, Scriptoribusque infra allegandis patet. Causæ autem ejus Benedictionis, Consecrationisque afferri variæ possunt. Prima illa esse potest, ut inde inferorum monstra abigantur, quorum sæpe in monumentis sedes, & domicilium est; ut disertissimus omnium Patrum S. Joannes Chrysostomus asserit in Homilia XXXV. in Matthæum, Cap. VIII. ubi sic inquit: *Cum venisset Jesus transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerant ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis, itaut nemo posset transire per viam illam*. Morantur autem ibidem, tum ut humanis corporibus insultent, tum ut eisdem ad nefandas præstigias abutantur, tum etiam ut ex eodem S. Chrysostomo addiscimus, *quia perniciosam opinionem ingerere hominibus conantur, quod hominum, qui obierunt, animæ dæmones fiant*. Erat hæc quidem una ex hæresibus Tertullianistarum a Platone hausta, teste S. Augustino in Libro, *De hæresibus ad Quodvultdeum*, Cap. LXXXVI. ubi de Tertulliano loquens, ita inquit: *Dicit sane ipse, animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti &c.* At vero non solum propter hanc causam dici potest, defunctorum Cœmeteria sacris cæremoniis expiari, verum etiam, ut viatores admoneantur, eos qui in illis conditi sunt, in Fide Christi Jesu lucis hanc usuram reddidisse, ut scite inter alios Scriptores docet Petrus Cotonus Societatis Jesu in sua Catholica Institutione, Lib. II. Cap. XLVIII.

XXVI. Nequid insuper desideretur in explicatione Rubricæ præsentis Capitis de ritu benedicendi novum Cœmeterium, operæ pretium duco describere hoc loco, quod juxta antiquum ritum de Cœmeteriorum constructione statuit S. Carolus Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, Lib. I. Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ, Cap. XXVII. quod inscriptum est, *De Sepulcris, & Cœmeteriis*, ubi sic inquit.

Cum sepulcris conjuncta instructio esse debet de Cœmeteriis, in quibus mortuos sepeliendi morem antiquum tantopere a Patribus comprobatum ex Decreto Concilii Provincialis per Episcopos nostræ Provinciæ, ubi potest, restitui cupimus.

Cœmeteria igitur, ut animadverti licet, alia in Porticu, Atriove Ecclesiarum, a fronte scilicet, alia a tergo, alia a latere Septentrionali, alia Meridionali, quædam ab omni illarum parte sunt; nec vero vetitum est, quin adhuc etiam ab eisdem singulis, omnibusve partibus constitui possint.

Porro quæ a fronte, in Atriove Ecclesiæ constructa sunt, quamvis ad excitandam, vel charitatis erga mortuos Fideles, vel conditionis humanæ memoriam in ipso prospectu hominum sint; tamen quoniam ob iter, ac tritam viam, qua transitus per Ecclesiam hac atque illac fit, facilius patent, vel animalibus, vel servitutibus, vel deambulationibus, congressibus, & aliis hominum actionibus, & sacro loco indignis, quamobrem etiam sæpe ob alia, quæ quotidie humanitus incidunt, violari contingit, ideo a fronte in Atriis, Porticibusve Ecclesiæ, cum ab alio latere fieri possint, non extrui expedit.

A Septentrionali autem Ecclesiæ parte illorum situs potior deligatur, aut ab eo latere, in quo maxime Ædium Clericalium transitus quotidianus, fenestrarum prospectus, stillicidiorum etiam projectura, aliæve etiam servitutes vitari possunt.

Ampla autem Cœmeteria esse debent, pro Ecclesiæ, cui adhærent, situsve spatio, proque hominum item multitudine. Forma esse possunt oblonga, aut quadrata, Architecti judicio, ac pro situs modo.

A parietibus nuda esse non debent, sed undique iis septa. Qui parietes a terræ solo alte exædificentur cubitis scilicet septem. Ubi vero tanta parietum altitudine præ loci inopia extrui non possunt, ita saltem alte exædificentur, ut animalibus aditus præcludatur, hæcque altitudo non minor sit cubitis tribus; ubi vero præcisæ rupes erunt, quibus Cœmeterii situs concluditur, eæ pro sepimento parietum esse poterunt.

Parietes autem manufacti extrinsecus albario opere incrustentur; in locis vero insignioribus decens erit, si intrinsecus ab omni parte Porticibus vestiantur, sacrisque picturis, historiisve ornentur.

In iis porro Porticibus sepulturæ æquali spatio inter se distinctæ recto ordine ad præscriptæ formæ rationem fieri possunt. Ubi Porticibus Cœmeteria non circumvestiuntur, parietes saltem exornari debent aliqua sacra pictura certis eorum locis expressa.

In medio eorum situ Crux ex aurichalco, aut marmore, aliove lapide confecta collocetur, quæ in columna marmorea, lapideave, seu in pila structuli suffulta, aliquo decenti integumento operiatur, aut e ligno alte erecta constituatur.

Cappella item parvula, eaque in Orientem versus, ubi potest, exstruatur, in qua preces pro mortuis aliquando fiunt.

Habeat item vas Aquæ sanctæ forma supra demonstrata cum aspersorio non tamen appenso, sed quod amoveri possit ad aspergendi usum.

*De loco ossario.*

Certus præterea locus intus sit pariete undique septus, & tecto, ac fornice, ubi potest, opertus, isque in omnium conspectu sit, ubi mortuorum ossa aliquando effossa ordine struantur.

*De ostiis Cœmeterii.*

Cœmeterii porro tria ostia a fronte esse possunt, nisi situs ratio ejusmodi est, ut a latere etiam illa fieri necessario postulet. Si vero Cœmeterium Ecclesiæ ab aliqua parte continens est, ab ea parte januam item habeat, qua ad Ecclesiam aditus sit, cum vel Divinorum Officiorum pro mortuis, vel Processionum causa usuvenerit.

Ab ostii autem majoris a fronte extructi summa parte, quæ extrinsecus est, sacrosanctæ Crucis Imago exprimatur, in extremo Crucis affixa imagine capitis, aut cranii hominis mortui. Quæ ostia a quacumque parte sint firmis valvis, pessulis, & clave munita, & clausa, ne pateant, nisi cum usus venerit.

Nullæ vites, arbores, arbusta, stirpes cujusvis generis, non modo frugiferæ, sed quæ nullum omnino fructum, baccasve gignunt, in iis esse, aut conseri debent. Immo vero ne fœnum quidem, herbave virescens, quæ pabulo detur, fit. Absit strues lignorum, ac tignorum, tum omnis acervus cæmentorum, lapidumve; omnis denique res loci sanctitati, religioni, & decoro repugnans.

XXVII. Hactenus S. Carolus, cujus integram Instructionem de Cœmeterio novo construendo libuit describere, ut, quoties novum construendum sit Cœmeterium, Ecclesiarum Rectores formam habeant, qua in eo ædificando, uti debent. Multa enim variis in locis vidi, quæ correctione indigerent. In hujusmodi ædificiis, Ecclesiarum præsertim, ac Cœmeteriorum summi sæpe errores commissi perspiciuntur, quod sæpe, qui præsunt, Ecclesiasticorum rituum ignari cum sint, Architectos nihilominus agere volunt, neglectis sapientiorum consiliis, atque illorum præsertim, qui in rebus Ecclesiasticis sunt apprime versati.

## §. I.

Pridie, quam fiat Benedictio, ponitur in medio Cœmeterii benedicendi lignea Crux alta ad staturam hominis, & ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

## COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit, desumtus est ex Romano Pontificali, uti diximus supra in Commentariis ad Caput XXVIII. ita quoque & ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, ab eodem Pontificali Romano exceptus est, uti videre est in ejus Parte II. Titulo VI, in quo ritus describitur, quo Episcopus so-

solemnioribus, amplioribusque cæremoniis ex antiquo Ecclesiæ instituto Cœmeterium benedicit. Hinc, ubi ex præscripto nostri hujus §. simplex Sacerdos, delegatus scilicet a proprio Episcopo benedicturus est Cœmeterium novum, *pridie, quam fiat Benedictio, ponitur in medio Cœmeterii benedicendi lignea Crux alta ad staturam hominis, & ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad effigendum illi tres candelas*. Ubi vero ab Episcopo peragenda est ea Benedictio, ex præscripto memorati Pontificalis in §. I. expresso, *die præcedenti ponuntur in Cœmeterio benedicendo quinque ligneæ Cruces, videlicet una altior in medio, & quatuor aliæ ad staturam hominis, quarum una in extremitate Cœmeterii ante Crucem mediam, alia in alia extremitate Cœmeterii retro Crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris, & quarta in quarta extremitate Cœmeterii a sinistris Crucis mediæ; & ante quamlibet ex dictis quinque Crucibus ponitur, seu figitur in terram aliquod lignum in ejus summitate aptum ad affigendum illi tres candelas trium unciarum quamlibet, vel circa*.

II. Sed omisso ritu Pontificali, quo Cœmeterii Benedictio ab Episcopo solemnioribus, augustioribusque cæremoniis celebratur, de quibus nos late alias diximus in nostris ad ipsum Pontificale Romanum Commentariis, eodem plane modo, quo in benedicendo, & imponendo primario lapide pro Ecclesia ædificanda, pridie quam benedicitur, figitur Crux in loco, ubi debet esse Altare, juxta ea, quæ diximus supra in Commentariis ad Caput XXVIII. ita in Benedictione Cœmeterii pridie poni Crux debet ob rationes ibidem a nobis adductas. Porro ex præscripto nostri hujus §. lignea Crux in medio Cœmeterii ponenda, alta esse debet ad staturam hominis, in ejusque summitate, & in extremis brachiis ponendi cuspides ferrei, ut in eisdem deinde, peracta Benedictione, tres ipsæ ardentes candelæ affigantur, ut infra suo loco dicetur. Interim vero paxillus, sive parvus palus tridens ligneus ante ipsam Crucem in terra figendus altus ad cubitum unum; supereminere enim semper Crux debet ob suam ipsius dignitatem, cujus etiam causa sequenti die, quo peragenda est Cœmeterii Benedictio, ut in sequenti §. dicemus, tres candelæ accendentur, affigendæ in paxillo tridente ligneo, sive in tribus cuspidibus ferreis in ipso tridente apponendis. Crucem non modo in Cœmeteriis, verum etiam super tumulos Christianorum erigendam, constituit S. Patricius Hiberniæ Apostolus apud Bollandianos in ejus Vita die XVII. Martii, Auctore Jocellino Monacho de Furnesio, Cap. VII. num. 59. *Sanctus signifer Dominici Vexilli, ut ipse agere consuevit, constituit ad caput cujuslibet Christiani extra Cœmeterium sepulti Crucem figere; quia in regione ad Fidem noviter conversa, præ paucitate Ecclesiarum noverat, omnes defunctos in Cœmeteriis funerandos non fore. Voluit etiam optimus Pastor tam felici charactere oves ab hœdis, sepultos scilicet Christianos a Paganis distinguere; sic profecto Christicolæ venientes, viso vitæ signo, funeratum fuisse famulum fidei, Crucis Christi signo valerent agnoscere, atque pro ejus anima non cunctarentur cunctorum Conditori preces offerre.*

III. Laudat hanc plane consuetudinem, constitutionemque omnium acceptione dignam, ut qui in morte Christi baptizatus, & in fide ipsius esset mortuus, stigmata mortis ejus, secus se, vel supra se haberet sepultus, & deinde sic subdit: *Contigit autem Patricio vero Israelitæ in egressu suo de Connactia, in exitu suo de illo populo barbaro, a barathro jam elongato, & domestico Dei effecto, duorum hominum recenter tumulatorum sepulchra intueri, viditque ad caput unius eorum signum Crucis erigi. Sedens in curru itaque, ut mos patriæ illo in tempore exigebat, aurigæ suæ lorum retrahere jussit, ipse oratione facta, quasi ad viventem, ad sepultum loquens, quis, & cujus sectæ fuisset, inquisivit. Vox vero de tumulo emissa respondit, se hominem fuisse secta Paganum Divini cultus penitus ignarum. Quid* tibi, *inquit Sanctus*, & Cruci Christi, cujus cultor, & Confessor nunquam fuisti? *& vox ad ipsum*: Qui juxta me sepelitur, Christianus extitit; veniensque quidam Fidei vestræ professor, ignorantia ductus, ad meum caput Crucem posuit. *Hæc vox illa protulit, & conticuit. Descendens illico Vir Dei de curru Crucem a loco illo amovit, illamque ad caput baptizati fixit, oravit, & inde discessit.*

## §. II.

Sequenti die mane Sacerdos in Sacristia paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis indutis Superpelliceis, qui deferant vasculum Aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi navicula, & hoc Rituali Libro, & tribus candelis cereis, procedit ad Cœmeterium benedicendum ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem, & candelas, discooperto capite, dicit.

*Oremus.*

*Omnipotens Deus, qui es custos animarum, & tutela salutis, Fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, & ad introitum nostrum purgetur, bene ✠ dicatur, & sancti ✠ ficetur hoc Cœmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magno Judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Quum Cœmeterium habeat relationem ad Ecclesiam, ut Scriptores de sacris Ritibus docent; hinc ii pene ritus, qui in Benedictione novæ Ecclesiæ præscripti sunt, servari etiam in novi Cœmeterii Benedictione jubentur. Ergo Sacerdos benedicturus Cœ-

Cœmeterium, *mane in Sacristia paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, adbibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis indutis Superpelliceis, qui deferant vasculum Aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi navicula, & hoc Rituali Libro, & tribus candelis cereis procedit ad Cœmeterium benedicendum ante Crucem in medio positam*, Mane procedit, non quod in ipsa Cœmeterii Benedictione celebraturus sit Missam, sed quia, sicut Ecclesia mane benedicitur, ita quoque mane benedicendum est & Cœmeterium, quod accessorium Ecclesiæ nuncupatur. Procedit cum aliquot Sacerdotibus, & Clericis Superpelliceis indutis, ut ei assistant, inserviantque sacræ actioni, & deferant vasculum Aquæ benedictæ, ac alia, quibus in Cœmeterii Benedictione usurus est, *Sistit ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum*, tridentem scilicet, tribus ferreis cuspidibus munitum, in quibus ipsæ candelæ apponantur, in Nomine scilicet Sanctissimæ Trinitatis, & fortasse etiam, ut alludant ad trinam illam Benedictionem signo Crucis faciendam, in Oratione scilicet quæ legitur in §. IV.

II. Plura scitu digna diximus nos de ipsis candelis Tomo II. Commentariorum in Partem alteram Romani Pontificalis, Tit. VI. in Commentario ad §. III. ubi etiam explicuimus celebrem Canonem XXXV. Illiberritani Concilii, jubentem, *ne cerei in Cœmeteriis incendantur*. Quod autem Orationem spectat, *Omnipotens Deus, qui es custos animarum &c.* dicendam a Sacerdote *ante Crucem, & candelas accensas, discooperto capite*, extat & ipsa in citato §. III. Pontificalis Romani; & ut ibidem notavimus, legitur in ms. Gulielmi Durandi Pontificali annorum circiter D. in Pontificali Monasterii Lyrensis annorum DCC. ac Pontificali Egberti Eboracensis Archiepiscopi, ex quorum tamen duorum præscripto dici debebat Oratio in aquilonari angulo Cœmeterii. Legitur præterea in variis aliis antiquis Sacramentorum Libris, sed desideratur tamen in quibusdam, ac præsertim in antiquo Romano Ordine a Melchiore Hittorpio in lucem edito, & in ms. Barensis Ecclesiæ Pontificali, in quo tota Benedictio Polyandri, seu Cœmeterii unica tantum Oratione continetur, quæ incipit, *Domine Sancte, Pater &c.* quæque a nobis descripta legitur in Appendice ad prædictum Titulum VI. Romani Pontificalis, pag. 222. & seq.

## §. III.

Mox ante ipsam Crucem, omnibus genibus flexis, dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus; & cum dictum fuerit, *Ut omnibus Fidelibus defunctis &c. Te rogamus, audi nos*, Sacerdos surgit, & clara voce dicit, producens manu signum Crucis, *Ut hoc Cœmeterium purgare, & bene ✠ dicere digneris, Te rogamus audi nos*. Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, & Litaniæ perficiuntur.

## COMMENTARIUS.

I. DIci jam olim consuevisse Litanias in Cœmeterii Benedictione, constat ex vetustis variarum Ecclesiarum Pontificalibus, quorum mentionem fecimus citato superius loco Romani Pontificalis in Commentario ad §. IV. Sed legendum præ cæteris Gulielmi Durandi Pontificale in Ordine ad benedicendum Cœmeterium descripto a nobis in memorata superius Appendice, pag. 223. Sane monet Castaldus in Praxi Sacrarum Cæremoniarum, Lib. II. Sectione XI. Cap. VII. num. I. cui etiam adhæret Barrufaldus in sua ad hunc §. Nota, num. 31. antequam Litaniæ inchoentur, debere in terra sterni tapetum, ubi Sacerdos, ac Ministri genuflectant, cum sit in loco aperto, & vel cœnoso, vel pulverulento, vel herboso.

## §. IV.

Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit Aqua benedicta, dicens Antiphonam, *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*. Psalmus, *Miserere mei Deus &c.* dicitur totus ab adstantibus cum *Gloria Patri &c.* quo dicto, repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta; quo facto, redit ante Crucem, & ad ipsam aspiciens, dicit.

*Oremus.*

*Deus, qui es totius Orbis conditor, & humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium, & invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Cœmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitæ labentia, pur ✠ gare, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris; quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc Cœmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. LItaniis finitis, ex præscripto nostri §. *surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit Aqua benedicta, dicens Antiphonam, Asperges me, &c.* qui quidem ritus desumptus ex hodierno Romano Pontificali, & ex ms. Pontificali Gulielmi Durandi, ex quibus etiam

jam habemus, quod & alias in hoc nostro §. edicitur, ut nimirum Sacerdos facta aspersione cum Aqua benedicta ad Crucem, & repetita Antiphona, *Asperges me, &c.* dum dicitur Psalmus, *Miserere mei Deus &c.* circumeat, & perambulet totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta intra Cœmeterii muros, eaque cæremonia absoluta ante Crucem redeat, atque ad ipsam respiciens, dicat Orationem, *Deus, qui es totius Orbis conditor &c.* quæ quidem legitur & in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, & in mss. Pontificalibus Egberti Eboracensis Archiepiscopi annorum circiter mille, & Monasterii Lyrensis, & in aliis multis sequioris ævi, de quibus mentionem fecimus Tomo II. Romani Pontificalis, Titulo VI. in Commentario ad §. V. ubi multa curiosus tiro rituum Ecclesiasticorum inveniet, quibus & hic præsens §. illustratur.

II. Sed ut aliquid hoc loco de ipsa Oratione dicamus, explicanda præsertim censeo illa ejusdem verba, quibus Deus rogatur, ut corporibus mortuorum in Cœmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus consolationem perpetuam impertiatur. Mortuos prævio tubæ sonitu resurrecturos, Sacræ Paginæ nos passim docent, præsertim vero Christus Dominus in Evangelio Matthæi, Cap. XXIV. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a summis Cælorum, usque ad terminos eorum.* Cui concinit quod scribit Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XV. ubi sic inquit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Et in Epistola ad Thessalonicenses, Cap. IV. ubi sic loquitur: *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de Cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.*

III. In descriptis hactenus locis notandum est primo, quod docent Theodoretus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius Nyssenus, & alii, resurrectionem mortuorum *in ictu oculi*, idest in instanti futuram. Secundo, tubam novissimam dici respectu aliarum tubarum, quæ sonitum novissimæ tubæ præcedent. Nam, ut patet ex Apocalypsi, Cap. VIII. & IX. in fine mundi septem Angeli, quibus demandata est universalis hominum cura, septem tubis clangent, ut iis extremas mundi calamitates, & pœnas sono tubæ prænuncient. Tertio, vocem Archangeli eandem esse cum tuba Dei, quæ maxime sonora est, ut per totum mundum audiatur. Quarto, licet per vocem Archangeli, cujus in Epistola sua ad Thessalonicenses meminit Apostolus, quidam Interpretes vocem Christi significari autument, rectius tamen alii, Archangeli Michaelis vocem denotari docent. Is enim jussu, & vice Christi, Præses est Ecclesiæ, ut olim Synagogæ fuit; uti scite observat doctissimus Estius in Libri II. Distinctionem X. §. V.

IV. Michaelem Archangelum esse omnium Angelorum supremum, etsi certissimum hoc minime sit, permagnam tamen videtur habere ex Divina Scriptura probabilitatem. Legitur siquidem in Apocalypsi, Cap. XII. quod *Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Cælo.* Cum draco is intelligatur, qui supremus inter dæmones sit, nam sequitur: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem, & angeli ejus cum illo missi sunt*; consequens equidem est, Michaelem inter sanctos Angelos supremum, ac Principem esse, quoniam hi similiter Angeli ejus dicuntur. Primo itaque Archangelo, quem puto esse Michaelem sua tuba insonante, quasi Superioris, ac Principis sui imperio exciti Angeli protinus aderunt, tubisque suis & illi conclamabunt, *Surgite mortui*; simulque ad congregandos hominum cineres discurrent celerrime, & omnes rapient in Vallem Josaphat juxta Hierosolymam, ubi fiet Judicium, ut dicitur Joelis Cap. III. *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem Josaphat, & disceptabo cum eis.* Et hoc est, quod significavit Christus citato superius Matthæi Capite XXIV. ubi ait: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabit electos suos a quatuor ventis a summis Cælorum, usque ad terminos eorum.* Egregiam Dissertationem de mortuorum resurrectione concinnavit quidem eruditissimus Augustinus Calmet Tomo II. Prolegomenon, & Dissertationum, pag. 244. & pluribus sequentibus editionis Lucensis anni MDCCXXIX.

V. Cæterum non omittenda hic aliorum opinio, qui ajunt, Archangelum Gabrielem, qui primum Christi adventum Beatissimæ Virgini prænuntiavit, secundum ipsius adventum ad judicandum vivos, & mortuos, tuba sua clangente, toti Orbi terrarum prænunciaturum. Adhæret huic opinioni Cornelius a Lapide in primam S. Pauli ad Thessalonicenses Epistolam, Cap. IV. versiculo XV. Sed probabiliorem puto esse primam sententiam, quæ Archangelum Michaelem dicit extremi Judicii prænuntium, eique sententiæ videtur adhæsisse Ecclesia, ubi in variis precibus se Archangelo Michaeli commendat, *ut non pereamus in tremendo Judicio.* Plura & in hanc rem scripsit Joannes Marangonus nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter in Opere, cui Titulus, *Grandezze di S. Michele.*

## §. V.

Tum figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens Aqua benedicta, redit cum Ministris in Sacristiam.

## COMMENTARIUS.

I. Esse antiquum ritum, ut in Benedictione Cœmeterii candelæ ardentes ad Crucem apponerentur, ipsaque Crux thure adoleretur, & Aqua insuper benedicta adspergeretur, ex antiquis Pontificalibus liquet allatis a nobis Tomo II. Romani Pontificalis, Titulo VI.

vi. in Commentariis ad §. vii. & alios sequentes, in quibus juxta præscriptum prædicti Pontificalis Romani, ubi Episcopus novum Cœmeterium benedicit, uti supra admonuimus, varias in eo erigi Cruces curat, ad easque deinde accensos cereos apponit, & Cruces ipsas thurificat, & Aqua benedicta aspergit. Porro tametsi absoluta sit Cœmeterii Benedictio, non extinguendi tamen sunt cerei ipsi, sed ibidem omnino absumuntur, *ut ita doceamur*, inquit ad hunc §. Barrufaldus num. 40. *venerationem loci perpetuo durare debere, nec ab ulla humana vi posse extingui*. Consuevisse vel primis Sæculis in Cœmeteriis cereos accendi, addiscere licet ex Canone xxxv. Concilii Illiberritani, quem nos non modo citato loco Romani Pontificalis in Commentario ad §. III. verum etiam Tomo II. novæ nostræ editionis Conciliorum Hispaniæ a Cardinale de Aguirre concinnatæ late enarravimus. Hinc in pervetustis Christianorum Cœmeteriis passim lucernæ fictiles utplurimum reperiuntur, quas in Cœmeteriis Urbis nos ipsi non semel vidimus, aliquasque etiam ab eorum Custode nostro Patre Joanne Marangono dono accepimus.

II. Reliquum est, ut de Cœmeterii Cruce aliquid amplius dicamus, ac illud potissimum, quod in Conciliis sancitur, ut in Cœmeteriorum medio Crux firmiter erecta sit, aliquo etiam tegumento decenti operta, uti videre est in Concilio Mediolanensi Provinciali iv. S. Caroli anni MDLXXVI. Aquensi anni MDLXXXV. & Avenionensi anni MDXCIV. in quo inter alia sic legitur: *Locus autem separatus, tegulisque saltem contectus ibi sit, in quo sacrosanctum Christi vexillum conspicietur, vel etiam sub dio, modo decenti loco collocetur*. Id quod religiose constitutum est ad conciliandam Cœmeteriis venerationem, quæ aliquando irreligiosi homines choreis, ludisque, & impudicitiis etiam profanare minime erubuerunt. Olim longe ante annum Christi millesimum Crucem in medio Cœmeterii fuisse erectam, stabilemque ibidem mansisse, addiscimus ex delineatione Monasterii Sancti Galli, quale erat Ludovici Augusti temporibus, in quo, uti varii Scriptores Galli referunt, habetur quidem Cœmeterium extra Claustrum cum Cruce in medio posita.

III. Hinc priscæ disciplinæ inhærens S. Carolus Parte iv. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, Lib.I.Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ, Capite xxvii. ubi de Cœmeteriis tractat, recte admodum statuit, *ut in medio eorum situ Crux ex aurichalco, aut marmore, aliove lapide confecta collocetur, quæ in columna marmorea, lapideave, seu in pila structili suffulta, aliquo decenti integumento operiatur, aut e ligno alte erecta constituatur*. Mandat tum etiam mox, ut *Cappella item parvula, eaque in Orientem versus, ubi potest, extruatur, in qua preces pro mortuis aliquando fiunt*. Rursus monet, ut *habeat item vas Aquæ sanctæ forma supra demonstrata cum aspersorio non tamen appenso, sed quod amoveri possit ad aspergendi usum*. Sed hæc, & alia plura jam supra notavimus ad Rubricam hujus Capitis, ubi integram S. Caroli Instructionem de Cœmeteriis descripsimus; viderique præterea possunt, quæ diximus Tomo I. in Commentariis ad Titulum vi. qui, *De Exequiis*, inscriptus est, in quibus non pauca exposita sunt, quæ ad Cœmeteria pertinent.

## CAPUT XXXII.

### *Ordo reconciliandi Cœmeterium violatum, sive Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia adest polluta.*

I. Antequam Ordinem Reconciliationis violati Cœmeterii explicem, illud primum ad præsentis Capitis Rubricam adnotandum censeo, quod & alias tradidi Tomo II. Romani Pontificalis ad Rubricam Tituli viii. qui inscriptus est, *De Reconciliatione Cœmeterii, sive Ecclesiæ Reconciliatione*, polluta nempe Ecclesia, pollutum censeri & Cœmeterium; non vero, Cœmeterio violato, violatam censeri Ecclesiam, juxta doctrinam a Bonifacio Papa VIII. expressam in Capite unico, *De Consecratione Ecclesiæ*, in vi. Cui quidem egregia ratio suffragatur, quia scilicet juxta regulam Juris, *accessorium sequitur naturam sui principalis*, & dignius, potentiusque trahit ad se naturam minus digni, sive minus potentis; estque hoc commune axioma Doctorum, quod quidem ex dicto Capite unico desumptum est, quod & lubet hoc loco describere: *Si Ecclesiam, inquit, pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum; unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si remotum fuerit ab eadem. Non sic quoque in casu converso sentimus; ut videlicet polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta, ac minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. Non unum, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum, licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum*.

II. Placuit integram hanc Decretalem referre, quod in ea, ut in suo ad eandem Commentario notavit Passerinus, quatuor casus, & quidem ad ritum, quem in præsenti tractamus, spectantes, resolvuntur. Primus est, quod polluta Ecclesia, pollutum est Cœmeterium Ecclesiæ contiguum, & illicitum est in illo aliquem sepelire, nisi prius fuerit reconciliatum; secus vero si Cœmeterium sit ab Ecclesia separatum. Contigua vero dicuntur, quorum extrema se tangunt; continua autem sunt, quorum terminus est unus, ut ex Aristotele v. Physicorum notat Glossa in recitato Capite unico, verbo *contiguum*. Secundus casus est, quod, polluto Cœmeterio, non est polluta Ecclesia, licet illi contigua, quia minus nobile, & accessorium, non trahit ad se magis nobile, & principale. Tertius casus est, quod non unum, sed plura Cœmeteria sunt, quæ quamvis sibi sint coherentia, pariete tamen medio disjunguntur, etiamsi de uno ad aliud per portam mediam habeatur accessus. Quartus casus est, quod, violato uno Cœmeterio,

rio; non est aliud violatum, licet unum alteri sit contiguum, vel cohæreat. Ex quibus omnibus & illud addiscimus, quod alias observavit ad Rubricam hujus præsentis Capitis Barrufaldus, num.6.in fine, Ecclesiam scilicet Catholicam hoc in votis habuisse, ut formam præscriberet benedicendi, seu reconciliandi Cœmeteria, quando per se polluta, & violata sunt; quomodocumque enim se habeant, semper pollutionis capacia sunt, & consequenter Reconciliationis, uti aperte deducitur ex jam recitata Bonifacii Papæ VIII. Decretali in Capite unico, *De Consecratione Ecclesiæ*, in VI. & ex antiqua Ecclesiæ praxi, cujus testem habemus ms. Pontificalem Codicem Gulielmi Durandi, in quo extat Titulus, ita inscriptus, *De Cymiterii per se sine Ecclesia violatæ Reconciliatione Rubrica*, uti videre est in nostra Appendice ad Titulum VIII. Partis II. Romani Pontificalis, pag. 242.

III. Quando tandem, & quibus in casibus Cœmeterium censeatur pollutum, & iccirco Reconciliatione indigeat, jam non est opus hoc loco explicare, quia scilicet explicati superius fuerunt in Commentariis ad Caput XXX. ubi egimus de ritu reconciliandi Ecclesiam violatam, & cognosci etiam possunt ex recitata Decretali, ex qua addiscimus, pollui Ecclesiam, Cœmeteriumve, sanguinis, aut seminis effusione, ac sepultura excommunicati hominis, sive ethnici, hæreticive, uti Scriptores communiter docent.

## §. I.

Mane diei, qua facienda est Reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, & Clericis indutis Superpelliceis, in Sacristia, aut alio decenti loco vestitus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii, Clerico vasculum Aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit una cum Ministris; & Cantores, aliique omnes genibus flexis dicunt Litanias; in quibus cum dictum fuerit, *Ut omnibus Fidelibus defunctis &c.* ℟. *Te rogamus audi nos*. Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cœmeterium, clara voce dicit, *Ut hoc Cœmeterium recon ✠ ciliare, & sancti ✠ ficare digneris*. ℟. *Te rogamus audi nos*.

## COMMENTARIUS.

I. Sicuti novi Cœmeterii Benedictio, de qua supra diximus Cap. XXXI. ita & polluti Cœmeterii Reconciliatio mane peragi debet ex præscripto nostri hujus §. sive potius ex antiquo ritu, & Ecclesiæ praxi, quam non puto mutari posse a simplici Sacerdote, qui omnino stare ritui debet, quem idem noster §. statuit, qui ait, *mane diei, qua facienda est Reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat &c.* Quibus ex verbis illud præterea addiscimus, sicuti pro reconcilianda Ecclesia polluta, si scilicet non fuerat consecrata, ita & pro Cœmeterio reconciliando requiri omnino in simplici Sacerdote delegationem Episcopi proprii, & quidem in scriptis redactam, uti diximus de facultate, quæ Sacerdoti simplici conceditur ad novam Ecclesiam, seu Cœmeterium benedicendum. Ratio potissima, ob quam ea Episcopi facultas in Sacerdote simplici requiratur, illa plane est, quia hujusmodi Benedictio, seu Reconciliatio de Jure, & ex antiquo Ecclesiæ instituto, ad Episcopum spectat. Sed invaluit tamen usus, ut ab ipso Episcopo simplex Reconciliatio Ecclesiæ, seu Cœmeterii non consecrati possit committi Presbytero in dignitate constituto, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis IX. Februarii MDCVIII. apud Gavantum in Manuali Episcoporum, verbo *Benedictio*, num. 4. ubi etiam opportune subdit, committi imo posse & simplici Sacerdoti, quod probat auctoritate hujus Ritualis Romani jussu Pauli Papæ V. primum editi.

II. Ergo Sacerdos, ut ait hic noster §. *si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, & Clericis indutis Superpelliceis, in Sacristia*, si scilicet Cœmeterium sit Ecclesiæ contiguum, *aut alio decenti loco*, si nempe sit ab Ecclesia dissitum, *vestitus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii &c.* Teste Barrufaldo in sua ad hunc §. Nota, num. 12. quæstio olim fuit inter nonnullos, qui in Reconciliatione, & Benedictione Cœmeterii censebant, congruentius esse, adhibere colorem nigrum, seu saltem violaceum, quia nimirum in Benedictione sepulchri præscripta a Rituali supra Tomo I. Tit. VI. Cap. III. quo Exequiarum Ordo præscribitur, Sacerdos utitur Stola, & Pluviali nigri coloris. Quibus tamen responsum fuit, distinguendam esse unam Benedictionem ab alia ex diversa ratione, occasione, & tempore. In Exequiis cuncta nigro colore peraguntur, & Benedictio sepulchri cadit sub ritu, & ordine Exequiarum. In Dedicatione vero, sub cujus ritu cadit Reconciliatio, albus adhibetur color, ideoque recte statuit noster §. ut Sacerdos Cœmeterium reconciliaturus, Stolam & Pluviale induat albi coloris. Porro Ministri, aliquot nempe Sacerdotes, & Clerici Superpelliceis induti, in celebranda Reconciliatione ipsa adhibentur, ut rite eidem inserviant, in Litaniis cantandis, & in iis peragendis, quæ in ejusdem Reconciliationis ordine, ac ritu præscripta sunt.

III. Sed, ut ritum ipsum reconciliandi Cœmeterii enarremus, Sacerdos principalis indutus, ut supra, adhibitis aliis Sacerdotibus, & Clericis, *accedit*, ut ait hic noster §. *ad medium Cœmeterii, Clerico vasculum Aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit una cum Ministris, & Cantores, aliique omnes dicunt Litanias &c.* Desumptus est plane & hic ritus ex Romano Pontificali, Parte II. Tit. VIII. ubi ritus præscribitur, quo Cœmeterium sine Ecclesiæ Reconciliatione, solemniori, augustiorique ritu reconciliari ab Episcopo debet; in quem Titulum jam nos in nostris perpetuis ad Ro-

Romanum Pontificale Commentariis nonnulla adnotavimus, quæ ad præsentem §. referri possunt. Cæterum non parvum est inter Reconciliationem Cœmeterii, quæ fit ab Episcopo, & illam, quæ fit a simplici Sacerdote discrimen, nam inter alia, cum in Litaniis dictum fuerit, *Vt omnibus fidelibus defunctis &c.* ubi simplex Sacerdos surgit, & manu dextera producens signum Crucis super Cœmeterium, clara voce dicit, & quidem semel, *Vt boc Cœmeterium recon ✠ ciliare & sancti ✠ ficare digneris, &c.* Episcopus, uti citato loco legitur Pontificalis, §. I. surgit cum Mitra, & Baculum Pastoralem in manu sinistra tenens, producit signum Crucis super Cœmeterium, dicens primo, *Vt boc Cœmeterium recon ✠ ciliare digneris.* ℞. *Te rogamus audi nos.* Secundo dicit: *Vt boc Cœmeterium recon ✠ ciliare, & sancti ✠ ficare digneris.* ℞. *Te rogamus audi nos.* Tertio dicit: *Vt boc Cœmeterium recon ✠ ciliare, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris. Te rogamus audi nos.* Sed de his vide quæ diximus in citatum §.Romani Pontificalis.

## §. II.

Quibus dictis, ut prius, genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos aspergillo cum Aqua benedicta, inchoat Antiphonam, *Asperges me, Domine, hyssopo,* Clero prosequente, *& mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Psalmus, *Miserere mei Deus &c.* dicitur totus sine *Gloria Patri*; in fine repetitur Antiphona, *Asperges.*

## §. III.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta, præsertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi stans dicit, *Oremus*; & Ministri, *Flectamus genua.* ℞. *Levate.*

*Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster, tu quietis noster ager, tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam, & suscepisti. Tu de pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo, Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justissimæ severitatis abscondens, post miserationem tuæ piæ redemptionis adesto exauditor, & effector nostræ reconciliationis; hocque Cœmeterium peregrinorum tuorum Cœlestis Patriæ incolatum expectantium benignus purifica, & reconcilia; & hic tumulatorum, & tumulandorum corpora, de potentia, & pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans, resuscita. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* ℞. *Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. Quod in his duobus Paragraphis edicitur de ritu aspergendi Aqua benedicta Cœmeterium pollutum, illudque circumeundi, dum dicitur Antiphona, *Asperges me &c.* & Psalmus, *Miserere mei Deus*, sine *Gloria Patri, &c.* præscriptum etiam legitur in Romano Pontificali Parte II. Tit. VIII. ubi etiam legitur Oratio ipsa, *Domine pie, qui agrum figuli &c.* in nostro §. III. descripta, Sed & ut aliquid hic de aspergillo, atque aspersione per circuitum Cœmeterii facienda dicamus, decet primum, ut aspergillum ipsum sit de herba hyssopi, non vero ex alia materia, juxta ritum præscriptum in nova Ecclesia benedicenda, supra in Capite XXIX. §. II. *Sacerdos*, inquit, *accepto aspergillo ex herba hyssopi &c.* decet præterea, ut Sacerdos dum dicit, *Asperges me, Domine, hyssopo &c.* se primum aspergat, ac Populum, ac deinde Cœmeterium per circuitum, dicens Psalmum, *Miserere mei Deus &c.* Porro siletur in Psalmo *Miserere*, clausula illa, *Gloria Patri &c.* & hæc est unica imago mœroris, quæ appareat in Cœmeterii Reconciliatione, sive ista per Episcopum, ut ex Pontificali constat, sive per simplicem Sacerdotem peragatur, ut ex hoc nostro §. liquet. Non dicitur autem, *Requiem æternam*, quod iste versiculus minime convenit Dedicationis ritui, quem, ut alias notavimus, & observat inter alios Barrufaldus, Ecclesiæ, Cœmeteriive Reconciliatio præsefert.

II. Ad Orationem, *Domine pie, qui agrum figuli &c.* quod attinet, extat & ipsa in variis Pontificalibus, ac præsertim in ms. Pontificali Gulielmi Durandi, uti videre est in nostra Appendice ad Titulum ipsum VIII. Romani Pontificalis; alluditque ad id, quod legitur in Evangelio Matthæi, Cap. XXVII. de agro figuli empto ex triginta argenteis, quibus Judas Iscariotes tradidit Christum Dominum, *in sepulturam peregrinorum*. Sic enim inter alia inquit versiculo VI. & seqq. *Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt*: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium Sanguinis est. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille* Haceldama, *idest, ager Sanguinis*

*nis usque in hodiernum diem*. Pro peregrinis, vel hospitibus, qui scilicet ex Judæa, vel aliunde Jerosolymam venientes ibi moriebantur, ager ille emptus est, in sepulturam; nam ipsi Jerosolymitæ sua jam sibi destinarant sepulchra, ac Cœmeteria. Dei autem consilio actum est, ut ager hic jugiter extans jugis esset testis pœnitentiæ Judæ, & consequenter innocentiæ Christi, & Christicidii Judæorum, uti recte notavit S. Joannes Chrysostomus sic inquiens: *Nomen loco inditum omni clarius tuba, sceleratam eorum prædicat cædem*. Et paucis interjectis: *Si enim in corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset, nunc vero prædio empto, etiam posteris rem universam prodiderunt*. Tropologice *Haceldama*, idest, ager pretio Sanguinis Christi pro peregrinis comparatus, est Ecclesia, ut docet idem Chrysostomus, sive cœtus Fidelium, qui in recitata nostra Oratione, peregrini Cælestis Patriæ incolatum expectantes dicuntur; quique ut Christi Sanguinis fructum, idest, gratiam, & gloriam participent, abstinere a carnalibus desideriis debent, juxta illud, quod ait S. Petrus in Epistola sua 1. Cap. II. *Obsecro vos tamquam advenas, & peregrinos abstinere a carnalibus desideriis*. Vide plura in recitatum Matthæi locum apud Cornelium a Lapide, Versiculo VIII. & seq.

III. Ex eadem tandem Oratione hoc loco descripta, & ex aliis in Cœmeterii Benedictione illud addiscimus, Cœmeteria proprie ad usum sepulturæ ex intentione Ecclesiæ destinari, & benedici, & reconciliari; non ita vero ipsa Templa, in quorum Consecratione, vel Benedictione, nulla corporum in eis sepeliendorum fit mentio, nec Orationes ad sepulturam corporum diriguntur. Cæterum, quod Cœmeteria unice ad Fidelium defunctorum sepulturam benedicantur, ac reconcilientur, ex Orationibus constat, quæ tunc adhibentur, præsertim vero ipsa præsenti Oratione, *Domine pie, qui agrum figuli &c.* ubi inter alia Christum Dominum Sacerdos ipse precatur, ut Cœmeterium peregrinorum suorum cælestis Patriæ incolatum expectantium benignus purificet, & reconciliet, & in eo tumulatorum, & tumulandorum corpora de potentia, & pietate suæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscitet.

# CAPUT XXXIII.

## *Ritus absolvendi, & benedicendi Populos, & Agros ex Apostolicæ Sedis Indulto.*

I. Si editionem Romani Ritualis spectemus, quæ jussu Pauli Papæ V. facta est primum anno MDCXIV. desideratur in ea quidem hic ritus absolvendi, & benedicendi Populos, & Agros, nam constat ex Libris Sacræ Rituum Congregationis, ritum ipsum concinnatum, ordinatum, approbatumque fuisse die XXI. Aprilis anni MDCXXXV. confirmatum deinde die 1. Octobris ejusdem anni ab Urbano Papa VIII. Hinc in editione Romana hujus Romani Ritualis facta anno MDCLVIII. typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ac in aliis deinde editionibus per Orbem factis formula ipsa legitur, sed in fine tamen Ritualis, uti videre est in Patavini Seminarii editione MDCCXXXIV. Laudandus autem BENEDICTUS Papa XIV. qui in editione Romana anni MDCCLII. apud Generosum Salomonium, prædictum ritum, seu formulam absolvendi, & benedicendi Populos, & Agros, proprio loco inseri jussit, Capiti scilicet, quod inscriptum est, *De Benedictionibus*, tametsi forte opportunior locus fuisset inserendi illam Titulo III. hujus Operis post Caput V. quod est, *De modo absolvendi a Suspensione, vel ab Interdicto &c.* de quo supra Tomo I. diximus. Cum enim ibi præscriptus sit ritus, & forma adhibenda in absolvendis personis singillatim, non autem in communi, opportunius forte ritus iste ad Caput illud referri poterat.

II. Quidquid de ea re sit, illud recte statutum fuit, ut, cum non raro casus detur, in quo non una tantum persona, sed integer Populus, ac Locus, Excommunicationis, & Interdicti localis, ut ajunt, vinculo innodetur, peculiaris hæc formula adhibeatur, absolvendi Populum, & benedicendi Agros, qui, ut infra dicemus, ob Interdicti causam steriles effecti erant. Porro Interdictum, quo in vindictam publici flagitii, aut contumacis infractionis Canonum, Regnum, aut Civitas, Oppidumve, a Divinis omnibus suspenditur, non fuisse in usu prioribus Ecclesiæ Sæculis, eruditi Canonistæ, Theologique probant duobus hisce præsertim argumentis. Primo, quia quæ habita sunt quinque prioribus Sæculis Concilia, quique tunc scripsere Patres, Interdictum, de quo agitur, quodque est Censura, qua Sacramentorum dispensatio, publica Divinorum Officiorum celebratio, atque Ecclesiasticæ sepulturæ usus prohibentur, nusquam meminere. Secundo, quia Ecclesia Christiana plerasque tum excommunicationis species, tum cæremonias a Veteri Testamento, & Judæorum Synagoga hausit; ac proinde cum Interdicti usus nusquam apud Judæos obtinuerit, mirum non est, quod apud Christianos prioribus Ecclesiæ Sæculis locum minime habuerit.

III. At vero illud negari non potest, quin nonnulla Ecclesiastici Interdicti vestigia visa sint sexto, septimo, nono, decimo, & undecimo Sæculo. Nam primo Gregorius Turonensis, qui scripsit Sæculo sexto, tria recenset facta, quæ ab hodiernis Interdictis non multum discrepant. Ergo Lib. V. Historiæ Francorum, Cap. XXXII. asserit, S. Dionysii Templum, ob perpetratam in eo cædem, aliquandiu fuisse clausum, intermissamque in eo Divinorum Officiorum celebrationem. Lib. X. Cap. V. refert, Episcopum Pictaviensem ad Chroldieldem scripsisse, se nec celebraturum Pascha Domini, nec administraturum Baptisma, nisi dimitteret Abbatissam. Propius autem ad Interdictum, de quo in præsenti agimus, spectare videtur, quod ait Libro VIII. Cap. XXXI. Cum enim Prætextatus Episcopus Rothomagensis in Ecclesia ipso die Paschatis Divina Officia peragens, fuisset trucidatus, *Leudovaldus Episcopus Epistolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio, Ecclesias Rothomagenses clausit, ut in his Populus Solemnia Divina*

*vina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris.*

IV. Notam præterea fuisse Sæculo VII. Interdicti pœnam, licet Interdicti nomen recentius sit, docet nos Synodus Toletana XIII. habita anno DCLXXXIII. ubi Canone VII. ita statuit: *Quicumque Sacerdotum, vel Ministrorum deinceps causa cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut Altare Divinum, vel vestibus sacratis exuere præsumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accingi, seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia de Templo Dei subtraxerit, vel extingui præceperit &c. & loci sui dignitate se noverit, & honore privari.* Alludit ad ritum, quo Interdicta Ecclesiastica eo tempore infligebantur, Claudebantur Ecclesiæ, Officia Divina suspendebantur, Altaria sacris vestibus denudabantur, cilicioque in signum luctus operiebantur, Cruces quoque, & Reliquiæ Sanctorum spinis accingebantur. Hinc Ægidius Aureæ Vallis in Gestis Leodiensium Pontificum loquens de excommunicatione Ducis Brabantiæ sic habet: *Decretumque est in ipso Concilio, ut Imago Crucis, & Sanctorum Reliquiæ spinis circumdatæ in omni prosternantur Ecclesia, totiusque Diœcesis Organa suspendantur, festivisque diebus fiat proclamatio pro prædicto scelere.*

V. Similem ritum observatum fuisse Sæculo IX. in pœna Interdicti inflicti ob violatam immunitatem Ecclesiæ, & Sacerdotii, ob captumque per vim, & custodia detentum Joannem Papam VIII. testantur antiqui Annales Francorum ad annum DCCCLXXVIII. *Landebertus Witonis filius, & Albertus Bonifacii filius Romam cum manu valida ingressi sunt, & Joanne Romano Pontifice sub custodia retento, Optimates Romanorum Fidelitatem Karlomanno sacramento firmare coegerunt, quibus inde discedentibus, idem Pontifex Domum S. Petri ingressus, omnes thesauros, quos ibi reperit, ad Lateranis transtulit, & Altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem Ecclesiæ clausit, nullumque ibi Officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est; &, quod dictu nefas est, omnibus undique illuc orationis causa venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia confusa.* Qua de re Joannes ipse in Epistola sua LXXXIV. ita inquit: *Nam ipsis diebus nec vestis fuit super Altare S. Petri, nec aliquod ibi Nocturnum, vel Diurnum Officium ex more celebratum.*

VI. Luculentius Interdicti exemplum occurrit plane circa annum DCCCLXX. quo Hincmarus Laudunensis Episcopus Ecclesiam suam illigare conatus est hujusmodi Interdicto, ut fidem faciunt hæc verba Hincmari Rhemensis Antistitis, a quo ea de re graviter increpatur in Opusculo LV. Cap. VIII. *Causa injuriarum suarum, sicut in petitione ab Ecclesia Laudunensi data continetur, Presbyteros, & Diaconos, ac reliquos Clericos, non accusatos, nec confessos, nec convictos, ab omni Ecclesiastico Officio excommunicasti, & ut nemo sacra Missarum Solemnia in sua Parochia celebraret, indixisti.* Idem apertius testatur, Cap. XXX. sic inquiens: *In tua Parochia*, idest, Diœcesi, *nemo in necessitate mortis baptizari, nemo Communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione poterat.* Exemplum Sæculi X. quo Interdictum, vel saltem ejus species in usu fuit, habemus quidem apud Ademarum S. Eparchii Engolismensis Monachum, qui licet claruit initio Sæculi XI. scripseritque anno MXX. hæc tamen ad Chronici sui annum CMXCIV. habet de Alduino Lemovicensi Episcopo: *Sæpe idem Alduinus pro nequitia Populi novam observantiam constituit, scilicet, Ecclesias, & Monasteria, cessare a Divino cultu, & sancto Sacrificio, & Populum quasi paganum a Divinis laudibus cessare, & hanc observantiam Excommunicationem censebat.* Atque hic nota, licet *Interdicti* vox ante undecimum Sæculum vix fuerit in usu, rem tamen, quæ per eam significatur, alicubi saltem obtinuisse; unde eam Ademarus novam etiam labente Sæculo X. observantiam appellavit; novam scilicet respectu aliquarum Ecclesiarum, in multis enim Interdicta jam longe ante fuerant in usu, uti ex dictis hactenus liquet.

VII. Quod vero Sæculum XI. spectat, Fulbertus Episcopus Carnotensis, qui Christi anno MXXVIII. obiit, ad Interdictum ipsum alludens, in Epistola sua XCIII. data ad Robertum Francorum Regem, qui Galliæ Principes, & Episcopos Aureliam vocaverat, ut cum eis de pace componenda consilium haberet, ita quidem scripsit: *De pace componenda gaudeo, sed audito, quod Aureliana Civitas, videlicet incendio vastata, sacrilegiis profanata, & insuper Excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror, & paveo. Quanto dolore putas afficiendos esse Sacerdotes Fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei, & tuam, ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint, ubi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi sacrosanctam Eucharistiam absolute percipere.* Atque hic nota Generale Interdictum locorum, quod, ut passim Theologi, & Canonistæ docent, illud dicitur, cum non solum Regno, & Provinciæ, sed etiam, cum uni Civitati, Castro, aut Villæ Divinis interdicitur. Speciale enim est ex eorundem sententia, cum inter plures Ecclesias paucæ, vel una tantum suspenditur a Divinis.

VIII. Paucis post Fulbertum annis, anno nimirum MXXXIV. Lemovicis habitum est Concilium, in quo Oldericus Abbas, ut Pontificem bellis vexatum sublevaret, author fuit Episcopis, ut excommunicarent Civitates, quæ paci non acquiescerent. Excommunicationis autem nomine, idem a Patribus Lemovicensibus intellectum fuisse, quod nunc intelligitur nomine Interdicti, demonstrant verba, quibus mox laudatus Oldericus Abbas datum a se consilium ita plane expressit: *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem Terram Lemovicensem publica Excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo, nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu, & infra, in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum Officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam Signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia, & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, & Cruces, & ornamenta abscondantur, quia signum luctus, & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tantum, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, Altaria induantur, & iterum nudentur. Nemo in ipsa Excommunicatione uxorem du-*

*ducat. Nemo alteri osculum det. Nemo Clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum, aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti Principes, & Capita Populorum per omnia obediant Concilio. Siquis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur, nisi cum digna pœnitentia.*

IX. Gregorio Papa VII. qui ad Apostolorum Principis Cathedram anno Christi MLXXIII. evectus fuit, frequentiora, quam antea, visa sunt Interdicta. Ipse namque Interdictis illigavit integra Regna, & aliis Episcopis, ut idem agerent, fuit exemplo, uti constat ex variis ejusdem Pontificis Epistolis, ac præsertim ex Epistola LXXXI. Libri I. Epistolis V. & XXIII. Libri II. & Epistolis XVI. & XVIII. Libri VII. in quibus Interdicti censuram expresse commemorat. Interdicti sub proprio nomine, & suspensionis a Divino servitio meminit non uno in loco Ivo Carnotensis Episcopus, ex quo etiam docemur, ineunte Sæculo XII. quo ipse claruit, Galliarum Episcopos sæpius Interdictis usus fuisse: *Præcipit itaque Stampensi Archipresbytero*, ait Ivo in Epistola L. ad Richerium Senonensem, *ut vel eos ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis, & locis, in quibus morantur, Divinum Officium interdicat*. Expressius autem in Epistola LXII. sic scribit: *De Clericis autem, vel Monachis Puteacensibus, qui contra Interdictum vestrum Missas celebraverunt, mortuos sepelierunt, hoc vobis consulo, & respondeo &c.* Varia Interdictorum exempla occurrunt apud Baronium Sæculo Christi XII. ante Pontificatum Alexandri Papæ III. ac præsertim illud, cui Ivo Cardinalis Legatus Innocentii Papæ II. anno MCXLII. supposuit Franciæ Regnum, ob contumaciam Regis Ludovici VII. ac illud præterea, cui anno MCXLVIII. Regni Anglorum, ob Stephani Regis contumaciam, subjecit Eugenius Papa III. demumque illud, cui Hadrianus IV. anno MCLV. ob vulneratum Cardinalem, Urbem ipsam Romam supposuit. Ex quibus omnibus patet, quod post Natalem Alexandrum, Tomo II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, aliosque Scriptores notavit Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione XII. *De Censuris*, Quæstione V. Cap. IV. Articulo I. num. 6. perperam, & imperite nonnullos scripsisse, ante Pontificatum Alexandri III. qui inauguratus fuit anno MCLIX. Interdicti memoriam nullam extare.

X. Illud vero fateri cogimur, quod, licet speciem aliquam Interdictorum habeamus in locis ex Gregorio Turonensi, qui claruit Sæculo VI. superius recensitis, cum tamen admodum rara, & extraordinaria essent memorata Interdictorum exempla, nec per omnia conformia illis, quæ Jura posteriora de hac Censura Interdicti edicunt, recte censent non pauci Viri eruditi, quibus etiam adhæret Vanespen, Parte III. Juris Ecclesiastici universi, Tit. XI. num. XIX. originem ejus referendam potius esse ad Sæculum decimum, aut undecimum; creduntque Interdictum præsertim generale præcipue cœpisse frequentari, quando Principes particulares, qui sub Carolo Magno, ejusque successoribus dumtaxat fuerant Provinciarum Gubernatores, se in earum Dominos absolutos erexerunt. Ut enim horum contumaciam frangerent Episcopi, generali Provinciarum, aut Civitatum Interdicto, uti cœperunt; ut Populus tædio affectus etiam ipsum Principem ad obedientiam quodammodo adigeret. Porro cur circa nonum Sæculum frequentius, quam antea fuerit Interdictorum usus, duplicem rationem post citatum Vanespen, num. XXII. assignat laudatus Jueninus citato superius loco: *Id factum*, ait, *quod ex Carolovingiorum familiæ ruinis Principes, qui in Gallia, Italia, & Germania, ingenti numero consurrexerant, sæpius Excommunicationem, qua multati fuerant, parvi penderent; par igitur fuit, ut generalis Interdicti Censura compescerentur. Præterea, circa idem tempus Episcopatibus Comitatus, Ducatus, Marchionatus adscripti fuere; subditæ vero Civitates parere nonnunquam detrectabant; coacti igitur fuere Præsules eas Interdicti pœna redigere in ordinem, cum armis non possent*. Idem tradunt & alii Scriptores.

XI. Quum tandem inter effectus Interdicti præsertim, quod generale appellant, & ille recenseatur, ut vel Terra Interdicto percussa infecunda, ac sterilis frequenter evaderet, recte admodum institutus fuit hic ritus, ut non modo Populi ab eo absolverentur, sed & eorum Agri Benedictione donarentur, ad ipsam scilicet sterilitatem tollendam. Patet id quidem, ut alia mittam, celebri exemplo Gravalonensium, quorum terræ quod Interdicti causa sterilitate damnatæ essent, supplices anno MCCXIII. ab Innocentio Papa III. flagitarunt, ut Interdictum, quod olim eisdem fuerat incussum, Apostolica auctoritate amoveret, quo Divina ejus ultio recederet. Annuit Pontifex, datis Archipresbytero de Gravalona Novariensis Diœcesis Literis, quæ extant Lib. XVI. Epistolarum ejus, Epistola XX. quam ad prædictum annum descripsit Rainaldus in Continuatione Annalium Cardinalis Baronii, estque hujusmodi: *Ex parte Communis de Gravalona Novariensis Diœcesis fuit propositum coram nobis, quod, licet Terra ipsorum fundata sit in solo habili, & fecundo, adeo tamen infortunata est, & infausta, ut nec in rebus multiplicari valeat, nec personis, & cum fortuna sibi aliquatenus arridente speratur, quod ab hujusmodi debeat infelicitate consurgere, casibus semper opprimitur improvisis, quod ex eo existimant provenire, quia Terra eadem olim, sicut fama est, propter excessus Dominorum ipsius, supposita fuit sententiæ Interdicti, quæ non creditur fuisse postmodum relaxata. Unde Apostolatui nostro humiliter supplicarunt, ut cum nobis a Beato Petro Apostolo ab ipsa fuerit Veritate promissum, quod,* quæcumque solveris super terram, soluta erunt pariter & in Cælis, *eos ab hujusmodi vinculo absolvere dignaremur, præsertim cum animarum quoque periculum ex hoc sibi metuant imminere. Cum igitur majores propter minorum offensam, & culpa minorum majores quandoque puniri Sacræ Scripturæ doceamur exemplis, piam eorum sollicitudinem, & timorem commendamus in Domino, & speramus, quod Fides, quam de Clavibus Petri gerunt, ipsis utilis esse debeat ad veniam promerendam, cum paralyticum ad pedes Jesu Christi summissum per tegulas fides salvaverit aliena. Verum quia David ad placandam indignationem divinam, quæ culpa ipsius in populum fuerat concitata, Sacrificium Domino legitur obtulisse, nos factis ejusdem, quæ ad nostram* eru-

*eruditionem scripta esse testatur Apostolus, inhærentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Populum dicti loci, ut ad expiandam culpam hujusmodi, & Divinam propitiationem facilius impetrandam, aliquam Domino satisfactionem impendant, monens efficaciter, & inducens, præfatam Interdicti sententiam auctoritate nostra denunties relaxatam, eosdem sollicite commonendo, ut sic in divino timore permaneant, ne quos apud homines Apostolica solvit auctoritas, propria liget iniquitas apud Deum*. Datæ sunt ipsæ Literæ Laterani VI. *Kal. Aprilis, Pontificatus anno sextodecimo*.

XII. Porro videtur Interdictum præsertim generale esse quædam maledictionis Sacerdotalis species, quæ antiquissima est in Ecclesia, quæque effectus sæpe portentosos produxit, quos late recenset Lupus Tomo VI. Operum Editionis Venetæ pag. 255. & seqq. Ut aliqua autem exempla prædictæ maledictionis hoc loco referam, de Milli Persidis Episcopo ita quidem scribit Sozomenus in sua Ecclesiastica Historia Lib. II. Cap. XXVI. *Cum neminem in sua Civitate posset ad Fidem Christianam perducere, ipsam execratus est, statimque discessit. Non longo post tempore cum primarii Viri illius Urbis in Regem peccassent, exercitus cum trecentis elephantis eo profectus, Urbem evertit*. Pedum suorum pulverem Millis contra suam Civitatem excussit. Hunc enim ritum esse quoque maledictionis speciem, ostendunt addita illa Christi Domini verba ex Evangelio Matthæi desumpta, Cap. X. Versu XV. *Tolerabilius erit Terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quam illi Civitati*.

XIII. Episcopus magni nominis fuit olim S. Maclovius, qui & Machutus, seu Machutes, cujus Vitam antiquitus scriptam Sigebertus reconcinnavit, & aptiore stylo exposuit. Is summis Britonum, quorum erat Episcopus, injuriis irritatus, maledictionis jaculum adversus illos, cum inde cum suis abiret, intorsit, sic suos allocutus: *Agamus, Fratres, instanter, cedamus, quæso, patienter. Ita Vir Dei execratus illam pessimam generationem intulit illi meritam maledictionem, quia elongaverant a se benedictionem*. Tum allatis variis Veteris Testamenti exemplis maledictionum a Prophetis vibratarum, ac etiam Christi Domini, qui in ficulnea propter infecunditatem ejus a se maledicta, & arefacta execrationi subjecit dignam maledictione Judæorum perfidiam, ita deinde Sigebertus subdit; *Hoc exemplo B. Maclovius maledicit suis, ut traditi Satanæ in interitum carnis, animabus tamen reservata spe salutis, desisterent ab opere iniquitatis; & qui propter duritiam cordis sui thesaurizaverunt sibi Dei iram, tandem emolliti per pœnitentiam, reconciliarent sibi Dei misericordiam*. Quis vero effectus hujus maledictionis, seu excommunicationis, quæ est species quædam maledictionis, quia anathema est, uti docet post alios Gretserus Lib III. *De Maledictionibus*, Cap. VIII. memoratus Sigebertus his verbis recenset, quibus lucis plurimum Ritui in præsenti Capite præscripto affertur; *Homines illi*, ait, *qui in Brittannia Virum Dei exacerbaverunt, & improbitate obstinationis suæ se, Terramque suam, ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere impiorum maledicta tam in frugibus, quam in pomis omnium generum sterilis, & infructuosa est reddita. Habitatores vero ejus mille modis morborum devorati; alii membrorum debilitate cœperunt contrahi, alii lepra squalebant, alii visu se privari dolebant, isti oris officio se destitui, alii se auditu plangebant diminui; nec aliquis erat omnium, qui cælestis vindictæ effugeret judicium*.

XIV. Pergit Sigebertus, aliaque recenset, quæ ritum nostrum, ut in sequentibus Paragraphis videre est, quammaxime illustrant; *Tandem per culpæ vindictam cognoscentes sero culpam suam, nec volentes, nec valentes ultra sufferre maledictionis, & ultionis molestiam, communicato consilio, deliberaverunt a S. Viro humiliter implorare veniam. Missa itaque ad eum legatione, poscunt cum cordis contritione, ut absolvantur ab illata maledictione, spondentes, si eos dignaretur sua revisione, deinceps se ei obtemperaturos sine aliqua contradictione, Amator pietatis, & misericordiæ Maclovius, ubi pœnitentiam patriotarum accepit, summam consilii ad Leontium Venerabilem detulit. Leontius hanc ad ipsum Deum referendam censuit. Uterque, indicto sibi triduano jejunio, exorant, sibi revelari a Domino, quid super hoc sibi esset opus facto. Inter orandum Angelus Domini Maclovio adstitit, eique ex ore Dei hæc suggessit*, Oportet, te, o amice Dei, Brittaniam revisere, omnemque maledictionem auferre, homines salutifera Benedictione sanare, Terræ ubertatem restituere. Deinceps debes Santonas repetere, quia illic habes propediem obire.

XV. Concludit tandem Sigebertus, effectumque refert Benedictionis datæ Populo pœnitenti, Terræque illius a S. Episcopo, sic inquiens; *Sanctus itaque Vir secundum Angelicam revelationem repatriavit, Terram, homínesque sua Benedictione sanctificavit; Deoque largitori omnium bonorum eos orando commendavit. Sicque omnis Terra repleta est dapsili ubertate per ejus Benedictionem, quæ antea damnata fuerat per ejus maledictionem. Ita factum est omnibus palam, quod Pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam malevolentiæ intemperantiam, imo per utilem severitatis benevolentiam, ut per hanc necessitatem saltem inviti traherentur ad pœnitentiam*. Claruit S. Machutus, sive Maclovius, circiter annum DLX. ejusque Festum colitur die XV. Novembris.

## §. I.

Accepto Diplomate Pontificio, constituatur dies Dominica Delegato, & Populo commodior pro ejusdem Diplomatis publicatione, & executionis inchoatione.

## COMMENTARIUS.

I. Plura, quæ ad explicationem hujus §. facere possunt, jam nos explicuimus supra Tomo I. Titulo III. in Commentariis ad Caput V. quod inscriptum est, *De modo absolvendi a Suspensione, vel ab Interdicto &c.* Sed multa adhuc sunt in hoc, & sequentibus Com-

Commentariis explicanda quoad ritum absolvendi Populos a generali Interdicto Apostolicæ Sedi reservato, ac benedicendi Agros, qui, uti supra adnotavimus in Præfatione ad Rubricam hujus præsentis Capitis, Interdicti causa steriles evadere solent. Videtur enim esse Interdictum species quædam maledictionis Sacerdotalis, quæ antiquissima est in Ecclesia, de qua vide quæ diximus nos ad calcem memoratæ Præfationis. Sed ut in præsenti nostrum §. enarremus, mandat hic quidem, ut, *accepto Diplomate Pontificio*, pro ipsa scilicet Absolutione ab Interdicto generali, *constituatur dies Dominica Delegato, & Populo commodior pro ejusdem Diplomatis publicatione, & executionis inchoatione*. Diploma ipsum supponit jam supplicationem Summo Pontifici porrectam, in qua exprimi debet damnum præsertim spirituale a Populo passum ob Interdictum sibi inflictum.

II. Recte autem dies Dominica constituitur, ut ita omnibus ab operibus Populus cesset, & ad hanc Solemnitatem accedere valeat, nec ullus absolvendorum excusetur. Cum enim quisque Fidelis, ut observat Barrufaldus in suo ad hunc §. Commentario, num. 9. teneatur die Dominica adire Ecclesiam, ut Missam audiat, hac occasione huic functioni interesse poterit. Cæterum ex præscripto nostri §. dies ipsa Dominica notata, debet esse, & Delegato Pontificio, & Populo absolvendo commoda, ut vel inde addiscamus, si alia festiva dies videatur utrique commodior, eam utique ad ipsam functionem peragendam, absolvendi scilicet Populum, Agrosque benedicendi, recte posse assignari. Minister tandem hujus Absolutionis, Benedictionisque a Romano Pontifice delegatus summo honore excipi debet, præsertim si in dignitate constitutus sit, quales utplurimum solent esse delegati a Papa. Hinc Innocentius Papa III, ubi a Gravalonensibus rogatus, ut ab eorum Terra amoveret Interdictum, quod olim eidem fuerat Apostolica auctoritate incussum, eam facultatem Archipresbytero de Gravalona commisit, datis ad eum Litteris, quas supra in citata Præfatione descripsimus. Cui & alia addi possent exempla, quæ in ejusdem Pontificis Literis occurrunt.

## §. II.

Die constituta, mane fiat Concio, qua doceatur Populus de contentis in Diplomate Pontificio, & de præparatione ad futuram Absolutionem, & Benedictionem. Deinde Missa celebretur a Delegato pro remissione peccatorum sine *Gloria in excelsis*, cum unica Oratione, & *Credo*, in paramentis violaceis; qua finita, deposita Casula, & Manipulo, induatur Celebrans Pluviali violaceo; &, si sit Episcopus, Mitram simplicem assumat; & omnibus genuflexis ante Altare, cantentur Litaniæ Sanctorum, omissis Precibus, & Orationibus post eas dici solitis.

## COMMENTARIUS.

I. Cum in Absolutione a Censuris Apostolicæ Sedi reservatis, attendi omnino debeat tenor Diplomatis, seu Concessionis, quæ, ut notat Vanespen, Parte III. Juris Ecclesiastici universi, Tit. XI. Cap. XI. num. XXIII. in Dataria expediri solet, recte admodum mandat hic noster §. ut accepto Diplomate ipso, de quo in Commentario superiori diximus, *die constituta, mane fiat Concio, qua doceatur Populus de contentis in Diplomate Pontificio, & de præparatione ad futuram Absolutionem, & Benedictionem*. Non ergo sufficit simplex Diplomatis lectio, sed necessaria est Concio, quæ fieri vel ab ipso Delegato, vel ab alio potest, in qua & contenta in Diplomate, opera scilicet siquæ ibi fuerint præscripta, & quæ præmitti futuræ Absolutioni, Benedictionique debent, ad Populi captum plene, solideque explicentur. Dolendum certe, multos hodie inveniri Fideles, qui nec Censuris terrentur, neque in Ecclesiasticis functionibus, ad Divinarum rerum cultum excitantur, quia nimirum plerique animarum Pastores, sua quærentes, non quæ Jesu Christi, nunquam in Concionibus suis, siquas habent, Censurarum vim, Functionumve Ecclesiasticarum, quales inter alias sunt, Absolutiones ab ipsis Censuris, ac quarundam rerum Benedictiones, de quibus suis locis late diximus, mysteria, & documenta Populo exponunt. Esse id unum ex præcipuis non modo Parochi, sed & Episcopi muniis, testatus est quidem inter alios S. Carolus in suis Provincialibus, & Diœcesanis Conciliis, Actisque Ecclesiæ Mediolanensis.

II. Facta Concione, mandat hic idem noster §. ut *deinde Missa celebretur a Delegato pro remissione peccatorum*, *sine* Gloria in excelsis, *cum unica Oratione*, & Credo, *in paramentis violaceis*. Sane cum ritus ipse absolvendi, & benedicendi Populos, & Agros ex Apostolicæ Sedis Indulto, solemniter ab Apostolico Delegato peragi debeat, jam optime statutum fuit, ut Missa celebretur, & quidem solemnis ab ipso Delegato *pro remissione peccatorum*. Ante Pium V. qui Missale Romanum reformavit, fuisse in usu hanc Missam, notavit Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XVII. num. 21. ubi etiam observat, legi in Sacramentario S. Gregorii Orationem *pro remissione peccatorum*. Extat hodie in Romano Missali inter Missas Votivas Missa inscripta sub hoc Titulo, *Missa pro remissione peccatorum*, licet in Missalibus antiquioribus, ac præsertim in Missali Romano Lugduni edito anno MDLXXVIII. Titulus prædictæ Missæ ita inscriptus sit, *Missa pro peccatis*. Sed hoc obiter dicto, quod ait noster §. ut Missa dicatur *sine* Gloria in excelsis, *cum unica Oratione*, & Credo, *in paramentis violaceis*, concinit quidem Rubricis Romani Missalis, Parte I. Tit. VIII. & Tit. XI. in quibus præscriptum habetur, numquam dicendum in Missa votiva solemni pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, *Gloria in excelsis*, si ea cum paramentis violaceis celebretur;

tur; sed dicendum tamen Symbolum, licet violacea paramenta adhibeantur. Forte ratio ejus discriminis illa est, quod Missa ista, licet pœnitentialis sit, atque iccirco excludat Hymnum lætitiæ, qualis est Hymnus Angelicus, idest, *Gloria in excelsis &c.* admittit tamen Symbolum, idest, Fidei professionem, quæ ad eam functionem, de qua agimus, quodammodo pertinet.

III. Missa finita, statuit noster §. ut, *deposita Casula, & Manipulo, induatur Celebrans Pluviali violaceo; &, si sit Episcopus, Mitram simplicem assumat*; & omnia peragat ritu Pontificali, juxta notata in Cæremoniali Episcoporum, quod & nos etiam Commentariis perpetuis illustravimus. Porro finita Missa ex ejusdem §. nostri præscripto, *omnibus genuflexis*, apertis scilicet capitibus, *ante Altare cantantur Litaniæ Sanctorum, omissis Precibus, & Orationibus post eas dici solitis*. De ipsis Sanctorum Litaniis jam & nos late egimus supra Tomo I. in Commentario ad Caput III. Tituli V. Recte autem præsenti functioni, ac ritui absolvendi, & benedicendi Populos, & Agros ex Apostolico Sedis Indulto, Litaniæ Sanctorum præmittuntur, ut Deus nostris culpis offensus, & pœnitentia placatus, desideratam nobis suæ propitiationis abundantiam, peccatorum Absolutionem, & Benedictionem, multiplicatis intercessoribus largiatur.

## §. III.

Sedeat Delegatus, finitis Litaniis cooperto capite in Sede sibi parata super scabello Altaris, vel in Sede Episcopali, si est Episcopus, seu super Faldistorio posito super dicto scabello, cum duobus Ministris paratis more Diaconali, & Subdiaconali sine Manipulis, adstantibus hinc inde a lateribus omnibus de Clero, & alta voce ab aliquo legatur Diploma, audiente Populo; quo lecto, dicat Delegatus, *Deo gratias*.

## COMMENTARIUS.

I. Finitis Litaniis, ex præscripto hujus §. *sedet Delegatus cooperto capite in Sede sibi parata super scabello Altaris, vel in Sede Episcopali, si est Episcopus, seu super Faldistorio posito super dicto scabello &c.* Atque hic nota differentiam inter Delegatum simplicem Sacerdotem, & Episcopum, itemque inter Episcopum proprium, extraneumque; proprius enim pro suo arbitrio sedet in Sede Episcopali, vel in Faldistorio, extraneus autem non nisi in Faldistorio, juxta regulam non uno in loco in Episcoporum Cæremoniali præscriptam. Forte etiam Abbas, quem appellant Mitratum, si fuerit ad hanc functionem peragendam Delegatus, sedere & in Faldistorio poterit, nullo autem modo simplex Sacerdos quicumque is sit; sedere enim debet, ut ait hic noster §. *in sede sibi parata super scabello Altaris*.

## §. IV.

Tum nomine Populi ille, qui pro Diacono assistit, profunde inclinatus a sinistris Delegati facit Confessionem in cantu: *Confiteor Deo Omnipotenti &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Sicut in Sacramento Pœnitentiæ ex antiquo ritu, de quo diximus supra Tomo I. Tit.III.Cap.I.in Commentario ad §.XV.ita & in hac functione generalis Confessio Absolutioni præmittitur. Diaconus more solito hanc facit profunde inclinatus a sinistris Delegati, & quidem in cantu, juxta notas verbis ejusdem Confessionis affixas, ad majorem sacræ functionis solemnitatem, ut ad hunc §. notat Barrufaldus in suis ad Rituale Romanum Commentariis Tit. XCI. num. 16. ubi etiam ait, laudabile esse, si Confessionem ipsam, quam Populi nomine in cantu facit Diaconus, unusquisque secreto, & saltem corde prosequatur, profunde scilicet inclinatus, & manibus junctis, sicut Diaconus; cum enim is in eo corporis situ nomine Populi Confessionem pronunciet, consentaneum est, ut & Populus eum ritum observet, etiamsi, nec secreto, nec corde ipsam Confessionem recitet. Cæterum sicut Diaconus ad ea Confessionis verba, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, juxta generalem ejusdem Confessionis regulam, ter debet manu dextra pectus percutere, ita quoque facere debet & Populus.

## §. V.

Qua finita, si est Episcopus, assumpto Baculo Pastorali in sinistra manu, & adhuc sedens cooperto capite incipit Psalmum L. *Miserere mei Deus &c.* & prosequitur alium Psalmum LXVI. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.* super universum Clerum, & Populum genuflexum recitando tales Psalmos sine cantu, alternatim a Delegato, & a Clero.

## COMMENTARIUS.

I. Facta Confessione, ex præscripto nostri §. *si est Episcopus, assumpto Baculo Pastorali in sinistra manu, & adhuc sedens cooperto capite, incipit Psalmum &c.* Baculus Pastoralis est quidem Episcopi insigne, cum quo varias ex antiquo ritu, de quo diximus in Prolego-

gomenis, & Commentariis ad Romanum Ponificale, solet Ecclesiasticas functiones peragere, ac præsertim solemnes Absolutiones, Benedictionesque. Psalmi præscripti, *Miserere mei Deus &c.* &, *Deus misereatur nostri &c.* ad pœnitentiam spectant, & ad implorandam Divinam misericordiam erga Populum pœnitentem, cujus etiam mentio in citato Psalmo, *Deus misereatur nostri &c.* pluries occurrit. In Absolutione ab Excommunicatione, solet quidem Sacerdos, dum ipsum pronunciat, excommunicatum in humero usque ad camisiam exclusive denudato virga, aut funiculis leviter percutere juxta notata superius Tomo I. in Commentariis ad Caput III. Tituli III. Sed cum Absolutio, de qua in præsenti agimus, sit universalis totius Populi, non vero unius personæ, ideo ejus cæremoniæ nulla fit mentio. Recitandos Psalmos ipsos super universum Clerum, & Populum genuflexum, & quidem *sine cantu alternatim a Delegato, & a Clero*, statuit demum idem noster §. Esse autem antiquum ritum, ut Psalmi alternis choris dicerentur, pluribus probat inter alios eruditus Martene Lib. I. *De antiquis Monachorum ritibus* Cap. II. num. 44. & seqq. de eoque ritu jam nos abunde alias diximus.

## §. VI.

Quibus finitis, Delegatus stans detecto capite, Baculoque deposito, si est Episcopus, versus Populum manibus junctis dicat: *Kyrie eleison.* Respondet Chorus: *Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvos fac servos tuos.* ℟. *Deus meus sperantes in te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.* ℣. *Esto eis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℟. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

### COMMENTARIUS.

I. Concinit hic plane ritus ritui illi, qui ex antiquo Ecclesiæ instituto servatur in Absolutione ab Excommunicatione in Foro exteriori, de quo supra diximus Tomo I. hujus Operis Titulo III. Cap. III. in Commentario ad §. V. ubi eædem Preces, eademqne Oratio in hoc nostro præsenti §. notatæ leguntur, mutato singulari numero in plurativum. Porro quod hæc generalis totius Populi Absolutio solemniori ritu peragi soleat, ac illa singularis personæ excommunicatæ, hinc puto factum, quod ubi Oratio ipsa in singularis personæ Absolutione brevioribus verbis concludatur, nempe, *Per Christum Dominum nostrum*; in præsenti longior conclusio adhibeatur, nimirum, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat &c.* Sed licet hæc differentia sit levis momenti, placuit nihilominus & eam in hoc Commentario advertere, in quo nihil aliud occurrit, quod nos adnotemus.

## §. VII.

Deinde sedens Delegatus cooperto capite, & si est Episcopus, assumpto Baculo, dicit: *Misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens, & misericors Dominus.* Manuque dextera super Populum extensa addit: *Auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, a Sanctissimo Domino nostro Papa N. mihi concessa, absolvo vos, & omnes hujus loci ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis etiam in Literis die Cœnæ Domini solitis legi contentis per vos incursis, quas modo ignoratis, juxta tenorem Pontificii Diplomatis proxime lecti. Et restituo vos communioni, & unitati Fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si est Episcopus, facit ter signum Crucis.

### COMMENTARIUS.

I. Ea quoque & hic præscribuntur in generali totius Populi Absolutione, quæ in personæ particularis Absolutione, statuta superius fuere citato Capite III. Tituli III. qui inscriptus est, *De Absolutione ab Excommunicatione in Foro exteriori*, eo tamen servato in utramque Absolutionem discrimine respectu absolventis, ut, si nimirum is sit simplex Sacerdos, li-

licet etiam dignitate aliqua insignitus, ubi in fine Absolutionis dicit is, *In Nomine Patris &c.* semel signum Crucis faciat; si vero Episcopus, ter, & quidem semel ad unamquamque Sanctissimæ Trinitatis Personam, juxta antiquum probatumque Ecclesiæ ritum, de quo vide Sanctissimum Dominum Nostrum BENEDICTUM Papam XIV. in sua Constitutione peculiari, quam edidit pro Methodo Indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni statis diebus super Populum elargiendæ, quamque nos integram describemus infra sequenti Capite, quod ritum ipsum præscribit, quodque laudatus Pontifex omnium primus Romano Rituali inserendum statuit.

## §. VIII.

Tunc Delegatus adhuc sedens per se ipsum, vel alium firmioris vocis, indicet dies tres sigillatim pro jejunio, & decernat diem Dominicam sequentem, vel aliam arbitrio suo, pro Communione, Benedictione Agrorum, & Populi, & Indulgentia plenaria.

## COMMENTARIUS.

I. Data Absolutione, quo magis magisque Populus ad sumendam Eucharisticam Communionem, & accipiendam Apostolicam Benedictionem in suam ipsorum, Agrorumque suorum utilitatem, se præparet, *Delegatus adhuc sedens*, ut ait noster §. *per se ipsum, vel alium firmioris vocis indicit tres dies sigillatim pro jejunio &c.* Quanta sit virtus jejunii ad promerendam Dei misericordiam, & ad calamitates avertendas, luculentissimis testimoniis Divinarum Scripturarum, Sancti Ecclesiæ Patres ac Synodi omni ævo demonstrarunt, ipsaque Ecclesia in Orationibus tempore præsertim Quadragesimæ passim ostendit. Quum hoc autem jejunium in præsenti functione loco publicæ pœnitentiæ habeatur, hinc est, quod ex nostro §. speciatim indicendum est, assignando tres dies sigillatim, non vero in genere, sed dies nominando, qui subsequentes esse possunt, & continuo, ac etiam, prout libuerit, disgregati, excepto semper die Dominico, in quo jejunium vetitum semper in Ecclesia fuit, uti probavimus Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem XX. Concilii Generalis I. Nicæni. Sane censet Barrufaldus in suo ad hunc præsentem §. Commentario num. 23. ut jejunium istud majori congruentia fiat, statui illud posse servandum Feria IV. Feria VI. & Sabbato, ad tenorem jejunii Quatuor Temporum. Indictio autem hujus jejunii adeo est necessaria, ut clara, & alta voce fieri debeat ab ipso Delegato, si potest, ad hoc ut omnes distincte eam indictionem intelligant; & si ad id efficiendum Delegati vox non valeret, supplere debet vox plenior, firmiorque alicujus Ministri ex iis, qui Delegato in ea sacra functione inserviunt, præsertim vero Diaconi.

II. At vero addubitari nequit, quin Episcopi, ipsique Romani Pontifices non modo extraordinaria, sed etiam certis annis temporibus affixa jejunia inter concionandum Populo denunciarent, ejusque disciplinæ testes habemus S. Augustinum, & S. Leonem Magnum, quorum primus in Sermone LX. de tempore sic inquit: *Publice jejunium indicimus, & vidente toto Populo, pariter cum ipso jejunamus.* Alter vero variis Sermonum suorum locis eandem veterem consuetudinem confirmat allatis ab erudito Bernardino Ferrario, Lib. I. *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, Cap. XXVIII. ubi etiam ex antiquo Romano Ordine apud Hitorpium varias verborum formulas recenset, quibus solerent jejuniorum, ac vigiliarum tempora populo indici. Quod autem Sancti Episcopi veteres æque ac recentiores ad Deum placandum, ad ejusque avertenda flagella trinum jejunium solerent indicere, ex eorum Vitis liquet, a Surio, & a Bollandianis collectis, atque in variis Tomis descriptis.

III. Præter jejunium, mandat noster §. ut Delegatus, aliusve Minister firmioris vocis, *decernat diem Dominicam sequentem, vel aliam arbitrio suo pro Communione, Benedictione Agrorum &c.* Ubi nullum adsit impedimentum, optimum plane esset, ut Communio ista generalis die Dominica peragatur; hæc enim fuit vetus Ecclesiæ disciplina longo Sæculorum usu comprobata, ut ea die, tum apud Græcos, tum apud Latinos, Christiani communicarent. Certe Auctor Sermonis XXV. inter adscriptos S. Ambrosio in nova Operum ejusdem S. Patris editione sic scribit: *Omnes Christiani omni Dominica debent offerre, & communicare.* Perseverasse Dominicalem hanc Communionem diu apud Monachos, ostendit Martene in Commentario ad Regulam S. Benedicti, Cap. XXXV. Vigebat apud Græcos ea consuetudo tempore Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, qui de iis sic inquit in Capitulis selectis, Cap. XII. quæ extant Tomo IX. Spicilegii Dacheriani: *Græci omni Dominica die communicant, sive Clerici, sive laici; & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicatur.* De Latinis vero hæc addit: *Romani similiter communicant, qui volunt; qui autem noluerint, non excommunicantur.* Id ipsum probari posset ex variis aliorum Scriptorum testimoniis ejusdem ætatis.

IV. Obsoleverat ergo jam Sæculo VII. exeunte, pia apud Christianos laicos consuetudo singulis diebus Dominicis communicandi, quam postmodum excitare, ac renovare studuerunt Reges Francorum, Lib. V. Capitularium, Capite CLXXXII. ubi statuunt, *ut per omnes dies Dominicos, & Festivitates præclaras, sacra Eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est.* Et Lib. VI. Cap. CLXX. ubi inquiunt, ut, *si fieri potest, omni die Dominico communicent.* Sed de his vide, quæ supra latius diximus, Tomo I. in Commentariis ad Titulum IV. *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.* Cæterum recte in hoc nostro §. statutum est, ut dies Dominica, vel alia arbitrio Delegati decernatur pro Communione, Benedictione Agrorum, & Populi, & Indulgentia plenaria, ut scilicet Fideles, jejuniis jam antea peractis, ad eas excipiendas rite recteque se præparent.

§. IX.

## §. IX.

Diè constituta Populus universus debebit communicare, & hora competenti Delegatus cantabit Missam, quæ est ad finem Missalis, sub Titulo, *Pro quacumque necessitate*, cum paramentis violaceis, sine *Gloria*, cum unica Oratione, & *Credo*; & in fine Celebrans benedicit de more; &, si est Episcopus, non dat Indulgentias.

## COMMENTARIUS.

I. PLura sunt, quæ in hoc §. statuuntur, ac primum quidem, constituta die Populum universum debere communicare. Duo sunt, quæ hic adnotemus. I. posse Populum in quacumque sibi libuerit Ecclesia communicare, nisi in Pontificio Diplomate certa ad eam Communionem assignata sit. II. Verbum illud debere, nequaquam præceptum, obligationemque Communionis significare, nec peccatum inducere, siquis Communionem omiserit; sed adhibitum fuisse, ad hoc ut quis lucrari Indulgentiam queat in Diplomate Pontificio iis tantum, qui communicaverint, elargitam, uti ad hunc §. nostrum Barrufaldus notavit.

II. Ex præscripto etiam ejusdem nostri §. *hora competenti Delegatus cantabit Missam, quæ est ad finem Missalis sub Titulo*, Pro quacumque necessitate, *cum paramentis violaceis sine* Gloria, *cum unica Oratione &c.* Missa pro quacunque necessitate, antiqua est in Ecclesia, cantaturque in paramentis violaceis, quia pœnitentialis est, atque præparatoria ad Benedictionem Agrorum, ideoque votivo modo celebratur sine *Gloria in excelsis*; sed ratione tamen solemnitatis cantandum est in ipsa Missa Symbolum, juxta generales Missalis Rubricas, quarum superius jam fecimus mentionem. Porro, ut habet noster §. *in fine Missæ Celebrans benedicit de more*, nempe si est simplex Sacerdos, unicum signum Crucis in Benedictione efformabit, trinum vero, si est Episcopus, uti etiam notavimus supra; & videri possunt de ritu servando ab Episcopis in Missa Pontificali solemni, quæ scripsimus nos in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum. Quod ait demum noster §. quod si est Episcopus, qui celebrat, *non dat Indulgentias*, hoc ideo edicit, quia debet publicare Indulgentiam in Pontificio Diplomate recensitam, quæ major est, pleniorque illa Indulgentia, quam concedere Episcopus potest.

## §. X.

Finita Missa, Delegatus, & duo Ministri assumunt paramenta alba, &, si est Episcopus, Mitram pretiosam; & genuflexis ante Altare cum universo Clero, & Populo cantantur Litaniæ Sanctorum, repetito ter Versiculo, *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus audi nos*. Illisque finitis, Delegatus stans detecto capite, manibus junctis dicit: *Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. Et additur a Clero in cantu, Psalmus LXXXIV. *Benedixisti, Domine, terram tuam &c.* Quo finito, Delegatus dicit. ℣. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. ℟. *Et campi tui replebuntur ubertate*. ℣. *Oculi omnium in te sperant, Domine*. ℟. *Et tu das illis escam in tempore opportuno*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

*Deus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum.*

*Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus assistis, exaudi nos, quæsumus, & concede, ut inposterum inviolabilis hujus loci permaneat Benedictio* ✠, *& tui muneris beneficia Universitas hæc Fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur.*

*Oramus pietatem tuam, Omnipotens Deus, ut fructus terræ, quos aeris, & pluviæ temperamento nutrire dignaris, benedictionis tuæ imbre perfundas, tribuas huic Populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudent Nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. PEractis Missarum Solemniis, ac depositis violaceis paramentis, cum quibus illa celebrata fuerunt, induit Sacerdos ipse celebrans Delegatus, ejusque Ministri paramenta alba, eodem utique modo, quo fieri solet Sabbato Sancto circa finem Litaniarum. Siqui peragit hanc functionem fuerit Episcopus, Mitram etiam pretiosam assumet, quo una cum Ministris, universo Clero, ac Populo genuflexo, cantantur Litaniæ Sanctorum, ut ait noster §. repetito ter Versiculo illo Litaniarum, *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus audi-* nos.

*nos*. Cujus repetitionis rationem eam assignat ad hunc §. Barrufaldus, *quia Benedictio Agrorum tunc incipit, & circa fructificationem illorum principalis intentio est; erat enim prius terra maledicta, spinas, & tribulos producens. Per Benedictionem vero fecunditas illi restituitur*. Sane antiquas esse Litanias Sanctorum, variasque eisdem deprecationes insertas, ostendimus supra Tomo I. in Commentario ad Caput III. Tituli V. Afferri porro variæ possent Litaniæ, in quibus ea deprecatio reperitur, ut nempe Deus fructus terræ dare, & conservare dignetur. In antiqua Sanctorum Litania, quam descripsit Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, pag. 629. & seqq. editionis Lugdunensis, ea deprecatio, seu rogatio ita legitur: *Ut abundantiam frugum nobis donare digneris, Domine Jesu, Te rogamus*.

II. Similia leguntur in multis aliis vetustis Litaniis, quas recenset idem Martene in Libris, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*. Quod quidem recte a Majoribus nostris factum est. Bona enim temporalia ad vitæ conservationem necessaria, ne dum possunt recte a Deo peti, sed etiam debent, quatenus tenemur vitam in Dei obsequium conservare; cum enim ea omnino pendeant ex Divina providentia, consequenter a Deo speranda, & petenda juxta illud Psalmi CXLIV. in §. nostro notatum: *Oculi omnium in te sperant, Domine; & tu das illis escam in tempore opportuno*. Cum vero omnes nos mendici Dei simus, ut ait S. Augustinus Sermone XV. *De verbis Domini*; & Christus in Oratione Dominica panem nostrum quotidianum a Deo petendum esse nos docuerit, merito Ecclesia & eam deprecationem Litaniis inseruit, ut fructus terræ, quibus nutrimur, & vitam sustentamus, dare & conservare dignetur. Cæterum, ut scite notat pius æque, ac doctus Quarti in Appendice, *De Litaniis Sanctorum*, Sectione I. ubi explicat singulas Litaniarum partes, in explicatione prædicti versiculi, duo observanda sunt, ut recte, & juxta mentem Ecclesiæ fructus ipsos terræ a Deo petamus. Primum est, ut secundario, & post bona spiritualia, & æterna, quæ debent esse primo intenta, eos petamus, ut in eisdem Litaniis facit Ecclesia, & quidem juxta Christi Domini præceptum in Evangelio Matthæi, Capite VI. expressum: *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Alterum est, ut alimenta necessaria petamus cum debita moderatione. Unde Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Capite VI. inquit: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Subditque mox hanc rationem: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Addi & his possent alia Scripturæ loca permulta.

III. Ut aliquid tandem de Psalmo LXVI. *Deus misereatur nostri &c.* ac Precibus, Orationibusque in hoc nostro §. post Psalmum ipsum præscriptis dicamus, spectant ipsæ, sicut & Psalmus ad hanc functionem, ad Benedictionem scilicet sterilis terræ, ac Populi pœnitentis, & ad peccatorum remissionem. Antiquissimæ profecto sunt Orationes, & recitari solitæ post Preces in multis aliis Ecclesiasticis Benedictionibus, sacrisque functionibus jam superius a nobis explicatis, potissimum vero tertia Oratio, *Oramus pietatem tuam, Omnipotens Deus &c.* quæ legitur in Sacramentario S. Gregorii Papæ pro Benedictione novorum fructuum, quamque nos descripsimus supra in Commentario ad §. I. Capitis XVIII. quod inscriptum est, *Benedictio novorum fructuum*, num. I. in fine.

## §. XI.

Postea, assumpto Baculo, si est Episcopus, & cooperto capite, dicit Delegatus: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti, super Agros, & bona quæcumque loci hujus plena descendat, & maneat semper. Amen*. Si est Episcopus, facit ter signum Crucis.

## §. XII.

Deinde accepto de manu dignioris de Clero Aquæ benedictæ aspersorio, aspergit versus quatuor Mundi partes, dicens sine cantu, & sine Psalmo Antiphonam: *Asperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor*.

## COMMENTARIUS.

I. DUæ sunt Benedictionis formulæ, quæ a Delegato in hac functione, quam enarramus, pronuntiari debent; & prima quidem est illa Agrorum in duobus hisce Paragraphis contenta, altera Populi, de qua in duobus aliis Paragraphis sequentibus agitur. Quod primam spectat, de qua in præsenti Commentario loquimur, assumpto Baculo, si est Episcopus, & cooperto capite, Mitra scilicet pretiosa, dicit Delegatus, *Benedictio Dei Omnipotentis &c.* ut in §. XI. & dum Personas Sanctissimæ Trinitatis exprimit, ad singulas Crucis signum efformat, juxta antiquum Episcoporum ritum jam sæpe a nobis, & supra in hoc Opere, & in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, & ad Romanum Pontificale, explicatum. Cæterum si qui hanc benedictionem elargitur sit simplex Sacerdos, more solito benedicit, semel Crucis signum faciens post verbum illud, *Patris*, ut in citato §. XI. videre est.

II. Sive autem simplex Sacerdos sit ipse Delegatus, sive Episcopus, data Benedictione, ac-

accepto de manu dignoris de Clero, ait §. XII. *Aqua benedicta aspersorio, aspergit versus quatuor Mundi partes &c.* ad Orientem scilicet, ad Occidentem, ad Meridiem, & ad Septentrionem, quater Aquam benedictam effundens, juxta antiquum probatumque Ecclesiæ ritum absolvendæ Benedictionis cum aspersione Aquæ benedictæ, uti jam dictum superius fuit, Tit. VIII. Cap. I. §. V. Licet autem hæc adspersio ex præscripto nostri hujus §. in Ecclesia fiat, vis nihilominus, & efficacia prædictæ adspersionis etiam ad res longe distantes, & ad fœcundandos Agros extenditur, ut posset exemplis probari permultis, quæ in Vitis Sanctorum occurrunt.

III. Esse quoque pervetustum Ecclesiæ ritum a Veteri Testamento acceptum, ut Episcopus versus quatuor Mundi partes suam Benedictionem impertiat, inter alios notavit eruditus Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ in Sancti Gregorii Septimi Pontificis Septimum Romanum Concilium, in eo Capite, ubi enarrat Sacerdotalis Benedictionis antiquitatem, formam, ac fructus, pag. 249. col. 1. Etenim Simonem Pontificem, & oblata per ipsum Sacrificia laudat Liber Ecclesiasticus, Cap. L. & adjungit de ipsorum conclusione: *Tunc descendens Simon, manus suas extulit in omnem Congregationem Filiorum Israel dare gloriam Deo a labiis suis, & in Nomine ipsius gloriari*. Completo Sacrificio, Populum solemniter benedixit, & elevatis manibus. Quod benedicens Pontifex Simon, manus in quatuor Mundi plagas moveret, atque ita Crucis signum Prophetice formaret, testantur gravissimi ejus loci Interpretes; ex quibus etiam docemur, Christum Dominum post suum in novissima Cœna incruentum Sacrificium, dixisse Hymnum, qui sine dubio inclusit fusam in Discipulos benedictionem. Hinc ergo a Synagoga usitatum, & a Christo Domino confirmatum prædictæ Benedictionis morem Apostoli suis Discipulis tradiderunt, quem merito ad hæc usque tempora retinuit, servatque Ecclesia.

## §. XIII.

Pro benedictione Populi, operto capite, manibus junctis, dicit: *Pater noster*. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Salvos fac servos tuos*. ℟. *Deus meus sperantes in te*. ℣. *Non secundum peccata nostra facias nobis*. ℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis*. ℣. *Mitte nobis, Domine, auxilium de Sancto*. ℟. *Et de Sion tuere nos*. ℣. *Domine exaudi Orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

*Oremus*.

*Protector in te sperantium, Deus, exaudi preces Populi tui, & præsta, ut veniat super nos sperata a te benedictionis ubertas, & pietatis tuæ muneribus jugiter perfruamur. Per Dominum*.

## COMMENTARIUS.

I. Agrorum Benedictione peracta, de qua in superiori Commentario loquuti fuimus, *pro Benedictione Populi*, ait hic præsens §. *operto capite, manibus junctis, dicit*, Delegatus scilicet, *Pater noster &c.* Quod sterilitatis Agrorum causa fuerit Populi culpa, recte admodum constitutum est, ut post solemnis ejus Absolutionem, de qua egimus supra in Commentario ad §. VII. solemnis, peculiarisque Benedictio impertiatur, *operto capite*, ratione jurisdictionis benedicentis, ut notat ad hunc §. Barrufaldus, qui etiam mox subdit, *junctis manibus* eam præberi, quia, cum a Deo provenire debeat, justum est, ut impetretur humiliori modo, nec melius, quam in actu supplicantis. Cæterum Preces, Oratioque in §. hoc nostro præscriptæ, non sunt nisi præparatio ad Benedictionem, cujus formulam habes in sequenti §. præscriptam.

## §. XIV.

Tunc Diaconus cantat alta voce: *Humiliate vos ad Apostolicam Benedictionem*. Et Delegatus stans operto capite; &, si est Episcopus, Baculum sinistra tenens manu, benedicit semel; & si est Episcopus, ter, dicens: *Auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctissimi Domini Nostri Papæ, benedico vos, & omnes hujus loci. In Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*.

## COMMENTARIUS.

I. Qua humiliatione, ac devotione excipienda sit a Fidelibus Sacerdotalis Benedictio, ac illa præsertim, quæ impertitur a Romano Pontifice Maximo, vel ab alio Episcopo, simplicive Sacerdote, ex ejusdem Romani Pontificis Indulto, satis nos docet virtus ipsius Benedictionis, quam inter alios late, solideque explicat Lupus Tomo VI. Operum Editionis Venetæ in Septimum S. Gregorii Septimi Romanum Concilium, Capite inscripto, *Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus*, Quæstione IV. ubi ait, Sacerdotalem Benedictionem apud primitivam Ecclesiam fuisse Divinum Charisma, ideoque claruisse infallibili virtute dandi intentum a benedicente effectum. Certe illud addubitari nequit, quin etiam post Apostolos efficacem semper, & magni habitam fuisse Benedictionem Sacerdotalem. Etenim scribit

bit in suis ad S. Amphilochium Literis Magnus Basilius: *Benedictio est Sanctificationis communicatio*. Atque hinc sancit, illam a maculoso Presbytero non posse attentari. Etiam peccantes laicos ab accipienda Sacerdotis Benedictione idem Basilius suspendit. Cumque iccirco a Nicolao Mystico Patriarcha Constantinopolitano, complures olim Monachi quæsissent: *Quod dicit S. Basilius in parvis pœnis*, Sit a Benedictione alienus pro lapsus proportione, *quid est?* Respondit Nicolaus, *privari aliquem Benedictione, quæ datur in Ecclesia*. Et Theodorus Balsamon commentatur, Cap. XXVII. *Benedictiones Ecclesiasticæ sunt omnia, quæ dantur ab Episcopis, vel Sacerdotibus in Ecclesiis ad preces, & stabilimentum Christiani Populi*.

II. Notanda sunt grandia encomia, quæ, ut observat laudatus Lupus loco citato, Episcopali Benedictioni adscribit Symeon Episcopus Thessalonicensis in Libro, *De Sacris Ordinationibus*, Cap. IX. Eam affirmat esse Divinam pacem, quam omnes Fidei zelotæ, atque veri Christiani desiderant. A S. Gregorio Nazianzeno Episcopo Titulari dilectam pacem, re, & nomine dulcem, quam ipse dare, & accipere semper dilexerit. Esse dictionem maxime potentem, & efficacem, cujus virtus ignoretur ab hodierno Populo. Ejus effectum esse nostram cum Christo Domino unionem. Addit etiam, in Episcopali Throno esse Divinam, ac mirandam virtutem, ipsamque aliquando fuisse revelatam S. Petro Alexandrino, ideoque illum præ reverentia timuisse in eo sedere. Ait demum, *Episcopo sedente Throno, qui subsunt, Sacratos, & Laicos, stantes fixis oculis in eum veluti in Christum Cælo insidentem intueri*. Loquitur ex S. Ignatio Martyre, qui in suis Epistolis frequenter scribit, insidentem suo Throno, ac suo Clero, & Populo, in solemni Ecclesiæ Apparitura præsidentem Episcopum esse typum, atque Imaginem Christi nostri Domini, imo & Dei Patris.

III. Porro Benedictionis formula apud Græcos ex antiquo apud eosdem ritu hæc est, *Pax vobis*, vel *Pax omnibus*, ut in Euchologio videre est. Egregium de hac re exemplum habemus quidem in S. Joanne Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano, *quem longo post mortem tempore in Throno suo collocarunt, cuique tunc, ut dicunt, Divina gratia aperuit labia, & illud*, Pax vobis, *pronunciavit*, ut ex Actis ejusdem Vitæ refert laudatus Symeon Thessalonicensis. Sancti Episcopi sui licet jam pridem defuncti degradationem perperam factam a Theophylo Episcopo Alexandrino, ab Innocentio Papa I. legitime exufflatam fuisse, profiteri iterum hoc modo voluit Populus Constantinopolitanus, & Divina clementia prædicto miraculo confirmavit. Factum id fuit, dum a S. Patriarcha Proclo persuasus Imperator Theodosius, parentum suorum in tantum Virum delicta conatus est purgare per pœnitentiam, & Sanctum Cadaver gloriose reduxit in Regiam Civitatem, uti rem fusius narrant Auctores, qui ejus Vitam scripserunt apud Surium, & apud Bollandianos.

IV. Sed quoniam Græci ritus facta est mentio, notandum plane & illud, ad explicandum magis magisque Ritum Latinum, & hunc nostrum §. quod apud eosdem Græcos, ad accipiendam ab Episcopo Pacem, seu Benedictionem, non minus, quam ad perficiendam sacrosanctæ Eucharistiæ consecrationem, Diaconus Populum solemniter parat, alta voce declamans, *Attendamus*. Meminit & hujus ritus non modo Euchologium, sed & Græci Scriptores de Divinis Officiis, inter quos memoratus superius Symeon Thessalonicensis, sic habet: *Episcopo sedente in Throno, qui ei subsunt, Sacrati, & Laici, stantes fixis oculis in eum, velut in Christum Dominum Cælo insidentem, intuentur. Et cum Diaconus profert*, Attendamus, *Episcopus, dicit alta voce*, Pax omnibus, *vel*, Pax vobis. *Omnes vero capita inclinantes, respondent, Et cum spiritu tuo*. Esse & apud Latinos Diaconi Officium monendi Populum, ut ad solemnem Episcopi Benedictionem caput inclinet, ex antiquo ritu docet hic noster §. *Tunc Diaconus*, inquit, *cantat alta voce*, Humiliate capita vestra ad Benedictionem; *& Delegatus stans operto capite, &, si est Episcopus, Baculum sinistra tenens manu, benedicit &c*. Sane meminit hujus Diaconi Officii inter alios Cæsarius Arelatensis in Homilia sua XXXXIV. sub finem sic inquiens: *Quotiescumque Diaconus clamaverit, ut aut in Oratione genua flectere, aut Benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter, & fideliter cum vera humilitate faciatis*. Sed de his, aliisque id genus Diaconorum Officiis vide eruditum Bernardinum Ferrarium, Lib. I. *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, Cap. XII.

V. His itaque omissis, ut paulo fusius admirabilem, utilemque Benedictionis Episcopalis effectum enarremus, in iis præsertim, quos male actorum suorum pœnitet contra Ecclesiam, vel Episcopum, quorum causa excommunicati, interdictive fuerunt, operæ pretium ducimus referre & hoc loco, quod de S. Maclovio, qui & Machutus, seu Machutes dicitur, cujus alias supra mentionem fecimus, narrat Sigebertus Gemblacensis. Expulsus enim ab Episcopatu, ubi Populus missa ad eum legatione poposcit cum cordis contritione, ut absolveretur ab illata maledictione, spondens, si eum suo reditu dignaretur, deinceps se ei obtemperaturum sine ulla prorsus contradictione, *Sanctus Vir secundum Angelicam revelationem repatriavit, Terram, homines que sua Benedictione sanctificavit, Deoque largitori omnium bonorum, eos orando commendavit. Sicque omnis Terra repleta est dapsili ubertate per ejus Benedictionem, quæ antea damnata fuerat per ejus maledictionem. Ita factum est omnibus palam, quod Pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam malevolentiæ intemperantiam, imo per utilem severitatis benevolentiam, ut per hanc necessitatem saltem inviti traherentur ad pœnitentiam*. Similia exempla occurrunt frequenter in aliorum Sanctorum Vitis, ex quibus etiam nonnulla recenset Gretserus, Lib. III. *De Maledictionibus*, Cap. VIII.

VI. Quoniam vero in hoc nostro §. agitur de Benedictione, quam Apostolicus Delegatus alicui Populo impertit, consentaneum est, ut de Papali Benedictione, quæ quidem semper magni habita fuit, dicamus. Ergo antiquissimus est ille mos, atque Apostolicum institutum, ut Romanus Pontifex Maximus mittat absentibus Apostolicam Benedictionem; etenim omnibus Epistolis suis S. Paulus Apostolus propria passim manu adjunxit hanc, aut similem clausulam: *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*. Fuisse Apostolicam missam absentibus Benedictio-

ctionem, diserte testatur in Commentario super Epistolam ejusdem Apostoli ad Titum S. Hieronymus. Apostolum sequutus Julius Papa I. qui IV. Christi Sæculo claruit, suis ad Alexandrinam Ecclesiam Literis hanc solemnissimam subdidit Benedictionem: *Deus Omnipotens, & ejus Filius Dominus, & Salvator noster Jesus Christus perpetuam suam gratiam vobis suppeditet, præviumque vestræ eximiæ Fidei, quam tam illustri testimonio adversus Episcopum vestrum declarastis, benignus largiatur, ut tum vos, tum Pastores vestros, tum hic, tum in futuro sæculo, multo præstabiliora præmia maneant, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem Omnipotenti Deo gloria in omnem æternitatem. Amen.* Constat ex variis Romanorum Pontificum, ac cæterorum Episcoporum Literis, & gestis, necnon ex permultis Pontificalibus Libris, Benedictionum Ecclesiasticarum formulas ad rei opportunitatem fuisse adhibitas, quas longum esset hic recensere.

VII. Magni semper habitam fuisse ab ipsis Regibus Papalem Benedictionem, vetera exempla, ac testimonia Scriptorum nos docent. De Stephano Papa II. qui ob ejectos e S. Petri Patrimonio Longobardos, acturus gratias Regi Pippino in Franciam iverat, ita ad annum DCCLII. scribit Sigebertus Gemblacensis: *Pippinus a Stephano Papa cum filiis suis Carolomanno, & Carolo in Regem ungitur, & per eos generatio eorum in hæreditatem Regalis successionis in perpetuum benedicitur.* Solemnes Literas, quibus testatus est id Stephanus, suis Annalibus inseruit Abbas Regino ad annum MCCLIII. Qui etiam de Filio Pippini Carolo Magno ad annum MCCLXXXVII. ita scribit: *Rex, oratione ad Limina Apostolorum completa, & Benedictione percepta, in Franciam gressum dirigit.* Et infra ad annum DCCC. ubi de ipso Carolo Magno, & Leone Papa III. qui Carolum ipsum Romæ Imperatorem coronavit, loquitur, *Leo Papa*, inquit, *Carolum, data Benedictione, in Basilicam S. Petri Apostoli introducit.* Idem tradunt Cardinalis Baronius in suis Annalibus, aliique Scriptores Vitarum Romanorum Pontificum, in Leone Papa III. ubi eam solemnem Caroli Magni Imperatoris Coronationem Romæ factam a laudato Pontifice recensent.

VIII. Missam ad absentes Reges Apostolicam a Romano Pontifice Benedictionem, testem etiam habemus S. Nicolaum Papam I. qui in sua Epistola VI. ad Lotharium Regem Ludovici Pii nepotem sic scribit: *Apostolatus nostri Legatos Excellentia vestra digno honore suscipiat, & familiaritatis eis locum concedat, ut cum ad nos fuerint reversi, digna nobis de parte vestra nunciantes, Apostolicæ vos Benedictionis munere ditare possimus.* Spiritualium divitiarum adeo plena tunc censebatur Apostolica Benedictio, ut per ejus promissionem, aut suspensionem, Romani Pontifices ad sibi obediendum Francorum Reges cogerent. Lotharium nisi obediat, minatur a sua Benedictione suspendere; & notandum est verbum, *ditare*, quo quidem satis edocuit, ab hac Papali Benedictione opulentos donari effectus; cujus privatio, veluti major excommunicatio censebatur, uti addiscimus ex Literis Joannis Papæ XIII. in quibus de Britannorum Proceribus sic scribit: *Si inobedientes fuerint nostræ jussioni, sint excommunicati, & nostra Benedictione Apostolica privati.*

IX. Quanta præterea sit ea virtus Papalis Apostolicæ Benedictionis, addiscere etiam licet ex formula excommunicationis, quam in Henricum Regem S. Gregorius VII. vibravit, ubi ad ejus calcem cunctos suis Decretis obedientes Germaniæ Populos Apostolica donat Benedictione, sic inquiens; *Ut autem Rodulphus Regnum Theutonicorum regat, & defendat, quem Theutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram Fidelitatem, ex parte vestra dono, largior, & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus Absolutionem omnium peccatorum, nostramque Benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia, largior.* Est quidem ipsa Apostolica Romani Pontificis Maximi Benedictio magnis Indulgentiis referta, ideoque semper in magno pretio habita, & a Regibus summis precibus expetita, ut constat ex Literis Scenulphi Merciorum Regis ad Leonem Papam III. in quibus Adriani I. Papæ mortem graviter deplorat, amplissime profitetur Apostolicæ Sedi obedientiam, ac deinde ita prosequitur: *Ego Scenulphus, gratia Dei Rex, Excellentiam tuam humiliter exoro, quatenus in gremium me pietatis tuæ percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga Benedictionis tuæ ubertas ad plebem suam regendam locupletet, ut una mecum gentem, quam vestra Apostolica authoritas Fidei rudimentis imbuit, per intercessionem tuam contra impetus exterorum Omnipotens regat, & per se Regnum, quod ipse Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc Benedictionem omnes, qui ante me Sceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab Antecessoribus tuis adipisci. Hanc ipse humilis peto, & a vobis impetrare cupio, quatenus inprimis adoptionis sorte me tibi Filium suscipias, sicut te in Patris persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector.* Extat ea Epistola apud Guilielmum Malmesberiensis Monasterii Bibliothecarium in primo Libro, *De Gestis Regum Anglorum*, fuitque non ex solius Regis, sed ex totius Regni nomine exarata; demonstratque, uti recte advertit Lupus citato loco, eam Apostolicam Benedictionem, non modo per noviter inthronizatos Reges semper a Romano Pontifice fuisse postulatam, sed etiam per jamdudum in Throno firmatos Reges a novo Romano Pontifice repostulatam.

## §. XV.

Demum cantetur Hymnus, *Te Deum*, inchoatus a Delegato; quo finito, Delegatus, cantat Orationem pro gratiarum actione.

Oratio.

*Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus; tuam semper clementiam exorantes, ut*

*ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura dispo-nas. Per Dominum nostrum.*

Cantores addunt; *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

# COMMENTARIUS.

I. DE Hymno, *Te Deum laudamus*, jam alias diximus. Solitus est decantari, & quidem ex antiquo ritu, ut Deo gratiæ agantur pro collatis beneficiis; decantatur autem merito ex præscripto nostri hujus §. pro beneficio absolutionis Populi, & Benedictionis Agrorum a Sede Apostolica obtento, inchoante scilicet ipsum ejusdem Sedis Delegato, ut per eum expleatur totum opus, a quo initiatum est; dignior enim laudandi Deum est quacunque alia, lingua Sacerdotalis, ut post Molinam, Cap. VII. Instructionis Sacerdotum, notavit ad hunc nostrum §. Barrufaldus, qui etiam recte mox subdit, totam sacram actionem terminari præscripta in eodem §. Oratione, *Deus, cujus misericordiæ non est numerus &c.* quæ debet a Delegato decantari, eo quia totius Populi vota pie Deo porrexit, & pro parte Dei, & universæ Ecclesiæ Pastoris munus Absolutionis, ac Benedictionis largitus fuit. Finita Oratione, Cantores dicunt, cum cantu scilicet, & quidem solemni, *Benedicamus Domino*, quibus etiam cum cantu responderi debet, *Deo gratias*. Cæterum quod ea verba, *Benedicamus Domino*, idem significent, ac, *Gratias agamus Domino*; non autem quod homines benedicant Deo, notavit inter alios Scriptores Sarnellus, Tomo VII. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistola LVIII.

# CAPUT XXXIV.

## *Methodus indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni statis diebus super Populum elargiendæ, Ritusque in eo servandus a Regularibus, quibus a Sancta Sede hujusmodi facultas indulta est, vel indulgebitur, prout præcipitur in Epistola Encyclica* BENEDICTI PP. XIV. *ad PP. Generales Ordinum Regularium. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem die 19. Martii 1748. Pontificatus sui anno VIII.*

I. SAtis me puto facturum, si ad explicandum hoc Caput Rituali Romano nunc primum jussu BENEDICTI Papæ XIV. insertum, ritumque in eo præscriptum, Encyclicam ipsam Epistolam laudati Pontificis, cujus in recitata Capitis Rubrica fit mentio, describam; ea enim continet, quæ satis superque ad novi hujus ritus explicationem faciunt. Agendæ autem gratiæ sapientissimo, religiosissimoque Pontifici BENEDICTO, qui nihil unquam in suis permultis Operibus, Literisque Apostolicis docuit, statuitque, quod omnigena eruditione, insigni pietate, solidaque doctrina, refertum non sit. Sane deest in ipsa Epistola Encyclica inscriptio, quæ cuilibet Superiori Generali dictorum Ordinum aptata fuit. Extat Epistola Tomo II. Bullarii ejusdem Pontificis ad annum MDCCXLVIII. pag. 403. ubi ita legitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

EXemplis Prædecessorum nostrorum adducti, nonnullis Familiis Regularium permisimus, ut Fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesias inviserent, & indictis pietatis operibus satisfacerent, Indulgentiam plenariam consequerentur, atque Monasterii Præses, vel alius Sacerdos a Patre Provinciali designandus, Populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine Benedictionem impertiret.

Nullus unquam ritus ad hanc Benedictionem peragendam præscriptus fuit, quæ quidem extra Urbem solum contingit, cum Pontifex ipse Romæ Benedictionem Populo elargiatur. Etenim is ritus, qui Urbani VIII. Prædecessoris nostri auctoritate probatus asseritur, & qui post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam Benedictionem, de qua verba facimus, minime pertinet, sed illam complectitur, quæ, non pluries, non semel quolibet anno, sed aliqua urgente legitima causa, Populis, & Agris tribui consuevit, & pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui Brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet, non solum benedicendi Populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, & a cæteris Ecclesiasticis Censuris, ac pœnis, siquas forte Populus imprudens, atque ignarus contraxerit, etiamsi illæ in Bulla *in Cœna Domini* contineantur.

Cum hæc ita sint, tamen deprehendimus, quemdam ritum temere, & inconsulto excogitatum esse pro supradicta prima Benedictione Pontificia invocativa, quæ, aut pluries, aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex Sacerdos in medio Altaris collocatus, Ministris circumadstantibus, & sacris indumentis ornatis, trinam Benedictionem Populo impertit, & alia plura gerit, quæ enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

Equidem Benedictio super Populum solemnis est, eamque in quacumque Orbis Terræ parte Romanus Pontifex elargiri potest; Episcopus autem in sua Diœcesi, & locis ipsius etiam exemptis; Archiepiscopus in sua Provincia, & locis ejus exemptis, eandem exercere valet potestatem. Id constat Decreto Clementis V. in Viennensi Concilio, quod in Clementina, *Archiepiscopo, De privilegiis*, recensetur. Porro Abbatibus ejusdem Benedictionis super Populum tri-

tribuendæ facultas conceditur in Ecclesiis, quæ ipsis plene subjiciuntur, modo tamen Apostolicum Privilegium ad id necessarium obtinuerint; quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum Solemne, aut Vesperas in Ecclesia peregerint; nam Populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem Privilegio declaretur, ut respondit Alexander IV. in Cap. *Abbates*, *De Privilegiis*, in Sexto.

Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super Populum elargiri juxta Canonem, *Ministrare*, XXVI. Quæstione VI. *Benedictionem quoque super Populum in Ecclesia fundere, Presbytero penitus non licebit*. Quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam Divinum Missæ Sacrificium absolvit. Dictum est, modo permitti; si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in nostro Tractatu, *De Sacrificio Missæ*, Sectione I. num. 382. qui primo Bononiæ anno MDCCXL. typis editus fuit, ac Sectione I. num. 391. in eodem Tractatu, qui deinde Latine redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii anno MDCCXLV. Etsi siquidem in usu semper fuerit, ut, re Divina peracta, Populus ab Ecclesia Benedictione dimitteretur, quemadmodum in Canone, *Missas*, De Consecratione, Distinctione IV. continetur; id tamen, non a Sacerdote celebrante, sed, vel ab Episcopo, si præsens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero, ejus jussu, præstabatur. Quo sensu explicatur Decretalis in Capite, *Officium*, *De Officio Archipresbyteri*, ubi inter Archipresbyteralia munera recenset, *Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare*; prout animadvertit Gonzalez in idem Caput, *Officium*, num. 2. idemque antea plane comprobaverat Saussay in Panoplia Sacerdotali, pag. 558.

Quibus omnibus subsequens plurium sæculorum contraria prævaluit disciplina, quæ Sacerdoti celebranti potestatem fecit Benedictionem super Populum in fine Missæ effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset in Ritibus Laudunensis Ecclesiæ, Parte III. pag. 136. num. 9. *At, cum Benedictio ad Missæ perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat Populus ante Benedictionem ipsam egredi, ex præcitata Agathensi Synodo, quatenus integræ Missæ non interesset quisquis præmature recederet; sequitur, facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam Benedictionem ad finem Missæ Populo ubique locorum impertire*. Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus ad Rubricas Missalis, pag. 386. in Dubiis Conscientiæ.

In Canone, *Ecce ego*, Distinctione XCV. hæc leguntur: *Nemo hinc Episcoporum, invidia diabolicæ tentationis inflatus, irascatur in Templo, si Presbyteri interdum exhortentur Plebem, si in Ecclesiis prædicent, si Plebibus, ut scriptum est, benedicant*. Si Glossæ fidem præstemus, illud *benedicere*, declarat Benedictionem, quæ traditur a Sacerdote, qui rem Divinam perficit, nempe post ea verba, *Ite Missa est*; quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eundem Textum S. Hieronymo non esse tribuendum, quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophylus Raynaudus Operum Tomo XVI. pag. 211. sed incerto Auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum Benedictio in fine Missæ inter Benedictiones Presbyterales jam haberetur, ususque invaluisset, ut Sacerdos, peracto Missæ Sacrificio, Populum Benedictione jure suo dimittat, sive absit, sive intersit Episcopus; ea tamen statuta Lege, ut si intersit, & in sua sit Diœcesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem Populo benedicendi postulans; quod ab eodem Sacerdote prætermittitur, si Episcopus Missæ intersit, sed extra suam Diœcesim versetur, prout desumitur ex Rubricis Missalis, Tit. *De Benedictione in fine Missæ, & Evangelio Sancti Joannis*.

Cum jam perspectum sit, quo tempore, & loco simplex Sacerdos Populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam Benedictionem super Populum ab ipso impertiri licite, nisi *jure delegato*. Hujus naturæ est Benedictio, de qua nunc agimus, quæ per delegationem Apostolicam cum unice concedatur, Nostrum est omnino Ritum præscribere, quem inferius pro norma inposterum servanda subjiciemus; quo sane uti volumus, ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, si non Mendicantes, Monasticos, vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Prædecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices, facultatem tribuendæ Populis Benedictionem permiserint.

Admoneatur itaque Populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est Ecclesia, de hora denique, qua datur Pontificia Benedictio; & admonitio hæc fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, & consuetis locis palam affixis. Licet etenim id a Prædecessore nostro Clemente Papa VIII. fuerit vetitum Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Fratribus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione Indulgentiarum, & Orationum, uti habetur in ejus Constitutione, quæ incipit, *Cum ad uberes*, §. 5. & in alia Constitutione, *Decet Romanum Pontificem*, §. 6. visum tamen Nobis est, id esse hypothesi inapplicabile, cum, cæteris prætermissis, prædicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet utplurimum Confratres, non autem Populum universum, ut Indulgentia, & Benedictio, de quibus agitur, complectatur.

Postquam statutis, die, & hora, Populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicæ Literæ, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super Populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet, & concessio ex Latino Sermone in vulgarem accommodatum ad Populi intelligentiam conversa pronuncietur; Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique Sermone excitetur; post quæ Sacerdos, nullis circumadstantibus Ministris, Stola, & Superpelliceo indutus, ut in Rituali Romano præscribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra Missam Presbyteris permittuntur, ante Altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*.
℟. *Qui fecit Cælum, & terram*.

℣. Sal-

℣. *Salvum fac Populum tuum, Domine.*
℟. *Et benedic hæreditati tuæ.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*
Deinde stans sequentem recitet Orationem.

*Oremus.*

*Omnipotens, & misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, & vota Populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque Benedictionem præstolantis, & gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem Divinæ Benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem, & vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Post quam ad cornu Epistolæ accedat, ut in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Parte IV. *benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolæ.* Et stans in cornu Epistolæ, non trina, hoc est, triplici signo Crucis, sed una Benedictione, unico videlicet signo Crucis benedicat, proferens alta voce hæc verba.

*Benedicat vos Omnipotens Deus ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

Trina siquidem Benedictio Episcopo competit non Sacerdoti. Cumque nonnulli in fine Missæ trinam usurpare cœpissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vita nuper defunctus, Tomo I. pag. 243. Id nos etiam advertimus in nostro Tractatu, *De Sacrificio Missæ*, Sectione I. locis supra indicatis. In Rubrica quoque Missalis hæc habentur: *In Missa Solemni Celebrans eadem voce, & modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit Populo.* In Cæremoniali Episcoporum trinam Benedictionem ipsis solum tribuendam decernit, quod eadem Missalis Rubrica confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit Populo etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali habetur.* Postremo Alexander VII. in Decreto, quod die XXVII. Septembris anno MDCLIX. edidit, tempora indicit, ac recenset, quibus Abbates usu Pontificalium præditi, ritu solemni celebrantes, trinam Benedictionem impertiri possunt; quod iisdem penitus interdicitur, cum rem Divinam privatim conficiunt, quod Nos ipsi indicavimus nostra Institutione XIV. §. IV. num. 19. Tomo II. si Bononiensi editionis ratio habeatur, quæ peracta fuit anno MDCCXXXV. sin autem easdem Institutiones in Latinam linguam conversas, & Romæ impressas anno MDCCXLVII. quis inspiciat, idem prorsus deprehendet Institutione XXXIV. §. IV. in fine pag. 174. Quocirca non sine animi nostri voluptate Epistolam legimus Encyclicam Patris Generalis Cœnobitarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quibus in nostris Apostolicis Literis potestas facta est dandi in certis anni Festivitatibus Pontificiam Benedictionem, in qua eosdem admonet, ut Populo benedicant unico signo Crucis more Sacerdotali; quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelæ ad nos delatæ non fuissent de usurpatis honoribus Episcopalibus.

Hac itaque Epistola Encyclica ritum statuimus, ac declaramus, quo Benedictio Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regularium Præsidibus, ut ipsum Regularibus sibi subjectis observandum indicant. Equidem Alexander VII. Prædecessor noster usum Pontificalium Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate præscribens, Ordinariis locorum facultatem concedit, ut, siquid contrarium Abbates commisissent, ipsi tanquam Apostolicæ Sedis Delegati rem cognoscerent, & Censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. At nos aliam viam suscipiendam ducimus, præcipientes, ut de illis Regularibus, qui præscriptum a Nobis antea Benedictionis ritum violaverint, Nos statim certiores efficiant; tunc enim neque infensos invicem Episcopos, & Regulares reddemus, nec Populis beneficium Papalis Benedictionis denegabimus; sed facultatem ejusdem Benedictionis tribuendæ parere recusantibus auferemus, eandem largiemur aliis, qui jussa nostra facere non detrectabunt; qua in re futuros etiam Romanos Pontifices magnopere hortamur, ut idem exemplum sequantur. Postremo tibi, & universo tuo Ordini Benedictionem Apostolicam impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCXLVIII. Pontificatus nostri Anno octavo.

II. Hactenus Epistola Encyclica BENEDICTI Papæ XIV. de methodo Indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni, rituque in eo servando a Regularibus, quibus a Sancta Sede hujusmodi facultas indulta est, vel indulgebitur. Multa scitu digna, quæ spectant Pontificiam Papalem Benedictionem, ejusque antiquitatem, ac mirabiles effectus, jam supra explicuimus Tomo I. Tit. V. Cap. VI. & in hoc præsenti Tomo in Commentario ad §. XIV. Capitis præcedentis. Sed nihilominus ratio nostri instituti postulat, ut illa nunc enarremus, quæ in præsenti Capite statuuntur, quod Romano Rituali laudatus Pontifex omnium primus inseri jussit.

## §. I.

Admoneatur Populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa; de præceptis operibus pro ea lucrifacienda; de die, quo visitanda est designata Ecclesia; de hora denique, qua dabitur Pontificia Benedictio: de quibus, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, & consuetis locis palam affixis.

## COMMENTARIUS.

I. INdulgentiæ nomen, uti post alios notavit Vanespen, Parte II. Juris Ecclesiastici universi, Tit. VIII. *De Indulgentiis*, Cap. I. derivatur a verbo *indulgere*, idemque significat, quod aliquid remittere, seu relaxare. Unde quod hodie phrasi Ecclesiæ dicitur, *Indulgentia*, olim frequentius dicebatur *Remissio*, uti addiscere licet ex illo Decretalium Titulo, qui inscriptus est, *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, in cujus Capite IV. ita ad Archiepiscopum Cantua-

tuarienſem Alexander Papa III. ſcribit: *Quod autem conſuluiſti, utrum Remiſſiones, quæ fiunt in Dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint, quam bis, qui remittentibus ſubſunt; hoc volumus tuam Fraternitatem tenere, quod cum non a ſuo Judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, Remiſſiones prædictas prodeſſe tantummodo arbitramur, quibus, ut proſint, proprii Judices ſpecialiter indulſerunt*. Ubi nota, vocari a Pontifice *Remiſſiones*, quæ hodie dicuntur *Indulgentiæ*. Videtur autem Eccleſia nomen hoc derivaſſe ab uſu veterum Imperatorum, & Juriſconſultorum, ſiquidem illi *Indulgentiam* ſolemni, proprioque vocabulo appellant Remiſſionem generalem criminum, quam aliquando Principes ſæculi publicæ lætitiæ cauſa faciebant, quemadmodum videri poteſt in Codice Theodoſiano, Titulo, *De Indulgentiis criminum*; ac nominatim in Lege III. ejus Tituli, ex qua diſcimus, *Indulgentiam* fuiſſe Remiſſionem criminum, quoad ſolam pœnam Legibus debitam.

II. Pluribus id quidem oſtendit doctiſſimus Bellarminus Lib. I. *De Indulgentiis*, Capite I. aliique Theologi paſſim veteres æque, ac recentiores, qui adverſus hæreticos eam Eccleſiæ poteſtatem concedendi Indulgentias, ex Divinæ Scripturæ locis, ex Patribus, & Conciliis propugnant. Sed omiſſis variis Quæſtionibus Indulgentias ſpectantibus, quæ apud ipſos Theologos videri poſſunt, qui late ſolideque de iiſdem tractarunt, ut ea nos enarremus, quæ primum in hoc §. I. continentur, mandat hic in primis, ut *admoneatur Populus de Indulgentia a Sede Apoſtolica conceſſa*. Quamquam omnes Epiſcopi ſint Ordinarii Indulgentiarum Miniſtri in ſuis reſpective Diœceſibus, ſoli tamen Romano Pontifici Maximo plene, ac perfecte competit ea Indulgentias conferendi poteſtas; ipſe nimirum ſolus eſt totius Eccleſiæ Caput viſibile, ac proinde ſolus per totam Eccleſiam, quam ſibi a Chriſto ſubditam habet, poteſt Indulgentias elargiri, uti ex recitata ſuperius Alexandri Papæ III. Decretali licet addiſcere. Licet etiam antiquitus nullæ eſſent Indulgentiæ, quas Epiſcopi non poſſent ſuis Diœceſanis concedere, poterant nimirum, ubi expedire judicabant, id omne ex pœnitentia dimittere, quod a pœnitentibus perſolvendum ſupererat; & nondum priſcis temporibus adhuc uſus invaluerat recurrendi ad ſolum Summum Romanum Pontificem, ut quis plenarias Indulgentias obtineret; in Concilio tamen Generali Lateranenſi IV. quod habitum fuit anno MCCXV. Can. LXII. detractum nonnihil eſt ab ea poteſtate, quod ea plures Eccleſiæ Præſules in Fidelium perniciem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ enervationem abuterentur: *Quia per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & Claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatiſfactio enervatur; decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur, ac deinde in anniverſario Dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat*.

III. Ergo ſolus Romanus Pontifex, & plenariam Indulgentiam, & ipſam in univerſa Eccleſia poteſt concedere, atque hæc eſt, quæ a pluribus Sæculis praxis invaluit. Recte autem ait hic noſter §. admonendum eſſe Populum *de Indulgentia a Sede Apoſtolica conceſſa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo viſitanda eſt deſignata Eccleſia, de hora denique, qua dabitur Pontificia Benedictio &c.* Ita plane ſtatuit hic noſter §. quo rite recteque Fideles ſe ad conſequendam Papalem Indulgentiam, & Benedictionem ſe præparent. Varias Quæſtiones, quæ ſpectant adimpletionem injunctorum operum, & Eccleſiæ viſitationem pro ipſa lucrifacienda Indulgentia, quæque in hoc Commentario agitari poſſent, legere eſt paſſim apud Theologos, qui de Indulgentiis tractant, quique communiter in eam ſententiam conveniunt, ea omnia peragenda, quæ Summus Pontifex dato ad eam rem ſuo Diplomate Pontificio præſcribit. Quod viſitationem ſpectat deſignatæ Eccleſiæ, deceret quammaxime, ut ſervaretur omnino, quod ſtatuit S. Carolus in Diœceſana Synodo IV. Mediolanenſi, Decreto XXX. ubi ſic inter alia inquit: *Quibus vero in Eccleſiis vel Stationes fiunt, vel Indulgentiæ celebrantur, vel dies feſtus, aliquidve aliud agitur, cujus cauſa frequens Populi concurſus eſſe ſoleat; in illis ea ſeparationis, diſtinctioniſve ratio ſervetur, ut panno longe per Eccleſias obducto, quo partitio fiat, aut alia ratione nobis probata, in unam partem viri, in alteram feminæ ad orandum conveniant*.

## §. II.

Poſtquam ſtatutis die, & hora, Populus ad Eccleſiam convenerit, alta voce legantur Apoſtolicæ Literæ, ſeu Decreta, quibus Indulgentia conceditur una cum poteſtate Benedictionem Apoſtolicam ſuper Populum effundendi, ut de delegatione audientibus conſtet; & conceſſio ex Latino ſermone in vulgarem accommodatum ad Populi intelligentiam converſa pronuncietur; Populus ad ſuorum ſcelerum deteſtationem pio, brevique ſermone excitetur; poſt quæ Sacerdos, nullis circumſtantibus Miniſtris, Stola, & Superpelliceo indutus, ut in Rituali Romano præſcribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra Miſſam Presbyteris permittuntur, ante Altare genuflexus ſequentibus verbis Dei opem imploret: ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Salvum fac Populum tuum, Domine*. ℟. *Et benedic hæreditati tuæ*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo*.

Deinde ſtans ſequentem recitet Orationem.

*Oremus.*

*Omnipotens, & miſericors Deus, da nobis auxilum de Sancto, & vota Populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poſcentis, tuamque Benedictionem præſtolantis, &* gra-

*gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem Divinæ Benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem, & vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*,

# COMMENTARIUS.

I. PRæscribit primum hic noster §. ut postquam statutis die, & hora, Populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicæ Literæ, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur una cum potestate Benedictionem Apostolicam super Populum effundendi, ob eam scilicet rationem, quam statim subjicit, nempe, *ut de delegatione audientibus constet*. Sane ad evitandas fraudes, Concilium Tridentinum, Sessione XXI. *De reformatione*, Capite IX, inter alia statuit, Indulgentias, aut alias spirituales gratias, deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus publicandas esse. Cui Decreto inhærens S. Carolus, in Concilio Provinciali V. Mediolanensi, Parte I. Constitutionum, Capite, *De Indulgentiis, & Sacris Reliquiis*, inscripto, diserte præcepit, *ne cuivis Rectori Ecclesiæ etiam exemptæ, quovis modo, neque ulli Ordini Regularium, neque cuiquam Scholæ, Confratriæ, etiam Rosarii, & Crucesignatorum, locive pii Collegio, prætextu, causave, vel privilegiorum etiam antiquorum, vel Indulgentiarum, quas sibi quovis modo concessas, etiam instar Ecclesiarum, Locorumque piorum, Confratriarumve Urbis Romæ habet, liceat illas ipsas in suis Ecclesiis promulgare, sed, ut Decreto Tridentino cavetur, per Episcopum, adhibitis duobus de Capitulo, illæ quotannis stato tempore publicentur, atque evulgentur*. Rursus, ne Concionatores Indulgentias Populo promulgent, injussu Episcopi, idem S. Carolus statuit, Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, in Instructionibus Prædicationis Verbi Dei, ubi loquitur de materia sacræ Concionis unde sumenda, prope finem.

II. Recte autem & illud hic idem §. mandat, ut ipsa Indulgentiæ concessio in Apostolicis Literis, seu in Pontificio Diplomate contenta, *ex Latino sermone in vulgarem accommodatum ad Populi intelligentiam conversa pronuncietur*; itemque, ut *Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur*. Curandum plane ab Episcopis, ut de Indulgentiis Populus instruatur, recte admonuit S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Capite inscripto, *De Indulgentiis*, ubi sic primum inquit: *De sanctis Indulgentiis tractatio, prout usuvenerit, accurate in sermonibus item habeatur, ut & earum cælestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, Populus intelligat; seque propterea omni intima mentis animique religione, & Christianæ charitatis actionibus, atque operibus, ad uberrimas, salutaresque earum utilitates assequendas diligenter paret*. Tum vero mox subdit: *Id autem omne officium per Parochos, & alios, quorum interest, præstari Episcopus jubeat, iis præsertim Instructionibus, quæ eo de genere, nostra in Concilio Provinciali auctoritate confectæ, ad communem Provinciæ hujus usum in lucem emittentur*. Atque has Instructiones legere est variis in locis Actorum Ecclesiæ Mediolanensis.

III. Porro explicanda esset Populo in prædicto pio, brevique Sermone, cujus provincia committi deberet alicui sacro homini in re Theologica apprime versato, Indulgentiæ virtus, effectus, atque ad ipsos consequendos necessariæ conditiones, ac dispositiones, quas inter alios fuse, eruditeque exposuit Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ, in Dissertatione, *De peccatorum, ac satisfactionum Indulgentiis*, Cap. X. Prima itaque conditio, ac dispositio, est Sacramentalis Confessio, & Absolutio, ac per ipsam obtenta omnium culparum remissio. Hanc assidue laudat, & necessariam affirmat S. Cyprianus in Epistola XIII. data ad Clerum: *Qui Libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, exomologesim delicti sui facere possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres Literis ad nos factis desideraverunt*. Ita loquitur in cunctis passim suis de hac re Epistolis. Requirit exomologesim, manus impositionem in pœnitentiam, & impartitionem pacis; quæ palam sunt Confessio, Pœnitentiæ impositio, & Absolutio; neque enim culpa per Indulgentiam, sed per operatum Sacramenti opus debet condonari; per quod quidem debita peccato pœna, dum tota non expungitur, ex æterna debet mutari in temporalem; atque hanc solam remittit Indulgentia. Unde Bonifacii Papæ IX. Quæstores, qui & culpas, & pœnas omnes suaserunt per Indulgentiam remitti, merito redarguti olim fuerunt a Theodorico Niemo, & a Nicolao Cardinali Cusano. Uti gravibus peccatis ante Absolutionem passim imposita, ita & passim remissa fuit olim pœnitentia; & ante illam Indulgentia nec habuit, nec habere ullum effectum potuit.

IV. Conditio altera, seu dispositio, sunt vera cordis contritio, ex ipsa procedentes lacrymæ, & varia piæ pœnitentiæ opera, potissimum autem illa in Pontificio Diplomate injuncta, quibus peccator redditur vicinus satisfactioni; hisce enim dumtaxat vicinis esse indulgendum, constanter docuit S. Cyprianus. Quod peccata citra omnem pœnitentiam remittere spectet privative ad Divinam Majestatem, scribit idem S. Episcopus in celebri suo Sermone, *De Lapsis*. Etiam agonizantibus, quos ob Martyrum preces gratia donabant Episcopi, censuit Sacerdotalem manum imponendam in pœnitentiam. Per hanc manus impositionem aliqui male intelligunt Sacramentalem Absolutionem. Erat, ut notat ibidem Lupus, manus impositio, quæ ex Audientium classe ad Substratorum transmittebat difficillimam Pœnitentiæ classem, & a qua quorundam Sacramentalis pœnitentia olim etiam incipiebatur. Plenam, & non plenam pœnitentiam distinguit idem Cyprianus. Plena omnibus quatuor Pœnitentiæ classibus constabat, de quibus late egimus in Appendice ad Canonem XI. Concilii I. Generalis Nicæni; non plena, a Substratione ducebat exordium, habebatque dispensatoriam duarum priorum classium gratiam. Quocirca etiam

etiam agonizantes, licet eis ob Martyrum preces faceret plenam Indulgentiæ gratiam, sine pœnitentia non absolvit tunc Ecclesia, sed coegit ad substrationem, consuetasque manuum impositiones in pœnitentiam; & solis illis, qui statim a lapsu pulsassent Ecclesiæ fores, ac pœnituissent serio, fecit in agone gratiam; alios etiam a Sacramentalis Reconciliationis Viatico exclusit, judicans esse indignos in morte accipere solatium, qui viventes non cogitaverant se morituros. Et hinc Pœnitentiales Presbyteri, seu Sacerdotes Confessarii, qui plenæ Indulgentiæ diebus nullas, aut modicas pœnitentias imponunt, magnis peccatoribus, gravissime exorbitant, & plurimos frustrantur Indulgentiæ fructu.

V. Eadem de causa ad lucrandam Indulgentiam Apostolica Sedes pœnitentibus passim imponit etiam Orationes intra certam designatam Ecclesiam, eleemosynas, atque jejunia, ut ipsos ita faciat vicinos satisfactioni. Hinc item ad Remigium Lincolniensem Episcopum rescripsit S. Gregorius Papa VII. Lib. I. Epistola XXXIV. *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principum Apostolorum fulti, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris*. Quæ verba ita plane interpretatus est ad annum MLXXIII. num. LXXI. Cardinalis Baronius: *Apparet, Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, aut negligentia torpescentibus*. Probat, confirmatque eam Apostolicæ Sedis praxim Gelasius II. qui electus Romanus Pontifex fuit anno MCXVIII. ubi in Cæsaraugustanæ a Saracenis detentæ Civitatis expugnatione morientibus militibus plenam Indulgentiam dedit, & de reliquis ibidem in obsidione laborantibus ita adjunxit: *Qui pro eodem Domini servitio, vel laboraverint, & qui præfatæ Urbis Ecclesiæ a Saracenis dirutæ, unde reficiatur, & Clericis sibi Deo famulantibus, unde pascantur, aliquid donant, vel donaverint, secundum laborum suorum, & beneficiorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, ad Episcoporum arbitrium, in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem, & Indulgentiam consequantur*. Ita habet Epistola Apostolica ad Christianum exercitium data. Ex quibus omnibus concludit Lupus, eodem modo in anno Jubilæi, aut quavis alia Indulgentia, non omnes plenam, sed plurimos solam, juxta suæ pœnitentiæ, & aliorum bonorum operum merita, & quantitatem, consequi remissionem; prout nempe plenæ satisfactioni magis, aut minus, per ista accesserint.

VI. Hæc explicanda censui, ut inde qui habiturus est Sermonem ad Populum, argumenta desumat ad ipsum de Indulgentiis instruendum, & de dispositionibus, quæ in pœnitentibus ad eas lucrandas prærequiruntur; innumeri enim pene Fideles inveniuntur, qui eas omnino ignorant, non sine Parochorum culpa, quarum, uti dictum est, munus esset Populum, & de Indulgentiis instruere, sicut & de aliis præcipuis Christianæ Religionis Capitibus. Statuit quidem Tridentinum Concilium, Parochorum officium esse, ea exponere Populo, quæ leguntur in Missa, vim, & usum Sacramentorum explicare, sacra eloquia, & salutis monita explanare, & tamen permultos novimus tanta ignorantia laborare, ut nihil fere de iis sciant; unde non mirum, si debitam reverentiam Sacramentis, rebusque Ecclesiasticis minime exhibeant, & si ex eisdem nullum fructum percipiant. Longum esset tantam Populorum ignorantiam deplorare, ignorantiam inquam rerum Divinarum, Dei cultum, ac animarum salutem spectantium, quum alias prolixas, profanas, inhonestasque cantiones, historiasque facile memoriæ commendent. Quid quod plerisque hodie etiam eruditis nonnullis id usuvenit, ut posthabitis, & contemptis illis, quorum nedum salutaris, sed etiam necessaria est cognitio, feruntur avidi in res supervacaneas, ac perniciosas investigandas, quasi ea ratione conditi simus, ut tempus, quo nos oportuit ad nostram uti salutem, rebus inanibus impendamus?

VII. Sed his omissis, cum Papalis Benedictio, de qua in præsenti agitur, magnis sit dives Indulgentiis, recte ait hic noster §. antequam Sacerdos delegatus eam impertiat, excitandum esse Populum pio, brevique Sermone ad suorum scelerum detestationem; quia scilicet contritio necessaria est impio, ut Indulgentiarum fructum percipiat, uti docent Theologi communiter, probantque primo, quia cum Deus non possit non odisse impium, qui minime contritus est, ideo nec potest pœnam peccatis illius debitam remittere. Secundo, quia Indulgentiæ, quas prisci Ecclesiæ Patres commendarunt, nullis aliis concedebantur, quam iis, qui peccata, ac scelera sua vere detestarentur. Id plane constat ex S. Cypriano, qui in Libro, *De Lapsis*, sic inter alia inquit: *Confiteantur singuli, quæso vos, Fratres, delictum suum, dum adhuc qui delinquit, in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur*. Constat idipsum ex Patribus Concilii Generalis I. Nicæni, qui Canone XII. ex interpretatione Dionysii Exigui, volunt Episcopum cum iis tantum humanius agere, seu iis solum Indulgentiam concedi, *qui metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant*. Diplomata demum, quibus Indulgentiæ conceduntur, contritionis mentionem facere solent, tanquam conditionis, quæ absolute necessaria sit, ut quis certum fructum consequatur: *Contritis*, inquiunt, *ac vere pœnitentibus*. Legere est ea de re Bullam Nicolai Papæ V. qua Jubileum anno MCDL. promulgatum est. Ea nimirum expresse asseritur, Jubilei beneficium iis indulgere, qui veris pœnitentiæ doloribus, humiliationibus, gemitibus, cordis contritione, & eleemosynis, in Dei gratiam redierint.

VIII. Sed admonendum hic tamen est, Confessionem Sacramentalem aliquando necessariam esse ad Indulgentiam obtinendam, aliquando minime eam requiri. Et quidem non est dubium, quin etiam justorum respectu requiratur Confessio Sacramentalis, cum a Pontificibus injungitur tanquam pars operis, sub cujus conditione Indulgentiæ conceduntur. Constat nihilominus, eandem Confessionem non esse justis necessariam, cum præscribitur tanquam mera dispositio,

sitio, seu medium ad statum gratiæ consequendum. Quando autem requiratur, aut tanquam pars injuncti operis, aut tanquam mera ad justificationem dispositio, dubium est inter Theologos. Sylvius censet, requiri tanquam partem operis injuncti, quando iis tantum Indulgentia conceditur, qui Confessionem præmiserint; cum vero contritis, & confessis, ut passim fit, conceditur, idem Auctor docet, probabilius esse, quod per modum meræ dispositionis requiratur. Cæterum movetur a nonnullis & hæc quæstio, an impiorum respectu confessio generalis necessaria sit, quia scilicet in Bullarum, seu Diplomatum Papalium formula dicitur, concedi Indulgentiam omnium peccatorum, de quibus pœnitens fuerit contritus, atque confessus. Verum eo etiam in casu, ejusdem Sylvii, atque aliorum Theologorum sententia, cui adhæret Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione XII. Quæstio VI. Cap. I. Conclusione II. generalis Confessio non requiritur; quia nimirum ea formula minime asseritur, quod pœnitens *de novo* debeat esse contritus de omnibus peccatis præteritis, & quod ea rursus confiteri teneatur.

IX. Facto Sermone, ut ad nostrum §. redeam, quo ad scelerum suorum detestationem Populus excitetur, ut nempe per contritionem capax, & Pontificiæ Indulgentiæ, & Benedictionis fiat, *Sacerdos*, si scilicet simplex Sacerdos sit, *nullis circumadstantibus Ministris Stola, & Superpelliceo indutus, ut in Rituali Romano præscribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra Missam Prerbyteris permittuntur, ante Altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret. ℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c.* Ita plane statuit noster §. desumptus ex recitata superius Encyclica Epistola BENEDICTI Papæ XIV. qui methodum Indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni statis diebus super Populum elargiendæ, ritumque in ea servandum a Regularibus, quibus a Sede Apostolica hujusmodi facultas indulta est, vel indulgebitur, omnium primus Romano huic Rituali inseri jussit. Ergo Regularis Sacerdos, quicumque is sit, Pontificiam Benedictionem elargiturus, ex præscripto nostri §. Superpelliceum dumtaxat, & Stolam adhibebit, non autem Pluviale, nec Ministrorum catervam; sed ritu omnino utetur servari solito in Benedictionibus, quæ extra Missam peraguntur, quem quidem ritum jam nos explicuimus initio hujus Tituli, qui inscriptus est, *De Benedictionibus*, Cap. I. in Commentariis ad §. I. & ad §. II. in quorum altero Versum etiam illum, *Adjutorium nostrum in Nomine Domini* Benedictionibus præmitti solitum exposuimus.

X. Quod tandem Orationem spectat in præsenti nostro §. præscriptam, nempe, *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis auxilium de Sancto &c.* stans quidem illam dicet Sacerdos, estque hic antiquus ritus, ut stantes olim orarent Christiani, de quo alias diximus. Rogat autem Sacerdos in ipsa Oratione Deum Omnipotentem, misericordemque, ut vota Populi in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, Divinamque Benedictionem præstolantis, & gratiam, clementer exaudiat, dexteram suam super eum benignus extendat, ac plenitudinem Divinæ Benedictionis effundat, qua bonis omnibus cumulatus felicitatem, & vitam consequatur æternam.

## §. III.

Post quam ad cornu Epistolæ accedat, ut in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Parte IV. *benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolæ*; & stans in cornu Epistolæ, non trina, hoc est, triplici signo Crucis, sed una Benedictione, unico videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce hæc verba: *Benedicat vos Omnipotens Deus ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. De Pontificia Benedictione jam late disseruimus supra in nostris ad Capita XXXIII. & XXXIV. Præfationibus, & Commentariis. Quoniam vero in hoc nostro §. fit mentio Actorum Mediolanensis Ecclesiæ, ac ritus in iis a S. Carolo præscripti pro Benedictionibus generatim peragendis, abs re non erit integrum ritum describere, qui est hujusmodi: *In omni Benedictione Sacerdos Superpelliceo, & Stola præterea pro ratione temporis utetur, nisi aliter notabitur. Stando semper benedicet, non sedendo, aut genuflectendo, & capite aperto. In principio cujuscumque Benedictionis dicet, quæ sequuntur, & dum dicit,* Deus in adjutorium, *signum Crucis sibi adhibeat.* ℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine adjuvandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio &c. ℟. Sicut erat &c. Haleluja. *In Quadragesima omisso,* Haleluja, *dicatur,* Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ. Kyrie eleison, Kyrie eleison. Kyrie eleison. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Postea Oratio, vel Orationes propriæ. In fine Benedictionis semper dicat.* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. ℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. ℣. Procedamus cum pace. ℟. In Nomine Christi. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. *Postea aspergat Aqua benedicta ter res, primo in medio, secundo a parte dextra, tertio a parte sinistra, nihil dicendo, nisi in propriis locis aliter notetur. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est habeat duos Clericos, quorum unus vas Aquæ benedictæ cum aspergillo, alter vero Libram hunc Ritualem teneat, aut unum saltem, qui ei actioni inserviat.*

II. Hæc S. Carolus Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis in Rubricis, seu Instructionibus generalibus pro Benedictionibus, pag. 555. & seq. quæ licet sparsim supra in Commentariis ad Caput I. hujus Tituli adnotaverimus, censuimus nihilominus junctim, prout in eisdem Actis habentur, in hoc Commentario describere, ut ex eisdem scilicet suppleatur, quod forte

in

in hoc Rituali desideratur, quod nempe nostris ritibus accomodari potest, non enim omnia, quæ a S. Carolo pro Ecclesia Mediolanensi statuta fuerunt, ad alias referri debent. Porro nostro ritui concinit, quod statim in laudatis Actis recitato superius loco subjicitur; *Benedicet in Ecclesia ad Altare stans in cornu Epistolæ*. Atque id est, quod & noster hic §. statuit, citans Acta ipsa Mediolanensis Ecclesiis, quæ tamen sic statim inquiunt; *Aut in Sacristia ad mensam decentem pro ratione eorum, quæ benedicuntur*. Tum vero tandem; *Sed caveat, ne Benedictionis gratia ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta, sed quod ejusmodi est, ponatur super aliquod scamnum paratum loco commodo*. Ita Acta ipsa, quæ potissimum rerum Benedictionem spectant; quod autem ad personarum Benedictionem attinet, ac eam præsertim, quæ ex delegatione Apostolicæ Sedis, simplex Sacerdos impertit, servari omnino debet, quod præsenti Capite statuitur, & recitata BENEDICTI Papæ XIV. Encyclica Epistola, præsertim vero, ut Sacerdos, *stans in cornu Epistolæ, non trina, hoc est, triplici signo Crucis, sed unica Benedictione, unico videlicet signo Crucis benedicat, proferens alta voce hæc verba*: Benedicat vos Omnipotens Deus ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

III. Notandum tandem hic ad calcem hujus Commentarii censui ad tironum eruditionem, varias alias permultas recenseri in antiquis Ritualibus Benedictionum formulas, tum rerum, tum personarum, quarum nonnullæ præter hactenus per varia Capita juxta ordinem Romani Ritualis jussu BENEDICTI Papæ XIV. editi auctique, explicatas, ac duæ præsertim extant in Sacerdotali anno MDLXVII. Venetiis impresso pag. 199. a tergo, prima nempe, quæ inscribitur, *De Benedictione muneris, quod offertur in Ecclesia*, estque hujusmodi: *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*. Oratio. *Deus, cujus Verbo, & potentia facta sunt omnia, cujus dono percipimus, quæ ad vitæ remedium possidemus; te supplices obnixis precibus rogamus, ut de Sede Majestatis tuæ huic oblationi Fidelium sanctificator accedas: suscipe de manu famulorum tuorum oblatum, quod a tua clementia benedictum in usus hujus Sanctuarii maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech tibi munera placuerunt oblata. Et quia ad honorem tui amoris Ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis: tu eis, Domine, magna pro parvis recompensa, & devotionem eorum accipias, peccata dimittas, Fide eos repleas, indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas; habeant in hoc sæculo actionis bonæ documentum, charitatis studium, sancti amoris affectum, & in futuro cum Sanctis Angelis adipiscantur perpetuum Regnum. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Postea adspergantur Aqua benedicta.

IV. Curiosa vero est alia formula, quæ in eodem Sacerdotali statim subjicitur, inscribiturque, *Ordo ad ponderandam personam per votum obligatam dare de aliqua re quantum ponderat corpus ejus, sicut triticum, oleum, ceram, vinum, vel alia*. Sane, ut ibidem legitur, *Sacerdos dicit*. ℣. Adjutorium nostrum &c. *quo dicto, ponit personam ponderandam super lancem, vel tabulam more solito, & dicat Antiphonam*: Benedicimus Deum Cæli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Et intonet*: Te Deum laudamus &c. *Quo finito, dicat*. ℣. Salvum fac servum tuum, *vel*, ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. *Deinde sequitur Psalmus*, Laudate pueri &c. *totus cum* Gloria Patri &c. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. *Oratio*. Suscipe Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, tuorum preces, & supplicum vota, & per Sanctissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, & Genitricis Mariæ, & Sancti tui N. intercessionem, præsta nobis, ita beneficia tua cognoscere, ut in gratiarum semper actione maneamus; ut dum Fideles tui pro quacumque petitione ad te vota emittunt, protinus tua largiente clementia eis postulata concedens, te miserationum Dominum fateri, & laudare mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. *Et adspergantur omnes Aqua benedicta*.

V. Sicut in Ecclesia Latina in variis Festis, & occasionibus, variæ olim, & rerum, & personarum fiebant Benedictiones, ita quoque & in Græca, ut ex Euchologio constat a doctissimo Jacobo Goar Notis illustrato, in quo hodieque hujusmodi Benedictiones extant, quæ tamen apud nos Latinos in desuetudinem abierunt, iis dumtaxat probatis, quas Rituale Romanum exhibet jussu primum Pauli Papæ V. ordinatum, editumque, novissime vero iterum BENEDICTI Papæ XIV. auctoritate promulgatum, auctumque. Cæterum non addubito, quin illæ etiam in variis, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiis, rerum, personarumve peculiares Benedictiones retineri, atque observari possint, ac debeant; quæ licet in hoc nostro Rituali Romano desiderentur, longo tamen usu, supremave Præsidum Ecclesiæ auctoritate probatæ sunt, quales inter alias sunt Benedictiones Rosariorum, cæteræque id genus complures, quæ a Regularibus præsertim variorum Ordinum ex Apostolicæ Sedis Indulto non sine magna piorum Fidelium utilitate adhiberi solent. Neque enim audiendi sunt hæretici, ac nonnulli etiam irreligiosi Catholici, qui hujusmodi Benedictiones, innumeris pene miraculis comprobatas, ut sacri Scriptores testantur, perperam, ac non sine sua ipsorum impietate, & scelere carpunt.

VI. Sed ut de Græcis etiam hoc loco aliquid dicam, permultæ extant & apud ipsos rerum, personarumque Benedictiones, quæ Orationes appellitantur. Nam præter non paucas a nobis jam in superioribus Commentariis recitatas, extant hodieque in Euchologio variæ in prima, & aliis capillorum, ac barbæ puerorum, adolescentumque detonsionibus Orationes. Item Oratio ad velandum, & exornandum mulieris caput. Oratio præterea ad benedicendam aquam, sive in puteo, sive in cisterna, cum immundum quodpiam animal, aut quodcumque aliud in eam inciderit. Oratio in puteum contaminatum, necnon in ejus aquam. Ordo servari solitus, si contige-

tigerit, aliquid execrandum, aut immundum in vini, olei, mellis, aut alterius cujuscumque vas nuper incidisse. Oratio super vase coinquinato. Oratio super frumento, farina, vel alia quavis specie contaminata. Sed longum esset alias id genus Orationes referre, quas legere est in Euchologio, seu Rituali Græcorum, quod doctissimus Jacobus Goar Notis egregiis illustravit.

# DE PROCESSIONIBUS
## TITULUS IX.

I. PRocessio dicitur quasi progressio a procedendo in publicum, ex Lege, *Ordinem*, & Lege, *Sancimus*, Cod. *De Consulibus &c.* Lib. XII. Hinc Processio Sacra, sive Ecclesiastica, de qua in præsenti agimus, non est aliud, nisi pia Cleri, vel Christiani populi, vel utriusque precabundi, cum certo ritu, ac cæremonia progressio, ut eam definit Busæus in Libro, *De statibus hominum*, Titulo, *De Processionis sacræ statu*, Cap. I. Sive ut ait Gretserus, Lib. I. *De Sacris Processionibus*, Cap. I. est profectio populi ad locum quempiam sacrum cum certo ritu, & dispositione, precum concipiendarum gratia tendentis. Itemque hoc alio modo: Processio est supplicantis cœtus, certo cum ritu, & cæremonia, circuitio, seu obambulatio. Sed de hisce, & aliis Processionis Sacræ, sive Ecclesiasticæ definitionibus, seu descriptionibus fuse inter alios differit Paulus Maria Quarti Clericus Regularis in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione I. Puncto II.

II. Porro ab ipsis precibus, quarum causa institutæ sunt Processiones, dictæ sunt etiam Litaniæ, idest, Supplicationes; unde apud Græcos λιταίνειν idem est, quod *Processionem obire*. Inter Latinos quoque Sidonius Apollinaris, Libro V. Epistola XIV. ad Aprum, Litaniam, seu Processionem *Supplicationem* vocat; & ut alios omittam, Valafridus Strabo in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. XXVIII. *notandum*, ait, *Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cuncta, quæ in Supplicationibus fiunt*. Notat præterea Durandus, Lib. VII. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Capite I. num. 20. & ex eo Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. I. Processiones ipsas appellari aliquando etiam *Stationes*, sumpto nomine a veteri Ecclesiæ Romanæ ritu, quo cum Statio apud aliquam Ecclesiam haberetur, Populus cum Clero in aliam vicinam Ædem conveniebat, expectans Pontificem; quo adveniente, solemni ordine inde ad locum Stationis procedebatur, ut ex pluribus locis antiqui Romani Ordinis planum est, itemque ex Anastasio in Vita Leonis Papæ III. ex laudato Durando, Libro IV. Cap. XV. & citato Lib. VII. Cap. I. ex Panvinio in Libello, *De Stationibus Vrbis Romæ*, & ex aliis plurimis priscis æque, ac recentioribus Ecclesiasticarum rerum Scriptoribus. Processio itaque, quia ad Stationem pertinebat, Stationis nomen sortita est. Processiones enim utplurimum celebrantur ad eas Ecclesias, in quibus Statio publica est, vel ratione Festi solemnis, vel specialis sanctitatis loci, vel venerandarum sacrarum Reliquiarum, vel alias invocandi patrocinii ejus Sancti, in cujus honorem Deo Ecclesiæ illæ dicatæ rite fuerunt.

III. Quoniam vero Stationis hic mentio incidit, operæ pretium ducimus ad explicandum magis magisque antiquum Processionum ritum præsertim in Ecclesia Romana cæterarum omnium Ecclesiarum Matre, ac Magistra servatum, nonnihil de ea, sicut & de Collectis, differere, juxta ea, quæ de eisdem notarunt inter alios Jacobus Eveillon in citato Tractatu, & Clarissimus Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Capite V. quod inscriptum est, *De Collectis, & Stationibus, deque Litaniis Romanis*. Ergo Stationis vox ambigua aliquando sumitur pro jejunio, non quidem voluntario, ut ait Mabillonius, sed statutorum dierum, & temporum, ut jejunium quartæ, & sextæ Feriæ, vel Quadragesimæ, ut scite observat Macryus in Hierolexico, verbo, *Statio*, ubi etiam affert locum S. Isidori Episcopi Hispalensis ex Libro VI. *Originum*, Cap. XIX. Usurpatur quandoque vox Stationis pro statu orantium; & in utroque significatu occurrit passim & penes Tertullianum, & alios antiquos Auctores. Cæterum quod rem nostram potissimum spectat, sumitur etiam pro concursu populi ad locum indictum, idest ad Ecclesiam, in qua Processio Clericorum consistebat statis diebus, ad statas preces faciendas. Antiquus quippe in Urbe ritus erat, ut certis diebus Clerus in unam aliquam Ecclesiam conveniret supplicationis causa, ubi Sacra fiebant, aliaque Divina Officia celebrabantur.

IV. Cleri Romani Processio in illas Stationes duplex erat, solemnis, aut privata. Privata fiebat, cum unusquisque privatim in locum indictum se reciperet; solemnis vero, cum solemni more, decantando Litanias, aliasque preces, Pontifex, aliique omnes eo se se recipiebant. Processiones solemnes præcedebat Collecta, idest, coadunatio Clericorum in una Ecclesia, ut ex ea quasi agmine facto in locum Stationis procederetur; sic dicta, quod eo in loco Clerus cum omni Populo colligaretur ad faciendam Processionem solemnem; & quia in loco, ubi fiebat Collecta, Oratio super Populum fundebatur, inde fit, quod ejusmodi Orationes etiam Collectæ appellantur; *quoniam super collectum Populum fiunt*; ut loquitur Micrologus in Libro, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. III. Sic *in capite jejunii illa Oratio*, Concede quæsumus, *apud S. Anastasiam super Collectam Populi dicitur, qui Stationem apud S. Sabinam celebraturus est*. Sed hujusmodi Collectæ fiebant præcipue in Quadragesima, & in singulis triduis quatuor Temporum, propterea quod illis diebus solemnis Processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus Processio, nullæ Collectæ assignantur in veteri Indice Collectarum, & Stationum, quem exhibet Mabillonius ex duobus membranaceis Codicibus Vaticanis, Tomo II. Musæi Italici post Ordinem Romanum

XV.

xv. pag. 544. & seqq. De Collectis, quæ Sæculo xii. in usu erant, ita scribit Benedictus Canonicus S. Petri in Ordine Romano xi. num. 35. *Collecta fit secunda Feria, quarta, & sexta, & Sabbato per totam Quadragesimam, & in quatuor Temporibus totius anni, & in quinta Feria ad S. Mariam Transtiberim, & ad S. Apollinarem.*

V. Sed ut rem a prima origine repetamus, licet Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Papæ I. dicat, illum Stationes Romæ ordinasse, id nequaquam intelligi potest de prima illarum institutione. Nam S. Hilarus Papa, qui multo ante Gregorium sedit in Pontificatu, ut in ejus Vita scribit Anastasius, *in Urbe Roma constituit Ministeriales, qui circuirent constitutas Stationes.* Ubi nota, vel longe ante Hilarum, qui cepit Pontificatum anno CDLXI. in usu fuisse Romæ Stationes. Quod non mirum videri debet, cum de eisdem pariter, ac Processionibus mentionem fecerit Scriptor secundi Sæculi Tertullianus non uno in loco, ac præsertim Libro II. ad Uxorem, Cap. iv. *Domino,* inquit, *certe non potest pro disciplina satisfacere habens in latere diaboli servum, procuratorem domini sui ad impedienda Fidelium studia, & officia. Ut si Statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio adveniat.* A militia, inquit Rhenanus, Romana tractum, & usurpatum hoc vocabulum Stationis, ut alia multa, hæsit in usu Christianorum. Faciebant Stationem milites, præsidium certo loco agitantes; unde & *Stationarii* dicti, Christiani quoque veteres, nunc in hac Basilica, nunc in alia convenientes, nonnumquam apud Martyria, hoc est Martyrum Sepulchra, Deum stantes, & adtenti precabantur. Processionum quoque cæremonias antiquas esse, vel ex recitato testimonio Tertulliani addiscimus. Ubi etiam notat idem Rhenanus, quod Processiones Ecclesiasticæ referunt Judaicum Populum obviam Christo factum, & Apostolos exeuntes in Mundum universum, cum Christus in Cælos ascenderet.

VI. Præclare idem Tertullianus in Apologetico, Cap. xxxix. sic inquit: *Corpus sumus de conscientia Religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes.* Cum enim Ecclesia sit Corpus Religionis visibile, postulat ratio cultus Divini, ad quem ordinatur & fœdus illud sanctæ societatis, quam inter se habent omnia ejus membra, ut sæpe Fideles in unum conveniant, conjunctis votis, & communibus pietatis officiis, Deum unanimiter veneraturi, aspectabili ritu in mutuam ædificationem. Unde quemadmodum in ipso sui ortu, atque exordio omne Religionis exercitium in conventibus celebrandis posuit; ita loca ipsa, ad quæ Fideles orandi causa conveniebant, jam tum Ecclesiarum, idest, conventuum nomine appellavit. Conventus autem Christianorum ad Sacra, & Preces in duplici sunt genere. Alii statarii, quibus in eodem loco consistendo oratur, unde iis in primitiva Ecclesia Stationum appellatio tributa est. Alii vero ambulatorii, in quibus Supplicationes fiunt eundo, & progrediendo, unde Processiones nominantur; nam & hæ Conventus Ecclesiæ dicuntur a S. Augustino Sermone clxxiii. *De tempore*, & a Cæsario Arelatensi in Homilia xxxvii. *De Letania*. Ac primis quidem temporibus in usu potius fuerunt cœtus statarii; quia propter persecutiones Gentilium, non poterant Christiani in publicum cum apparatu, & pompa Religionis prodire. Ex quo factum est, ut quemadmodum publice Templa Fideles non habuerunt, donec Constantini Lege licuit eis publicos conventus Christiano ritu agere; ita nec ad id usque tempus Processiones publicas celebrare non potuerint.

VII. Observat hæc quidem post recitatum mox Tertulliani locum eruditus Eveillon in citato Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. II. placuitque ea describere, ad majorem primævarum Stationum notitiam, atque eruditionem, & ut luculentius probetur, quod alias dictum est, S. Gregorium Magnum Pontificem Maximum, Stationes antea vagas, vel certis Ecclesiis scripto non addictas, in suo Sacramentario constituisse; atque ita sane intelligendum est, quod scribit in illius Vita Joannes Diaconus, Libro iii. Cap. xviii. ubi ait ordinasse Gregorium Stationes *per Basilicas, vel Beatorum Martyrum Cœmeteria*. Institutæ quidem fuerunt primitus ipsæ, vel ob Sanctorum Natalitia, vel ob dies publicæ Processionis, sive Missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob Sanctorum Natalitia fiebant in eorum Memoriis, vel in Cœmeteriis, idest, in Ecclesiis super eorum Tumulos constructis, quæ ob id Cœmeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimæ essent Sanctorum Festivitates, & Memoriæ, non erat necessarium harum Stationum diem, ac locum assignare in Sacramentariis, in quibus quæcumque propriæ Sanctorum Missæ habebantur, publicas olim Stationes exigebant. At vero Stationes aliorum dierum, puta Quadragesimæ, quatuor Temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis, & similium, cum incertæ essent, eas designari oportebat, nequa oriretur dubitatio, ad quamnam Ecclesiam esset procedendum ad publicam Stationem. Unde S. Gregorius eam certis diebus addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas porro constituit passim in Basilicis præcipuis, scilicet Patriarchalibus, & Titulis, aliquando tamen in Diaconiis, & Oratoriis, ut in Oratorio S. Pancratii, in quo idem S. Pontifex Homiliam habuit. Gregorius II. supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies, nempe in Feriis quintis; quas Stationes, ne reperirentur in Titulis, in aliis Ecclesiis statuit. Hoc est, quod significare voluit Anastasius in ejus Vita, ubi ita scripsit: *Hic quadragesimali tempore, ut in quinta Feria jejunium*, idest Statio, *atque Missarum celebritas fieret, in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.* Attamen singulas Quadragesimæ Ferias quintas ante Gregorium II. festivas fuisse instar Dominicæ, Auctor est Micrologus in citato Opere, Cap. i.

VIII. Etsi autem fixæ, ac ratæ essent in Sacramentario Stationes, eas tamen Populo denunciari mos erat. Id fiebat ab Archidiacono in publica Missa præcedente. Postquam enim Pontifex communicaverat, veniebat *Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, & adnunciabat Stationem*; quæ verba leguntur in Ordine i. Romano apud Mabillonium, Tomo II. *Musæi Italici*. Denunciari consuevisse sequioribus Sæculis futuram Stationem a Subdiacono

Re-

Regionario, docet nos Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, num. 34. ubi etiam ejus denunciationis formulam refert: *Ante Communionem vero stat Subdiaconus Regionarius juxta Altare, dicens alta voce*: Crastina die veniente, Statio erit in Ecclesia S. Georgii Martyris ad velum aureum. *Respondet Schola*: Deo gratias. *Et sic postea Primicerius cantat Communionem*. Non dubium est, quin etiam denuntiaretur Collecta, ubi res exigebat, idque muneris præstiterit aliquando Notarius. Cujus rei insigne est exemplum in Vita Leonis Papæ III. qui *cum die quadam more solito in Letaniis, quæ ab omnibus Majores appellantur, procederet, ubi sibi Populus obviam occurrere deberet; & secundum annuam consuetudinem Letanias, & Missarum solemnia cum Sacerdotibus celebraret, & secundum antiquam traditionem a Notario S. R. E. ab Ecclesia B. Georgii Martyris in ejus Natali ipsa Letania prædicata fuisset; omnes tam viri, quamque feminæ devota mente catervatim in Ecclesia B. Christi Martyris Laurentii, quæ Lucinæ nuncupatur, ubi & Collecta prædicta inerat, occurrerunt*. Collecta itaque etiam in Litaniis Majoribus fiebat, tametsi nulla huic tempori in memorato superius Indice solemnium Collectarum, & Stationum S. R. E. a Mabillonio edito assignatur. Pergit Auctor Vitæ Leonis de eo narrare, quod, *cum a Patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine Planeta iniquus, nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens, quia infirmus sum, & ideo sine Planeta veni*. Ex quo intelligitur, Ministros Sacros Planetis ornatos in illis Collectis Pontifici occurrisse.

IX. Ad locum Stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranensi Vasa sacra, præeunte Cruce Stationali Pontificem in Sella gestatoria, quam eo portari mos erat. Interdum tamen equo vehebatur, ut ex antiquis Romanis Ordinibus addiscere licet. In Supplicationibus per dies Stationum præsertim quadragesimalium præibat quidem Crux Stationalis universo Urbis Clero procedenti, & sumebatur ex Altari S. Petri, de qua Mallius allegatus a Fivizanio, Lib. II. *De ritu Crucis præferendæ Romano Pontifici*, Cap. VI. ita loquitur: *Quadragesimali tempore Crux Domini de Sanctissimo Petri Altari, quæ præcedat Populum pœnitentem per totam Quadragesimam ad Stationem euntem. Quæ nimirum Crux Stationalis ob Christi, & Apostolorum ejus reverentiam in tota veneratione a cunctis est habita, quod, sicut Cantores Regionarii asserunt, hac Cruce non delata, immunes a Statione recedant*. De illa etiam Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, num. 29. ubi agit de Statione diei Purificationis B. Mariæ Virginis, sic inquit: *Subdiaconus Regionarius levat Crucem Stationalem de Altari, portans eam in manibus usque ad Ecclesiam*. Fuisse antiquum morem, ut ipsa Crux a Subdiacono gestaretur, testis est Anastasius in Vita Leonis Papæ IV. quem ait instaurasse *Crucem auream, quæ, ut mos antiquitus est, Subdiaconi manibus ferebatur, prædecessorum Pontificum*. Sed de Cruce Stationali plura scitu digna videri possunt apud Virum eruditissimum Petrum Morettum in celebri numeris omnibus absoluta Lucubratione, *De Presbyterio*, & in Appendice I. ad eandem, num. VIII. & seq. Vide & infra in Commentario ad §. V. ubi nos varia dicemus de antiquo Ecclesiæ ritu præferendæ Crucis in sacris Processionibus.

X. Quum autem Litaniæ in Processionibus publicis fere semper concinerentur, quousque ad Ecclesiam, in qua fiebat Statio, vel ad locum statutum perveniretur, *Litania* ipsa Processio appellata est, ac præsertim a S. Gregorio Papa I. qui septem Litanias, idest Processiones secundum varium hominum statum ad avertendam mortalitatem uno die constituit, uti constat ex ejus Sermone, qui legitur in Epistola II. Libri XI. ubi sic inquit: *Proinde Fratres charissimi contrito corde, & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem Letaniam juxta distributionem inferius designatam devota mente cum lacrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat, quatenus ad sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus, ut districtus Judex, dum culpas nostras punire considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat. Letania Clericorum exeat ab Ecclesia B. Joannis Baptistæ. Letania virorum ab Ecclesia B. Martyris Marcelli. Letania Monachorum ab Ecclesia Martyrum Joannis & Pauli. Letania Ancillarum Dei ab Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani. Letania feminarum conjugatarum ab Ecclesia Beati primi Martyris Stephani. Letania Viduarum ab Ecclesia Martyris Vitalis. Letania pauperum, & infantium, ab Ecclesia Beatæ Martyris Cæciliæ*. Appellatam etiam fuisse Litaniæ nomine Processionem a sequioribus Romanis Pontificibus, & quidem, ut alios omittam, ab Honorio I. & a Sergio, in eorum Vitis Anastasius nos docet. De Honorio ita plane loquitur: *Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decrevit, ut per omnem hebdomadam Sabbatho die exeat Litania ad B. Apollinarem, & ad B. Petrum Apostolum cum Hymnis, & Canticis populus omnis occurrere debeat*. De Sergio vero sic habet: *Constituit autem, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam Populus occurrat*.

XI. Porro quod ab ipsis precibus, quarum causa institutæ sunt Processiones Ecclesiasticæ, dictæ sint *Litaniæ*, idest, *Supplicationes*, docet plane inter alios eruditus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. I. pag. 2. ubi etiam observat λιτανεύειν idem esse apud Græcos, ac *Processionem obire*. Appellatas fuisse & olim sacras ipsas Processiones etiam nomine Supplicationum, probari posset ex variis Synodis, atque ex priscis Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus. Teste Nicephoro, Lib. XIV. Cap. III. ubi loquitur de Processione a Theodosio Juniore Imperatore anno CDVIII. celebrata ad maximam quandam tempestatem avertendam, *Litania instituta est, supplicantes processere, laudibus Deum vexere, atque una concors Ecclesiæ Civitas tota facta, & ipse Imperator medius hymnis canendis præiit, habitu privato incedens*. Eodem teste Nicephoro, Lib. XV. Cap. XV. Martianus Imperator, qui Theodosio ipsi successit, anno CDL. *multa religione, & sanctitate vir in Supplicationibus publicis aliis præibat, & maximam indigen-*

*gentibus pecuniam præbebat.* Sed supervacaneum est alia id genus loca referre, cum vel tironibus rerum Ecclesiasticarum perspicuum sit, Supplicationum nomine Sacras Processiones appellari.

XII. Quamquam vero vel ex dictis hactenus constet, Sacras Processiones antiquas esse in Ecclesia, sciendum tamen est, quod communiter sacri Scriptores docent, eas nempe suam trahere originem a Veteri Testamento. Nam primo, Exodi Capite XV. ante Legem Cæremonialem datam, Israelitæ attoniti insigni miraculo transitus maris rubri, quo divina virtute ex Ægytiorum persequentium manibus evaserant, quum gaudium animis continere non possent, ut scribit Philo Judæus, *De Vita Mosis*, solo Legis naturalis ductu, alternis choris virorum, ac mulierum, illinc Moyse Divino Spiritu præcinente, hinc Maria ejus sorore, in ipso litore, ad quod appulerant, cum exultatione procedentes, ac tripudiantes, laudis Hymnos, & gratiarum actiones Deo cecinerunt. Probari a Deo hujusmodi Processiones, patet ex Capite VI. Josue, ubi iidem Israelitæ Dei jussu Urbem Hierico per septem dies circumeunt, certo ordine, ac ritu Divinitus præscripto religiose procedentes, Sacerdotibus aliis Arcam deferentibus, aliis ante eam tubis Jubilei, quas Septuaginta Interpretes sacras appellant, clangentibus, Populo armato, acie instructa ante Sacerdotes incedente, reliqua autem vulgi multitudine sequente post Arcam, alto cum silentio, more Sacrorum, & tacitis votis Dei virtutem implorante, quæ septimo tandem die apparuit, muris obsessæ Urbis ad sonitum tubarum Sacerdotalium, & ad Populi clamorem, illico omni ex parte collapsis. Fuisse ipsam Sacræ Arcæ ad Urbem Hierochontinam circumductionem, & nobis demonstrasse sacrarum Processionum virtutem, atque effectus, notavit jam inter alios eruditus Lupus in Dissertatione, *De Sacris Processionibus &c.* Cap. I.

XIII. Omissis aliis Veteris Testamenti Processionibus, quas recensent Gretserus, Eveillon, & alii Auctores permulti in Tractatu, *De Sacris Processionibus*, in Testamento Novo primum exemplum habemus Josephi & Mariæ cum puero Jesu, qui, uti legitur in Evangelio Lucæ, Capite II. ascenderunt ad diem festum Hierosolymam; tenebantur enim omnes Judæi quotannis secundum Legem Moysis expressam in Exodo, Cap. XXIII. & XXIV. & in Deuteronomio, Capite XVI. ter revisere Hierosolymitanum Templum, nempe in Festis tribus, Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiorum, idque primo, ut agerent gratias pro tribus Dei beneficiis. In Paschate quidem pro liberatione ex Ægypto. In Pentecoste pro data Cælitus Lege. In Scenopegiis pro datæ Terræ promissæ dominatu. Secundo, ut vota sua, & Sacrificia offerrent. Tertio, ut Benedictionis Summi Pontificis fierent participes. Itaque verisimile est, quod & notavit Busæus in Libro, *De statibus hominum, De Processionis sacræ statu*, Cap. II. eos iter illud sacrum cum precibus, & Hymnis confecisse. Cæterum, ut ait Eveillon, Cap. II. pag. 12. & seq. habet etiam insignem quandam speciem Processionis Ecclesiasticæ egressio illa populi Hierosolymitani in occursum Domini Servatoris, quæ describitur Matthæi Capite XXI. Marci XI. Lucæ XIX. & Joannis XII. Quamvis enim neque auctoritate publica facta fuerit, neque certo consilio condicta, aut indicta, tot tamen circumstantiis fuit illustrata, ut hoc nomine non incongrue possit appellari, quemadmodum eam appellavit, procedendique rationem exposuit S. Bernardus in tribus Sermonibus de Dominica in Ramis Palmarum. Etenim concursus ille publicus omnis generis hominum effundentis se extra Civitatem; festiva omnium alacritas; ordo aliorum antecedentium Christum, aliorum sequentium, solum ramis virentibus, & vestibus occurrentium constratum; palmæ, & olivæ in manibus; concentus turbarum gaudentium laudare Deum voce magna; deductio Christi in Templum; acclamationes, tum per viam, tum in Templo, quæ & preces, & laudes Dei continebant, *Hosanna Filio David, benedictus, qui venit in Nomine Domini &c.* nonne hæc omnia magis religiosæ pompæ, quam officiosæ salutationis, significationem præseferunt?

XIV. Est autem & ejus opinionis memoratus Lupus loco citato, Sacras Processiones in Christiana Religione fuisse ab ipsis Apostolis institutas, qui eas a Synagoga mutuatas in Ecclesiam traduxerunt, idque probare conatur ex antiquissima S. Jacobi Apostoli Liturgia. Certe fuisse eas in usu Sæculo Christi secundo, ex Tertulliano patet, qui variis locis ejus ritus meminit, præsertim vero Libro II. ad Uxorem, Capite IV. ubi recensens Fidelium studia, & officia, quæ diabolus impedire conabatur, luculentam facit mentionem Sacræ Processionis: *Ut si Statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat.* Celebris est & ille ejusdem Scriptoris locus in Libro, *De præscriptionibus adversus hæreticos*, Cap. XLIII. ubi ea verba occurrunt, *Processio modesta*, quæ Pamelius, aliique ejus loci Expositores de Sacris Processionibus, vel etiam tunc temporis in Ecclesia usitatis explicant.

XV. Fateri vero illud cogimur, post datam a Magno Constantino Ecclesiæ pacem, publicas Processiones mox cœpisse solemnes, ac frequentissimas. Etenim in Paschalis Festivitatis die Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione sua XLII. hæc ad Populum Constantinopolitanum habet: *Præclara quidem nobis fuit hesterna facium, ac luminum gestatio, quam privatim juxta, ac publice peregimus, omne genus hominum ferme, atque omnes Magistratu, ac dignitate insignes, largo igne noctem illustrantes, magnumque illud lumen referens, quod vel Cælum, universum Orbem siderum suorum pulchritudine illustrans, superne nobis trajicit, vel supercæleste est, cum in Angelis, tum in ipsa Trinitate, a qua lumen omne productum ab indivisibili lumine divisum, atque honoratum.* Laudat Paschalis noctis Processionem, quam omnes etiam Imperii Magnates accensam facem gestantes, pompose comitabantur, & quam omnes domos accensis variis luminaribus illustrabant, ac honorabant. Affirmat, istam Processionem fuisse æmulam stellati Firmamenti, quandam imitationem Sanctorum Angelorum, imo quandam participationem supremi Divini Luminis. Eandem Processionem laudat in Oratione XLIII. ad novam Dominicam: *Prima Dominica*, inquit, *Encænium erat, quæ sacratissimam illam noctem, & luminum gestationem excepit.*

XVI. Institutam fuisse hujusmodi Processionem a Constantino Magno Imperatore, probat mox etiam Lupus luculentissimo Eusebii testimonio, qui in ejus Vita, Lib. IV. Cap. XXII. sic ad rem inquit: *Constantinus Paschalis Festi pervigilationem tam claram reddidit, quam diurnam lucem, accensis tota Urbe per certos homines, quibus hoc munus delegatum fuit, quam celsissimis cereis candelis, quam lampadibus igneis omnes latebras collustrantibus, ut illa mystica pernoctatio longe clarior ipsa solis luce redderetur*. Isto triumpho Constantinus honorabat, quæ circa mediam noctem facta est, Christi Domini Resurrectionem; ad ejusque exemplum Paschalis ista Supplicatio fuit paulatim admissa apud omnes Ecclesias, & ornata multis, ac magnis solemnitatibus. Vide eruditum Jacobum Eveillon, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XIV. XV. XVI. & XVII. in quibus ex antiquis Auctoribus varias recenset Processiones, Supplicationesve die Paschatis fieri solitas, juxta variarum Ecclesiarum vetus institutum, ac praxim, de quibus etiam late loquitur Edmundus Martene in Opere, *De antiquis Ecclesiæ ritibus in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXV. quod, *De Paschatis Festo*, inscriptum est.

XVII. Ergo antiquissimæ sunt in Ecclesia Sacræ Processiones, quarum tamen, ut habetur infra in §. VIII. & IX. *Quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in Festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis, & in Dominica Palmarum, & in Litaniis majoribus in Festo S. Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in die Festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum. Quædam vero sunt extraordinariæ, quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur*. De utriusque agitur in sequentibus Capitibus, de Ordinariis scilicet a Cap. II. usque ad Caput V. de extraordinariis vero a Capite VI. usque ad Caput XIV. de quibus omnibus una cum aliis scitu dignis, & ad Processiones ipsas ordinarias, extraordinariasve spectantibus dicemus nos late suis locis, prædictorum Capitum ordinem sequentes in hoc Titulo præsenti præscriptum.

XVIII. Dividuntur præterea Processiones, ut ajunt, in lætas, & tristes, seu lugubres, quarum meminit inter alias Augustana Synodus, Capite XXIII. & ex ea Durantus, Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. X. num. 8. Lætas dicimus, quas in modum cælestis cujusdam exercitus ducimus, de Christi gloria, & triumpho exultantes, & canentes; itemque illas, quas ad gratiarum actionem, ob res bene, ac feliciter gestas celebramus. Tristes autem appellamus, quas soliciti agimus in tribulatione, quam patimur, veniam peccatorum, & misericordiam deprecantes, ut tribulationem ipsam avertat Deus, quales sunt illæ ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, ad repellendam tempestatem, & quæ ex antiquo ritu, & ex nostri Ritualis præscripto fieri solent tempore penuriæ, & famis, mortalitatis, & pestis, & in quacumque tribulatione, ut in sequentibus Capitibus hujus Tituli videre est, & in nostris perpetuis ad ejusdem Tituli Capita Commentariis.

XIX. Admonendum hic autem censeo, sicut in Processionibus lætis, signa lætitiæ, & cantica exhibemus, ita & ex adverso in tristibus signa tristitiæ, quale inter alia fuit, vel olim pedibus nudis incedere, ut infra non uno in loco ostendemus, ubi scilicet se se nobis de hujusmodi Processionibus disserendi dabit occasio. Servatum fuisse & olim ritum ipsum ab ipsis Ethnicis, qui scilicet nudi pedes sæpe supplicationes suas obibant, & admodum mœsti, ac lugentes, ut emollirent Deos suos, testis est Tertullianus in Libro, *De jejuniis adversus Psychicos*, Cap. XVI. ubi egregie ita ritum explicat: *Sed & omnem ταπεινοφρόνησιν Ethnici agnoscunt, cum stupet Cælum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, Magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdam vero Colonias præterea annuo ritu saccis velati, & cinere conspersi Idolis suis invidiam supplicem objiciuntur balnea, & tabernacula in nonam usque cluduntur. Unus in publico ignis apud aras, aqua nec in lancibus, Niniviticum credo Justitium. Judaicum certe jejunium ubique celebratur, cum omissis Templis per omne litus quocumque in aperto aliquando jam precem ad Cælum mittunt; & licet cultu, & ornatu mæroris munus infament, tamen fidem abstinentiæ affectant, & stellæ auctoritatem demorantis suspirant*. Quia scilicet more Judæorum non prius solvebant jejunium, quam stellas conspexissent, famelicis sero apparentes. En ergo quanta Ethnicorum procedentium, & falsis Numinibus supplicantium demissio animi, humilitas, ac modestia, quam quidem significat verbum illud Græcum initio recitati loci a Tertullino positum. Cæterum, quod Christiani, ac ipsi Romani Pontifices in mœstis Processionibus, vel paucis ab hinc sæculis pedibus nudis solerent incedere juxta ritum non quidem ab Ethnicis, se a veteri Testamento acceptum, dicemus suis locis infra.

XX. Neque vero omittendum hoc loco illud, ad Episcopum scilicet spectare Preces publicas, Supplicationesque instituere, ipsique Clero, ac Populo modum in iis servandum præscribere. Unde cum Magistratus, & Intendentes cujusdam Urbis sua propria auctoritate ordinassent, cantari solemniter, *Te Deum laudamus*, ipsosque Ecclesiasticos ad id coegissent, priusquam intervenisset Decretum Episcopi Diœcesani, facta insuper inhibitione recipiendi Episcopale Mandatum siquod daretur; re delata per Episcopum ad Concilium Sanctius, per Arrestum Concilii XIV. Decembris MDCXXXVIII. cassata fuit dicti Magistratus ordinatio, ipsique Ecclesiastici exonerati a multa per Magistratum ordinata, cum inhibitione facta Magistratui imposterum quidquam statuendi, quod Ecclesiam concernit, aut turbaret Episcopum in functionibus suæ curæ. Refertur in Actis Cleri Gallicani, Tomo I. Tit. II. Cap. V. num. 6. & num. 7. Arrestum ejusdem Concilii Regii, quo XX. Novembris MDCXLIII. declaratum fuit, Capitulum Burdigalense non debere recipere Mandata pro publica gratiarum actione, aliisque publicis Precibus, quas Rex judicasset esse faciendas ab Ecclesia Burdigalensi, ab alio, quam *Archiepiscopo, ejusque Vicario Generali* in ejus absentia. Et num. 8. asseritur, per Senatum Parisiensem VIII. Januarii MDCXLVII. declaratum, *Processiones generales*, Te Deum, *aliasque publicas Preces*, quæ fient ad instantiam Regis, indicendas esse per Episcopum, ejusve Vicarium, de quo Capitulum *gratiose* monebitur. Particulares vero Pre-

Preces ex communi Episcopi, atque Capituli sui Cathedradalis Resolutione.

XXI. Notat hæc Vanespen, Parte 1. *Juris Ecclesiastici universi*, Tit. XVI. Cap. IX. num. X. & seq. ubi etiam postquam dixit, in citata Parisiensi Senatus Declaratione, Precibus publicis, quarum indictio, & directio Episcopo adjudicatur, annumerari *Processiones*, utpote quæ & ad Populi pietatem permovendam instituuntur, opportune subdit, his concinere Sacræ S. R. E. Cardinalium Congregationis Resolutionem, quam ex Barbosa recitat Zipæus in Jure Novo, Tit. *De majoritate, & obedientia*, num. 12. nimirum Episcopum in indicendis Processionibus publicis non teneri habere consensum Capituli, & quidem non obstante quasi possessione contraria, aut consuetudine. Sed neque Prælatum quantumvis exemptum posse impedire Episcopum indicere Processiones in sua Ecclesia, judicavit Concilium Privatum pro Episcopo Audomarensi XXI. Augusti MDXCIII. & XXV. Septembris eodem anno contra Abbatem S. Bertini. Haberi ipsam Sententiam in Registro Sententiarum Concilii Privati, quod incipit prima die Februarii anni MDXCI. fol. 25. præter alios Galliæ Scriptores testatur etiam memoratus recitato a nobis superius loco Vanespen, num. XII.

XXII. Plenam Episcoporum auctoritatem in indicendis, dirigendisque Processionibus, utpote publicis Precibus Populum spectantibus, suppofuit quidem, confirmavitque Concilium Tridentinum, dum Sessione XXV. *De Regularibus*, Cap. XIII. voluit, ut *controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam Sæculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, &, non obstantibus quibuscumque, componat*. Cum præcipue in hoc Decreto Synodus intendat obviare scandalis, quæ ex hisce controversiis solita sunt oriri, nisi statim, & sine dilatione sistantur, compositio Episcopi eo maxime tendere debet, ut brevi manu, summarie, ac de plano, sine strepitu, & figura judicii, expediat universa, quemadmodum Sacram Congregationem Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum declarasse fertur, quæ similiter declaravit appellationem hic amotam dumtaxat, quoad effectum suspensivum, nequaquam vero quoad effectum devolutivum. Quia vero interdum Episcopalis auctoritas hujusmodi controversiis dirimendis, ac sopiendis haud sat, & efficax est, teste eodem Vanespen, num. XVII. Regia nonnumquam accedere consuevit auctoritas, quæstionesque super ipsis controversiis ad Concilia Regia, præcipue si de possessorio agatur, frequenter devolvuntur, quod quotidiana praxi notius est, quam ut probari latius debeat; & plura Regia Arresta in hac materia refert inter alios Scriptores Gallos, qui de hujusmodi rebus ex professo loquuntur, Renatus Choppinus, Lib. II. Tit. ultimo, num. 23.

XXIII. Mandat præterea Tridentinum Concilium loco citato, ut *exempti omnes, tam Clerici Sæculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi ad publicas Processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura vivunt.* Hujus Decreti vigore decisum esse testatur Stephanus Gratianus Decisione CCXXXII. num. 15. in Curia Episcopali Papiæ, Monachos posse compelli ab Episcopo, & Censuris distringi, aut saltem pœnis pœcuniariis, ut ad Processiones publicas vadant. Et Erasmus Choquier, Parte II. *De jurisdictione in exemptos*, Quæstione XLV. num. 109. post Choppinum, *De sacra Politia*, Lib. II. Tit. VI. num. 18. judicatum refert, *quod omnes, quantumcumque exempti, accedere tenentur ad Processiones consuetas, aut indictas pro publico bono, vel honore*. Cæterum quamvis hæc ita se habeant, advertendum tamen, quod ait Fagnanus in Capite, *Nimis prava*, XVII. *De excessibus Prælatorum*, num. 11. nempe Gregorium Papam XIII. excepisse Regulares, *quorum Monasteria distant a Civitate ultra medium milliare, ut est adnotatum in Libris publicis Sacræ Congregationis Concilii ad dictum Caput* XIII. Observat præterea idem Fagnanus citato loco num. 8. Religiosos Societatis Jesu ex Constitutione ejusdem Gregorii XIII. quæ incipit, *Quæcumque*, edita XVI. Julii anni MDLXXVI. exemptos fuisse a Processionibus ex quacumque causa indicendis.

XXIV. Afferri & alia id genus privilegia possent, quibus & alii Regulares, præsertim Clerici, a Processionibus exempti sunt; quæ tamen aliquibus in locis locum non habent, cum & ipsi Jesuitæ jussi sint Processionibus interesse. Fuere quidem nonnulla Capitula Canonicorum, qui titulo immemorabilis consuetudinis, & possessionis se prætendebant ab hac accedendi ad Processiones obligatione exemptos; sed observat Aloysius Riccius in sua Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, hanc consuetudinem in Gallia esse reprobatam, tanquam illegitimam, atque irrationabilem. Et in specie Canonici Metenses quantumvis exempti, declarati sunt non receptibiles ad prætendendum se non esse obligatos comitari suum Episcopum in publica Supplicatione per sententiam Senatus Parisiensis anni MDLXXXIII. Similia duo alia Arresta contra Canonicos titulo antiquæ possessionis idipsum prætendentes referuntur per Meynardum Lib. I. Notabili XLIV. Cap. V. apud toties memoratum Vanespen citata Parte 1. *Juris Ecclesiastici*, Tit. XVI. Cap. IX. num. XX. ut alios omittam Scriptores, qui in hanc rem possent afferri.

XXV. Scio equidem, ægre ferri a locorum Magistratibus, civibusque, hasce seu Clericorum Sæcularium, seu Regularium, ac Monachorum, seu Fratrum, quos Mendicantes vocant, a Sacris Processionibus exemptiones, tametsi medio, sive integro milliario eorum Monasteria, Domusve a Civitatibus, sive Oppidis distent, quia scilicet, qui sentiunt commodum reddituum, quibus aluntur, sentire etiam aliquid incommodi debent, ut nimirum Sacræ ipsæ Processiones Religiosorum diversitate, ac numero decorentur. Porro quod alicubi Regulares solo Choro contenti, nullam afferrent Populo utilitatem in audiendis Confessionibus, in Prædicatione Verbi Dei, & in erudiendis adolescentibus, occasionem dederunt, ut supremorum Ecclesiæ Præsulum auctoritate, illorum Monasteria supprimerentur, redditusque in alios pios usos converterentur. Notum id jam omnibus est, timendumque, ne & aliis permultis idipsum aliquando contingat, si supremi Ordinum Religiosorum Moderatores remedia opportuna non afferant.

# CAPUT I.

## §. I.

Publicæ, Sacræque Processiones, seu Supplicationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica Ecclesia, vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum, uti consuevit, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna mysteria, & salutares Christianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur, de quibus Fideles præmonere, & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

## COMMENTARIUS.

I. CUr institutæ sint publicæ, Sacræque Processiones, seu Supplicationes, & quidem ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto, & Catholicæ Ecclesiæ praxi, docet nos hic præsens §. *vel ad excitandam*, inquit, *Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum*. Hæ sunt plane præcipuæ causæ, propter quas Processiones ipsæ sunt institutæ, quas nos infra peculiaribus Capitibus in hoc Titulo præscriptis fuse enarrabimus. Quod vero & magna mysteria continent, & salutares Christianæ pietatis fructus eas pie exequentes, consequuntur, merito subdit idem hic §. noster, Parochorum esse officium, Fidelibus & illa mysteria, & salutares ipsos fructus opportuno tempore explicare. Sed fateri cogimur, a Parochis passim negligi officium istud, innumerosque pene iccirco inveniri Fideles, feminas æque ac mares, plebejos pariter ac nobiles, laicos, Clericos, juvenes, ac senes, qui Catholicæ Ecclesiæ Solemnitatum, Supplicationumque mysteria, & utilitates ignorantes, ad eas minime attendunt, easdemque autumant ad Clericos solum, Religiososque, non vero ad cæteros Christianos pertinere. Nescio autem, an immunes prorsus a culpa censendi sint plerique Fideles, qui ubi toto bacchanalium tempore, tabernis clausis, non sine rei familiaris jactura, ac propriarum etiam animarum pernicie, noctu, diuque spectaculis intersunt, vel ipso deinde Dominicæ Passionis triduo adeo negotiis suis sunt occupati, ut adire vix Ecclesias queant, ut Sacrosanctis Dominicæ Passionis mysteriis assistant.

II. Huic plane abusui, ac malo ingenti occurrere conati sunt zelantissimi Episcopi, præ cæteris vero S. Carolus variis locis Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, ac præsertim in Concilio Provinciali Mediolanensi III. Capite inscripto, *Quæ ad Concionatores pertinent*, ex quo multa addiscimus, quæ ad rem, quam agimus, quammaxime faciunt. Sic ergo ille: *Anniversaria Festorum, solemniorumque dierum quadam quasi vicissitudine, & statis pro solemnitatum, temporumque ratione sacris cæremoniarum ritibus Dei Ecclesia a Spiritu Sancto instructa, redemptionis mysteria, & sacras alias actiones in anno, tanquam uno Libro descriptas, Fidelibus proponet, qui si minus ad ea instructi sunt, nec quæ sancte, religioseque aguntur, intelligunt, non eum fructum, quem alioquin perciperent, capiunt. Quo igitur diligentius instruantur, in diesque magis accendantur ad publicas sacras actiones, & mysteria colenda, quæ statis anni solemnitatibus, & temporibus Ecclesia Dei celebrat, Episcopus tum ipse aliquando, tum Concionatores, & Parochi certis iis diebus, quibus illa agi, celebrarive contigerit, Populum doceant, cum sacrosancta ea mysteria, tum religiosum eorum anniversarium cultum, tum sanctiores statarum in iis colendis sacrarum cæremoniarum, ac rituum rationes, & significationes*.

III. Pergit S. Carolus, officiumque ipsum Episcoporum, Parochorum, Concionatorumque de explicandis Populo Processionum, Supplicationumque ritibus, mysteriisque, sic exponit: *Itidem cum solemnes aliquæ statæ Processiones, vel aliæ Supplicationes aliqua publica causa indictæ aguntur, vel Jubileum in universa Ecclesia indictum celebratur, conciones ab eisdem habeantur, quibus præter cætera, explicentur causæ, quamobrem, aut Jubileum celebretur, aut illæ Supplicationes fiant; tum excitentur, atque admoneantur Fideles, quam religiose incumbendum sit ei sanctæ actioni, quidque ab illis præstandum, ut illius Jubilei spirituales divitias ipsi consequantur*. Sed notanda potissimum, quæ mox & idem S. Antistes subjungit: *Ut autem religiosa animi præparatione hi solemnes dies a Fidelibus colantur, non satis illis id esse putent, mysteria illa a se sermonibus, concionibusve iis ipsis diebus, quibus celebrantur, explicari, sed Festis etiam, aut Dominicis diebus, eas sacras, vel solemnitates, vel actiones proxime præcedentibus, eosdem concionibus instruant, & eorum animos, mentesque præparare, atque inflammare studeant, cum ad omnem religiosum mysteriorum, quæ sancte agentur, cultum; tum maxime pro solemnitatum ratione, ad Pœnitentiæ Sacramentum, & ad Sacram Eucharistiam sumendam*. Similia his legere est in variis Synodis Provincialibus, Diœcesanisque, & ut alias omittam in Beneventana Provinciali Synodo XII. anno MDXCIX. celebrata sub Beneventano Archiepiscopo Maximiliano de Palumbaria, Tit. I. Capite unico, ex cujus præscripto, *Episcopi per Pastorales Literas monere Parochos jubentur, ut instruant suum quisque Populum de utilitate Processionum, causamque illos doceant, quamobrem institutæ sint, mysteria item patefaciant, quæ externo apparatu Supplicationis significantur*.

IV. Sed vix sperari id a quibusdam Parochis potest, qui casuum moralium lectione contenti, nullum sacris ritibus addiscendis studium navarunt, nullos Auctores de illis tractantes versarunt. Præter alias Synodos, certe & id Œcumenica

nica Synodus Tridentina Parochis non uno in loco præcepit, ut Sanctissimi præsertim Missæ Sacrificii mysteria, vim, & usum Sacramentorum, atque aliarum functionum Ecclesiasticarum ritus Populo exponant, ut nimirum mentes Fidelium per visibilia Religionis, & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ præsertim in Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

## §. II.

Videant inprimis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, ut in his Processionibus ea modestia, ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis, & religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur.

## COMMENTARIUS.

I. Recte cautum est ex hoc nostro §. quod alias ex variis Conciliis passim præcipitur, ut nempe inprimis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis omnino procurent, ut in his Processionibus ea modestia, ac reverentia, tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis, & religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur. Id plane inter alios summopere inculcat S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanensi, Capite inscripto, *De Processionibus, & Supplicationibus*, ubi inter alia sic inquit: *Videant Episcopi, ut in Processionibus, & Supplicationibus quibuscumque, præsertim cum Sanctissima Eucharistia circumfertur ..... ea modestia & reverentia adhibeatur, quæ piis, & religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur*. Quia nimirum ex modestia exteriori illorum, qui ad Processionem conveniunt, pendet majestas, & decor sacræ functionis. Sicut enim pulchritudo, & decor cujuslibet compositi, seu corporis naturalis, præsertim humani corporis consistit in debita proportione membrorum, & in recta singularum partium dispositione, cum gestibus aptis ad opus, quod exercetur, ut notum est omnibus, & docet Cicero Lib. IV. Tusculanarum XCIX. sic pariter ad decorem, & venustatem sacræ Processionis, quæ est morale compositum, requiritur proportio, & religiosa compositio singulorum, qui Processioni intersunt, ex quibus tanquam ex corpore constat ipsa Processio, ut scite docet inter alios Quartus in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione I, Puncto VI, Consideratione V.

II. Pertinet autem, ut idem Auctor mox subjicit, ad virtutem modestiæ, imponere modum, & regulam cunctis partibus corporis, earumque motibus, ac gestibus, ut fuse prosequitur S. Ambrosius Lib. I. *De Officiis*, præsertim Cap. XVIII. his verbis: *Pulchra virtus verecundiæ, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, nequid indecorum sermo resonet tuus; speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Deinque in ipso canendi genere, prima disciplina verecundia est, imo etiam in omni usu loquendi, ut sensim quis, aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum.* Tum vero paulo inferius: *In ipsa quoque oratione nostra multum verecundia placet, multum conciliat apud Deum nostrum. Nonne hac prætulit Publicanum, & commendavit eum, qui nec oculos audebat ad Cælum levare? Ideo justificatur magis judicio Domini, quam ille Pharisæus, quem deformavit præsumptio. Itaque oremus in incorruptione quieti, & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, ut ait Petrus.* Tum vero ita concludit: *Magna igitur modestia, quæ cum sit etiam sui juris remissior, sibi nihil usurpans, nihil vendicans, & quodammodo inter vires suas contractior, dives est apud Deum, apud quem nemo dives. Dives est modestia, quia portio Dei est, &c.*

III. Nefas mihi esse puto hic ea omittere, quæ de modestia in gestu, & incessu servanda a Clericis subjungit in eodem citato Capite S. Ambrosius, ubi postquam dixit, vocem quandam esse animi corporis motum, refert, *quemdam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in Clerum a se non receptum; quod gestus ejus plurimum dedeceret*. Alterum quoque cum in Clero reperisset, jussisse se, ne unquam præiret sibi, *quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret suos*. Utrumque ait ab Ecclesia recessisse, *ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore Fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne judicium subiret, Sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium*. Tandem, ut prolixo huic S. Doctoris testimonio finem faciam, sic aliorum incessum carpit: *Sunt etiam, qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum metus mutuantium, ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur*. Modestia itaque est absolute necessaria ad Processionis decorem, venustatem, & pietatem, itemque ad ædificationem Populi, ut scilicet ad cultum Dei excitetur, modesteque se gerat. Neque enim addubito, quin graviter potissimum Sacri Homines peccent, si debitam piis, & religiosis hujusmodi actionibus ipsi prius non servent, aliisque occasionem scandali præbeant. Modeste, ac pie incedendum esse in Processionibus, pluribus monet S. Joannes Chrysostomus in Oratione I. de S. Pelagia Virgine, & Martyre, quam legere est & apud Bollandianos die IX. Junii; quamque ex parte censui & hoc loco describere. Sic enim inter alia, tum ad Sacrorum Hominum, tum vero potissimum laicorum instructionem inquit S. Antistes, & Doctor.

IV. Non temere hæc nunc dico, sed quoniam multos video, postquam Concio hæc dimissa fuerit, ad ebrietatem, ad cauponas, & mensas illas, quæ sunt in hospitiis publicis, & ad alia inhonesta opera statim reversuros. Quamobrem precor vos, & hortor, ut semper S. hanc Virginem in me-

memoria, & mente habeatis, neque concionem hanc celebrem dedecoretis; non denique fiduciam nostram ex hoc die festo ad nos proficiscentem imminuatis. Etenim non temere cum Gentilibus differentes hujus diei festi celebritate gloriamur; eamque objicientes, erubescere illos facimus, cum dicimus, quemadmodum Urbem integram, ac totam, tantumque Populum puella una mortua singulis annis ad se attrahit, idque postquam multos annos, neque tempus ullum honoris hujus seriem interrupit. Verum si senserint, quæ in hac Festivitate committuntur, majori laudationum parte privati erimus. Hæc enim multitudo, quæ nunc præsens est, si bene ordinata ad nos accedere posthac studuerit, ea res maximo nobis erit ornamento; at si cum segnitie, & negligentia multa hic aderit, probrum, & accusationem nobis ea res afferet.

V. Ut igitur vestra multitudine, Charissimi Auditores, nos exultare possimus, eodem recto ordine domum revertamini, quo par est eos redire, qui cum talibus Martyribus versati sunt. Nam siquis non ita domum redierit, non solum nihil profecerit, verum etiam periculum maximum sibi attraxerit. Scio, vos hoc morbo non laborare; sed non satis hoc vobis est ad excusationem, nisi & fratres ipsos inhoneste se gerentes, ad modestiam maximam, & ad convenientem, & compositum statum redigatis. Honorasti Martyrem præsentia tua, eandem illam, & proximorum tuorum emendatione honora. Si enim videris inordinatum risum, atque inhonestum cursum, & illiberalem incessum, indecentemque habitum, & figuram; accede, & illos ipsos, qui talia committunt, acerbo, & terribili vultu intuere. At contemnent illi, & ridebunt potius. Sume tecum duos, vel tres fratres, vel plures, ut qui hæc facit, multitudine ipsa præsente correctus, modestior fiat. Quod si neque sic illorum amentiam represseris, eos ipsos ad Sacerdotes deferas. Sed vix fieri potest, ut ad eam impudentiam illi devenerint, ut si reprehensi, ac rogati fuerint, non cedant, verecundentur, & ab inordinata, & ludicra chorea se retrahant. Quod si decem, si tres, si duos, si unum tantum lucrifeceris, multam utilitatem tibi comparaveris.

VI. At multa est viæ longitudo. Longitudinem hanc ad eos, quos supra diximus, colligendos sponte subeamus. Multo thuris vapore viam implemus. Honestum quidem hoc est. Verum, non tantum via ipsa honesta apparuerit, si vaporis, atque odorum instrumentis per illam totam dispositis, aerem ipsum odoris suavitate perfuderis; quantum si omnes, qui hodie per illam ipsam viam incedunt, Martyris certamina inter se narrantes, domum redeant, linguas ipsas singuli pro vaporis instrumento exercentes. An non videtis, cum Imperator in Urbem ingreditur, quam composite, atque ordinate milites ipsi, ordine utrimque disposito, armati incedunt, vicissim se hortantes, ut quieto, & sedato, ac reverenti gradu procedant; quo iis, qui eo spectant, compositi, & spectati digni videantur? Illos igitur imitemur. Nam & nos Imperatorem deducimus, non corporeum aliquem, aut terrenum, sed Angelorum Dominum. Atque ita ingrediamur, nos mutuo hortantes ad concinne, atque ordinate progrediendum, ut non multitudine solum, verum etiam ordine ipso spectatoribus stuporem afferamus. Maxime quidem. Quamvis enim nemo præsens esset, quamvis soli per viam incederemus, neque sic tamen immodestos nos esse oporteret; divinos illos oculos metuentes, qui semper patent, & ubique præsentes sunt, omniaque intuentur.

VII. Nunc vero etiam illud considerate, multos hæreticos hic esse inter nos commistos, qui si vos ita saltantes, ridentes, vociferantes, & ebrios viderint, summe nos condemnantes discedent. Quod si aliquis uni alicui homini scandalum afferens inevitabiles pœnas dabit; nos qui tam multis scandalum afferimus, quas pœnas daturos putas? Sed prohibeat illud Deus, ut post hos sermones, & hanc admonitionem, aliquis iis vitiis obnoxius inveniatur. Nam si antehac qui hujusmodi facinora committere audebant, venia digni non erant; post consilium, atque increpationem hanc, pœna ipsa multo gravior erit, & inevitabilior tam iis, qui hæc faciunt, quam qui fieri vident, & contemnunt. Ut igitur, & illos pœna liberetis, & vobis copiosiorem mercedem comparare possitis, fratrum nostrorum curam suscipite; ad ea quæ dicta sunt, colligenda; atque enarranda, eos impellite, ut per totam viam hæc meditantes, & iis, qui domi remanserunt, mensæ hujus reliquias afferentes, illustre convivium etiam illic habeatis. Ita enim & hujus diei festi gustum maximum percipiemus, & Sanctam Martyrem ad majorem benevolentiam provocabimus, vero honore illam prosequentes; quæ majorem etiam voluptatem capiet, si fructum aliquem, & utilitatem animas juvantem adepti redierimus, quam si huc venerimus, & postea tumultuati simus. Faxit Deus, hujus Sanctæ Virginis, & eorum, qui similiter certaverunt, orationibus, ac precibus, & ut hæc, & alia, quæ dicta sunt, diligenter memoria teneatis; & ut ad opus ipsum omnia conferentes, in omnibus ad finem usque, Deo ipsi grati simus. Cui gloria sit, & imperium, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

## §. III.

Omnes decenti habitu, Superpelliceis, vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste, ac devote, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aspectu, Populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent.

## COMMENTARIUS.

I. Quod in hoc §. edicitur de *Superpelliceis, vel aliis sacris vestibus*, ab iis adhibendis, qui Ecclesiasticis Processionibus intersunt, spectat quidem Clericos Sæculares, vel etiam Regulares, si & isti in ipsis Processionibus locum habent. Fratres enim, Mona-

nachique habitum gestant suæ Religionis. Quod Clerici quidem *Superpelliceis, vel aliis sacris vestibus* debeant esse induti, docent passim Sacræ Synodi, ac præsertim Mediolanensis I. Provincialis, Capite, *De Processionibus, & Supplicationibus*, ubi sic inter alia inquit: *Eas Canonici, & alii Clerici etiam cujusvis dignitatis sint, cum Superpelliceis, & usitatis aliis sacris vestibus statuto tempore semper obeant*. Galerus, seu Pileus, præcipue prohibetur in Processionibus, quia scilicet nihil in se habet sacri, & est capitis tegumentum omnino profanum: *Sine galeris*, ait hic noster §. *nisi pluvia cogente*; idest, si actu plueret; si enim timeretur, tunc pileo pro tali necessitate uti quidem possent, qui Processioni intersunt, sed non tamen caput cooperire pileo debent, nisi vere ad caput pileo tegendum cadens pluvia cogat. Cæterum si actu plueret, improvidum consilium omnino esset Processionem ducere extra Ecclesiam; ut scite notat Barrufaldus ad hunc §. *Præterea, nequis Canonicus Dignitateve præditus, aut Ecclesiæ cujusvis Minister, Clericusve quicumque, dum ..... Processiones, funera, vel functiones Ecclesiasticas obit, Superpelliceo, aliove sacro indumento indutus Chirothecis etiam manus induat*, statuit jam Sanctus Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Constitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, & Divina Officia*.

II. Rursus mandat hic noster §. ut qui Sacræ Processioni intersunt, *graviter, modeste, ac devote, bini suo loco procedant*. De gravitate, modestia, ac devotione, qua obeundæ sunt Sacræ Processiones, jam dictum superius fuit; quod autem binario ordine incedendum sit, ritus plane antiquus est ab Ecclesia præscriptus, cujus rationem tradit S. Bernardus in Sermone, *De Purificatione Beatæ Virginis*, ubi sic inquit: *Merito bini, & bini incedimus; sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ, missos a Salvatore Discipulos, Evangelia Sacra testantur*. Alludit ad locum Lucæ X. ubi dicitur Christus misisse *Discipulos suos binos in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. In quem locum Theophilactus, & S. Gregorius sic inquiunt: *Bini incedimus, ut alter alteri sit auxilio, solatio, stimulo, & excitamento ad virtutes*. Sed omissis hisce expositionibus, mandat quidem S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Parte II. Constitutionum, Capite, quod, *De Processionibus*, inscriptum est, ut *Clerici omnes Sæculares, & Regulares, & qui in Basilica Cathedrali Dignitates obtinent, bini semper procedant; neque item inter eos ullo modo laici homines quocumque gradu sint, interjecti incedant; neque item inter Episcopum, & eosdem laicis locus sit*.

III. Notanda nunc sunt illa nostri §. verba, quibus edicitur, ut qui bini incedunt, *suo loco procedant*. Quod recte additum est; nam ut ait in citato Sermone, *De Purificatione*, S. Bernardus, *turbat Processionem, qui suo loco, & debito ordine non incedit*. Certe noster §. ubi dicit, *suo loco procedentes*, omnem præcedentiæ titulum, atque omne jus controversum, decisum supponit, nec disputationibus locum aperit, ut scite observat Barrufaldus in suo ad eundem §. Commentario, ubi etiam recte docet, repellendas esse omnino contentiones pro loco honoratiore in Processione, præsertim vero dum ipsa actu celebratur; tunc enim remedium præsentaneum esse ait, ut qui contendunt, se abstineant cum protestatione, & interim Sacras Urbis Congregationes adeant. Hinc coercenda est quorundam audacia, qui honoratiorem locum sibi deberi putantes, tempus tunc captant, cum nulla fieri potest matura deliberatio, sed tumultuaria, nempe in arena positi, & in actu Processionis jam inchoatæ, dissidia, & bella movent de præcedentia, nullo habito respectu ad rem sanctam, atque religiosam, quam agunt; & inde fit, ut charitas penitus extinguatur, religio deprimatur, & finis, seu ratio Supplicationis omnino destruatur.

IV. Sed omissis concertationibus, controversiisque de præcedentia, quas omnes, ut statuit Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. *De Regularibus*, Cap. XIII. Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componere debet, recte & illud cautum est ex nostro §. ut qui Processiones obeunt, *Sacris Precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aspectu, Populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent*. Huc spectant quæ statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi I. Capite, *De Processionibus, & Supplicationibus*, ubi ita ait: *Omnes Ordines graviter, & modeste procedant; colloquiisque exclusis, Psalmis, Hymnis, & reliquis sacris Precibus operam dent*. Sapientissime & illud subjunxit in Concilio Provinciali IV. Capite eodem, ut ad tollendam scilicet confusionem, *cum ad Processionem Clerus vocatur, quid psallendum, quid canendumve ei sit, ut opportunum erit, significetur*. Et mox: *Canant omnes; cum vero aliquot canentibus, aliis canere non licet, qui bini incedunt, submissa voce Psalmum, Hymnum, Antiphonam, Precemve piam inter se dicant, Supplicationi, quæ fit, mysteriove convenientem*. Esse antiquum ritum, ut Sacræ Processiones, Hymnorum, Psalmorum, aliorumque Canticorum spiritualium decantatione peragerentur, innumeris plane exemplis probari posset. Teste Nicephoro, Lib. XIII. Cap. VIII. *Eudoxia Imperatoris conjux in Processione Orthodoxorum opposita Arianæ, injunxit Cubiculi sui Præfecto, ut Hymnorum cantus procuraret*. Et Marcus in Vita S. Porphyrii Gazensis Episcopi agens de Processione ab eo instituta, *Euntes autem*, inquit, *psallebant, & in versiculorum Psalmi intercisione dicebant*, Alleluja. *Erat autem Psalmus, quem dicebant*: Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.

V. Curandum insuper & illud summopere, ut remoto risu, mutuoque colloquio, & vano oculorum aspectu, Processionem obeuntes, Populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent. Id sane generatim omnes docuit Christus Dominus, præsertim vero Apostolos, ac Sacros Homines, ubi in Evangelio Matthæi, Capite V. sic ait: *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*; itemque Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. *Exemplum*, inquit, *esto Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut profectus tuus manifestus sit omnibus*. Sed dolendum plane, sæcularium non modo, sed & Sacrorum Hominum immodestiam,

stiam, qua sacras Processiones obeunt, occasionem dedisse hæreticis illas carpendi. Extat Germanice Volumen Concionum Lutheri anno Christi MDXXVII. Wittembergæ excusum, in quo ultima Concio hanc habet inscriptionem: *Brevis instructio pro infirmis in Fide, quomodo Rogationum diebus in Processione se se gerere debeant.* Cum enim Lutherus palam efficere non posset, ut, quod vehementer optabat, Processiones istæ confestim tollerentur, & exterminarentur, cuniculis agendum censuit, more videlicet sibi usitato, & solemni. Itaque Concione habita, & postea typis in vulgus sparsa, Processiones tanquam omnium abusuum, & flagitiorum altrices, ac fautrices proscindere cœpit, ut hac calumniandi ratione, viam ad id, quod sibi proposuerat, nimirum ad omnimodam Litaniarum, seu Processionum exturbationem, sensim sibi præpararet: *Eo abusuum processum*, inquit Apostata, *ut in Processionibus plerique nihil aliud velint, quam videre, & videri, nihilque aliud agant, quam ut otiosis, ridiculisque colloquiis vacent, ut taceam graviora scelera. Nam Processiones Paganæ jam primum quasi bacchari cœperunt, in quibus tabernas cauponarias ingressi, ita potant, & ita Cruces, & Vexilla tractant, ut mirum non esset, licet Deus uno anno omnes pariter perderet; resque eo devenit, ut graviores suppetant causæ, omnes Processiones, & omnes dies festos abrogandi, quam antea fuerint introducendi.*

VI. Hæc refellere facilis est operæ, multaque affert ad eorum confutationem eruditus Gretserus in Tractatu, *De Sacris Processionibus*, Lib. I. Cap. VIII. tum vero opponit Luthero, totique illius gregi, Catholicos Ecclesiæ ritus e medio tolli capienti hanc auream S. Augustini sententiam in Psalmum XXXIV. *In Ecclesia, quæ toto Orbe terrarum diffusa est, palea est, & frumentum. Palea volat, frumentum manet.* Ideo in populo gravi laudabo te. *In gravi populo, quem ventus tentationis non aufert. In his Deus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur, quid dicitur? Ecce quomodo vivunt Christiani? Ecce quid faciunt Christiani? Et fit quod scriptum est*: Quoniam Nomen meum per vos blasphematur in gentibus. *Inique, invide. Aream suspicis, qui totus in palea es, non tibi facile grana occurrunt. Quære, & invenies populum gravem, in quo Dominum laudes. Vis invenire? Esto talis. Nam si non fueris talis, difficile est, ut non omnes tales tibi videantur, qualis sis.* Querebatur jam olim & Vigilantius hæreticus, quod in sacris Vigiliis, & in pernoctationibus in Basilicis Martyrum, scelera aliquando committerentur. Cui tamen sapientissime respondit S. Hieronymus in Epistola adversus ipsum Vigilantium scripta, sic inter alia inquiens: *Error autem, & culpa juvenum, vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpe deprehenditur, non est religiosis hominibus imputandus; quia & in Vigiliis Paschæ tale quid fieri plerumque convincitur; & tamen paucorum culpa non præjudicat Religioni, qui & absque Vigiliis possunt errare vel in suis, vel in alienis domibus. Apostolorum Fidem, Judæ proditio non destruxit; & nostras ergo Vigilias malæ aliorum vigiliæ non destruent.*

VII. Porro optandum illud quammaxime, ut potissimum Sacri Homines modestius, religiosiusque se se gererent, dum Sacras Processiones obeunt, salutatique in via, neminem prorsus resalutarent, juxta præceptum Christi Domini, qui, uti habetur in Evangelio Lucæ, Capite X. quando misit Discipulos suos binos ad prædicandum, dixit illis: *Neminem per viam salutaveritis.* Adeo attentos nos esse volens in sacris functionibus peragendis, & uni Deo vacare, ut etiam tunc salutationes prohibeat. Hujusmodi præceptum religiose exequutus Venerabilis Dei Servus Cardinalis Thomasius, dum Sacras Processiones obibat, tametsi a suis monitus, neminem penitus resalutavit. Cæterum gravissime illi essent puniendi, qui modestiæ Sacris Processionibus debitæ immemores, non sine populi scandalo, vago oculorum aspectu feminas e fenestris, alioque superiori loco stantes, capite detecti, & inclinatione, ac manu ori apposita salutare non erubescunt. Quamobrem merito nonnulli Episcopi sub gravi pœna prohibuerunt feminis ad fenestras se exhibere tempore Processionis, ut scilicet illud videre, & videri impedirent. Extat in hanc rem in Synodo Ferrariensi habita a Cardinali de Verme Decretum; sed lubet illud describere, quod statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Parte II. Constitutionum, Capite, quod, *De Processionibus*, inscriptum est, ubi sic inter alia inquit: *Quod in multis hujus Provinciæ locis religiosæ consuetudinis est, retinere, aut, sicubi non est, introducere Episcopi studeant, ut omnes tum mares, tum feminæ sacro Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini, religiosoque die, eam Processionis celebritatem non e fenestris, neque omnino e superiori loco inspiciant, sed eam prosequantur, omni piæ, religiosæque venerationis studio.* Statimque subjicit: *Itidem præterea curent de aliis publicis Processionibus, cum illas omnes Populum supplicem prosequendo pie obire institutum sit.* Sed de hac re vide quæ nos mox dicemus in Commentario ad §. sequentem.

## §. IV.

Laici a Clericis, feminæ a viris separatæ orantes prosequantur.

## COMMENTARIUS.

I. Ne inter Clericos Sæculares, & Regulares ullo modo laici homines quocunque gradu sint interjecti in Processione incedant, statuit quidem inter alios juxta veterem Ecclesiæ disciplinam S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. Provinciali, Parte II. Constitutionum, Capite, *De Processionibus*. Quod etiam *laici a Clericis, feminæ a viris separatim prosequantur* ipsas Processiones, edixerat jam idem Sanctissimus Antistes in Provinciali I. Concilio, Capite citato. Porro quum Sacra Processio, ut notat Eveillon in Tractatu, *De Processionibus*

*nibus Ecclesiasticis*, Cap. III. *veluti Templi ambulantis speciem* præseferat, recte cautum est ex nostro §. ut *feminæ a viris separatæ orantes prosequantur*. Fuit enim & ille pervetustus Ecclesiæ mos, ut Fideles in Ecclesiam convenirent, servato sexus, & ordinis discrimine; nam viri a mulieribus, Clerici a laicis, virgines a nuptis sejungebantur. Id quidem testatur in primis antiquissimus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. II. Cap. LXI. ejusque ritus rationem docet S. Cyrillus Præfatione in Catecheses, ubi de Ecclesia loquens, sic ait: *Hic separentur viri, ut sint cum viris, mulieres cum mulieribus, ne studium salutis sit perditionis occasio*. Jam non solum, dum essent in Ecclesia, verum dum irent etiam, hæc virorum, & mulierum distinctio servabatur, teste S. Augustino, Lib. II. *De Civitate Dei*, Cap. XXVIII. *Confluunt Populi ad Ecclesias, honesta utriusque sexus discretione*. Et ante Augustinum inquit Tertullianus in Libro, *De præscriptionibus adversus hæreticos*, Capite XLIII. in fine: *Erat enim in illis gravitas honesta, apparitio devota, & Processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia*.

## §. V.

Præferatur Crux, &, ubi fuerit consuetudo, Vexillum sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari, seu triangulari forma.

## COMMENTARIUS.

I. Crucem Sacris Processionibus præferri antiquus est Ecclesiæ ritus, a priscis Patribus religiose observatus. Perspicuum, & illustre est in rem ipsam S. Porphyrii Gazensium Episcopi exemplum, & institutæ ab ipso Processionis pro impetranda pluvia, de qua ita scribit in ejus Vita Marcus Diaconus apud Surium ad diem XXVI. Februarii: *Facto mane, accepto signo venerandæ Crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum Hymnis ad antiquam Ecclesiam, quæ est a parte Occidentali Civitatis*. Rursus, ut idem Scriptor testatur in alia Processione, quam instituit pro nova ædificanda Ecclesia, *præcedebat populum semper memorandus Barochas, venerandæ Crucis portans effigiem*. Obiit S. Porphyrius circa annum Christi Domini CDXX. quod iccirco dico, ut videas antiquitatem istius ritus præferendæ Crucis Sacris Processionibus.

II. Sed jam ante S. Porphyrium invaluerat ritus, ut non una tantum, sed plures Cruces, & quidem argenteæ Processionibus præferrentur. Sic enim Nicephorus, Lib. XIII. *Historiæ*, Capite VIII. ex Socrate, & ex Sozomeno scribit de Processione Orthodoxorum opposita supplicationi Arianorum, S. Joanne Chrysostomo Sedem Constantinopolitanam tenente: *Processionem Cruces argenteæ cereos incensos habentes præibant, Eudoxia Imperatoris conjuge impensas ad eam rem præbente, quæ hoc Brisoni Cubiculi sui Præfecto injunxit, ut Hymnorum cantus procuraret, & ad eum usum quamplurimum lucernarum pararet*. Crucis in Processione præferri solitæ meminit etiam Gregorius Turonensis non uno in loco, præsertim vero in Libro, *De gloria Confessorum*, Capite LXXIX. ubi de S. Remigio Remensium sic loquitur: *Cum populus lue pestifera consumeretur, accepta Pallu de B. Remigii Sepulchro, componunt in modum Feretri, accensisque super Cruces cereis, atque ceroferalibus, dant vocem in Canticis, circumeunt Vrbem cum vicis, ut tantam cladem a se averterent*. Porro ex hoc loco eruditus Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ, pag. 202. infert, olim in publicis Processionibus cereos accensos ipsis Crucibus affixos fuisse, idque ex S. Joanne Chrysostomo, cujus nos supra locum attulimus, institutum fuisse, ex Socrate, Lib. VI. *Historiæ*, Cap. VIII. & Sozomeno, Lib. VIII. Cap. VIII. Quibus & alii addi possent Scriptores.

III. Ergo antiquissimus est Ecclesiæ ritus, qui hodieque religiose servatur, ut ad Crucem in Sacris Processionibus duo lumina adhibeantur: *Lumina duo candelabris, Ceroferariisve infixa, cum Processiones publicæ, etiam quæ in Ecclesiæ ambitu aguntur, ab omni cujusvis Ordinis Clero, tam Regulari, quam Sæculari, ad Crucem adhibeantur, quæ unicuique Capitulo, Cleroque, de more præfertur*. Ita plane statuit S. Carolus in Concilio Provinciali V. Mediolanensi, Capite, *Quæ ad Divina Officia pertinent*; eundemque ritum memorant passim & aliæ Synodi, & variarum Ecclesiarum Ritualia, quorum loca supervacaneum puto hic recensere. Sane recte & illud mandat S. Carolus in Concilio Mediolanensi I. Provinciali, Capite, *De Processionibus, & Supplicationibus*, ut nempe, *Cruces Clerici ferant talari veste, & Superpelliceo induti, ut eam apte, & decore ferre possint*. Idem statuit & de Sacris Imaginibus, Vexillisve in ipsis Processionibus præferri solitis, sic inquiens in Concilio Provinciali IV. Parte II. Constitutionum, Capite citato: *Sacrarum Imaginum Insignia, Vexillave Cleri, ne laicus homo in Processione præferat, ubi Clericus quisquam est, qui hoc munus præstare possit*. Quamobrem reprehensione digni sunt illi, qui id munus præferendæ præsertim Crucis in Sacris Processionibus vilissimis bajulis talari veste, & Superpelliceo indutis committunt. Ad Religiosos quod attinet, Cruces ipsorum gestari quidem a Religiosis laicis debent, non autem a professis Clericis juxta Rescriptum Sacræ Congregationis Negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ editum die XVI. Septembris anni MDCCXVIII. & relatum ab Ursaya, Tomo III. Disceptationum, Parte I. Disceptatione V. num. 42.

IV. Quamquam vero Textus nostri §. simpliciter mandet, ut in Processionibus *præferatur Crux*, nulla facta expressione Crucis cum Imagine Crucifixi, vel nudæ; invaluit tamen usus, qui generatim servatur, ut Crux ipsa Imagine Christi Cruci affixi sit insignita. Nonnulli quidem Ordines Regulares, ad ostendendam magis, magisque suam paupertatem, atque humilitatem, nudam Crucem ligneam solent deferre; sed hic ta-

tamen peculiaris eorum censendus est ritus, qui minime debet in aliorum exemplum transire. Quicquid sit de hoc ritu peculiari, certum illud est, debere ab omnibus Religiosis Familiis, atque a Confraternitatibus Crucem deferri cum Palliolo, seu Velo pendente, Sacris Imaginibus picto Sanctorum Titularium sui Ordinis, seu Ecclesiæ, ut moris est; ut sic distinguatur a Cruce Cleri Sæcularis, quæ absque ullo Palliolo defertur, ut docet Gavantus in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, Parte I. Titulo XIX. Litera E. §. *In Processionibus*, ubi etiam affert eam in rem Sacræ Rituum Congregationis Decretum: *Crux autem a Regularibus defertur cum Velo pendente ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 14. Januarii 1617. ad indicandam subjectionem, & inferioritatem respectu Cleri Sæcularis, eadem ratione, qua Baculo Abbatiali appenditur Velum, seu Sudarium nodo ejusdem; quod notatur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis &c.* Citant & ipsum Decretum Macrus in suo Hierolexico, verbo *Crux*, & Barrufaldus in Commentariis ad Rituale Romanum Titulo XXXVI. num. LXXXIV. ubi etiam post Barbosam notat, loqui Sacram Congregationem *in durioribus terminis non Religiosorum Mendicantium, sed Canonicorum Regularium Lateranensium*. Ceterum, quod dictum est de Imagine picta, seu intexta in Palliolo pendente a Cruce Regularium, seu Confraternitatum, hoc minime intelligendum est de Processionibus ad ducenda funera defunctorum, in quibus ex communi, ac recepta ubique consuetudine appendi solet ad ipsam Regularium, & Confraternitatum Crucem Palliolum nigrum, & utplurimum cum figura mortis ibidem depicta, vel intexta.

V. Crux demum ubi in Processione præfertur, ut scite notat memoratus Gavantus, Christi Imago Cruci affixa terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, nisi sit Crux Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua Imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura recreentur, etiamsi inter Crucem, & Antistitem incedant Canonici, ut expresse habetur in Cæremoniali Episcoporum Lib. I. Cap. XV. contra recentiores quosdam ab ipso Gavanto notatos, qui distinguunt in Cruce Archiepiscopali, quando immediate præcedit Archiepiscopum, & quando Canonici præcedunt eundem post ejus Crucem. Sed de hac re videri possunt quæ scripsimus nos in Commentariis nostris ad Cæremoniale ipsum Episcoporum, & in iis, quibus Cæremoniale S. R. E. ab Augustino Patritio concinnatum, & a Marcello Corcyrensi Episcopo vulgatum illustravimus. Porro in Patriarchali Basilica Assisiensi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, juxta ejusdem Cæremonialis præscriptum Cap. XIII. in Processionibus, vel ex prædictæ Basilicæ instituto, vel ad solam Basilicam quavis data occasione pertinentibus, duæ Cruces gestantur, & ante ipsas homo indutus sacco lineo concolore habituum prædictorum Fratrum, qui ligneam campanariam turrim eleganter elaboratam, auroque illitam, ac S. Francisci Imaginem, & beneficentissimi Pontificis BENEDICTI XIV. Stemma referentem portans, campanulam in eadem turricula appositam gradiendo lente pulsat. Alter etiam non absimili sacco amictus Papilionem sericis rubei, & flavi coloris fasciis distinctum cum Christi Domini in Cruce pendentis Imagine deaurato orbi superposita gestat. Inde succedunt binæ Cruces, una nempe ante aliam, quas Religiosi Cottis induti, inter Acolythos cum candelabris, & candelis accensis binos ad singulas Cruces elatas gerunt.

VI. Sed his obiter notatis, siquis autem hic urget, cur præferenda sit in Sacris Processionibus Crux, duplicem rationem affert Durandus Lib. IV. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. VI. num. 18. *Crux*, inquit, *quasi Regale Vexillum, & triumphale signum in Processionibus præmittitur. Primo, ut* fugiant qui oderunt eum a facie ejus, *Psalmo* LXVII. *Est enim signum victoriæ Christi, juxta illud*: Vexilla Regis prodeunt &c. *quo dæmones victi sunt, unde illo viso timent, & fugiunt; & propter hoc in quibusdam locis, tempestatibus aeris opponitur, ut dæmones fugiant, & ab aeris concitatione desistant*. Et paucis interjectis: *Secundo Crucis Vexillum præmittitur, quia, sicut ait Apostolus ad Galatas: Absit nobis gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus nobis, & nos mundo crucifigi debemus*. Addit eruditus Eveillon in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Capite III. hanc tertiam rationem, sic inquiens: *Cum Processio Ecclesiam in hoc mundo peregrinantem, & militantem significet, æquum est, eam sub Christi Imperatoris signis ad bellum procedere, cujus auspiciis militat*. Tum vero mox: *Ea de causa, ex quo per Legem Constantini Magni licuit Christi militibus copias suas in publicum explicare, & aperta Fidei professione pro gloria Crucifixi dimicare, præferri cœperunt Cruces pro signis in omnibus Processionibus Ecclesiasticis*.

VII. Pergit eruditus Auctor, aitque post Baronium ad annum CCCXII. causam huic rei dedisse victoriam ejusdem Constantini de Maxentio, quæ etiam Imperium ex Gentili Christianum fecit. Cum enim ille consilium cepisset Romæ a tyrannide Maxentii, & aliorum, a quibus opprimebatur, vindicandæ; & superiorum Imperatorum, qui Deorum multitudinem coluerant, omnes in ea re tentanda conatus irritos cessisse, animadverteret, ad unicum Deum, quem pater Constantius Chlorus coluerat, confugiendum sibi esse duxit. Itaque eum obtestatus, ut qui esset, sibi significaret, opemque ad rem conficiendam præberet, claro meridie vidit in Cælo Crucis Signum admirabili quodam splendore supra Solis Orbem affulgens, inque eo hæc verba Græcis literis inscripta: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *IN HOC VINCE*. Quo viso anxius, cum superveniente nocte obdormisset, Christus ei secundum quietem apparuit, cum eodem Signo, quod ipse per diem aspexerat; jussitque ejusdem effigiem in bello deferre, quoties signis collatis esset cum hoste dimicaturus. Qui, ut primum illuxit, accersitis præstantissimis artificibus, Crucem ad illius cælestis similitudinem, intexto auro, & gemmis insertis fieri jussit in hanc speciem. Hastile erat oblongum auro undique obductum, transverso ligno in modum Crucis imposito, in cujus summo vestigio corona eminebat, ex auro, & lapillis pretiosis affabre implexa, in qua salutare Christi Nomen duabus literis X & P inter se consertis, expressum cernebatur; ex transverso autem ligno appensum erat velum quoddam purpureum admirabili textura lapillorum varii generis, inductoque auro refulgens, de quo doctissimus Chri-

Christianus Poeta Aurelius Prudentius Libro I. contra Symmachum sic cecinit.

*Christus purpureum gemmanti textus in auro,*
*Signabat Labarum.*

Huic enim Vexillo Labari nomen fuit. Atque hoc Signo deinceps Imperator tanquam munimento firmissimo adversus omnem vim hostilem usus est, ad ejusque similitudinem facta Vexilla omnibus exercitibus suis præferri sanxit, ut refert oculatus testis Eusebius Cæsariensis Lib. I. *De Vita Constantini*, Cap. XX. & seqq. & ex eo Baronius, & alii plures Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores. Ex illo itaque tempore non tantum Crux vexillifera ad modum Labari, sed etiam aliæ Cruces argenteæ Processionibus Sacris, tanquam propria Christianæ militiæ signa præferri consueverunt; Vexillo scilicet in locum Labari, Crucibus argenteis in locum aquilarum argentearum succedentibus, quæ erant militaria signa Legionum Romanarum, uti post alios memoratus Eveillon citato loco notavit.

VIII. Porro edicit & hic noster §. ut non modo in Sacris Processionibus præferatur Crux, sed *&, ubi fuerit consuetudo, Vexillum Sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari, seu triangulari forma*. Consueta, & approbata Vexilla in Processionibus, sunt quidem illa, quæ, uti superius dictum est, a Crucibus pendent Religiosorum Ordinum, & Confraternitatum; itemque illa magna, & ampla, ac pretiosa, & utplurimum ex serico villoso auriphrigiato, sive ex alio pretiosiori panno cum Imagine sacra, quæ duplici hasta elevata a duobus viris robustis saccis Confraternitatis indutis deferri solent Romæ, & in aliis locis Ditionis præsertim Pontificiæ. Sed de hujusmodi Vexillo, & ejus forma lubet hoc loco describere, quod de eodem statuit S. Carolus, Parte IV. Actorum Lib. II. Instructionum Supellectilis Ecclesiasticæ, ubi hæc habet: *Vexillum Sancti Patroni Urbis, & opere, & materia, & ornatu insignitum sit, quam Parochiale, tum amplitudine præterea majori, quæ formam vere quadratam exhibeat. Vexillum vero Parochiale, quod Fiparum, aut Fanon Ecclesiastico nomine vocatur, e tela auro, argentove intexta, vel e serico firmiter contexto sit. Longe pateat cubitis tribus, & dimidio, lateque totidem, ita ut formæ quadratæ speciem præbeat. Qua forma insigne illud, augustissimumque Constantini Imperatoris Vexillum, quod Romani Labarum dicunt, Cruce pretiosa, cujus Imago cælitus apparuit, intextum fuisse, ex antiquis monimentis constat. Porro e materia longe pretiosiori fiat, ubi præ Parochialis viciniæ facultatibus potest. Imagine, effigieve Sancti, aut Sanctæ, cujus nomine Ecclesia Parochialis nuncupatur, depictum, ornatum, aut contextum sit. Colore præterea, quem Sancti, Sanctæve, cujus Vexillum præfertur, Imago pro Ecclesiæ ritu deposcit. Undique cinctum ornatu laciniarum ejusdem coloris, cujus Vexillum est, permixtis etiam filis argento, aurove intextis. Appensum præferatur ex hastili ligneo, eoque solido, cui a summa parte Crux parvula quadrata præfigatur. Hastile autem Vexillo longius sit cubitis circiter duobus, colore item, quo Vexillum.*

IX. Solent id genus Vexilla oblongo hastili ligneo appensa ab uno deferri, ab illis distincta, quæ ligneo baculo appensa, & a duobus hastilibus sustentato, a duobus deferri solent, multaque id genus Romæ conspiciuntur; nam aliis in locis nostri præsertim Regni Neapolis utplurimum in Sacris Processionibus a laicorum Confraternitatibus Vexilla illa adhibentur, quæ ab uno gestantur, ea interdum ambitione, ut nonnulli ad ea deferenda nonnihil pecuniæ offerant, & impendant. Quod quidem absurdum est, ideoque corrigendum. Quod iccirco admonui, cum alicubi eam ob causam sæpe nata viderim jurgia inter Confratres, & scandala, dum alii pretium aliis majus pro conducendo Vexillo exhiberent, tametsi rei familiaris inopia laborantes, unde familiam alerent, minime haberent. Viget nihilominus hic multis in locis abusus, quem omnino propulsare ii deberent, qui Confraternitatibus præsident, præsertim vero Episcopi, qui ut declarat Concilium Tridentinum, Sessione XXII. *De reformatione*, Cap. VIII. etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati habent jus visitandi hujusmodi Confraternitates laicorum etiam in Ecclesiis Regularium etiam exemptorum existentes, juxta Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum apud Barbosam in Collectaneis ad citatum ejusdem Concilii Caput VIII.

X. Præter Vexilla, & Insignia, quæ idem plerumque sonant, sunt & alia, quæ, ut notat doctissimus Amicus meus Petrus Morettus in celebri Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione IV. num. V. appellantur, *Papiliones*, vel *tentoria*, & *sinnichia*, seu *zinicha* magni umbraculi, sive tabernaculi speciem referentia, quibus præferri soleat parva campanula, seu tintinnabulum portatili veluti turri infixum, & jugiter Clero procedente, pulsari consuetum. Hæc autem militaribus tentoriis, ac tubis correspondere, notasque esse dignitatis, ac jurisdictionis amplioris, etiam sæcularis, plerique opinantur Eruditorum, quos idem Morettus recenset. Sane ab ea militarium tentoriorum notione minime distant, qui censent, papiliones Clericorum institutos, ut sub iis, quasi sub tabernaculis, starent pluviæ supervenientis tempore. Est hujus quidem opinionis Grancolas in Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXIV. quod inscriptum est, *De Rogationibus, Processionibus, & Stationibus*, ubi loquens de Vexillis nunc contractis, ita inquit: *Vexillum, quod gestatur hodie, est quædam contracta species veteris rotundi tentorii, quod ante Processiones deferebatur, ut a pluvia, si quando deflueret, Clerus protegeretur. Quinque etiamnum præcipuæ Ecclesiæ Collegiatæ* (id est, S. Joannis Lateranensis, S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Mariæ Transtyberim, & S. Laurentii in Damaso) *suum quæque deferunt ante Processiones, duo vero Ecclesia S. Joannis Lateranensis tanquam Cathedralis, cujus Processionibus major adest personarum numerus, qui a superveniente pluvia tutandus est*. Sic ille, qui tamen in postrema periodo non satis vere, & scienter ait, majorem personarum numerum adesse Processionibus S. Joannis Lateranensis; ut recte opportuneque admonet laudatus Morettus in Nota ad memoratum superius Caput V. Lucubrationis, *De Presbyterio*, pag. 128.

XI. Si Urbem excipias, vix loca alia invenies, in quibus ad Processiones prædicti papiliones gestantur; campanulæ quidem manuales ex ære, ante Cruces, & Vexilla deferri ubique fere locorum, & pulsari solent; locumque tu-

tubarum argentearum Veteris Testamenti tenent, quarum usus, uti habetur in Capite x. Numerorum, erat ad convocandum Populum, quoties castra movenda essent. Et certe forma non absimili conflatæ sunt, si attendatur descriptio tubarum illarum, quæ habetur apud Josephum, Lib. III. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. XI. Hæ vero, ut notat in citato Opere Eveillon, Capite III. significant Præcones Evangelicæ veritatis, sive Divini Verbi Prædicatores, qui sono vocis suæ ad Fidem, & ad Ecclesiæ Congregationem quoslibet obvios vocant; & in Processionibus pulsantur, ut qui earum sonum audierint, ad supplicandum simul cum aliis invitentur, sicut illæ, quæ in Templorum turribus suspensæ, signum dant Fidelibus conveniendi ad Sacra, & orationem publicam. In multis nostri Regni Neapolitani locis solet campanula præferri etiam ac pulsari, in Processionibus, quibus mortui efferuntur. Cæterum, quum, uti alias dictum est, Sacra Processio Templi inambulantis speciem præseferat, præferri etiam jam olim consuevit vas Aquæ benedictæ cum aspersorio, ex Constitutione Concilii Namnetensis, quam citat memoratus Eveillon prædicto Capite III. *De Processionibus Ecclesiasticis*, ut ejus aspersione purificetur obvius quisque, & simul loca, per quæ transit Processio, ad effugandam omnem potestatem inimici. Quemadmodum enim in Sacris Templis ad ostium collocatur labrum Aquæ benedictæ, ut qui ad Sacra veniunt, in ipso aditu sanctificentur; ita in fronte, & quasi vestibulo Processionum præfertur vas Aquæ benedictæ, ut qui se per viam supplicantibus volunt adjungere, ejusdem Aquæ lustratione prius expientur.

XII. Ritibus hucusque enarratis adjungendus est ille, qui vel primis Ecclesiæ Sæculis in usu fuit, præferendi nimirum una cum Cruce Evangelii Codicem. Quemadmodum enim olim in Arca Sanctuarii Mosaici reconditæ erant Legis Divinæ tabulæ, uti habetur Lib. III. Regum, Cap. VIII. & in Epistola Pauli ad Hebræos, Capite IX. atque eæ circumferebantur simul cum Arca in publicis ejus deductionibus, ita ex veteri Ecclesiæ instituto Liber Legis Gratiæ, idest, Sacri Evangelii Codex religiose præferri solitus fuit post Crucem in Processionibus Christianis, ut late ostendimus in Opere, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Lib. III. Cap. II. ex testimonio Actorum S. Liborii Episcopi Cenomanensis, in quibus ipsorum Scriptor loquens de translatione Corporis ejusdem Antistitis, ita scribit: *Clerus omnis Sacerdotalibus, & Ecclesiasticis indumentis, elevatoque feretro Sanctorum pignorum in humeris Sacerdotum, sonantibus quoque signis omnium per Urbem Ecclesiarum, ac præeuntibus, qui sanctæ, ac vivificæ Crucis Vexilla, Sanctorum Evangeliorum Libros, & Sacras Reliquias in aureis, argenteisque reconditoriis, cum aromatibus prosequebantur*. Enuntiatur hic idem ritus a Flodoardo Baptismum Clodovei Regis, vetustamque Galliæ pietatem sic illustrantis: *Præcedentibus Sacrosanctis Evangeliis, & Crucibus, magna cum pompa Rex Clodoveus ducitur ad Baptisterium a S. Remigio, subsequente Regina, & Populo*. Consuevisse aliquando Evangelium ipsum deferri in Processione ab Episcopo, docet nos Auctor Vitæ S. Porphyrii Gazensium Episcopi, qui agens de Processione ab ipso instituta, sic inter alia inquit apud Surium ad diem XXVI. Februarii: *Congregato populo in Ecclesia, quæ appellabatur Irene, jussit omnes psallentes simul proficisci in Marnium, quod olim fuerat, ipse vero sequebatur portans Sanctum Evangelium, & circa se habens pium Clerum, re vera imitans Christum cum Discipulis; præcedebat autem Populum semper memorandus Barochas, venerandæ Crucis portans effigiem*.

XIII. At vero addubitari nequit, quin una cum ipsa Cruce præferretur in Sacris Processionibus Sacer Evangelii Codex; testaturque Jacobus Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Capite III. viguisse suo ævo consuetudinem, Sæculo scilicet proxime elapso, ut in celebrioribus Processionibus generalibus Civitatis, non tantum Ecclesiam Andegavensem, sed & singulas Collegiatas, *ut propriam Crucem, ita & proprium Evangelium* præferrent. Recte ait id fieri ex antiquo Ecclesiæ instituto, & quidem non modo apud Latinos, sed & apud Græcos, probatque ex Codino, Lib. I. Cap. *De Officiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, Cap. I. ubi *Præfectus Evangelio* appellatur is, qui tenet Evangelium ad publicas Supplicationes. Sed & de hac re jam nos & alibi diximus.

## §. VI.

**Edendi, ac bibendi abusum, secumve esculenta, & poculenta deferendi in Processionibus, agrisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant; ac Fideles præsertim die Dominica, quæ proxime Rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela, sæpius admoneant.**

## COMMENTARIUS.

I. QUum, uti jam alias dictum fuit, Sacra Processio Templi ambulantis speciem præseferat, sicuti nefas est manducare, & bibere in Templo, juxta illud Apostoli in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XI. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* ita quoque & in Ecclesiasticis Processionibus, quæ quidem vel olim, ut merito dolet Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, Lib. V. Epistola XIV. ad Aprum, *sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur*. Loquitur de Processionibus Rogationum, in quibus eum edendi, ac bibendi abusum etiam Textus nostri §. recenset, ac damnat, & inter alios S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanensi, Capite, *De Processionibus, & Supplicationibus*, ubi sic inquit: *Edendi, ac bibendi consuetudinem, secumve esculenta, & poculenta deferendi, aut ea vendendi in Sacris Supplicationibus habendis*, vi-

*vineisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, Parochi tollere studeant; Fideles sæpius admonentes præsertim die Dominico, qui proxime sacras Rogationes antecedit, quam dedeceat, ubi piis orationibus mens, & lingua exercenda est, ibi jejunium, quod ad alliciendam Dei gratiam, magnam vim habet, tantisper servari non posse*. His concinunt permultæ aliæ Synodi, inter quas Salernitana anni MDLXXIX. Tit. xxxiv. Cap. I. *interdicit omnino Clericis Sæcularibus, & Regularibus omnibus, ne in Processionibus quibuscumque, aut in Ecclesiis, Ecclesiarum domibus, aut Monasteriis, antequam absolutæ Processiones sint, etiam longioris viæ, vel tardioris horæ prætextu quisquam comedat, vel bibat. Laicis item, ne esculenta, & poculenta in Processionibus quibuscumque deferre, aut venalia quovis modo exponere liceat*. Synodus quoque Provincialis XII. Beneventana anni MDXCIX. Titulo I. Capite unico expresse mandat, ut *abusus deferendi esculenta, & poculenta post Processiones, aut ea vendendi procedentibus in Processione, edendi ibi, vel bibendi causa, tollantur omnino*. Rursus quod Clerici parvuli ad puerilia facile diverterent, ac transeuntes per fora fructus emerent, ac manducarent, merito illos a sacris Processionibus exclusit Vincentius Maria S. R. E. Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. in Appendice ad Beneventanum Provinciale Concilium, quod celebravit anno MDCXCVIII. Cap. V. *De Processionibus*, num. 6.

## §. VII.

**Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari, nisi aliter ob gravem causam, Ordinario, vel Clero videatur.**

## COMMENTARIUS.

I. Similia his habet Sanctus Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Parte II. Constitutionum, sic inter alia inquiens: *Cum Supplicationes publicas, solemnesque fieri opus erit, primum earum causa Processiones agantur, deinde Missa solemniter celebretur, nisi aliter ob causam Episcopus aliquando jusserit*. Ubi nota, soli Episcopo concedi, ut ob gravem causam dispensare possit a celebratione Missæ post peractam Processionem, cum alias ex nostro §. ea dispensandi facultas etiam Clero tribuatur, idest principalioribus ex Clero, quia scilicet talis causa repente oriri potest, ut non possit de illa Episcopus, seu Ordinarius consuli. Porro loquitur hic noster §. de Processionibus, quæ ex antiquo ritu celebrari solent in Festo Purificationis Deiparæ, in Dominica Palmarum, in Festo S. Marci, & triduo ante Ascensionem Domini, quibus ex institutione Ecclesiæ annexa est Missa solemnis, & quidem dicenda post Processionem; expresse enim sic ait Textus nostri §. *Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari*. Atque id etiam servandum puto in Processionibus extraordinariis, quæ scilicet variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur; indistincte enim loquitur noster §. ideoque ex mente ipsius, peragi debent, & istæ extraordinariæ Processiones mane, & terminari cum Missa solemni, ut vi scilicet Sacrificii, efficacius impetretur, quod per publicam Supplicationem postulatur. Quod tamen intelligendum est, *nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario, vel Clero videatur*, ut ait hic idem noster §.

II. Notandum vero hic illud potissimum est, quod in ipso §. nostro edicitur de Missa celebranda post Processiones, limitari quidem in Processione Festi Sanctissimi Corporis Christi; tunc enim vel ex nostri Ritualis prescripto, ut habetur infra Capite V. celebranda prius est Missa, & deinde fieri Processio debet, in majori saltem Civitatis, seu Oppidi Ecclesia; nam usus obtinuit, ut etiam vesperi per totam Octavam prædicti Festi hujusmodi Processiones peragantur. Sed quicquid sit de hoc ritu, quem late explicabimus in Commentariis ad memoratum Caput V. quod inscriptum est, *De Processione in Festo Corporis Christi*, operæ pretium duco ea hoc loco describere, quæ generatim de Processionibus statuit S. Carolus in memorato Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, quæque ad hunc præsentem nostrum §. spectant. Sic ergo inquit: *Quæ vero in hoc Supplicationis munere, precum, & orationum Officia, in Ecclesia, ad quam itum est, quæcumque illa sit, peragenda sunt, a Capitulo Cathedralis; in Diœcesi autem, a Clero primariæ secularis Ecclesiæ, non illius, ad quam supplicandi causa processum est, nisi antiqua consuetudo aliud suaserit. Missæ item Sacrificium, cum ibi faciendum est, illud a Capitulo, Clerove Cathedralis; & in Diœcesi, primariæ sæcularis Ecclesiæ solemniter fiat. Quo tempore reliquus Clerus discedat licet, missione solemniter facta, ut in suis quisque Ecclesiæ Conventualem, Parochialemve Missam concelebret, nisi aliter quandoque Episcopus jusserit*. Quod hic S. Carolus, statuerunt etiam postea & alii Episcopi in Synodis suis, præsertim vero Vincentius Maria S. R. E. Cardinalis Ursinus in citata superius Appendice num. 13. ubi expresse edicit, ut, *si cantanda cum Processione sit Missa, hanc semper Processio præcedat, nisi in Processione deferendum sit Eucharistiæ Sacramentum*; quia scilicet, ut subdit, *tunc Missa necessario præcedere debet, in qua Sanctissima ipsa Eucharistia consecratur, quæ deinde debet in Processione deferri*.

## §. VIII.

**Processiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in Festo Purificationis, & in Dominica Palmarum, & in Litaniis majoribus in Festo S. Mar-**

S. Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem, & in die Festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

## §. IX.

Quædam vero sunt extraordinariæ, ut quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.

## COMMENTARIUS.

I. NOta est illa Sacrarum Processionum divisio in ordinarias, idest, statas, atque perpetuas, totique Ecclesiæ communes, relatas in præcedenti §. VIII. & in extraordinarias, idest, temporales, ac arbitrarias variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indictas, ab Episcopo scilicet, vel loci Ordinario, qui habet jurisdictionem ordinariam, & principale regimen in spiritualibus, cujusmodi sunt Processiones Ecclesiasticæ. Debere autem Episcopum in Processionibus extraordinariis indicendis, quo maturius procedat, consilium petere a Capitulo, non vero consensum, decidit jam Sacra Rituum Congregatio die XXIX. Martii anni MDCXXVIII. apud Gavantum in Manuali Episcoporum, verbo, *Processio*; in Additione num. I. & in Comensi VII. Februarii MDCXXXII. apud Barbosam, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Capite XLII. num. 20. expresse edixit, *ad Episcopum pertinere, cum Capituli tamen consilio, indicere publicas Processiones, & præscribere, quomodo, & quo sint dirigendæ*. Quod consilium etiam per Vicarium Generalem, absente Episcopo, requirendum esse ab eodem Capitulo, censuit eadem Sacra Congregatio in Vigilien. XXVIII. Septembris MDCXXX. apud laudatum Barbosam loco citato. Et quidem quod, Episcopo absente, pertineat ad ejus Vicarium Generalem publicam extraordinariam Processionem indicere, docent etiam varii Auctores, quos citat Quarti in Tractatu, *De Processionibus*, Sectione III. Puncto I. Quæsito I. ubi etiam ad finem ait, absente Vicario Generali, spectare id munus ad primam Cathedralis Ecclesiæ Dignitatem ex Declaratione ejusdem Sacræ Rituum Congregationis, in Tarentina X. Januarii MDXCVII. apud Gavantum citato loco num. 5. & Barbosam in eodem Tractatu, *De Canonicis &c.* Cap. VII. num. 7. ubi etiam alia Decreta recenset. Sed omissis his quæstionibus, quod spectat variam Sacrarum Processionum divisionem, præsertim in ordinarias, & extraordinarias, videri plane potest, quod de ea re scripsimus supra in Præfatione ad Tituli præsentis Rubricam.

## CAPUT II.

### *De Processione in die festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis.*

I. FEstum Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, quod a Græcis ὑπαντὴ, seu ὑπαπαντὴ, idest, *occursus* appellatur, & in antiquioribus Sacramentorum Libris, *Festum Sancti Simeonis* dicitur, primam sui originem existimant nonnulli deberi Justiniano Imperatori, qui, exorta Constantinopoli lue gravissima, ut Divinum Numen placaret, hoc Festum primum institui mandavit. Ita sane Nicephorus, Lib. XVII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXVIII. & Cedrenus, quibus consentit Usuardus in Martyrologio ad diem secundam Februarii sic scribens: *Hypante Domini, & Purificatio Beatæ Virginis; quod Festum tempore Justiniani Imperatoris apud Byzantium, seu Constantinopolim sumpsit exordium*. Id anno Christi DXLII. factum scribit Sigebertus, Cedrenus Justiniani anno nono, Theophanes anno decimoquinto.

II. Docet vero Edmundus Martene in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XV. quod est de Festo Purificationis B. Virginis, institutum fuisse hoc Festum longe ante Justiniani tempora, & quidem Sæculo IV. probari ex S. Gregorii Nysseni Sermone, quem de Occursu Domini composuit, ubi inter alia hæc habet: *Etenim quando circa tempus, quod est archetypum, ut sic dixerim, præsentis Festi, is qui forma Divina præditus erat, & formam servi sumpserat, mediator inter Deum & homines factus, Legis præceptum exequens, quadraginta dies natus, infans sempiternum illud Verbum una cum Genitrice convenientem, atque præscriptam Hostiam portante ad Templum pergebat*. Et paulo post: *Cujus hodie nos mysterii memoriam celebrantes &c.* Itaque quod ajunt illi Auctores, non de simplici hujus Festi institutione, sed de tempore, quo primum Constantinopoli celebrari cœpit, intelligendum ait laudatus Martene, probatque ex his Theophanis, Lib. XVI. Historiæ, & Landulphi Sagacis in Vita Justiniani, verbis: *Anno quintodecimo Imperii Justiniani mense Octobri facta est mortalitas Byzantii, & eodem anno Hipapante sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda Februarii*.

III. At vero opinioni laudati Martene jam minime consentit Thomassinus, quippe qui Libro II. *De dierum festorum celeatione*, Capite XI. ubi agit de festo die Purificationis, non obscure innuit, testimonium S. Gregorii Nysseni, aliorumque veterum Patrum, qui Sæculo IV. claruerunt, nequaquam suffragari antiquitati hujus Festi, quia scilicet *meminerunt persæpe Patres oblati in Æde Hierosolymitana Divini Pueri, & Purgationis castissimæ Virginis, sed disserentes dumtaxat Evangelium S. Lucæ, quod de his agit, vel Nativitatem Divini Verbi, & tanti ortus mysteria commendantes*. Sed nec omittenda, quæ etiam mox subjicit: *Diebus pluribus*, inquit, *peragebantur Nativitatis Solemnia, quibus Divini Verbi Præcones quicquid huc spectabat persequebantur. Neque ullus præterea*

ex-

*extitit festus dies, vel Christi, vel Deiparæ, quum nusquam de eo Patres differuerint.* Ita ille, qui tamen in eo labi videtur, nullum extitisse festum diem vel Christi, vel Deiparæ, quod nusquam de eo Patres differuerint, quum certum sit antiquissima esse in Ecclesia cum Latina, tum Græca, quædam Christi Domini Festa, ac præsertim Natalis ejus, Epiphaniæ, & Resurrectionis, de quibus Patres, & Græci, & Latini late differuerunt, ut videre est apud memoratum Martene in prædicto Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, ubi agit de ipsis Festis, quinimo etiam apud eundem Thomassinum in citato Opere, *De dierum festorum celebratione*, ubi varia veterum Patrum loca recenset ad astruendam quorundam Christi Domini dierum festorum antiqutitatem, qui in utraque Ecclesia Sæculo Christi IV. celebrabantur.

IV. Sed quicquid sit de aliis Ecclesiæ celebritatibus, quod Purificationem Deiparæ spectat, de qua in præsenti agimus, tradit Baronius, repeti posse primordia hujus solemnitatis a S. Gelasio I. Pontifice, qui labente Sæculo V. Romæ Lupercalia sustulit, quamvis pudendæ quædam eorum reliquiæ superessent. Oratio illius, qua Lupercalia exagitat, edita est in Conciliorum Collectione, & in Annalibus Ecclesiasticis. Vehemens quidem est hujusmodi conjectura, quum, ut observat Thomassinus in prædicto Opere, Lib. II. Capite XI. num. II. *Februa*, unde Februarius mensis est apellatus, Sacra fuerint, & expiationes Romanorum. Liquet ex Græcorum, Latinorumque monumentis, in hisce expiationibus homines Saturno immolatos fuisse. Cœperunt tamen deinde Itali Saturno offerre, non jam homines, sed hominum simulacra: verum animadvertentes vocem illa φῶτα, non unum hominem, sed lucem etiam significare, cæteris missis, Saturnum accensis facibus coluerunt: *Aras Saturnias*, inquit Macrobius Lib. I. Saturnalium, Cap. VII. *non mactando viros, sed accensis luminaribus excolentes. Quia non solum virum, sed & lumina φῶτα significat. Inde mos per Saturnalia missitandis cereis cœpit.*

V. Non igitur a veritate abhorret, Solemnitatem Festi Purificationis Deiparæ, quæ in diem secundam mensis Februarii incidit, cum Processione, & cereorum ritu, institui oportuisse, ut impia Lupercalium celebritas, sanctissimis mysteriis, ac cæremoniis invectis, aboleretur. Patet id quidem ex Sermone S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, ubi sic inquit: *Vocatur Græco vocabulo ὑπάντη, quod Latine obviatio dici potest; ὑπαντᾶν enim Græce obviare dicitur. Proinde hæc Festivitas tali vocabulo notatur, quia quum Dominus hodierna die in Templum a parentibus fuisset delatus, a Sanctis, quos plurimos tunc Hierosolymis fuisse, non dubium est, ei obviari credimus. Agitur autem hæc Festivitas mense Februario, quem Romani adhuc Pagani a Februo, idest, Plutone sic vocaverunt, quem potentissimum Purgationis credebant. Februare enim purgare dicimus. Quo mense lustrabatur Civitas, & Diis Manibus offerebant Sacrificia, quorum auxilio, & virtute totum Orbem se subjugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue, & religiose Christiana mutavit Religio, quum eodem mense, idest, hodierna die in honore Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, non solum Clerus, sed & omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis, & diversis Hymnis lustrantes circumeunt; non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, sed ob recordationem Cælestis Regni perennem, quando juxta Evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine Mundi Sponso Christo obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis sunt introducendi.*

VI. Mortem obiit S. Ildephonsus, qui hæc scripsit, anno DCLXVII. centum & quindecim post festum hunc diem a Justiniano, ut ajunt nonnulli, institutum annis, ex Anastasio Bibliothecario Theophanem sequuto, *Anno Justiniani XV. Christi DXLI. mense Octobrio facta Byzantii mortalitas, & eodem anno Hypapanti sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda mensis Februarii.* Nempe statuit Justinianus Constantinopoli celebrari hoc Festum, quod jam alias, ut superius dictum est, longe ante ipsum fuerat institutum. Quicquid sit, Ildephonsi æqualis fuit S. Eligius Episcopus Noviodunensis, ejusque Sermo in Purificationem superest, ubi quæ ex Ildephonso Toletano Episcopo attulimus, fusius repetit. Hortatur nos, ut Deo Patri Filium offeramus, tanquam scelerum expiationem, & per hanc ab ipso crimina nostra deleantur, dum ei cum Simeone accurrimus, accensas lampades præferentes, puras scilicet a scelere manus, & pectus divinarum rerum amore flagrans: *Cum Domina nostra eum oblaturi*, inquit, *aut cum Simeone suscepturi, cum cereis, & Hymnis, puritate mentis, atque lucidis operibus splendidi &c.* Observat Thomassinus loco citato, num. V. Byzantinorum Principum magnam tunc fuisse in Occidente auctoritatem, ideoque non mirum, si brevi temporis intervallo Celebritas hæc probata fuerit ab Hispanis, & Gallis, Quibus addi possunt etiam Angli, nam similia his, quæ tradunt Ildephonsus, & Eligius, docet Venerabilis Beda in Libro, *De temporum ratione*, Cap. X.

VII. Cæterum scite notat post alios eruditus Martene in memorato Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XV. num. II. institutum fuisse Festum ipsum Purificationis Virginis a Gelasio I. Summo Pontifice, probatque ex ejus Libello adversus Andromachum, quo dicta Lupercalia exagitavit. Quamobrem quod Ordo Romanus, & vulgatus Alcuinus ajunt, Sergium Papam præcepisse Litanias fieri in die præsentationis Domini in Templo, stare minime potest; neque etiam Gesta Romanorum Pontificum, quæ ad id probandum citant, plane evincunt; sed solum, ut Processio, quæ in Purificationis Deiparæ Festo fieri consueverat, in aliis B. Mariæ Solemnitatibus celebraretur; vel quæ nullo prius determinata erat in loco, deinceps ab Ecclesia S. Adriani ad B. Mariam majorem procederet. Sic enim habet Anastasius in Vita Sergii Papæ I. qui electus fuit anno DCLVII. *Constituit autem, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam Populus occurrat.*

VIII. Quum duo præsertim hac in Festivitate singularia occurrant, ac primum quidem cereorum benedictio, & distributio, & deinde Processio, de qua infra in Commentariis ad §. I. & sequen-

quentes; quod benedictionem spectat, tametsi nulla de ipsa habeatur mentio apud Amalarium, Valfridum, & vulgatum Alcuinum, qui cereos tantum a Pontifice dari asserit; sed neque in Gelasiano, Gregoriano, Gellonensi, aliisque ab annis mille scriptis Sacramentariis, aliquid de eo benedicendi cereos ritu extet; addubitari nihilominus nequit, quin antiqua sit ea benedictio, & in variis Ecclesiis usitata ab annis circiter CM. uti constat ex antiquo Missali Ecclesiæ Turonensis annorum circiter CM. ubi tamen unica oratio *ad luminaria benedicenda* reperitur descripta a laudato Martene post numerum v. quæ est hujusmodi: *Deus verum lumen, æternæ lucis propagator, & auctor, infunde cordibus tuorum Fidelium perpetui luminis claritatem, ut quicumque in Templo sanctæ gloriæ tuæ præsentium luminum adornantur lucernis, omnium vitiorum contagiis expiati, in Templo cælestis habitationis tuæ cum fructu bonorum operum tibi valeant præsentari. Per.* Jam non desunt & alii antiqui Rituales Codices, ex quibus constat, cereorum benedictionem paucioribus olim orationibus completam fuisse. Unicam dumtaxat assignat antiquus Codex Corbejensis, unicam Carnotense S. Joannis, Gastinense, & Cabilonense Ordinaria. Duas legere est in antiquis Missalibus Bituricensi, Catalaunensi, & Pictaviensi, itemque in Rituali Suessionensi, & Turonensi S. Martini. Duas etiam habet antiquus ms. Codex Floriacensis, quibus sancti Evangelii lectio pronuncianda præmittitur. Tres præscribit Ordinarium Silvanectense, uti & Pontificale Ecclesiæ Autissiodorensis, ex cujus præscripto, facta benedictione, cerei thurificandi sunt, *thurificato tamen prius Altari.* Adolebantur scilicet cerei isti thure, postquam fuerant Aqua benedicta aspersi, ut ex variis priscis Ritualibus liquet, præsertim vero ex ms. Codice Ecclesiæ Narbonensis annorum circiter DCC. Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, & Ordinario Ecclesiæ Cabilonensis.

IX. In quibusdam præterea locis præter cereorum benedictionem, benedicebatur & novus ignis prius e silice excussus, unde cerei erant accendendi, ejusque ritus meminit S. Bernardus Sermone II. *De Purificatione*, num. I. itemque varii antiqui Rituales Codices, a laudato Martene allati, inter quos Codex Ecclesiæ Narbonensis annorum circiter DCC. ubi agit de benedictione candelarum in Purificatione B. Mariæ, hanc habet orationem ad benedictionem novi ignis: *Domine Sancte Pater, æterne Deus, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris ignem istum, quem nos indigni suscipimus per invocationem Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi, quem hodie repræsentatum justum Simeonem tuum ante faciem omnium populorum esse lumen scilicet gentibus ad gloriam plebis tuæ Israel Prophetico spiritu docuisse, te quæsumus Domine, benedicere digneris lumen istud, & omnibus ipsum in manibus gestantibus vere lumen tuæ pietatis concede, ut te cognoscentes, per viam virtutum ad te valeant pervenire. Per eundem.* Ex hoc novo igne accenso accendebatur cereus unus, ex quo deinde, qui sacræ functioni intererant, suos cereos accendebant. Post illuminatum autem cereum illum ex novo igne, uti dictum est, oratio ista pronunciabatur ex præscripto ejusdem Codicis Narbonensis: *Domine Sancte Pater, exaudi nos, lumen indeficiens, tu es Sanctus omnium conditor luminum, bene ✠ dic, Domine, hoc lumen, quod a te sanctificatum, & benedictum est; & sicut tu illuminasti omnem Mundum, sic ab eo lumine accendamur, & illuminemur igne caritatis; sicut illuminasti Moysen, ita illumina corda nostra, & sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.*

X. Longum esset varias orationum formulas describere, quæ ex variorum Ritualium antiquorum præscripto ad benedicendos cereos, & ignem novum, ex quo cerei accendebantur, dici olim solebant. Videri possunt apud Martene, qui etiam & alios ritus recenset in ipsa cereorum benedictione usitatos. Certe quibusdam in locis singuli singulos in manibus cereos tenebant, dum benedictio perageretur, ut in Ecclesiis Lemovicensibus S. Stephani, & S. Martialis; sed alibi passim super tapete, aut Altare deponebantur ante Sacerdotem, qui illos benedicebat: *Prosternatur tapete, & desuper ponantur candelæ, benedicenturque cum magna veneratione ab Episcopo, vel Decano, aut hebdomadario &c.* Verba sunt antiqui Pontificalis Ecclesiæ Bisuntinæ, ubi agit de benedictione candelarum in Purificatione B. Mariæ. Ex ms. autem Ordinario Ecclesiæ Cabilonensis, *dum cantatur Tertia, benedicuntur cerei super Altare Beatæ Virginis ab Episcopo, vel ab illo, qui debet cantare Missam &c.* Sed standum hodie Rubricæ Missalis Romani, Parte IV. Tit. XIV. num. 3. ex cujus præscripto Sacerdos benedicturus candelas, *indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum Ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum candelas in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positas &c.* Non ergo poni debent candelæ ipsæ benedicendæ super Altare, sed *ante Altare, vel ad cornu Epistolæ*; qui quidem locus est aptior ad ritum, ut ibidem notat Gavantus, citans Cæremoniale Episcoporum Lib. II. Cap. XVII. in cujus Commentariis plura nos scitu digna notavimus ad candelarum ipsam benedictionem spectantia.

XI. Fuit autem antiquus mos, ut cerei benedicendi in Festo Purificationis Deiparæ, a Fidelibus ad Ecclesiam deferrentur, benedictique rite a Sacerdote, atque accensi, in Processione gestarentur. Id plane addiscimus ex variis antiquis Ritualibus, atque ex Vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis edita ab Osberto Monacho ejus Discipulo apud Surium ad diem XVIII. Maji, Cap. I. *Pater Dunstani cum matre ad Dei servitium properabant, ambo cereos, quos pro ritu ipsius diei offerrent deferentes &c.* Sed invaluit deinde consuetudo, variis etiam Synodorum Decretis confirmata, ut candelæ ipsæ in Festo Purificationis Virginis Parochorum sumptibus distribuerentur. Ita plane statuit inter alios Sanctus Carolus in Synodo Mediolanensi Diœcesana XI. in Monitis executionis Decretorum, quæ ad Parochos pertinent: *Parochi... candelas die festo Purificationis, aut olivas Parochialibus suis.... distribuendas parent sumptibus suis, proposita mulcta gravi, si unquam defecerint.* Porro varios abusus, qui in ipsam candelarum, & palmarum benedictionem, distributionemque irrepserant, conatus est penitus tollere idem Sanctissimus Præsul in Concilio Provinciali Mediolanensi III. Capite, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, ubi sic inter alia statuit: *Quamobrem edi-*

*edicimus, ne alio loco, nisi in Ecclesia, neque dum manibus laicorum tenentur, sed constituto loco posita, solemnibus caremoniis benedicantur; & singula singulis distributa, tum Palma, tum candela accensa, manibus per eos, qui acceperint, gestentur ex Ecclesia instituto, dum statis illis diebus Processiones, & sacra alia actiones habentur.*

XII. Sed non omittenda quæ & mox adjungit, sic inquiens: *Utque praterea introducto ei usui occurratur, quo multis locis in hac Provincia fit, ut illa vel candela, vel Palma, olivaque sacro eo ritu benedicta, non in Ecclesia a quibusdam sumantur, sed ad eos domum deferantur; & quod gravius est, a laicis quibusdam quasi tributum quoddam sibi a Parochis, vel ab aliis quibusvis debitum, illa exigantur; decernimus, ut (salvo siquod Patronus aliquis Beneficii habet illas exigendi jure) iis solum, qui in Ecclesia interesrunt, & illis item tantum tradi liceat, qui iis ipsis diebus ad illam Ecclesiam convenire solent, sed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima causa impediti.* Idem plane mandant & aliæ plures Synodi in nostra Italia celebratæ, inter quas Beneventana Provincialis x. sub Jacobo III. Cardinale Sabello habita anno MDLXVII. Titulo VI. qui inscriptus est, *De tollendo abusu deferendi domum cereos in Festo Purificationis B. M. V.* Capite unico, districte præcipit, ut cerei ipsi præsentibus in Ecclesia tantum distribuantur, accensique in Processione gestentur: *Abusus*, inquit, *multis in locis inolevit, quod solitos dari cereos in die Purificationis B. Mariæ Virginis ex veteri Ecclesiæ instituto, ut igne accensi in solemni Processione deferantur, quibus sinceritas Virginis demonstratur, quæ lucem edidit, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, jam homines in Ecclesia non recipiant, & in Processione deferant, sed paulatim incuria Rectorum, & avaritia, & fastu quodam parochianorum, eo res deducta est, ut quasi tributum eos velint sibi tradi, & domum deferri. Quare abusum hunc tollendum decernimus, ne quæ pietatis, & honoris Dei causa ab Ecclesia instituta sunt, ad quæstum, & tributum convertantur. Præcipimusque Rectoribus quibuscumque, ne eos cereos, nisi his, qui in Ecclesia intererunt, ut eos accendant, & in Processione deferant, tradant.* Viguisse etiam deinde eundem abusum in ipsa Provincia Beneventana deferendi scilicet cereos benedictos in Festo Purificationis per domos, constat ex Concilio Provinciali XIII. Beneventano anni MDCLVI. sub Joanne Baptista Foppa, Titulo XLVIII. ubi etiam recitatum Decretum Cardinalis Sabelli instauratur; itemque ex Concilio XIV. anni MDCXCIII. sub Fr. Vincentio Maria Cardinali Ursino, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. Titulo III. Cap. II.

XIII. His addi & possent variæ aliarum Synodorum sanctiones, ac Sacrarum Congregationum Concilii Tridentini Interpretum, & Rituum Decreta, allata a Barbosa, Pignatello, Riccio, Monacello, Ursaya, & aliis, qui praxim forensem enarrant. Sed lubet hic potius sacros benedictionis candelarum ritus, & virtutes describere ex S.Carolo, qui in Concilio Provinciali Mediolanensi v. Capite, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, eosdem egregie explicuit, mandavitque Parochis, Concionatoribusve, ut illos Fidelibus exponerent: *Die sacro Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis usus, ritusque Benedictionis candelarum, cereorumve, cum plenus mysteriorum est, tum salutarium utilitatum; quas non solum ex orationibus, quibus Ecclesia in ea Benedictione utitur, sed ex omni Rituali Libro probato Parochus, Concionatorve eo ipso die Fidelibus studiose exponat, quo religiosius illas, & gestent, & habeant. Nam cum illius Benedictionis precatio ad alia multa referatur, tum ad hæc inprimis. Ut candelæ valeant ad sanitatem animæ, & corporis, terra, marique. Ut de locis, ubi accendentur, dæmon, & quicquid dæmonis ars molitur, machinaturve, depellatur. Ut mentes, & corda Fidelium, igne & splendore Sancti Spiritus accendantur, illustrenturque, ac depulsis vitiorum tenebris, videant quæ sint Deo grata, & saluti utilia. Ut ignis charitatis cum lumine Fidei in animis accendatur, quo ad lumen æternum vitæ cælestis perducamur. Hæc sibi omnia a Christo Domino, qui est Deus verus, & splendor lucis æternæ, sibi concedi precantur, intercessione, & sanctissimis meritis Beatæ Mariæ Virginis, quicumque Fideles in illius honorem candelas, quibus Benedictionis preces eo die adhibitæ sunt, devote gestant.* Sed de his etiam infra in Commentariis ad sequentes Paragraphos.

## §. I.

Completa Benedictione, & distributione candelarum, ut in Missali Romano reformato, fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum; deinde Diaconus vertens se ad populum, dicit: *Procedamus in pace*. Et Chorus respondet: *In Nomine Christi. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Candelarum Benedictione, & distributione peracta, *ut in Missali Romano reformato, fit Processio*, ait hic noster §. I. *& primo Celebrans imponit incensum in thuribulum, deinde Diaconus vertens se ad populum dicit*, Procedamus in pace; *& Chorus respondet*: In Nomine Christi. Amen. Juxta Cæremonialis Episcoporum præscriptum, Lib. II. Capite XVI. §. XV. dum Episcopus imponit incensum in thuribulum, *accenditur candela Episcopi, quam tenet ejus Cubicularius, seu Capellanus, & pariter omnium aliorum, maxime de Clero, nisi a principio fuissent accensæ*. At vero, si antiquum ritum Ecclesiæ Narbonensis spectemus, ut in ejus ms. Codice legitur ante annos DC. exarato apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XV. Ordine II. Diaconus ex novo igne ea die

die benedicto, versa facie ad populum, suppressa voce ajebat: *Venite, & accendite*; respondebatque Chorus: *Aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit, exite obviam ei*. Quo ter dicto, *semper elevando vocem*, dum ipsa Antiphona prædicto modo cantabatur, accendebantur candelæ; eisque accensis, Cantor incipiebat Antiphonam, *Lumen ad revelationem gentium*, eamque Chorus totam decantabat. Juxta ms. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria annorum circiter D. facta cereorum distributione, unusquisque suum illuminabat; sed ex ms. Arelatensis Ecclesiæ Pontificali, accensi distribuebantur cerei, dumque accenderentur, inchoabat Cantor Antiphonam, *Venite, & accendite lampades &c.* ac deinde Præcentor Antiphonam illam, *Lumen ad revelationem &c.* Ex ms. Missali Ecclesiæ Rotomagensis, benedicto novo igne, de eo accendebantur candelæ, seu cerei, & distribuebantur, Clero cantante prædictam Antiphonam; *Lumen ad revelationem gentium &c.*

II. Quicquid sit de variis aliis antiquis Missalibus, quæ afferri huc possent, in eo omnia conveniunt, accendi debuisse cereos initio Processionis, & antequam Diaconus ea verba proferret, *Procedamus in pace*, eique Chorus responderet, *In Nomine Christi, Amen*, juxta antiquum ritum, cujus inter alios Rituales Codices meminit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio. Teste Barrufaldo in sua ad hunc §. adnotatione versiculus ipse, *Procedamus in pace*, est antiquissimi usus in Ecclesia, & olim in omnibus Processionibus adhibebatur, sed postea in Missali reformato a Summis Pontificibus Clemente, & Urbano Octavis, restrictus fuit ad duas tantummodo Processiones, nempe ad istam candelarum in Festo Purificationis Deiparæ, & ad illam Palmarum, de qua infra suo loco dicemus.

## §. II.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis; sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus, & cantantur Antiphonæ sequentes.

Antiphona.

*Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum; amplectere Mariam, quæ est cælestis porta; ipsa enim portat Regem gloriæ novi luminis. Subsistit Virgo adducens manibus Filium ante luciferum genitum; quem accipiens Simeon in ulnas suas, prædicavit populis Dominum eum esse vitæ, & mortis, & Salvatorem mundi.*

Alia Antiphona.

*Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Et cum inducerent puerum in Templum, accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine in pace. ℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.*

## COMMENTARIUS.

I. QUum ad calcandam præcipue Gentilium superstitionem hæc Processio, seu Supplicatio, instituta fuerit, uti jam superius ostendimus, hinc olim vel ipsi Romani Pontifices Maximi, & Cardinales ab Ecclesia S. Adriani ad S. Mariæ Basilicam nudis pedibus procedebant, teste Cencio in Ordine Romano XII. Cap. V. *Dominus Papa sequitur Processionem, cumque venerit ad portam ipsius Ecclesiæ, exuit planellos, & nudis pedibus vadit cum aliis in Processione usque ad prædictam Ecclesiam B. Mariæ Majoris*. Claruit Cencius Sæculo XIII. ritumque ab eo memoratum confirmat etiam Jacobus Gaetanus, qui eodem Sæculo labente claruit, & initio sequentis, in Ordine Romano XIV. Cap. LXXVIII. sic inquiens *Advertendum, quod si Processiones hujusmodi fierent Romæ per Papam, & solemniter in locis, ubi Papa his tribus diebus esset celebraturus, Papa paratus esset solemniter etiam in Processione paramentis Pontificalibus, & cum Pallio, & iret discalciatus ipse, & omnes Cardinales, & Prælati in Processione saltem in hac die Purificationis ab Ecclesia Sancti Adriani usque ad S. Mariam Majorem, & in die Cinerum ab Ecclesia S. Susannæ usque ad S. Sabinam, ubi est Statio*. Servatum præcipue fuisse & a Monachis hunc ritum, ut in hac scilicet Processione, & in aliis permultis, pedibus nudis incederent, ex S. Odilone addiscimus, qui, teste Udalrico, Lib. I. Cap. XLI. apud Martene, Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite IX. num. II. *Vir plane misericordiæ perpendens, quam difficile nonnulli Fratrum pati possent, ut in tanta hyemis aliquando asperitate nudis quoque pedibus procederent, hujusmodi Processionem in IV. & VI. Feria a Calendis Novembris usque ad caput jejunii pro pietate sua indulserit*.

II. Sed omisso hoc ritu, antiqua est ipsa Processio, uti late dictum est in Rubricam hujus Tituli, institutaque fuit ad denotandam scilicet, ut ait Durandus, Lib. VII. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. VI. num. 12. Processionem illam, *quam B. Virgo, & S. Josephus ad Templum fecerunt*, ad quod nempe tulerunt puerum Jesum, ut sisterent eum Domino, sicuti legitur in Evangelio Lucæ, Cap. II. sive ut habet Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. VII. in memoriam illius diei, quo Christo Domino cum Matre, & Josepho ad Templum accedenti obviam venerunt Simeon, & Anna, gratulantes, & benedicentes Deum, ut in citato Evan-

Evangelii loco dicitur, unde hujus solemnitatis Officium exorditur Ecclesia ab Invitatorio: *Ecce venit ad Templum sanctum suum dominator Dominus, gaude, & lætare Sion occurrens Deo tuo.* Porro ex præscripto nostri §. *præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis.* Idem totidem verbis statuit Rubrica Missalis Romani, Parte IV. Tit. XII. num. 6. cujus Expositores recte notant, Subdiaconum paratum Crucem deferentem debere tunc quidem esse indutum Planeta plicata, nec alium Subdiaconum adhibendum, qui una cum Celebrante, & Diacono incedat, cum vel ex hoc nostro §. constet, Celebrantem in hac Processione ultimo incedere cum solo Diacono, qui erit ab ejus sinistris: *Ultimo*, inquit, *Celebrans cum Diacono a sinistris.* Cæterum quod Antiphonas spectat, & Versiculos in ista Processione cantandos, desumpti sunt isti ex variis ejusdem Evangelii locis, & leguntur passim in antiquis Missalibus, ac Ritualibus, Ordinibusque Romanis, eorumque inter alios meminit citato loco Durandus.

III. Porro curiosus est ritus, quem in hac Processione servandum præscripsit olim ms. Ordinarium insignis Ecclesiæ Cabilonensis in Galliis apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XV. Ordine VII. quemque lubet ad calcem hujus Commentarii describere: *Finita Benedictione*, inquit, *& Aqua benedicta aspersa super cereos, & thurificatis etiam illis, accenduntur, & venit in Choro Processio, incipiente Chorista*, Lumen ad revelationem. *Cantatur totus Psalmus*, Nunc dimittis. *Repetita Antiphona*, Lumen, *post quemlibet versum, & post* Gloria Patri. *In Cappis est Processio, & deferant omnes in manibus cereos ardentes, præter minores, & reservent eos usque ad Offertorium, qui offerre voluerint. Ad Processionem incipit Succentor Antiphonam*, Ave gratia. *Et quandiu durat, præter solitum fit Statio in primo panno. Postea incipitur alia Antiphona*, Adorna thalamum, *& fit Statio in secundo panno. Postea incipitur alia Antiphona*, Responsum, *& prætenditur usque ad tertium pannum. Et cum dicitur pars illa*, Accepit eum Simeon, *paratus est Sacerdos in vestimento Sacerdotali, & infula Alba, capite cooperto tenens manus sub infula in figura Simeonis, Diacono verso ad ipsum, Ceroferariis hinc inde, & accipit thuribulum, thurificans Textum, & deosculans, recipit eum inter brachia more Simeonis, & tunc incipitur Antiphona, Hæc est Regina &c.* Textus, cujus hic meminit memoratum Cabilonense Ordinarium, est Sacer Evangelii Codex Christum repræsentans, deferri solitus in Sacris Processionibus, ut supra diximus, & dicemus etiam infra. Varias id genus repræsentationes legere est quidem in Ritualibus antiquioribus, atque in multis Conciliis Provincialibus, & Diœcesanis, quæ posterioribus Sæculis sublatæ tandem fuere, quod risum potius, quam devotionem moverent.

## §. III.

**Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur ℟. *Obtulerunt Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut scriptum est in Lege Domini. ℣. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum Legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut scriptum.***

## COMMENTARIUS.

I. Tametsi illud ex hoc nostro §. constet, Processionem die Purificationis Deiparæ non modo per Ecclesiam fieri, verum etiam extra Ecclesiam, & deinde post aliquem viæ tractum ad eandem redire; si veterem tamen ritum spectemus, ibat ipsa per varias Ecclesias, ac Urbis, Oppidive loca, ut impii scilicet ethnicæ religionis ritus, sanctissimis mysteriis, ac cæremoniis invectis, abolerentur. Testatur id quidem S. Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus, qui obiit anno DCLXVII. in suo priore Sermone, quem de hoc Festo habuit, ubi sic inter alia inquit: *Agitur autem hæc Festivitas mense Februario, quem Romani adhuc Pagani a Februo, idest Plutone sic vocaverunt, quem potentissimum purgationis credebant. Februare enim purgare dicimus. Quo mense lustrabatur Civitas, & Diis Manibus offerebant Sacrificia, quorum auxilio, & virtute totum Orbem se subjugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue, & religiose Christiana mutavit Religio, quum eodem mense, idest, hodierna die in honore Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non solum Clerus, sed & omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis, & diversis Hymnis lustrantes circumeunt, non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, sed ob recordationem Cælestis Regni perennem, quando juxta Evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi Sponso Christo obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis sunt introducendi.* Sane Romæ S. Sergius Papa I. ut in ejus Vita scribit Anastasius, statuit quidem, ut Processio hac die exiret a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurreret. Mortem autem obiit laudatus Pontifex anno DCCI. Juxta ms. Pontificale Ecclesiæ Arelatensis apud Martene, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XV. Ordine IV. pergebat etiam ista Processio per varias Ecclesias Civitatis, in iisque variæ Antiphonæ, ac Responsoria etiam in hoc nostro §. notata decantabantur.

II. At vero communis ille est hodie ritus, ac in præsenti etiam Capite præscriptus, ut ista nimirum Processio ad eandem Ecclesiam, unde exiit, confecto aliquo viæ tractu, revertatur, in ejusque ingressu, Versiculi, atque Responsoria canantur præscripta in hoc nostro §. a citato superius Lucæ Evangelio accepta, quæ una cum aliis permultis leguntur etiam in antiquis Missalibus, Ritualibusque, ab eodem Martene allatis. Cæterum quid agendum, si Processio ob pluviam,

viam, sive ob aliud impedimentum extra Ecclesiam exire nequeat; puto equidem, faciendam tunc per Ecclesiam Processionem, uti vidi in variis Ecclesiis Urbis servatum. Id quod potissimum servandum est in Processionibus longioris viæ, & ubi in ipsis Sacræ Sanctorum Reliquiæ, & multo magis ubi Sanctissima Eucharistia gestaretur; non enim decet, ut hujusmodi Processiones tempore pluvio celebrarentur, ad vitandam irreverentiam, & illorum incommodum, qui Sacris Processionibus intersunt. Atque id est, quod in variis etiam Synodis cautum fuit.

## §. IV.

Finita Processione, Celebrans, & Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Evangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem.

## COMMENTARIUS.

I. Quamquam in Processione, quæ fit die festo Purificationis Virginis, a Celebrante, & a Ministris in sacris indumentis ex prisco ritu, & Rubricis Romani Missalis adhibendus sit color violaceus, uti videre est apud Gavantum, Parte I. Tit. XVIII. num. 5. litera x. in Missa tamen, si nempe de Festo ipso celebretur, adhiberi omnino debet color albus ex ejusdem Missalis Romani Rubricis; nam, ut ait ibidem Gavantus, *Missa pertinet ad puritatem Virginis, quæ purificari dicitur, & celebratur cum colore albo*. Cæterum, quod Processio instituta potissimum fuerit ad calcandam Gentilium superstitionem, & in formam pœnitentiæ, uti ex iis addiscere licet, quæ nos supra notavimus in Commentario ad §. II. non mirum, si in ipsa Processione violaceus color adhibeatur; eaque finita, non modo *Celebrans, & Ministri*, ut ait hic noster §. *depositis violaceis accipiunt paramenta alba pro Missa*; verum etiam amovetur pallium violaceum ab Altari, albumque apponitur, si Missa scilicet dicenda sit de Festo; nam alias, ut edicitur in citatis Rubricis, Parte IV. Tit. XIV. num. 3. *si hoc Festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, fit tantum candelarum Benedictio, distributio, & Processio, & dicitur Missa de Dominica. Missa vero Festi transfertur in sequentem diem*.

II. Idem, quod statuit Rubrica Missalis, tradit etiam antiquus Ordo Romanus, Auctore Petro Amelio, Cap. XIX. quod inscriptum est, *De Purificatione Beatæ Mariæ Virginis*, ubi sic inter alia inquit: *Sciendum, quod si istud Festum cadat in Septuagesima, aut Sexagesima, transfertur usque in diem Lunæ*. Similia legere est passim in Ordinariis sequioris ævi; sed notandum hic tamen illud, alium olim ritum viguisse; si Festum enim Purificationis olim in prædictas Dominicas incidisset, de Festo quidem eodem die fiebat Officium, ut patet ex Orderico Vitali, Libro XXII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, pag. 921. nec, ut hodie, in aliam diem transferebatur. Teste Scultingo, in Ecclesia Herbipolensi, si in Dominicam Septuagesimæ Festum ipsum evenerit, celebratur Sabbato præcedenti. In antiquo vero Rituali S. Martini, ut docet Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XV. in fine, Officium eo casu ita disponitur, ut *Vesperæ fiant de Beata Maria, & post Completorium fiant Vigiliæ cum novem lectionibus de eadem; nocte autem fiant Matutinæ de Septuagesima, & ad Laudes includatur Alleluja. In die fiant Horæ, & Processio, & Missa de Beata Maria*.

III. Sed omissa antiqua, & varia de ea re Ecclesiarum disciplina, ut recentior magis magisque explicetur, Festum quidem ipsum Purificationis Deiparæ Virginis transferri non raro contingit, vel quia occurrit in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, vel quia in eo occurrit Festum Patroni, aut aliud primæ classis. Si primum, clara est recitata superius Missalis Rubrica, *Fit tantum*, inquit, *candelarum Benedictio, distributio, & Processio, & dicitur Missa de Dominica, Missa vero Festi transfertur in sequentem diem*. Si alterum, si nempe occurrat eodem die Patronus Ecclesiæ, Officium quidem fieri de eo debere, translato Festo Purificationis, quoad Officium nempe, & Missam, non vero quoad candelarum Benedictionem, distributionem, Processionemque, quæ eo die peragi debent, tradit Guyetus in sua Heortologia, Lib. IV. Cap. XVIII. ubi etiam ait, non idem dicendum de Festo Dedicationis Ecclesiæ, quod non decuerit ei faciendæ diem illam selegi, vel si die illa peracta sit, debuerit ab Episcopo in ipso actu consecrationis in aliam diem mutari. Addit, idipsum judicandum de Festo Translationis Reliquiarum, aliisve, quæ ritu primæ classis alicubi forte celebrantur; quod nempe & in hujusmodi Festis instituendis caveri debuerit, nequid solemnitati Festi Purificationis Deiparæ in universa Ecclesia valde celebri detrahatur.

IV. Siquis autem hic quærat, an in Ecclesiis sub Titulo B. Mariæ dicatis, translato Festo Purificationis, Missa nihilominus de ipso Festo Purificationis dicenda sit, licet in prædictas Dominicas inciderit, videtur id quidem asserere Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XVI. quia & pro certo assumit Cæremoniale Monasticum, Lib. IV. Cap. IV. §. I. num. I. ubi facta mentione de Ecclesia dicata sub Titulo Purificationis, in qua fit Officium de Festo, subdit: *Vel etiam in aliis Ecclesiis sub B. Virginis patrocinio dicatis quovis alio Titulo, ubi Missa solemnis tantum erit de Festo cum commemoratione Dominicæ, cujus legetur Evangelium in fine &c.* Verum laudatus Guyetus citato loco, Quæstione XIX. post Gavantum in Rubricas Missalis, Parte IV. Titulo XIV. litera b. censent, sensum dicti Cæremonialis esse de Ecclesia sub Titulo Purificationis B. Mariæ, in qua videlicet, sicut dicitur Officium de ea, ita dici debet & Missa; colligique id ait Guyetus ex ipso contextu, qui ita habet: *Nisi Festum hujusmodi ageretur in aliqua Ecclesia Bea-*

*Beatissimæ Virgini dicata, quia tunc fieret Missa de Festo cum commemoratione Dominicæ*. Nisi enim factum esset Officium de Festo, non poneretur commemoratio Dominicæ, cum ex Rubrica Missalis, facto Officio de Dominica, duæ sint cantandæ Missæ, una de Festo, altera de Dominica; at fieri non debet Officium de Festo, nisi habeatur primæ classis; tale autem non habetur, nisi fuerit Titulus Ecclesiæ, aut certe Ecclesia dicata universim Beatæ Virgini hoc Festum præ aliis ejusdem B. Virginis instar Tituli colat, ut idem Guyetus ibidem notavit.

V. Quod si nihilominus contendat quispiam, prædictum locum Cæremonialis Monastici intelligi de quacumque Ecclesia Beatæ Virginis, recte monet Gavantus in citata Parte IV. Tit. XIV. in sua ad Rubricam III. adnotatione, litera *b*, duas tunc Missas esse cantandas juxta Rubricam Missalis, Parte I. Tit. VI. qui est, *De translatione Festorum*. Non autem unam tantum de Beata Virgine cum commemoratione Dominicæ, ut vult Cæremoniale Monasticum, quod item non recte assignat ultimum Evangelium de Dominica, cum nec id exigat Rubrica Missalis de duabus Missis in tali casu celebrandis; nec vero etiam sit conforme assertioni ejusdem Cæremonialis, qua dicitur in Missa Festi occurrentis in Vigilia S. Andreæ, vel S. Thomæ in Adventu, non esse dicendum ultimum Evangelium de Vigilia, uti laudatus toties Guyetus observat in fine citatæ Quæstionis XIX. Sed de his videri possunt quæ novissime notavit doctus æque, ac pius Scriptor amicus noster dum viveret Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis in suis Adnotationibus, atque Additionibus ad Gavantum locis citatis.

VI. Explicandum superest, quod ait noster §. de ritu servando in ipsa Missa Purificationis Deiparæ, *Et candelæ*, inquit, *tenentur in manibus accensæ, dum legitur Evangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem*. Idem habet Rubrica Missalis, Parte IV. Titulo XIV. num. 7. Sed antequam ritum ipsum in nostro §. & in Missalis Rubrica præscriptum exponamus, memorandos censui hoc loco varios ritus antiquos in priscis Ritualibus notatos. Quibusdam in locis, ut notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XV. in fine, cerei accensi ad usque Missæ finem manibus tenebantur, idque præscribunt Ordinarium Lemovicense, atque Romanus Ordo XV. Petro Amelio Auctore, *Sciendum*, inquit, *quod incepto Evangelio, etiamsi Papa celebraret, Cardinalis Diaconus in sinistra parte assistens, recipit cereum accensum de manu Militis, vel de Domicelli Papæ stantis etiam a parte sinistra, & ponit eum in manu Papæ, ipsam manum deosculando in dando, & recipiendo, & ipsum tenet Papa accensum, & Cardinales etiam, & omnes alii suos in manibus suis accensos tenent cereos, sive candelas, quousque Evangelium sit cantatum; quo finito, prædictus Diaconus de manu Papæ cereum recipit, & eum accensum Domicello, seu Militi reddit; & etiam Cardinales, & cæteri Prælati suis servitoribus tradunt suos cereos accensos usque ad finem Missæ tenendos, sicut, antequam Evangelium legeretur, tenebant; hoc excepto, quod, quando debet incipi Sermo, si sit, quod non est consuetum modernis temporibus, omnes cerei debent extingui, sed statim finito Sermone iterum accendi, & debent teneri per Militem accensi, seu Domicellum Papæ, & alios servitores Cardinalium, & aliorum Prælatorum usque ad finem Missæ*.

VII. Alius plane fuit ritus in nostra citeriori Calabria servatus, ut enim constat ex Ordinario Lucæ Episcopi Consentini, cerei ipsi ad Offertorium Sacerdoti celebranti offerri debebant. Teste Martene, Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VII. num. 23. *ex antiquo Benedictini Ordinis usu tenebant ubique accensos cereos Monachi usque ad Offertorium, hoc enim tempore unusquisque celebranti Sacerdoti suum cereum offerebat*. Quod quidem probat ex S. Dunstano, qui & ritum ipsum præcepit, ut nempe *teneant luminaria in manibus, donec post oblationem ea Sacerdoti offerant*. Quod distinctius explicat Udalricus, Lib. I. Capite XLVIII. his verbis: *Ad offerendam, oblatis primo hostia, & vino, offeruntur quoque, Diacono incohante, candelæ*. Similia habent antiquum Corbejensis Monasterii Ordinarium, & Divionenses S. Benigni Consuetudines, Cap. LIV. ubi sic inquiunt: *Ad offerendum, primo oblatis hostiis, & vino, offeruntur quoque ab omnibus, ab illis etiam, qui aliis diebus non vadunt ad Offertorium, & etiam ab infirmis cerei, incohante Diacono*. His adde Ordinarium Carthusiensium, Cap. XLVI. sic dicens: *Finito Offertorio, sed dilata thurificatione, offerimus Sacerdoti ad gradum Altaris cereos, primo Diaconus suum, atque Celebrantis, deinceps alii eodem ordine, quo suscepti fuerint, cum genuflexione simul, & osculo manus, sicuti prius*.

VIII. Eodem teste Martene loco citato, uni ab aliis discrepabant Monachi Cassinenses, quod antiquum eorum Ordinarium mandat, ut finita Processione, *intrantes Ecclesiam, incipiant Missam, & usque ad finem cereos ipsos teneant*. Porro singulare est illud, quod apud Beccenses, atque Lyrenses Monachos, Abbatis, seu Sacerdotis celebrantis cereus accensus remanebat, non solum tempore Missæ, sed usque post Completorium: *Qui cantat Missam*, inquit Liber Usuum Beccensium, *teneat assidue cereum suum in manu usque ad Offertorium; tunc ponatur in dextra parte Altaris super unum candelabrum, & iterum sumat eum ad ultimam Orationem. Cereus ille non extinguitur post Missam, sed post Completorium, sed tota die ardeat ante majus Altare super unum candelabrum*. Eundem quidem ritum præscribunt antiquæ Consuetudines Lyræ, sed alio modo, quem referre hoc loco censui: *Qui cantat Missam*, ajunt, *teneat assidue cereum suum in manu usque ad Offertorium; post Offertorium, ablutis manibus, rursum accipiat cereum in manu sinistra inter digitos. Ad*, Qui pridie, *accipiat eum Levita, & teneat eum usque ad*, Unde memores; *& iterum tradat eum Sacerdoti usque ad*, Per ipsum; *deinde teneat eum Levita, vel Subdiaconus usque ad Postcommunionem. Dicto*, Ite Missa est, *vel*, Benedicamus, *accipiat Secretarius cereum, & ponat super candelabrum ante Altare, & non extinguatur post Missam, sed post Completorium, ut ardeat tota die*. Loquuntur prædictæ Consuetudines de solo Celebrantis cereo, alii enim ad Offertorium consignabantur: *Unusquisque*, inquiunt, *assidue teneat cereum suum in manibus usque ad Offertorium. Finito Offertorio, offerat Cantor, sive Abbas, vel Prior, si sunt in Choro, & non cantant*

*tant Missam, hostiam, & vinum, ut mos est, & deinde cereum suum, cæteris subsequentibus, & aliis per ordinem.*

IX. Clericos non modo, verum etiam laicos consuevisse olim festo die Purificationis ad Missam cereos tenere accensos, addiscere licet ex historia Vitæ S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis edita ab Osberto Monacho ejus Discipulo apud Surium die XIX. Maji. Ipso Purificationis die populus in Templo accensas faces gestabat, quas ad Aram obtulerat. Nimbus repente decidens omnes extinxit, ac postea cælestis quidam ignis cereum matris S. Dunstani accendit, qui aliis admotus, accendit pariter cæteros: *Cum mater ejus eo gravida spe prolis futuræ lætaretur, dies Purificationis B. Matris Dei festivus illuxit. Multitudo ergo utriusque sexus hominum pro excellentia tantæ festivitatis circumquaque coacta fluxit ad Ecclesiam, quæ antiquitus Glasconiæ de lignis miro opere ædificata, in honorem erat ejusdem Dei Genitricis consecrata. In qua multitudine multos nobilitate, dignitateque præcellens pater S. Dunstani Herstanus nomine cum Chinedrita matre ejus ad Dei servitium properabat, ambo cereos, quos pro ritu ipsius diei Deo offerrent, deferentes. Jam Missæ Officium celebrari cœperat, & immensus populus immensa luminum claritate refulgens, in Domo Dei laudibus Divinis intendebat. Tunc subito in sua serenitate Cælo manente, admirantibus cunctis, cuncta simul luminaria extincta sunt. Adspiciunt igitur singuli super se invicem, ac præ novitate insueti prodigii metu nimio percelluntur. Verum, dum attoniti starent, & quid certi de tali eventu sentire deberent, ignorarent, erectis vultibus intuentur flammam ignis cælitus labi, & cereum, quem mater Dunstani in manu tenebat, ex ea accendi. Qui ergo prius de luminarium extinctione magnopere fuerant admirati, nunc tam de cælestis flammæ emissione, quam de cerei prægnantis mulieris accensione, majori sunt admiratione perfusi. Accedunt itaque singuli ad lumen de Cælo demissum, & inde recipiunt lumen amissum.* Ergo unusquisque accensum cereum manu tenebat ad Missam, oblatumque ad Aram ferebat, ut ad memoriam revocaret Verbum Divinum, clarissimum re vera *Lumen ad revelationem Gentium*, quod singuli cum Deipara Patri offerebant, se ipsi quoque Deo dicantes tanquam filios lucis.

X. Quæret autem hic forte quispiam, quid agendum, si Missa de Septuagesima dicatur, an etiam in ipsa Missa tenendæ candelæ accensæ sint, dum legitur, ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem? Et quidem tenendas non esse candelas ipsas accensas ad prædictam Missam, deduci potest ex ipsa Rubrica Missalis Romani, Parte IV. Tit. XIV. num. 3. *Si Festum*, inquit, *venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, fit tantum candelarum Benedictio, distributio, & Processio, & dicitur Missa de Dominica; Missa vero Festi transfertur in sequentem diem*; & ex Rubrica num. 6. quæ eadem est, ac illa in nostro §. relata: *Finita Processione, Celebrans, & Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa; & candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Evangelium &c.* Ex quibus verbis, ut recte notat Gavantus ad ipsam Missalis rubricam, num. 10. *videtur inferri, candelas accensas teneri in honorem Beatæ Virginis, & consequenter in ejusdem tantum Missa.* Atque hic est ritus, quem hodie communiter servat Ecclesia, ut nempe accendantur candelæ ad Missam, ubi nempe Missa de Festo Purificationis Deiparæ Virginis dicitur, & quidem die propria, nullo autem modo, si Missa in sequentem diem transfertur.

# CAPUT III.

## *De Processione in die Palmarum.*

I. Dominica Palmarum, uti notavimus jam Tomo II. Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XXI. in Commentario ad §. I. ob diversas functiones, quæ ea die peragi olim in Ecclesia solebant, variis proinde fuit nominibus appellata. Ergo, ut notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XX. num. 1. dicta est ab aliquibus *Osanna*, propter multitudinis Christum Jerosolymam intrantem excipientis acclamationes. Ab aliis *Dominica Indulgentiæ*, ut in ms. Pontificali Ecclesiæ Pictaviensis annorum circiter CM. & in Vita S. Gebehardi, & S. Udalrici Episcopi Augustani, propter indulgentias scilicet, quæ ipsa die solemniter concedi solebant, uti videre est apud Ekkenardum in Libro, *De casibus Sancti Galli*, Cap. 1. A nonnullis *Pascha petitum*, seu *Competentium*, quia Catechumenis tradebatur Symbolum, & quidem ex antiquo ritu, ut constat ex Concilio Agathensi anni DVI. Can. XIII. *Ut Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur*. Dicta vulgo est etiam *Capitilavium*, quia, ut ait S. Isidorus Lib. 1. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XXVII. & post eum creditus Alcuinus, *tunc moris erat lavandi capita infantium, qui ungendi sunt, ne forte observatione Quadragesimali sordidata ad unctionem accederent*. Hac eadem de causa, Feria tamen quinta Majoris Hebdomadæ, in Africa baptizandi balnea adibant, ut tradit S. Augustinus in Epistola XXXIV. Quia vero hujusmodi caput lavandi ratio cum Baptismo confundebatur, circa undecimum Sæculum antiquatus est usus ille, ut notat Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LIII.

II. At vero communiter vocata est vel antiquitus *Dominica Palmarum*, de qua ita scribit laudatus S. Isidorus Lib. 1. Cap. XXVII. *Dies Palmarum ideo celebratur, quia in eo Dominus, & Salvator noster, sicut Propheta cecinit, tendens Hierosolymam, asello sedisse perhibetur. Tunc gradiens ramis Palmarum multitudo plebium obviam ei clamaverunt.* Osanna, benedictus qui venit in Nomine Domini, Rex Israel. *In ramis enim Palmarum significabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus*. Similia his tradunt Auctores passim, qui de Divinis Officiis tractarunt, eo nem-

nempe Titulo, quem, *De Dominica in ramis Palmarum*, scripserunt, quales inter alios sunt Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. XCIV. & Gulielmus Durandus in Rationali Divinorum Officiorum, Lib. VI. Cap. LXVII. quorum alter num. 17. sic plane inquit: *Dicitur autem hæc Dominica in ramis Palmarum, eo quod tunc rami Palmarum, si haberi possunt, in Processione portantur. Dicitur etiam alibi Dominica Olivarum, quia rami Olivæ portantur, quod fit ad repræsentandum Filios Israel, qui cum ramis Palmarum, & Olivarum venienti Domino obviam exierunt*. Sane docet Belethus, ubi Palmæ non habebantur, deportari consuevisse *laurum, vel buxum, quod suo virore virtutes connotent; vel flores etiam, qui simili ratione virtutes significant*. Docent præterea ambo isti Auctores, triplici privilegio Dominicam ipsam decantari: *Primo, quia illa die Filii Israel intraverunt Terram Promissionis, & Jordanem sicco vestigio transierunt. Secundo, quia hac die veniens Dominus de Bethania cum honore maximo in Hierusalem susceptus est. Tertio, quia eadem die Dominus a Templo ementes, & vendentes ejecit*.

III. Porro celebris est ipsa Dominica ob Benedictionem Palmarum, earumque distributionem, ac solemnem Processionem. Verum cum de solius Processionis ritu in hoc præsenti Ritualis Romani Capite agatur, operæ pretium duxi ritui ipsi duos priores, Benedictionis scilicet, ac distributionis Palmarum ritus præmittere, atque explicare. Ergo quod Benedictionem spectat, testatur Martene citato superius loco, num. II. Benedictionis Palmarum nullam apparere mentionem apud Auctores ante Sæculum octavum, aut nonum. Et sane nullum apparet illius vestigium in pervetustis Missalibus Francorum, & Gothorum, a Cardinale Thomasio vulgatis; nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex ms. Bobiensi Codice a Mabillonio eruta, & edita Tomo I. Musei Italici; nullum in Ordine Gelasiano; nullum in S. Gregorii Sacramentorum Libro, Menardi Notis illustrato, aliisque nonnullis ante annos nongentos exaratis; nullum denique in Egberti Eboracensis Archiepiscopi Pontificali annorum circiter mille; sed neque apud S. Isidorum, licet nonnihil de ipsa Dominica scripserit, uti paulo superius notavi. Subdit mox etiam Martene, nullum Amalario Auctorem se vidisse antiquiorem, qui istius Benedictionis mentionem fecerit. Ipse enim Lib. I. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. X. quod est de Palmarum die, sic inter alia habet: *In memoriam illius rei nos per Ecclesias nostras solemus portare ramos, & clamare, Osanna*; quos quidem ramos haud idem Auctor dubitat, aliqua fuisse Benedictione consecratos.

IV. Quicquid sit de prima hujus Benedictionis origine, complures Orationes, seu Collectas ad Palmas benedicendas continet antiquus Ordo Romanus apud Hitorpium. Quatuor exhibent nonnulli Missales Libri, plures solum duas, non pauci unam dumtaxat recensent. Unicam quidem habent Sacramentarium Bibliothecæ Colbertinæ annorum circiter CM. quod fuit olim celeberrimi prope Parisios Monasterii S. Dionysii, Rituale antiquum Svessionensis Ecclesiæ, uti & Remense S. Remigii annorum circiter D. Missale Ambrosianum, Catalaunense, Melodunense, Lugdunense Monasterii Athanacensis, & pervetustum Fratrum Prædicatorum, itemque Ordinarium Cenomanense, & Parisiense Canonicorum Regularium Crucesignatorum. Duas habent Missale Bituricense, Ebroicense, Augustodunense, Lingonense, Pictaviense, Venetense, Rhedonense S. Melanii, & Ordinarium Laudunense. Duas item profert antiquum Missale ms. Ecclesiæ Turonensis annorum circiter DCC. quas, quia singulares sunt, nec reperiuntur in Ordine, aut Missali Romano, hic apponendos censui ex toties laudato Auctore Martene, num. III.

V. Prima itaque Palmarum Benedictio, seu Oratio ad ipsas benedicendas, juxta memoratum Turonensis Ecclesiæ Missale, hæc est: *Domine Jesu Christe, qui pro mundi salute, sicut promiseras per Legem, & Prophetas, in plenitudine temporum advenisti, venientique in Civitatem Jerusalem ad diem festum turbæ multæ occurrerunt, tibi gaudentes, acceperuntque ramos Palmarum, clamantes*, Osanna Filio David: *te supplices imploramus, ut qui pro nostra redemptione venisti, solvas nos a vinculis peccatorum, morbosque omnes expellas, infirmitatem cures, salutem conferas, vitam amplifices, aerum temperiem præstes, securitatem temporum cum remissione peccatorum nobis omnibus concedas. Hos quoque ramos, & flores Palmarum, cæterarumque frondium, quas populus tuus accepturus est per manus servitutis nostræ, tua bene ✠ dictione sanctifices, ut quicumque ex eis acceperint, in exemplum eorum, qui tibi Jerosolymam properanti cum ramis occurrerunt Olivarum, tua in omnibus repleantur gratia, & virtutum floribus adornentur, victoriarumque mereantur percipere palmam, & salutis consequi medelam; & sicut hujus diei festivitate lætantur, ita eorum habitacula, tua benedictione repleantur, corporaque, & animas ab omni contagione delicti mundas efficias, atque Paschalium eis tribuas charismata gratiarum, ut te auxiliante, cum omni alacritate eadem Paschalia Festa suscipere mereantur. Per te Jesu Christe Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum*.

VI. Sequitur mox alia Oratio, estque hujusmodi: *Christe Jesu, Fili Dei vivi, mundi Creator, Redemptor, & Liberator noster, qui ob nostræ liberationis, & salvationis gratiam, ex summa Cæli arce descendere, & carnem sumere, ac passionem subire dignatus es; qui sponte propria loco ejusdem propinquans Passionis a turbis cum ramis Palmarum obviantibus benedici, ac laudari voluisti, clamantium & dicentium*, Osanna in excelsis. *Ergo Rex laudabilis, inenarrabilis clementiæ, æternæque gloriæ, benedictus qui venisti in Nomine Domini; nunc nostræ laudationis exaudi præconia, & confessionem nostram ad Patrem tuum Omnipotentem elevare digneris, & hos Palmarum, atque Olivarum, diversarumque arborum ramos bene ✠ dicere, & sanctificare digneris, ut quicumque in tua servitutis obsequio exinde aliquid tulerit, tua cælesti benedictione sanctificatus sit, & peccatorum remissionem, & vitæ æternæ percipere mereatur beatitudinem. Per te Christe Jesu Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum*.

*rum. Amen*. Atque hæc est altera Oratio, quæ ad benedicendas Palmas in prædicto Missali Ecclesiæ Turonensis legitur, ex qua, sicut & ex prima addiscimus, non modo Palmarum, & Olivarum, verum etiam & aliarum arborum ramos fuisse in prædicta Dominica benedictos; id quod etiam permittit recentior Romani Missalis Rubrica Parte IV. Tit. VII. num. VII.

VII. Sed audiamus verba prædictæ Rubricæ, *Completa Tertia*, inquit, *& facta aspersione Aquæ more solito, Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum Ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum ramos Palmarum, Olivarum, sive aliarum arborum, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positos, & primo cantatur a Choro Antiphona*. Faciendam qualibet Dominica ante Missarum Solemnia aspersionem Aquæ benedictæ ad populum, antiquissimus est plane ritus, de qua jam alias diximus. Quod ait, procedere Sacerdotem *cum Ministris similiter indutis*, intelligendum est, quantum ad colorem violaceum; procedere enim ipsi debent induti Amictu, Alba, Cingulo cum Planetis plicatis, & Manipulis, ac præterea cum Stola Diaconus, quia cantaturi sunt Epistolam, & Evangelium, ut notat Gavantus ad ipsam Rubricam, ubi etiam observat, quod ait Rubrica, *ponendos ramos in medio ante Altare*, mandatum quidem fuisse ab antiquo Romano Ordine, sed commodius esse, ut ipsi rami *ad cornu Epistolæ ponantur*. Atque hic illud omnino cavendum, ne unquam ponantur super Altare, sed ante illud, vel ad cornu Epistolæ super aliqua mensula. Cæterum quod alicubi ponerentur *flores cum Palmis super Altare pro Clericis, pro aliis vero super gradum Altaris in parte Australi*, docet nos antiquum Missale insignis Ecclesiæ Sarisberiensis, ex cujus etiam præscripto Sacerdos Benedictionem ipsam acturus, *Cappa serica rubra* debebat esse indutus.

VIII. Antiphona canenda a Choro ex præscripto prædictæ Rubricæ, desumpta est ex Evangelio Matthæi, Cap. XXI. *Hosanna Filio David, benedictus, qui venit &c.* legiturque in variis antiquis Missalibus, ac Ritualibus Libris. Cantata Antiphona, ex Rubrica VIII. Missalis Romani loco citato, *Sacerdos stans in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, dicit in tono Orationis Missæ Ferialis, Dominus vobiscum*, deinde vero Orationem, *Deus, quem diligere, & amare, justitia est &c.* cujus quidem Orationis inter alios mentionem facit ms. Codex S. Victoris annorum circiter DC. apud Martene citato Capite xx. Ordine II. Cantata a Sacerdote Oratione, ex Rubrica Missalis num. 9. *Subdiaconus in loco solito cantat sequentem Lectionem in tono Epistolæ.* Desumpta est Lectio ex Capite XV. Libri Exodi, incipitque, *In diebus illis: Venerunt Filii Israel in Elim &c.* extatque in antiquo ms. Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ, & in aliis Missalibus, Ritualibusque, licet ex aliorum præscripto, ac nominatim ex laudato S. Victoris Codice legeretur Lectio Zachariæ Prophetæ, *Hæc dicit Dominus Deus: Lauda, & lætare filia Sion &c.* usque, *Et erit Dominus Rex super omnem terram*. Graduale, seu Responsorium canendum post Lectionem, *Collegerunt Pontifices &c.* præscriptum in Missali Romano, legitur in prædicto S. Victoris Codice, sed in Pontificali Bisuntinæ Ecclesiæ aliud extat Responsorium, quod incipit, *Circumdederunt me viri mendaces &c.* Sed longum esset id genus variationes notare. Illud plane constat, legi consuevisse in quibusdam Ecclesiis unam ex veteri Testamento Lectionem ante Ramorum Benedictionem; ita enim liquet non modo ex memorato Codice S. Victoris, & Pontificali Bisuntino, verum etiam ex Pontificali Apamiensi in Syria, & Arelatensi, & ex Ordinario Cenomanensi, ex cujus præscripto debebat legi *in Cappa nigra*, ut tradit Martene citato Capite xx. num. v. in fine.

IX. Præter Veteris Testamenti Lectionem, ex præscripto Romani Missalis, num. 10. cantat Diaconus Evangelium, de Christi in Civitatem Jerosolymam ingressu; estque hic pervetustus Ecclesiæ ritus, ut nempe ista Evangelii Lectio Benedictioni Ramorum præmitteretur. Ita plane videre est in multis insigniorum Ecclesiarum Ordinariis, ut in Remensi, Turonensi, Arelatensi, Rotomagensi, Bajocensi, Cabilonensi, Laudunensi, Cenomanensi, Namnetensi, Silvanectensi, Lemovicensi, Uticensi, Carnotensi S. Joannis; itemque in variis Missalibus, ut in Parisiensi, Tolosano, Toloniensi, & in Rituali S. Martini Turonensi; atque in Pontificalibus Bisuntino, Apamiensi, aliisque nonnullis antiquis Codicibus, ex quibus tamen aliqui Concionem etiam, sive Sermonem ad Stationem in Processione faciendum præscribunt. Hunc Sermonem utplurimum habere ad populum solebant Episcopi, qui verbi Divini prædicationem inter præcipua Officii sui munia recensentes, onus istud in alienos humeros rejicere non cogitabant. Utriusque, Concionis scilicet, & Evangelii Lectionis, quam etiam Græce pronunciari jubet, meminit Ordinarium Lucæ Consentini in nostra Calabria Episcopi, sic inquiens: *Mediante Processione legit Evangelium Græce Diaconus ascendens pulpitum, & versus ad Orientem; quo dicto fit Sermo ad populum*. Claruit Lucas Sæculo XII. de eoque non sine elogio loquitur Ughellus in sua celebri Italia Sacra, in Archiepiscopis Consentinis.

X. Redeo ad Rubricas Missalis, ex quarum præscipto Sacerdos ramos Palmarum benedicturus, finito Evangelio ex Capite XXI. Matthæi, *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliveti &c.* stans in eodem cornu Epistolæ dicit Orationem, *Auge fidem in te sperantium Deus &c.* Præfationem, *Qui gloriaris in consilio Sanctorum &c.* & alias quinque Orationes, quorum prima incipit, *Petimus Domine &c.* secunda, *Deus qui dispersa congregas &c.* tertia, *Deus, qui miro dispositionis ordine &c.* qnarta, *Deus qui per Olivæ ramum &c.* quinta, *Benedic quæsumus, Domine, &c.* Quamquam non ubique istæ quinque Orationes recitarentur in Benedictione Palmarum, sed in aliquibus Ecclesiis quatuor, in quibusdam tres, in nonnullis duæ, & in non paucis unica tantum Oratio diceretur, uti observat Martene in Libro *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite xx. num. III. &, *De antiquis Monachorum ritibus*, Lib. III. Cap. x. num. 10. complures nihilominus exhibet antiquus Ordo Romanus apud Hitorpium. Cæterum quod unica Oratione, quæ incipit, *Omnipotens sempiterne Redemptor*, Palmarum Benedictionem absolverent Divionenses S. Benigni, Corbojenses S. Petri, Parisienses Sancti Germani, & Carthusienses Monachi; unicamque etiam Orationem inchoantem, *Deus, cujus filius*

*filius pro salute*, adhiberent Casalini, testatur idem Martene citato loco, *De antiquis Monachorum ritibus*. Quamobrem antiquum sequutus est plane ritum Ordo Prædicatorum, qui hodieque unica tantum in ipsa Benedictione Palmarum Oratione utuntur, uti videre est in eorum Processionario.

XI. Una cum Oratione dici consuevisse in Palmarum Benedictione Præfationem, & quidem prolixam, constat ex ms. Narbonensi Pontificali ex quo illam descripsit Martene in citato Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite xx. num. iv. ubi etiam hanc ex eodem Pontificali Orationem subjicit: *Deus, cujus Filius pro salute generis humani de Cælo descendit ad terras, & appropinquante hora Passionis suæ, Jerosolymam venire, & a turbis Rex appellari, ac laudari voluit, bene ✠ dicere dignare hos Palmarum, cæterarumque frondium ramos, & omnes, qui eos laturi sunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus, & in hoc sæculo hostis antiqui tentamenta superare, & in futuro cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eundem.* Atque hæc est unica Oratio, quam in ipsa Palmarum Benedictione adhibebat Ecclesia Pictaviensis, ut constat ex pervetusto ejus Pontificali annorum circiter CM. & inter alios Monachi Casalini; quamque una cum aliis Orationibus, & Exorcismo, qui *frondium* dicitur, & Præfatione, legere est in ms. S. Victoris Codice annorum circiter DC. cujus non uno in loco jam nos supra meminimus.

XII. Dictis Orationibus, ex Romani Missalis Rubrica, citata Parte iv. Tit. vii. num. 13. *Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit ramos Aqua benedicta, dicendo Antiphonam*, Asperges me, *sine cantu, & sine Psalmo & ter adolet incenso*. Accepto nimirum aspersorio de manu Diaconi cum solitis osculis, & reverentiis, aspergit Sacerdos *ter ramos*, idest in medio, a dextris ramorum, & a sinistris, submissa voce dicens dumtaxat verba illa, *Asperges me*; eodemque modo, quo ramos aspersit, eosdem *ter adolet incenso*. Utriusque ritus, aspersionis scilicet, & incensationis faciendæ a Sacerdote ad ramos Palmarum in earum Benedictione, meminit quidem antiquus Ordo Romanus apud Hitorpium, itemque varii mss. Rituales, Pontificalesque Codices, in quorum tamen nonnullis solius aspersionis fit mentio, non autem incensationis; cujusmodi sunt Narbonensis Codex Pontificalis, Codex Sancti Victoris, & alii non pauci. Verum præter memoratum Romanum antiquum Ordinem, aspersionis æque, ac thurificationis Palmarum mentionem facit inter alia antiquum Missale insignis Ecclesiæ Sarisberiensis apud Martene citato loco, Capite xx. Ordine vii. mandans, ut post Orationem, *Deus qui dispersa congregas &c.* quæ, ut supra notavi, legitur in Romano Missali, *hic aspergantur flores, & frondes Aqua benedicta, & thurificentur*. Porro quod in ipsa Benedictione Palmarum adhiberentur etiam aliarum arborum flores, & frondes, ex variis antiquis Ritualibus constat, ac præsertim ex ms. Pontificali Ecclesiæ Pictaviensis annorum circiter CM. ubi sic inquit: *Dominica indulgentiæ, quæ est dies Palmarum, ante horam tertiam ingrediuntur in Sacrarium, & induunt se vestimentis Sacris, & pergunt ad Ecclesiam cum silentio, ubi pro consuetudine loci, rami Palmarum, Olivarum, salicum, & diversarum frondium, sive etiam flores multiplicium colorum præparati sunt, & benedicuntur iidem rami.*

XIII. Facta Palmarum aspersione, & incensatione, dicit mox Sacerdos juxta Romani Missalis Rubricam Orationem, *Deus, qui Filium tuum Jesum Christum &c.* quam etiam nonnulli Codices antiqui exhibent, eaque completa, fit ipsarum Palmarum distributio, & quidem a Sacerdote, licet olim, alicubi saltem, remanentibus in sua Sede Clericis in Choro deferrentur a Sacrista, aut ab alio. Ita plane præscribit Missale Albiensis Ecclesiæ, eumque usum communem fuisse omnium Cathedralium Ecclesiarum, tradit Martene citato Cap. xx. num. vi. Sed tamen, ut inquit Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria, *Pontifex Romanus sursum in Palatio suo dat Palmas Cardinalibus indutis quidem, sicut debent esse in Missa cum eo, & Clero, & Populo*. Palmas etiam ab Episcopo ipso distributas, & acceptas fuisse, docet Vita S. Claræ Virginis, Cap. iv. apud Surium in ejus Vita, die xii. Mensis Augusti. Cæterum consuevisse Romæ Papam Palmas Cardinalibus, cæterisque distribuere post ipsarum Benedictionem, addiscere licet ex Ordinibus Romanis xiv. Auctore Gaetano, Cap. lxxxii. & xv. Auctore Amelio, Cap. liv. & lv.

XIV. Quod Monachos spectat, eodem teste Martene, Lib. iii. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. x. num. ii. Palmæ Fratribus distribuebantur, & quidem *a Priore* ex Germaniæ Consuetudinibus, vel *a Secretariis* ex Statutis Lanfranci, sive, ut habent Benignianæ Consuetudines, & Liber Usuum Beccensium, *ab Ecclesiæ Custodibus*. Tullense Ordinarium duobus Fratribus hoc munus committit, *quorum unus in dextro a superioribus incipiens, & alius in sinistro Choro Fratribus Palmas & ramos benedictos distribuunt*. Hi ex Monasterii Floriacensis Consuetudinibus erant *Thesaurarius*, & *Capicerius*, Dionisianæ Consuetudines, *Capitiarium* nominant. Capicerius, & Capitiarius idem significant, eratque Dignitas, & Officium in Ecclesiis, & Monasteriis, uti videre est apud Dufresne in mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Capitiarius*. Porro antiquis ritibus Monachorum Ordo Prædicatorum inhæsit, ut enim ex ejusdem Processionario addiscimus, finita Benedictione Palmarum, Cantor ramum Priori offerens, incipit Antiphonam, *Pueri Hebræorum &c.* Sacrista vero primo ramos Ministris distribuit, deinde Fratribus, incipiens in dextro Choro a superioribus, & alter Frater, cui ipse innuerit, in sinistro, postmodum Fratribus Conversis.

XV. Illud vero sanctissime cautum est ex variis Conciliis, ne Palmæ ipsæ, sicut nec candelæ Festo Purificationis Virginis benedictæ, domum ulli mittantur, eumque abusum mittendi illas per domos eliminare inter alios conatus est S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi iii. Capite, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, inscripto, ubi ita inquit: *Utque præterea introducto ei usui occurratur, quo multis locis in hac Provincia fit, ut illæ, vel candelæ, vel Palmæ, Olivæque sacro eo ritu benedictæ, non in Ecclesia a quibusdam sumantur, sed ad eos domum deferantur; &, quod gravius est, a laicis quibusdam quasi tributum quoddam sibi a Parochis, vel ab aliis quibusvis debitum illæ exigantur, decernimus, ut, salvo*

 *siquod*

*siquod Patronus aliquis Beneficii habet illas exigendi jure, iis solum, qui in Ecclesia intererunt, & illis item tantum tradi liceat, qui iis ipsis diebus ad illam Ecclesiam convenire solent, sed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima causa impediti.* Idipsum statuit in suo Provinciali Beneventano Concilio Jacobus S. R. E. Cardinalis Sabellus, ejusque Constitutionem innovavit Concilium Provinciale Beneventanum XIII. anni MDCLVI. Tit. XLVIII. num. 3. ubi ita etiam mox subdit: *Qui secus fecerit, si Clericus sit, remaneat suspensus per annum; si vero laicus, & cujusvis Ecclesiæ Magister, Procurator, seu Administrator, aut quocumque alio nomine nuncupetur, excommunicatus remaneat arbitrio Episcopi, ut abusus hic, tam in nostra Civitate, & Diœcesi, quam in tota Provincia penitus tollatur, ne quæ pietatis, & honoris Dei causa ab Ecclesia instituta sunt, ad quæstum, & tributum convertantur; laudabili tantum consuetudine retenta, eas deferendi propriis Episcopis in signum subjectionis, & reverentiæ, quorum etiam arbitrio relinquatur eas utilibus locorum Dominis deferendi facultatem concedere.*

XVI. Quamquam vero similes Constitutiones in variis aliis diversarum Diœcesum, Provinciarumque Synodis legantur, viget nihilominus multis hic in locis abusus, ut Palmæ, ac præsertim candelæ benedictæ per domos sub variis prætextibus deferantur, vel quia Domini locorum sunt, vel Ecclesiæ Benefactores, vel Deputati. Ex iis enim nonnulli, ubi eo Deputatorum titulo donati sunt, putant se in Feudum accepisse Ecclesiam, & jam evasisse sacrorum Ministrorum Dominos, atque absolutos reddituum loci pii, quem administrant, dispositores. Fateor equidem, complures inveniri, qui provinciam sibi commissam fideliter, diligenterque administrant, sed non desunt tamen, qui alicui ministro conniventes, patrocinantesque, occasionem eidem præbent, ut illorum favore, fascinationeve abutens, assiduis furtis locum ipsum pium diripiat, atque ad extremam inopiam redigat. Res nota omnibus est, supervacaneumque est, & a nostro instituto alienum, varios id genus casus hoc loco referre. Quod quidem ad nostram rem pertinet, illud est, ut post Benedictionem, distributionemque Palmarum, de Processione agamus, quæ ex pervetusto Ecclesiæ ritu die Dominica Palmarum dicta, Pascha Resurrectionis Domini proxime antecedente peragitur, quamque nos ordinem Paragraphorum hujus præsentis Capitis sequentes, in eorum Commentariis enarrandam opportunius censuimus.

## §. I.

In Dominica Palmarum, facta Benedictione, & distributione Palmarum, seu Olivarum, post ultimam Orationem, *Omnipotens sempiterne Deus &c.* fit Processio, ac primum Celebrans imponit incensum in thuribulum, & Diaconus vertens se ad populum, dicit: *Procedamus in pace.* Et Chorus respondet: *In Nomine Christi, Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Duplicem in quibusdam Ecclesiis celebrari olim consuevisse hac die Processionem, Palmarum nempe, ac Dominicalem solitam, quæ scilicet quibusvis per annum Dominicis peragebatur, docet Rupertus Abbas Tuitiensis, Lib. V. *De Divinis Officiis*, Cap. VIII. *Diligentibus*, inquit, *Evangelicæ auctoritatis inspectoribus recte complacuit, ut cum hodierna Processione Palmarum, qua procul dubio Redemptoris nostri recolimus Passionem, non computent illam, quæ Dominicalis est, qua singulis Dominicis gloriosam ejusdem commemoramus Resurrectionem*, Et paulo inferius: *Rectius faciunt hi, a quibus accipimus ante Tertiam memoriam Dominicæ Resurrectionis, quæ per totum annum occurrit de more, peragentes sicut in cæteris Dominicis, & post Tertiam cum Processione Palmarum, Dominicæ Passionis efferentes sacramentum.* Sane ad Processiones Dominicales eruditus Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XVIII. locum refert Sancti Ambrosii ex Sermone LX. ubi loquens de tempore Paschali, sic inter alia inquit: *Ita ut hoc omni tempore, neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succedamus; sed sicut Dominica solemus facere, erecti, & feriati Resurrectionem Domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est, atque solemnis, quia in ea Salvator, velut Sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit; ac propterea ipsa dies ab hominibus sæculi dies Solis vocatur, quod ortus eam Sol justitiæ Christus illuminet. Erecti*, inquit, quia die Dominica in Ecclesia genua flectere ad preces publicas non licet, sed stando oportet Fidem Resurrectionis profiteri, uti alias diximus.

II. Ut igitur dies Dominica a Paschali Solemnitate propagata est, atque instituta ad renovandam per singulas hebdomadas memoriam Resurrectionis Domini, ita Processio, quæ ex antiquo ritu, ac Ritualium complurium præscripto, in Dominica peragi solebat, pertinet ad idem mysterium, quod in Processione matutina Paschali celebrari olim passim in Ecclesiis consuevit, teste laudato Eveillon, citato Libro, Capite XIV. & seqq. ut scilicet Jesum quæramus cum mulieribus, eumque cum Apostolis sequamur præcedentem in Galilæam, idest, in mutationem vitæ, atque, ut eum cognitum adoremus, velut auctorem salutis nostræ, uti recte, pieque observat memoratus Rupertus loco citato: *Singulis Dominicis*, ait, *a prima Sabbati, quo Dominus resurrexit, dedicatis, hoc nobis Processionis ordine significamus, quod in Galilæam, idest, in transmigrationem, ad videndum Dominum cum Apostolis ejus exire debeamus; scilicet, ut non simus vetusti homines, quod fuimus, sed in novitate vitæ ambulemus.*

III. Ad hujus certe mysterii rationem ea pertinet consuetudo, quæ in Ecclesiis quibusdam inveteravit, ut Sacerdos celebrans, qui personam Domini in Officio gerit, reliquum Clerum in

in Processione antecedat, quasi Christum in Galilæam Apostolis præcurrens, juxta id quod ipse Apostolis ante mortem promiserat, Matthæi Capite xxvi. & Marci xiv. & post mortem mulierilibus denuntiaverat, Matthæi xxviii. & Angelus eisdem prædixerat, Matthæi Capite citato, & Marci xvi. Hunc enim ritum ita interpretantur idem Rupertus, Lib. vii. Cap. xxiv. & Durandus, Lib. vi. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. lxxxviii. Atque hanc Resurrectionis commemorationem ita ad Dominicarum Officium pertinere superius docuit Rupertus, ut, quia Processio Palmarum spectat ad recolendam Redemptoris nostri Passionem, ne singulis mysteriis sua veneratio non reddatur, dicat, quasdam Ecclesias in more habere, ut in Dominica Palmarum duplicem Processionem obeant, alteram ante Tertiam, in memoriam Resurrectionis, alteram post Tertiam cum Palmis ad recolendum Dominicæ Passionis sacramentum. Atque hæc est causa, cur idem in Processione Dominicali ritus servetur, qui in Paschali, ut observavit laudatus Rupertus, Lib. vii. Cap. xix. Nam & inchoatur ab aspersione Aquæ benedictæ, & procedit ordine simili, & terminatur Statione ante Crucifixum.

IV. Duplicem Processionem die ipsa Dominica Palmarum præscribit inter alia ms. antiquum Rituale Monasterii S. Remigii Remensis, duplicemque faciebant Monachi omnes, teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. xx. num. vii. ubi etiam subdit, in insignioribus Clericorum Ecclesiis unicam Palmarum assignatam reperiri. Atque hæc quidem Processio, quia Christi triumphalem in Jerusalem ingressum repræsentat, generalis, ut ajunt, esse solebat, convenientibus ad matricem Ecclesiam omnium Clericorum Collegiis, Parochialium Ecclesiarum Presbyteris, Monachorum Congregationibus variis, quæ plerumque etiam cum Clero unicum efficiebant Chorum, cujus iste dextram, illæ sinistram partem occupabant, atque alternis modulis debitas Christo Salvatori laudes persolvebant, ut notat idem Martene num. viii. Sed puto equidem, obtinuisse hunc ritum in aliquibus fortasse Ecclesiis; nam alias unaquæque Ecclesia Collegiata, sive Sæcularis, sive Regularis, ut variis etiam antiquis Ritualibus probari posset, suam consuevit antiquitus, uti hodie solet, ipsa Dominica die Palmarum solemnem peragere Processionem, de qua scitu plane digna sunt, quæ in sequentibus Commentariis ad illustrandos antiquos, recentesque ritus late dicemus. Jam non puto hic immorandum ad explicanda ea verba nostri §. ubi edicit, ut antequam moveatur Processio, Diaconus vertens se ad populum dicat, *Procedamus in pace*; & Chorus respondeat, *In Nomine Christi, Amen*, antiqua enim formula est in Processionibus passim usitata, licet ex reformati Missalis Romani Rubricis, ad duas tantummodo Processiones fuerit restricta, ad hanc scilicet Palmarum Processionem, & ad illam, quæ fit die festo Purificationis Deiparæ Virginis, ut Capite præcedenti dixi in Commentario ad §. I. in quo plura invenies, quæ ad hanc Palmarum Processionem faciunt.

## §. II.

Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis. Sequitur Clerus per ordinem. Ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus; & cantantur sequentes Antiphonæ, vel omnes, vel aliquæ, quousque durat Processio.

Antiphona.

*Cum appropinquaret Dominus Jerosolymam, misit duos ex Discipulis suis, dicens: Ite in Castellum, quod contra vos est, & invenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum sedit; solvite, & adducite mihi. Siquis vos interrogaverit, dicite; Opus Domino est. Solventes adduxerunt ad Jesum, & imposuerunt illi vestimenta sua in via, alii ramos de arboribus sternebant, & qui sequebantur, clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum Regnum Patris nostri David. Hosanna in excelsis. Miserere nobis Filii David.*

Alia Antiphona.

*Cum audisset populus, quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & exierunt ei obviam, & clamabant pueri dicentes: Hic est, qui venturus est in salutem populi, hic est salus nostra, & redemptio Israel. Quantus est iste, cui Throni, & Dominationes occurrunt? Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ, sicut scriptum est. Salve Rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.*

Alia Antiphona.

*Ante sex dies solemnis Paschæ, quando venit Dominus in Civitatem Jerusalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos Palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis; benedictus, qui venisti in multitudine misericordiæ tuæ: Hosanna in excelsis.*

Alia Antiphona.

*Occurrerunt turbæ cum floribus, & Palmis Redemptori obviam, & victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei ore Gentes prædicant, & in laudem Christi voces tonant per nubila: Hosanna in excelsis.*

Alia Antiphona.

*Cum Angelis, & pueris Fideles inveniantur triumphatori mortis clamantes: Hosanna in excelsis.*

Alia Antiphona.

*Turba multa, quæ convenerat ad diem festum, clamat Domino: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.*

# COMMENTARIUS.

I. Totidem plane verbis, quæ statuit hic noster §. leguntur & in Rubrica Missalis, Parte IV. Tit. VIII. num. 15. *Præcedit*, inquit, *thuriferarius cum thuribulo fumigante*; ut quasi sternat viam Crucifixo sequenti cum odore incensi, vel quasi Christus trahat post se sequentes in odorem unguentorum suorum, ut exponit ibidem Gavantus. Una cum Thuriferariis præcessisse in hac Processione Clericum, qui Aquam benedictam deferret, docent mss. Pontificales, aliique non pauci Rituales antiqui Codices, quibus inhæret Processionarium juxta ritum sacri Ordinis Prædicatorum, ubi agens de Processione Dominicæ in Ramis Palmarum, diserte mandat, ut *primo procedat Frater aliquis Clericus in Superpelliceo, vel aliquis Conversus, si pauci sunt Fratres, cum Aqua benedicta eam aspergendo*. Quod quidem rite recteque factum puto in cunctis Processionibus ex Constitutione antiqui Concilii Namnetensis, Can. V. ut nimirum Aquæ benedictæ aspersione purificetur obvius quisque, & simul loca, per quæ transitur, ad effugandam omnem potestatem inimici. Quemadmodum enim in Templo ad ostium collocatur labrum Aquæ benedictæ, ut qui ad Sacra veniunt, in ipso aditu sanctificentur; ita in fronte, & quasi vestibulo Processionum præfertur aquamanile sacrum, ut qui se per viam supplicantibus volunt adjungere, ejus Aquæ lustratione prius expientur, ut notat eruditus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. III.

II. Sed audiamus ordinem Processionis fieri olim solitæ die Dominico Palmarum, quem ita describit antiquum Rituale Svessionense tempore Nivelonis Episcopi scriptum, ac relatum a Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XX. num. XII. *Ante Tertiam pulsatur novies major Campana. Aqua benedicta fit in Sacrario. Interea veniant Congregationes; paratisque omnibus, ante Altare cantent duo Subdiaconi, qui in tabula debent præscribi, istum versum.*

Magno salutis gaudio  
Lætetur omne sæculum;  
Christus Redemptor omnium  
Sanavit orbem languidum.

*Chorus iterum*, Magno. *Et tunc exit Processio sic. Primum Clericulus cum Aqua benedicta. Deinde Cruces Congregationum. Post illas duo Clericuli nostri cum Crucibus. Deinde Subdiaconus cum magna Cruce. Post Crucem Subdiaconi Congregationum ferentes Evangelium, inter quos medius incedat noster Subdiaconus cum Evangelio, deinde Sacerdos hebdomadarius in Alba, & Cappa de Pallio, reliqui ordine suo incedant*. Longe solemnior est ordo Processionis in Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ præscriptus, ubi facta Palmarum distributione, sic ait: *Incipiat exire Processio. Primum Aqua benedicta, dehinc Vexilla, tunc candelabra, sicque thuribula, dehinc Cruces, tunc Subdiaconi cum Evangeliorum Libris, tunc Feretrum cum Reliquiis, sicque duo Acolythi cum candelabris, duo cum thuribulis aureis; inter hos medius Diaconus indutus Dalmatica portans Brachia Domni Stephani; post hos exeat Schola cum timore Dei; sicque seniores incipientes, a minoribusque ad majores, incedentes bini, & bini. Dominus autem Pontifex veniat ultimus omnium, quem præcedat Crux sine solito apposito vexillo; post hunc turba populorum. Cantores autem non incedunt in ordine cum aliis, sed tenentes virgas in manibus muniant Processionem ex utraque parte, incedentes nunc ante, nunc retro, comprimentes tumultum, moventes Clerum, & cum Dei timore cuncta fiant honeste.*

III. Spectant hæc quidem ad generalem Processionem, Majoris, seu Matricis Ecclesiæ, ad quam solebant olim, alicubi saltem, uti jam dixi in Commentario ad §. I. convenire omnium quidem Clericorum Collegia, Parochialium Ecclesiarum Presbyteri, variæque Monachorum Congregationes; utplurimum enim unaquæque Ecclesia suam hac die solemnem agebat, ut hodieque fit, Processionem, sive illa Sæcularium Clericorum, sive Religiosorum esset, ut ex eorum Ordinariis, ac Ritualibus liquet. Porro præter thuribula, & Aquam benedictam, de quibus jam supra diximus, variæ Cruces gestari olim in ista Processione consueverunt, uti non modo recitati superius Codices Rituales, verum etiam alii permulti nos docent. Præ cæteris una quidem solemniori cum cæremonia solita fuit deferri; & quæ plerisque in locis per totam Quadragesimam, ut notat Martene citato Capite, num. IX. in Sacris Processionibus non deferebatur, in ista Processione Palmarum revelata, & discooperta apparebat, & aliquo modo triumphabat, uti videre est in variis priscis Ordinariis, sed præsertim in Rotomagensi, Viennensi in Gallia, Uticensi, Carnotensi S. Joannis, Gastonensi; itemque in Missalibus, Toloniensi, Sarisberiensi, Fratrum Prædicatorum, ac aliis plerisque. Atque hunc fuisse ritum in nostra Citeriori Calabria observatum, ut Crux scilicet in ista Processione discooperta gestaretur, & quidem Sæculo Christi XII. constat ex Ordinario ms. Lucæ Episcopi Consetini.

IV. Ut vero magis magisque gloria Crucis demonstraretur, jam non solum in Processione, sed per totum diem, aut magnam illus partem denudata manebat; id quod Carnotense Ordinarium S. Joannis ad Altaria, & Capsas extendit: *Videndum est*, inquit, *ut cum regressa fuerit Processio, sint Altaria discooperta, & Capsæ, & sic permaneant tota die, & tota nocte cum Textibus, & Crucibus*. Textus sunt Codices Sancti Evangelii, eoque nomine appellitantur in variis Missalibus, Ritualibus, Pontificalibusque. Non improbanda tamen videtur consuetudo Canonicorum Regularium Crucesignatorum, qui post Epistolam Crucem velabant, propter mœrorem haud dubium, & tristitiam Passionis, quæ mox legenda erat, Præmonstratenses Crucem dumtaxat denudabant, cum in Processione, imposita An-

Antiphona, *Ave Rex noster*, omnes tertio flexis genibus ipsam adorabant. Ritum porro antiquum retinet hodieque Ordo Prædicatorum, cujus Processionarium mandat, ut finita Processione, *dum Oratio dicitur*, Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum &c. *Cruciferarius Crucem reponat non super Altare, sed supra gradus Presbyterii ad cornu Evangelii, quæ discooperta usque ad Completorium remaneat*; cum candela scilicet accensa, ut moris est, quem in variis Ecclesiis ejusdem Ordinis servatum vidi. Cæterum, si occurret alia fieri apud ipsos Fratres Processio, jam non illa Crux in Processione Palmarum discooperta delata, & ad cornu Evangelii, uti dictum est, posita, sed alia adhibetur, & quidem velata juxta communem Ecclesiæ ritum.

V. Consuevisse hac die ab Episcopis, ab ipsisque Romanis Pontificibus Sermonem ad populum haberi de Passione Domini, ac nominatim de Cruce, ex variis Sermonibus S. Leonis Papæ I. prædicta die habitis, conjicere licet, aperteque ex variis Ritualibus, atque Ordinariis constat. Fuisse autem præcipuum hujus Processionis scopum, ut in Stationibus, de quibus infra dicemus, adoratio Crucis fieret, iteratis crebris ante ipsam genuflexionibus, quibus etiam nonnulli pium subjungebant osculum, docet antiquus Ordo Romanus apud Hitorpium, sic inquiens: *Ut autem pervenerint cum Psalmis, ubi Statio est Sanctæ Crucis, Clerus, Populusque stent per turmas in ordine sui cum bajolis, & reliquo ornatu, & infantes paraphonistæ in loco competenti subsistentes imponant Antiphonam*: Fulgentibus Palmis prosternimur advenienti Domino, huic omnes occurramus cum Hymnis, & Canticis, glorificantes, & laudantes, Benedictus Dominus. *Respondet Schola ex parte Populi*: Occurrunt turbæ cum floribus, & Palmis Redemptori Domino, & victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei olim Gentes prædicant, & in laude Christi voces tonant per nubila, Osanna. *Tunc Scholastici e regione Crucis lento gradu veniant ante eam, & cum omni reverentia Casulas, & Cappas in terram jactantes, proni adorent Crucifixum, Clero interim cantante Antiphonam*: Pueri Hebræorum &c. *His recedentibus, continuo veniant ex latere pueri laici*, Kyrie eleison, *cantantes, & sequendo Vexillum, quod ante eos portatur, veniant ante Crucem, &, annuente Æedituo, jactent ramos Palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & Clerus interim canat Antiphonam*: Pueri Hebræorum &c.

VI. Similia videre est in variis diversarum Ecclesiarum Ordinariis, ac Ritualibus, quæ vix variant, nisi in modo Crucis adorandæ, & in cantandis Antiphonis, aut Responsoriis, quæ ut plurimum ex Evangelio desumptæ sunt, & leguntur passim in priscis Missalibus, atque Ordinariis, quæ sigillatim non opus est hic recensere, cum ex hactenus scriptis illud satis jam liqueat, Antiphonas in §. nostro præscriptas, in antiquis etiam mss. Codicibus legi. Sane non omittendum censeo, quod de ipsa Crucis adoratione Ordinarium Uticense præscribit: *Stent*, inquit, *in loco consueto, & dicant quatuor Cantores, vel saltem duo, istam Antiphonam*, Ave Rex noster, *cantando communi voce, Choro nihil respondente; & prosternant se in terram; & iterum dicant altiori voce*, Ave Rex noster, *Choro tacente; & iterum prosternant, & dicant*, Pater noster, *sub silentio; quo dicto, deosculentur terram, & surgant; & iterum dicant, altiori voce*, Ave Rex noster, *Choro tacente; & iterum prosternant se sicut prius. Iterum dicant dicti Cantores*, Ave Rex noster, *altissima voce; hic non prosternantur, sed Chorus accipit*, Fili David; *& sic finit dictam Antiphonam*. Brevius Ordinarium Gastinense: *Continuo conveniant ad Crucem adorantes, & osculantes eam unus post alterum ordinate*.

VII. Viguisse & hunc ritum adorandæ Crucis in variis nostræ Italiæ Ecclesiis, & quidem etiam initio Sæculi XVI. licet in modo, ac cæremoniis, atque in canendis Antiphonis variaretur, constat ex Aquileensi Missali anno MDXVII. typis edito, cujus locum describit doctissimus Joannes Franciscus Maria Bernardus de Rubeis in Dissertatione, *De Sacris Forojul. ritibus*, Cap. XX. num. IV. in fine: *Deinde proceditur ad locum, ubi Crux super tapetia munda posita sit, & canit Chorus, & Officians legit*: Cum appropinquaret Dominus. *Cum perventum fuerit ante Crucem, cantetur Antiphona*: Cum audisset populus. *Alia Antiphona*; Cœperunt omnes turbæ. Turba multa. *Tunc Officians cum Ministris, Clero & Populo prosternit se ante Crucem, devote adorans, & Chorus canit interea Antiphonam*: Occurrunt turbæ fulgentibus Palmis. *Quibus finitis, Officians cum Ministris elevat Crucem cantando*, O Crux ave spes unica; *& interim deponatur Crux, Postea iterum elevatur, ut prius, Dehinc tertio elevatur cantando*: Te Summa Deus Trinitas. *Deinde accedant pueri habentes ramos Palmarum in manibus, & cantent*; Pueri Hebræorum; *& jaciunt ramos Palmarum in terram, proni adorantes Crucifixum, & Chorus repetat*: Pueri Hebræorum. *His recedentibus cantando, veniant alii Cappas in manibus tenentes, & cantent*: Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant; *& Cappas in terram jactent, proni adorantes Crucifixum. Et Chorus repetat Antiphonam*: Pueri Hebræorum. *His recedentibus, Officians prosternat se ante Crucifixum pronus adorans, & unus Ministrorum cum Palma, quam manu præfert, prostratum levi ictu tangat, cantans*; Scriptum est enim; Percutiam Pastorem. *Et secundum consuetudinem quorundam prostratio cum tali cantu fit secundo, & tertio*. Finita Antiphona, cantat Officians mediocri voce. *Oremus*. *Oratio*. Deus qui miro dispositionis ordine. *Tandem portetur Crux ab Officiante, & Ministris in Processione versus ingressum Ecclesiæ*. Hactenus Aquileense Missale anno, ut dictum est, MDXVII. typis editum, ex quo varios ritus in adoranda Cruce, & in repræsentando Christi Domini Jerosolymam ingressu licet addiscere.

VIII. Præter Crucem, consuevisse & olim in hac Processione deferri solemniori cum pompa Sacrum Evangelii Codicem tamquam Christi personam exhibentem, luculenter ostendi, tum in Opere, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Lib. III. Cap. II. tum Tomo II. Commentariorum in Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XX. in Commentario ad §. VIII. Viguisse aliquando hunc Romæ ritum, docet Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. IX. *Die Dominica Palmarum*, inquit, *præparatur quoddam portitorium bo-*

bo-

*honestissime, in quo intromittitur Sanctum Evangelium, quod intelligitur Christus, & statuitur in Ecclesia ante Aram, unde Clerus processurus est*. Et paulo post: *Deinde suscipiatur a Diaconis prædictum portitorium cum Evangelio, bajulantes cum ingenti exaltatione jugum Christi suave, & onus ejus leve, præcedente Aqua benedicta cum candelabris, & thymiateriis*. Idem olim factum etiam in aliis Ecclesiis, & Monasteriis, constat ex Libello mss. Consuetudinum Germaniæ Monasteriorum apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. x. *Mane*, ait, *in Palmis Custodes præparent diligenter quoddam portitorium in modum Feretri, in quo reponantur parvæ Capsæ, sive Textum Evangeliorum. Desuper quoque appendantur phylacteria, sive buxæ Reliquiarum. Ferant autem illud latenter ante horam primam ad Ecclesiam, ad locum, quo procedere debent, & Cruces, & candelabra, & thuribulum & Aquam benedictam, & Textum Evangelii, & Albas, flores, Palmas, & omnia, quæ Processioni illi conveniunt*.

IX. Apud Græcos magna etiam cum pompa, & veneratione gestari consuevisse in hac Processione Palmarum Sacrosanctum Evangelii Librum veluti Christi personam, uti superius notatum est, repræsentantem, tradit Codinus, *De Officiis Aulæ Constantinopolitanæ*, Cap. IX. num. 5. ubi ritum ipsum Græcorum ita describit: *Prior in ambulacrum venit Lampadarius lampadem ferens, totumque Festi proprium Canticum decantans*, Egredimini gentes, egredimini populi, contemplamini hodie Regem Cælorum, Christi enim figura Evangelium progreditur; *& deinde Imperator, & Filius ejus Imperatoris, si adsit, Imperatorem, & patrem suum prosequitur. Post quem ascendunt Despotæ, deinde Archidiaconus cum Evangelio, postea Patriarcha, si præsentes sint; post illos quatuor, vel quinque Sacerdotes portantes Sacras Imagines*. Ritum ipsum Ecclesiæ Orientalis pluribus illustrat doctissimus Goar in Notis ad Orationem, qua Palmæ distribuuntur in Dominica ipsa Palmarum, itemque Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. IX. ubi etiam ait, *apud Andigavenses Evangelium super pectus gestari a Diacono, ex quo apud Crucem publice legitur Textus S. Matthæi de Mysterio hodierno*. Ex dictis autem illud velim notandum, tam apud Græcos, quam apud Latinos gestari Evangelium consuevisse solemni cum pompa, ad Christi personam repræsentandam, eique venerationem a Fidelibus exhibendam.

X. Cæterum, ut non solum in figura, sed & in ipsa etiam rei veritate, Christo Domino nostro in hac Processione debitus honor, & cultus impenderetur, in quibusdam locis Evangelii loco deferri consuevit Sacra Eucharistia, isque usus in Normanniæ Monasteriis obtinebat etiam ante Berengarii hæresim. Sed audiamus ordinem ritus, quem Berengarii adversarius Lanfrancus in suis Statutis descripsit: *Cantore*, inquit, *incipiente Antiphonam*, Occurrunt turbæ, *exeant duo Sacerdotes Albis induti, qui portent Feretrum, quod parum ante diem ab eisdem Sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & Corpus Christi debet esse reconditum, ad quod Feretrum præcedant statim qui Vexilla portant, & Cruces, & cætera, quæ superius dicta sunt. Et stantibus iis, qui Feretrum portant, stabunt & ipsi a dextra, & a sinistra, sicut venerunt*. Et infra: *Taliter bis peractis, Abbate, vel Cantore incipiente Antiphonam*, Ave Rex noster, *transeant portitores Feretri per medium Stationis, præcedentibus his, qui Vexilla portant, & cæteris superius dictis portitoribus, servato ab omnibus ordine in redeundo, quem habuerunt in eundo, quibus transeuntibus flectent genua, non simul omnes, sed singuli hinc & inde, sicut Feretrum transibit ante eos*. Similia his habent Liber Usuum Beccensium, & Consuetudines Monasterii Lyrensis ejusdem Provinciæ, in quibus variæ ad sacrum Feretrum genuflexiones præscribuntur, quæ sacrosanctæ Eucharistiæ delatæ in hac Processione venerationem manifeste probant.

XI. His plane illustriora cultus Divinæ Eucharistiæ in prædicta Processione exhibiti argumenta suppeditat ms. Ordinarium insignis Ecclesiæ Rotomagensis apud Martene, citato Cap. XX. Ordine V. *Finitis Matutinis, deferatur Corpus Domini ad locum determinatum in Feretro a duobus Sacerdotibus de secunda sede in Albis, & sunt duodecim famuli circa Feretrum portantes duodecim torchias, quas debet Archiepiscopus, & duo de prima sede ferant duas torchias chori, & associent Corpus Domini usque ad Atrium S. Gildardi*. Tum paucis interjectis, quibus Palmarum Benedictionem, distributionemque recenset, ita ritum, quo ipsa Processio perageretur, ac delatum in ea Christi Corpus coleretur, exponit: *Cum autem ventum fuerit ad locum, ubi Statio debet fieri, fiat Sermo ad populum; quo finito, quinque de secunda sede cantent in Albis hos versus ante Feretrum, ubi Corpus Domini fuerit portatum ad illum locum privatim ante lucem illius diei*. ℣. En Rex venit. *Quo finito, Dominus Archiepiscopus, vel Sacerdos, Cantor Diaconus, & Subdiaconus de statione sua flectendo genua*. Salve quem Jesum, *incensando. Quinque Clerici*: Hic est, qui de Cælis venit. *Dominus Archiepiscopus, Cantor, Diaconus, Subdiaconus, & Chorus*: Salve lux mundi, *incensando, & flectendo genua. Quinque Clerici*: ℣. Hic est ille, qui ut Agnus. *Interim, sicut prius, Dominus Archiepiscopus, Cantor, Diaconus, & Subdiaconus, vertant se ad Feretrum, & incensent Corpus Christi honorifice, Cantore incipiente cum Domino Archiepiscopo, & revestitis, incensando, & ter repetatur. Et Chorus ducat ad finem*, Dignus es Domine. *Alia Antiphona*: Osanna Filio David.

XII. Longe ampliores sunt ritus, qui ex præscripto memorati Ordinarii Rotomagensis in reditu Processionis peragebantur, quosque opportunius in Commentario ad sequentem §. describemus. Ex dictis autem hucusque illud hoc loco notandum, varias olim ad Crucem, sive ad sacrum Feretrum factas fuisse Stationes, atque genuflexiones, quia in eo scilicet reconditum erat Christi Domini Corpus, uti variis Ritualium locis, atque exemplis probari posset, ac testimonio præsertim Matthæi Parisii, qui in Vitis viginti trium Abbatum S. Albani, pag. 61. vasculum eleganter recenset a Simone Abbate elaboratum ad portandum Corpus Domini in Ramis Palmarum ad Processionem. Atque obiter illud animadverti potest, jam longe ante institutionem Festi Corporis Christi ab Urbano Papa IV. post medium Sæculum XIII. factam, Processionem cum Sacra Eucharistia in usu fuisse. Id quod

quod etiam variis exemplis probat doctissimus Lupus Tomo XI. Operum editionis Venetæ, in Dissertatione, *De Sacris Processionibus*. Cap.II. quod inscriptum est, *An antiqua Ecclesia aliquando fecerit Processiones cum sacrosancto Venerabilis Eucharistiæ Sacramento?* Cæterum vero, quod antiquus ritus gestandæ in Palmarum Processione Eucharistiæ, retineatur hactenus in Ecclesia Rotomagensi, & a Monachis Benedictinis Sancti Adoeni, testatur laudatus Martene, citato Capite XX. num. XI.

XIII. Notato hoc obiter, ad Stationem quod attinet, Stationis vox, uti docet Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. V. pag. XXXI. vox ambigua, aliquando pro jejunio voluntario, quandoque pro statu orantium usurpatur. In utroque significatu occurrit passim apud Tertullianum, aliosque priscos Auctores. In præsenti vero sumitur pro concursu populi ad Ecclesiam, sive ad locum indictum, in quo Processio consistebat statis diebus ad statas preces faciendas. De Stationibus fieri solitis in ipsa Palmarum Processione late disserit eruditus Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XII. num. 15. ubi insignem, prolixumque Lanfranci locum describit. Qui extra Monasterium Palmas benedicebant, pervenientes ad locum Stationi destinatum, Benedictionem ibidem peragebant; qua facta, & dictis ibidem nonnullis Antiphonis, aut Responsoriis, ad propriam revertebantur Ecclesiam. Quod pluribus in locis Benedictio ipsa Palmarum, ac distributio fieret etiam extra Urbem, quemadmodum Parisiis ad Sanctam Genovefam, *ad latus Parisiorum*, eamque ob causam extare adhuc Cruces prope Vicos, & Villas, & sæpe etiam lapideas mensas, in quibus appositæ Palmæ benedicebantur, docet inter alios Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Libro II. Capite LIII.

XIV. Sed ut Stationum ritum prosequamur, teste Martene, citato loco, num. 16. factæ in Statione Palmarum Benedictioni, Sermonem ad populum addebant Monachi Floriacenses, Cluniacenses, Divionenses, Corbejensesque, dictis prius nonnullis Antiphonis, aut Responsoriis, genuflectentibusque ad Antiphonam illam, *Ave Rex noster*. Parisienses S. Germani Stationem suam in mss. suis Consuetudinibus sic repræsentant: *Ibimus ad S. Petrum, cantando illa, quæ habebimus cantare. Quando appropinquabimus ad Ecclesiam, Cantor incipiet unum Responsorium de S. Petro, tres Domini cantabunt Versiculum, post reinceptionem Responsorii Domnus Abbas dicat Orationem, post Orationem nos inclinabimus nosmetipsos ad* Pater noster; *quando* Pater noster *erit terminatum, Cantor incipiet istam Antiphonam*: Ave Rex noster, *& capiemus venias flexis genibus; dum cantabitur ista Antiphona, Diaconus præparabit se pro legendo Evangelium, & portabit incensum ad Domnum Abbatem pro benedicendo, & incensabit Altare, & suum Evangelium, & ibit incensatum Domnum Abbatem, & accipiet benedictionem a Domno Abbate. Post Evangelium erit Sermo &c.* Sed ut de aliis Monachis sileam, Cistercienses, qui Processionem in Claustro peragebant, tres in eam Stationes faciebant, unam *juxta dormitorium*, alteram *juxta refectorium*, tertia *juxta Ecclesiam*, quas omnes recenset Liber Usum ipsorum Cisterciensium Monachorum apud eundem eruditum Martene loco superius citato.

XV. Ritum antiquum Stationum agendarum in Palmarum Processione retinet servatque etiam nunc Ordo Prædicatorum, ut ex ejusdem Processionario constat, ex cujus præscripto, dum in Processione prima Antiphona cantatur, quæ incipit, *Cum appropinquaret Dominus*, fit prima Statio in prima parte Claustri. Finita vero ipsa Antiphona, dum hæc alia cantatur, *Collegerunt Pontifices &c.* proceditur ad secundam Stationem, quæ fit in tertia parte Claustri, interimque duo Fratres in medio Processionis cantant versiculum, *Unus autem ex ipsis Caiphas &c.* Cum autem inchoatur post ipsum versiculum resumptio, *Quid facimus*, proceditur ad tertiam Stationem, quæ fit ante introitum Ecclesiæ anteriorem. Finita resumptione prædicta, Cantores genua flectendo incipiunt Antiphonam, *Ave Rex noster Fili*, in cujus inceptione Fratres omnes, præter Cruciferarium, & Ceroferarios, versis vultibus ad Crucem genua flectentes Antiphonam prosequuntur; cum autem dixerint, *Redemptor Mundi*, omnes se erigunt stantes versi ad Crucem usque ad finem Antiphonæ. Porro ex ejusdem Processionarii præscripto, in quacumque Statione Cruciferarius, & Ceroferarii vultus suos, & Imaginem Crucifixi versos habent ad conventum, nisi forte fiat Statio ante exteriorem introitum Ecclesiæ, vel Chori, tunc enim prædicti Ministri vertere debent vultus ad Altare, Imagine tamen Crucifixi versa ad conventum. Prior autem Celebrans stans ultimo cum Diacono, & Subdiacono vultus suos versos habent ad Crucem; cæteri Fratres stant versis vultibus ad se invicem. Deferens Aquam benedictam, deposita Aqua ante Crucem, collocat se ultimo loco in Choro suo, si est Clericus; vel stat aliquantulum retro Crucem si est Conversus.

XVI. Quidquid sit de antiquis ritibus, ac de iis, quibus ex antiquo sui Ordinis instituto hodieque utuntur Fratres Prædicatores, standum nobis est ritui in Romano Rituali expresso, neque enim amplius licet ire cum ipsa Palmarum Processione ad Cruces intra, vel extra Civitatis, aliorumque locorum muros erectas, ibique Evangelium canere, & Benedictionem Palmarum celebrare, easque populo distribuere, ut alicubi in usu fuit Sæculo elapso, meritoque vetitum a Vincentio Maria S. R. E. Cardinale Ursino Archiepiscopo Beneventano, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. in Appendice ad Concilium Provinciale XV. Beneventanum anno MDCXCVIII. celebratum, Cap. IV. num. 2. & 3. ubi permittit quidem ad ipsas Cruces procedere, sed expresse prohibet, ibi cani Evangelium, & Palmarum Benedictionem fieri, quod ea scilicet peragenda sint prius in Ecclesia. Porro non puto, ritum illum improbandum, eundi scilicet in ipsa Processione ad Crucem lapideam, marmoreamve, aut ligneam, quæ multis in locis prope Ecclesias stabiles extant, ad eamque ramos Palmarum alligare. Id enim passim in variis Ecclesiis Patriæ meæ Paulæ, Provinciæque Calabriæ, ac Neapolitani Regni servatum vidi, ac Romæ etiam præsertim in Ecclesia Cœnobii S. Francisci de Paula ad Montes Ordinis Minimorum, quod ad citeriorem meam Calabriam pertinet.

XVII. Ut nihil tandem omittamus, quod in hoc nostro §. statuitur, adnotandum & illud est, quod licet ex ejusdem præscripto Subdiaconus de-

deferat Crucem, & ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris in ipsa Processione incedat, ex variis tamen antiquis Missalibus, atque Ordinariis Subdiaconus a sinistris, & Diaconus a dextris cum Celebrante procedere dicuntur. Atque hunc antiquum ritum, & fere olim communem retinet hodie Ordo Prædicatorum, ut ejusdem Processionarium nos docet, ubi agit de Processione Dominicæ in Ramis Palmarum, sic inter alia inquiens: *Ultimo Prior cum Diacono a dextris ipsius aliquas Reliquias deferente, & Subdiacono a sinistris portante Libellum Processionalem.* Atque hic nota antiqui ritus vestigium, quo Reliquiæ in Processione Palmarum deferebantur, ut pluribus probat Martene, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. xx. pag. 194. 201. & 209. Quod vero, alicubi saltem, in ista Processione munus esset Diaconi Reliquias deferre, probari ex testimonio potest ms. antiqui Pontificalis Ecclesiæ Bisuntinæ superius a nobis recitato, ubi non modo edicitur, ut *Feretrum cum Reliquiis* gestetur, verum etiam, ut procedat *Diaconus indutus Dalmatica portans brachia Domni Stephani*. Domnus hoc loco idem est, ac Sanctus.

## §. III.

In reversione Processionis, duo, vel quatuor Cantores intrant in Ecclesiam, & clauso Ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt ℣. *Gloria, laus*; & decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus, cantant versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur; & qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent, *Gloria, laus*, sicut a principio.

℣. *Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor,*
*Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.* *Gloria, laus.*
*Israel es tu Rex, Davidis & inclyta Proles,*
*Nomine qui in Domini Rex benedicte venis.* *Gloria, laus.*
*Cœtus in excelsis te laudat cælicus omnis,*
*Et mortalis homo, & cuncta creata simul.* *Gloria, laus.*
*Plebs Hebræa tibi cum Palmis obvia venit,*
*Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.* *Gloria, laus.*
*Hi tibi passuro solvebant munia laudis,*
*Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.* *Gloria, laus.*
*Hi placuere tibi, placeat devotio nostra,*
*Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.* *Gloria, laus.*

## COMMENTARIUS.

I. SI veterem morem spectemus, in reditu Processionis ad Portas Civitatis, Oppidive, ut ex antiquis Ordinariis constat, sive ad valvas Ecclesiæ, cantari jam olim solitus fuit celebris ille Hymnus, *Gloria, laus, & honor, &c.* cujus Auctorem faciunt Theodulphum Aurelianensem Episcopum, quem, cum ille, ut ajunt, esset Andegavi vinctus in carcere, conjurationis insimulatus cum Bernardo Rege Italiæ adversus Ludovicum Imperatorem, transeunti cum Processione eidem Ludovico cecinisse supponunt; cujus modulatio suavis iratum ita demulsit Imperatorem, ut vinculis absolutum Theodulphum libertate donarit. Sed hanc fabellam pluribus rejicit argumentis in Notis ad S. Gregorii Papæ Sacramentarium Menardus, itemque Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum Lib. II. Cap. LIII. Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. xx. num. XIII. & alii passim Viri eruditi, qui tamen prædicti Hymni, seu Poematis Auctorem non negant fuisse ipsum Theodulphum.

II. Quamquam vero id etiam inficiatus sit Menardus auctoritate permotus Alcuini, ut putabat, in Opere, *De Divinis Officiis*, ubi prædicta carmina recensentur, cum Alcuinus pluribus annis ante Theodulphi conjurationem vita migrarit; communis est nihilominus Eruditorum sententia, Hymnum ipsum, quem mutilum in hac Processione canunt Ecclesiæ, opus esse memorati Theodulphi Episcopi, quod ipsum veluti fœtum Theodulphi laudarit Servatus Lupus Ferrariensis in Epistola xx. *Nundinas*, inquiens, *in Theodulphi Carmine legi producta penultima*. Carmen indicatur 47. *Fruge, ope, nundinis, pulcris & rebus abundans*. Hinc doctissimi Auctores Sirmondus, Baluzius, Grancolas, aliique nihil hæsitantes Hymnum ipsum Theodulpho adjudicant Sæculo IX. Episcopo Aurelianensi. Cæterum communis & illa est doctorum Scriptorum opinio, Opus illud, *De Divinis Officiis*, Alcuino tributum, longe post ipsum consarcinatum fuisse; unde dubitationis, quæ Menardo insederat, tota ratio cadit, ut scite notat eruditissimus Bernardus de Rubeis in Dissertatione, *De sacris Forojul. ritibus*, Cap. xx. num. 2. in fine.

III. Ex complurium Ordinariorum præscripto, qualia sunt inter alia, Ordinaria Ecclesiæ Turonensis, Rotomagensis, & Argentinæ allata a Martene loco citato, Hymnus ipse, *Gloria, laus &c.* cantabatur a junioribus Clericis, quia scilicet, ut notat Grancolas citato loco, in Hymno legitur, *Cui puerile decus*. Cantari etiam solitus fuit *in loco eminentiori*, ut ait antiquum Missale Ecclesiæ Sarisberiensis; *vel super turrim ad portam Civitatis*, juxta Ordinarium Ecclesiæ Rotomagensis, ut alluderetur ad versum illum Hymni: *Cœtus in excelsis &c.* Quod etiam in Forojuliensi Ecclesia *pueri*, idest juniores Clerici

rici Hymnum ipsum canerent *stantes super porta in introitu Terræ*, docet nos Forojuliense Processionarium a præstantissimo ac laudatissino Bernardo de Rubeis descriptum loco supra memorato, num.3. Parisiis, ut testatur Grancolas, canitur in Cubiculo super unam Oppiduli portam ubi sunt carceres; carceres enim olim erant prope Urbium portas, ibique Judices jus dicebant, juxta illud scilicet quod legitur, Deuteronomii, Cap. XVI. *Judices constitues ... in omnibus portis tuis...ut judicent.* Hoc nomen Portæ ob eam forte causam Turcarum Imperatoris Aula retinuit.

IV. Quo ritu ante annum Christi millesimum Hymnus prædictus, nempe, *Gloria, laus, & honor &c.* cani soleret in Ecclesia Pictaviensi, addiscere licet ex ejusdem Ecclesiæ Pontificali manu exarato, annorum circiter CM. *Item*, inquit, *quando reditur*, Processio scilicet, *& porta loci intratur, canitur a duobus pueris in loco, ubi Altare solemniter statutum fuerit, & vallatum decore cortinarum, & palliorum hic Versus*, nimirum, *Gloria, laus &c.* Prolixior est Hymnus, ac ille in hoc §. nostro descriptus, constat enim decem & octo distichis, uti videre est apud Martene citato Capite XX. Ordine I. ex cujus etiam præscripto, finito Hymno, accipiebant *duo Diaconi desuper Altare Feretrum Reliquiarum, & Evangeliorum, & humeris imponentes, pergebant super stratoria revertentes in Ecclesiam majorem, ubi Missarum Solemnia celebranda erant, cantantibus omnibus Antiphonam*, Cœperunt omnes turbæ, *sive alias &c.* Quod Hymnus ipse decantaretur a pueris *super muros portarum Civitatis*, quæ tunc claudebantur, tradit ms. Ordinarium Ecclesiæ Turonensis.

V. Sed audiamus quid de eo ritu statuerit ms. Ordinarium Argentinæ Ecclesiæ, a quo multa quidem sunt digna observatu: *Incipiant*, inquit, *tres pueri, vel plures*, Gloria, laus, *& cantent quantum Cantor jusserit. Interim Episcopus, vel Sacerdos vice ejus positus, cum Cantore accedant ad Crucem, ita tamen, quod per aliquod spatium distent a Cruce, & prosternant ramos Palmarum, Cantore incipiente Antiphonam*, Pueri Hebræorum tollentes. *Hic Sacerdos prosternat Manipulum versus Crucem cum Antiphona*, Pueri Hebræorum vestimenta, *Cantore incipiente, & concinente. Hic flexis genibus cantet Sacerdos hunc versum*, O Crux ave spes unica, hoc Passionis tempore. *Hic surgat Sacerdos accedendo parum versus Crucem, & Chorus interim supplet cantando prædictum versum*, Auge piis justitiam, reisque dona veniam. *Hunc versum cantet tribus vicibus, prout supra, & tertia vice, finito versu, prosternat se in modum Crucis Sacerdos coram Cruce, & Cantor imponet Antiphonam*, Scriptum est enim, percutiam Pastorem; *& sic cantando percutiat Sacerdotem tribus vicibus cum Palma supra dorsum, & Chorus perficiat Antiphonam cantando*, & dispergentur oves; *& hæc etiam Antiphona cantetur tribus vicibus, prout supra, & Sacerdos interim jaceat prostratus. Hic prosternat se Clerus, & omnis Populus &c.* Atque hic nota aliam Stationem fieri olim solitam ad Crucem post recitatum Hymnum, *Gloria, laus & honor &c.* antequam Processio in reversione ingrederetur Ecclesiam.

VI. Juxta antiquum Missale Ecclesiæ Sarisberiensis, facta in prædicta Palmarum Processione secunda Statione, *septem pueri in loco eminentiori simul* cantabant ℣. *Gloria, laus*; Chorusque idem repetebat post unumquemque ℣. *Israel es tu.* ℣. *Cœtus in excelsis.* ℣. *Plebs Hebræa.* Peracta hac Statione, ibat Processio per medium Claustri a dextra manu usque ad ostium Ecclesiæ Occidentale, cantando ℟. *Collegerunt*. Tum mandat, *ut hic fiat tertia Statio, scilicet ante prædictum ostium, ubi tres Clerici de superiori gradu in ipso ostio, habitu non mutato, conversi ad populum cantent: Vnus autem.* Præscribit tum etiam, ut post Processionis ad Ecclesiam ingressum quarta Statio peragatur, de qua dicemus nos opportunius in Commentario ad §. sequentem.

## §. IV.

Post Subdiaconus hastili Crucis percutit portam, qua statim aperta, Processio intrat Ecclesiam, cantando Responsorium: *Ingrediente Domino in Sanctam Civitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronuntiantes, cum ramis Palmarum, Hosanna clamabant in excelsis. Cum audisset populus, quod Jesus veniret Jerosolymam, exierunt obviam ei. Cum ramis.* Et non dicitur. *Gloria Patri.*

## COMMENTARIUS.

I. FUit vetus Ecclesiarum plurium mos, ut prædicti Hymni, *Gloria, laus &c.* qui longe prolixior est in antiquo Romano Ordine apud Hitorpium, in veteri Missali Albiensi, & in Pontificali Pictaviensi ab annis circiter CM exarato, versibus decantatis, Episcopus, sive ille, qui Officio præerat, portas Civitatis, vel Ecclesiæ percuteret, dicens: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cui existentes in Ecclesia reponebant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Ad quos cum ille tertio dixisset, *Attollite portas &c.* similemque illi dedissent responsionem, ipse tandem clamabat: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ*; & tunc clausæ aperiebantur valvæ, ingrediebaturque Processio Ecclesiam. Ita plane legitur in antiquis Missalibus, Arelatensi, Bituricensi, Catalaunensi, Pictaviensi, & in aliis pluribus tum Ordinariis, tum Ritualibus, Pontificalibusque. Ritum percutiendi hastili Crucis portam Templi, seu Civitatis, pie explicat Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. IX. sic inquiens: *Sacerdos fores Templi, seu portas Civitatis pulsans, & impacta Cruce aperiens, Christum exprimit virtute Passionis suæ portas Cœli aperientem, & de diabolo victoriam in Cruce reportantem, sicut hac die divina virtute effecit, ut patentibus portis Civitatis Jerusalem, cum honore ab universo populo, quasi Rex Israel intra mœnia exciperetur.* Notat mox, eun-

eundem ritum aperiendi portas eodem prorsus modo observari in Dedicatione Ecclesiæ, tum apud Græcos, tum apud Latinos, uti videre est, ait, in Pontificali Romano, itemque in Ordine Romano, & apud Nicolaum Cabasilam, Lib. v. *De Vita in Christo*.

II. Ex præscripto nostri §. cui etiam concinit Rubrica Romani Missalis, Parte IV. Tit. VII. num 16. & Cæremonialis Episcoporum, Lib. II. Capite xx. §. IX. ac etiam Cæremonialis S. R. E. quod Augustinus Patricius Apostolicarum Cæremoriarum Magister concinnavit, Marcellusque Corcyrensis Episcopus publici juris fecit, Lib. II. Cap. XXXIX. quod est, *De Officio Dominicæ Palmarum*, itemque Cap. XLI. ubi expresse edicitur, quod, *finitis versibus, vel majori parte, ut tempus postulabit, Cantores ab extra tenent Antiphonam*, Ingrediente Domino, *& Subdiaconus cum Cruce tangit portam, quæ aperitur, & intrant omnes*. Est itaque antiquus ritus, ut ea ad portam pulsatio fiat cum Cruce, idest, *cum hastili Crucis*, ut ait hic noster §. non amota scilicet Cruce. Percutit autem semel ipsam portam, nihil dicens, sed ita tamen, ut pulsus audiatur. Teste Amelio in Ordine xv. Romano, Cap. LVII. in reditu hujus Processionis, terminatis versibus Hymni prædicti, *Dominus Papa non percutit cum Cruce portam, sicut sæculares consueverunt, sed prædicto dicto Officio*, cantato scilicet Hymno, *aperitur porta*. Consuevisse olim in multis Ecclesiis, ac præsertim in Turonensi, pulsari *portam cum Baculo*, cantando interim, *Attollite portas Principes vestras &c.* juxta ritum superius explicatum, constat ex antiquo ejusdem Ecclesiæ Ordinario, ex cujus etiam præscripto, *versibus finitis, Præsul, vel Major, sive Cantor pulsans ad portas, cum baculo, cantant*, Attollite portas Principes &c. *Pueri respondent*; Quis est iste? *& sic fit tertio, & tunc aperiuntur portæ, & in ingressu Cantor incipit*: Ingrediente Domino; *& Processio vadit ad Ecclesiam*.

III. Antiquum pariter, & communem fuisse Ecclesiarum omnium usum, ut in ingressu Processionis ad Ecclesiam, Antiphona ipsa, *Ingrediente Domino &c.* in §. nostro præscripta decantaretur, mss. Rituales, Missalesque veteres æque, ac recentiores passim nos docent. In quibusdam vero Ecclesiis servatum & hunc alium ritum legimus, ut nempe ingressa ad Ecclesiam Processione, iterum Statio ante Crucem perageretur cum variis cæremoniis, quas recenset ms. antiquum Missale insignis Ecclesiæ Sarisberiensis, sic inquiens; *His finitis, intrent Ecclesiam per idem ostium sub Feretro, & Capsula Reliquiarum ex transverso ostii, elevata voce cantando* ℟. Ingrediente Domino. *Hic fiat quarta Statio ante Crucem in Ecclesia, & in ipsa Statione Exequutor Officii incipiat Antiphonam*, Ave, *Cruce jam discooperta, & respondeat Chorus*, Rex noster, *cum genuflexione, osculando terram; & sic incipiat senior Antiphonam ter, singulis vicibus vocem exaltando, una cum Choro fiat genuflexio; & post tertiam inceptionem Chorus eandem Antiphonam in ipsa Statione stando prosequatur; qua finita, intret Chorus. Omnes Cruces per Ecclesiam sint discoopertæ usque post Vesperas*. Atque hic nota I. quod alias jam supra diximus in Commentario ad §. I. Crucem scilicet, quæ in plerisque locis olim per totam Quadragesimam in Processionibus non deferebatur, in hac Palmarum Processione revelatam, & discoopertam gestari consuevisse, per totamque diem denudatam mansisse, atque hunc ritum observari hodie a Fratribus Prædicatoribus, qui quidem Crucem ipsam in eadem Processione discoopertam deferunt, & tota die usque ad Completorium discoopertam pariter relinquunt in cornu Altaris majoris cum cereo accenso. II. non modo Crucem Processionalem, sed omnes Cruces per Ecclesiam discoopertas fuisse hac die *usque post Vesperas*. III. varias fuisse olim in plerisque Ecclesiis hac die in Processione Stationes ad Crucem adorandam; de quibus jam diximus nos in Commentariis superioribus.

## §. V.

Deinde dicitur Missa, & rami tenentur in manibus, dum cantatur Passio, & Evangelium tantum.

## COMMENTARIUS.

I. Singularia quædam observata antiquitus in hac Missa explicuimus Tomo II. Commentariorum in Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. xx. ad §. x. & plures sequentes, præsertim vero ad §. XVI. ubi edicitur, tenendas in manibus Palmas *usque ad finem Passionis*. Qui tamen ritus non semper obtinuit; licet enim Romanus Ordo xv. Auctore Amelio, Cap. LX. idem, quod Cæremoniale Episcoporum, præscribat, in Ordine tamen Romano XII. Auctore Cencio, Cap. IX. in fine, teneri dicuntur Palmæ *usque ad completionem Missæ*. Ex Missali ms. Athanacensis Monasterii a Benedictione ramorum, eos cuncti manu tenere debebant usque ad Offertorium; *& tunc*, inquit, *quilibet offerat Sacerdoti ramum suum*. Teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. xv. num. 21. Canonici Regulares Cruce signati, & Fratres Prædicatores in reditu Processionis super gradus Altaris ramos projiciebant; idque, ut autumat ad imitandam Judaici populi pietatem, qui hac die ramos Palmarum venienti Domino prostraverunt. Cæterum, dum legitur Passio, Palmas omnes tenere solemus, & recte quidem, nam, ut ait Rupertus Abbas Tuitiensis, qui claruit initio Sæculi XII. Lib. v. *De Divinis Officiis*, Cap. x. *Quia Pater illum hac die tradidit, & Calicem Passionis dedit illi, recte Passio legitur cum eisdem, cum quibus exceptus est, Palmarum ramis*. Laudanda autem summopere populi devotio, qui hujusmodi Palmarum ramos, vel ex eisdem parvas Cruces confectas, domos deferunt, religioseque servant, quod eos adversus morbos, ac tempestates non parum prævalere merito arbritretur; habere siquidem potest fundamentum hæc devotio in quibusdam Orationibus Ecclesiæ ad benedicendas Palmas, Dominica ipsa Palmarum, in quibus orat Sacerdos, ut

*ut qui eas pia devotione pro expellendis languoribus, & expugnandis inimici insidiis gestaverint, in suis habitationibus sint securi.*

II. Sed ut de Missa etiam hoc loco dicamus, describendum illud primum censemus, quod de S. Udalrico Augustensi Episcopo in ejus Vita refert Gerardus Presbyter, Cap. IV. ubi ritus ab illo die Dominica Palmarum servatos recenset his verbis: *Eo die mane diluculo ad S. Afram veniebat, si in præterita nocte ibi non manebat, Missam de Sancta Trinitate cantabat, & ramos Palmarum, diversarumque frondium benedicebat, Evangelioque, & Crucibus, & Fanonibus, & cum effigie sedentis Domini super asinum, cum Clericis, & multitudine populi ramos Palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem ejusdem diei compositis, & cum magno decore pergebat usque ad collem, qui dicitur Perleich; ibique obviam ei veniebat Chorus Canonicorum cum pulchritudine magna, & cum civibus, qui in Civitate remanserant, & qui de Oppidis circumjacentibus ipsis se jungere voluerunt ibi ad imitandum humilitatem puerorum, cæterorumque populorum ramis Palmarum, & vestimentis suis viam sternentium. Iis expletis, Vir Sanctus congruentissimam Admonitionem de Passione Domini ad omnes fecit, eo usque sæpe ut fleret, fletuque suo multos flere fecisset. Admonitione peracta, omnes simul Deum laudantes ad Ecclesiam Matriculam pervenerunt, ibique Missam cum eo celebraverunt, & inde omnes ad sua redierunt.* Multos recenset ritus jam a nobis ex antiquis Ritualibus, Ordinariisque variarum Ecclesiarum in superioribus Commentariis enarratos, sed dignus notatu est ille, quod in ipsa Palmarum Processione Imago etiam Christi Domini super asinum sedentis deferretur.

III. Quod Missam spectat, de qua potissimum in hoc Commentario agendum, illud ex recitato testimonio licet conjicere, duas die ipsa Palmarum Dominica a Sancto Udalrico celebratas Missas fuisse, primam *mane diluculo ad Sanctam Afram de Sancta Trinitate*; tum vero peracta Palmarum Benedictione, earumque distributione, ac solemni Processione, aliam *ad Ecclesiam Matriculam*, ad diei solemnitatem pertinentem. Nihil enim frequentius olim, quam certis quibusdam Festis Missas duas, vel tres, sive etiam plures ab eodem Sacerdote celebrari, uti videre est apud eruditum Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, variis locis.

IV. Quidquid sit de hac conjectura, quamquam hodie ex præscripto Rubricarum Romani Missalis, & in Benedictione Palmarum, & in Processione, & in Missa, color violaceus adhibeatur, in multis tamen Ecclesiis rubeus color adhibitus fuit. Ita plane jubent Ordinaria, Argentinum, Lingonense, Lemovicense S. Stephani, & S. Martialis, Consuetudines Canonicorum Regularium Cassanensis Monasterii, atque, ut alia omittam, ms. Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ sic inquiens: *Induat se Domnus Archiepiscopus, & procedit e Sacrario accinctus Palleo, Planeta rubicunda, aut ex purpura sanguinea. Similiter Diaconus, qui Passionem est lecturus; cæteri Diaconi purpureas Planetas, similiter & Subdiaconi. Cætera omnia fiant, sicut decet tantum diem.* Quod etiam apud Monachos Missa hac die solemniter ab Abbate decantaretur, & quidem in *purpureis Casulis*, tradit vetus Cassinensium Ordinarium, cui concinit Liber Consuetudinum S. Benigni Divionensis, his verbis: *Ad Missam Sacerdos auratis utitur vestimentis, & Casula rubea aurata.*

V. Ad Passionem quod attinet, quæ ex Evangelio Matthæi in hac Missa cantatur, jam olim ipsa non legebatur in omnibus Missis, uti observat Martene, Lib. III. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. XII. & in Opere, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XX. num. XXII. probatque ex antiquo Missali Athanacensi, quod ita inquit: *Dominica in ramis Palmarum ambæ Missæ sunt de Dominica, & in majori Missa dicitur Passio, in matutinali vero Evangelium*, Cum appropinquasset. *In Missis privatis potest dici Passio, vel prædictum Evangelium pro devotione celebrantis.* Similia videre est in antiquo Ordinario Gemmeticensis Monasterii, & in Missali Arelatensi, ubi ad arbitrium Archiepiscopi relinquitur Passionem in Missa cantare, aut Evangelium, *Cum appropinquasset*. In Ambrosiano Missali Mediolanensi anno MDLX. edito duæ habentur Missæ, una dicenda in minori Ecclesia, in qua legitur Evangelium secundum Joannem, *Turba multa &c.* usque ad, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; altera in majori Ecclesia, cujus Evangelium erat etiam secundum Joannem, *Proximum erat Pascha Judæorum &c.* usque ad illa verba, *Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum.*

VI. Legebatur quidem vel olim in Ecclesia Romana hac die Passio secundum Matthæum, uti constat ex antiquo Romano Ordine XI. auctore Benedicto, num. XXXVIII. ex cujus etiam præscripto præmittebat Diaconus, *Dominus vobiscum*, cui respondebat Schola, seu Chorus Cantorum, *Et cum spiritu tuo*, & *Gloria tibi Domine*, ubi ille pronunciaverat, *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum*. Præmittendam quoque huic Passioni salutationem, *Dominus vobiscum*, cum responsione, *Et cum spiritu tuo*, itemque dicendum, *Gloria tibi Domine*, mandant quidem antiquum Missale insignis Ecclesiæ Sarisberiensis, & alia nonnulla. Porro monet laudatus Ordo XI. Romanus, *in quarta Feria, & sexta solummodo*, majoris scilicet, ac sanctioris hebdomadæ, *cum pronunciatione legi Evangelium Passionis sine salutatione, & sine responsione*. At vero juxta Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, num. LX. *Diaconus Cardinalis dicturus Passionem, osculatur more solito pedem Papæ, & reversus ad Altare genuflectit ante illud, & dicit basse*, Munda cor meum &c. *& surgens recipit de Altari Librum Evangeliorum deferens ipsum ante pectus, ita quod tabula Libri, ubi est Crucifixus, a populo videri possit, & non petit benedictionem a Papa, sed recte vadit ad pulpitum coopertum cum tobalea, & ibi absque luminaribus, & incenso, & sine*, Dominus vobiscum, *absolute incipit*, Passio Domini nostri Jesu Christi; *nec respondetur*, Gloria tibi Domine, *sed subsequenter dicit Passionem more solito.*

VII. Ex recitato hactenus loco plura addiscimus circa ritum dicendæ Passionis, qui in usu erat vel in ipsa Cappella Summi Pontificis labente Sæculo XIV. quo claruit Amelius Apostolicarum Cæremoniarum Magister; ac I. quidem, unum

unum Diaconum Cardinalem in solemni Missa Passionem cantasse. II. acceptum fuisse Librum Evangeliorum de Altari, & ibidem ab ipso Cardinali Diacono genuflexo dictum, *Munda cor meum*. III. Librum coopertum fuisse tabula habente ex una parte Imaginem Crucifixi, quem ita cantaturus Passionem, ante pectus gestabat, ut Imago illa videri a populo posset. IV. lectam fuisse Passionem in pulpito cooperto *cum tabolea*. V. omissam fuisse in ea Passionis lectione, non modo responsionem, *Gloria tibi Domine*, sed & ipsam salutationem, *Dominus vobiscum*, quæ olim in variis Ecclesiis, ex præscripto earundem Missalium, ac Ritualium dici solebat, ac præsertim Romæ, ut ex citato superius Romano Ordine XI. omnibus liquet.

VIII. Forte Sæculo XV. invaluit mos, ut Passio a tribus diceretur in solemni Missa hujus diei, uti ex Augustino Patricio Cæremoniario Apostolico sub quatuor Pontificibus Maximis post medium ipsum Sæculum XV. addiscimus, qui in suo Cæremoniali S. R. E. quod primus omnium Marcellus Corcyrensis Episcopus vulgavit, quodque nos omnium primi in duos Tomos divisum perpetuis Commentariis illustravimus, Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIX. ita ritum enarrat Pontificiæ Capellæ in decantanda Passione die ipsa Palmarum Dominica: *Dum cantatur Tractus*, inquit, *Clerici Capellæ portant paramenta ad locum, ubi stant Cantores, ubi tres ex eis dicturi Passionem, parantur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola in modum Diaconi, coloris violacei. Omnes consueverunt tamen plerumque uti variis coloribus importunitate aliquorum, & contra voluntatem Clericorum Cæremoniarum; videlicet, qui Evangelistæ personam sustinet, albo, Judæus rubro, Christus nigro. Sed honestius est, ut omnes utantur violaceis.* Vide quæ in hunc locum scripsimus in citatis nostris Commentariis. Cæterum Notæ illæ, quæ in Missalibus ad Passionem ipsam cernuntur, nempe ✠. *C. S.* ut observat Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. VII. num. 19. non sunt antiquæ, Auctoremque incertum habent, sed putat tamen, Nota illa ✠ significari Christum, litera *C.* Chronistam, litera vero S. Synagogam. Quicquid sit de hac conjectura Gavanti, illud plane inter alia monet antiquum Missale Ecclesiæ Sarisberiensis, notandum esse, *quod Passio triplici voce debet cantari, aut pronunciari, scilicet alta voce, bassa, & media, quia omnia, quæ in Passione continentur, aut verba sunt Judæorum, vel Discipulorum, aut verba sunt Christi, aut Evangelistæ narrantis; quæ scire debes, quod ubi* A. *litteram invenies, verba esse Judæorum, vel Discipulorum, quæ alta voce sunt proferenda. Ubi vero* B. *invenies, verba sunt Christi, quæ bassa voce sunt pronuncianda. Ubi vero* M. *invenies, verba sunt Evangelistæ, quæ mediocri voce sunt legenda, aut cantanda. Et hæc omnia in aliis Passionibus observa. Sic incipe*, M. *Dominus vobiscum*. ℞. Et cum Spiritu tuo. Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum, *Non dicitur*, Gloria tibi Domine. In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis. *B.* Scitis quia post biduum Pascha fiet &c. *usque*, emisit spiritum.

IX. Juxta Romani Missalis Rubricam, ubi in Passione ea verba proferuntur, *emisit spiritum* & ab ipsis Cantoribus, & a Celebrante, ac Ministris *pausatur aliquantulum, & genuflectitur*. Est ritus antiquus, cujus meminit laudatus Ordo Romanus XV. loco citato sic inquiens: *Cum autem ipse Diaconus dixerit in Passione illa verba*, emisit spiritum, *statim Papa, & ipse Diaconus, & omnes alii genuflectunt ad Deum versus Altare & sic manent genuflexi per spatium, quo posset dici*, Pater noster, *semel*. Antiquum Missale Ecclesiæ Sarisberiensis mandat quidem, ut ad ea verba, *inclinet se Diaconus, vel prosternat se versus Orientem, & dicat privatim*, Pater noster, Ave Maria, In manus tuas, *deinde surgat, & post residuum Passionis legat usque*, sedentes contra sepulchrum. *Evangelia vero in fine omnium Passionum etiam in die Parasceves alta voce legantur more duplicis Festi*. His fere concinit Ordinarium Bursfeldensium, ubi edicit, *ut cum insonuerint hæc verba*, Et inclinato capite emisit spiritum, *vel* tradidit spiritum, *aut* expiravit, *nudis capitibus mox omnes procedentes flexis genibus summa devotione orent*, Pater noster, *&* Ave Maria; *postea erecti usque ad consumationem residuæ partis Evangelii se gerant, ut moris est, sub aliis Evangeliis*. Testatur Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XII. num. 21. ritum hunc non ita videri antiquum, quod eum sileant omnes, quos viderit, antiqui Codices, Auctoresve, sed ejus tantum meminisse affirmat Libellum antiquarum Definitionum Ordinis Cisterciensis statuentem, ut, *quotiescumque in Passionibus Domini nostri Jesu Christi nominabitur articulus sanctissime mortis ejus omne genu flectatur, petendo veniam humiliter, & devote*. Porro ad Passionem omnes Monachi tenebantur interesse, *nec quisquam ullius obedientiæ occasione deesse præsumebat*, ut loquitur Udalricus; ideoque circa finem Tractus squilla, seu campanula pulsabatur, ad eos congregandos, qui variis Officiis deputati aliorsum detinebantur ut ex omnibus pene Ordinariis, & Consuetudinibus Monachorum idem Martene ibidem affirmat.

X. Ex præscripto nostri §. ut initio hujus Commentarii notavimus, *Rami tenentur in manibus, dum cantatur Passio, & Evangelium tantum*. Et ratio est, quam docet Rubertus Abbas Tuitiensis Lib. V. *De Divinis Officiis*, Cap. X. ubi sic ait: *Quia Pater illum hac die tradidit, & Calicem Passionis dedit illi, recte Passio legitur cum eisdem, cum quibus exceptus est, Palmarum ramis*. Ex Missali Achanacensis Monasterii a Benedictione ramorum eos cuncti manu deferre debent usque ad Offertorium, *& tunc*, inquit, *quilibet offerat Sacerdoti ramum suum cum Manipulo suo*. Quod ad Offertorium post oblationem panis, & vini, omnes, suo quique ordine, ramos, quos hactenus per totam Missam sua manu gestaverant, incipiente Diacono, Sacerdoti offerrent, docet laudatus Martene, citato loco, num. 22. ubi etiam subdit ex veteri Cassinensium Ordinario, unos hac in re ab aliis discrepasse Cassinenses, *qui Palmas usque ad finem Missæ omnes tenere debent in manibus*. Idem ait observari a Monachis Carthusiensibus, Cistercienses vero in reditu Processionis, ramos, quos manu gestant, intrantes Chorum super gradum Presbyterii deponere; atque hunc ritum observant hodie Fratres Prædicatores, ut ex eorum Processionario constat, ubi ita legitur: *Cum Conventus Chorum intrat, Fratres ramos super gradus Presbyterii projiciant, quos Sacrista colligat*. Idque, ut opinatur Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disci-*

*sciplina in celebrandis Divinis Officiis*, Cap. XX. num. XXI. ad imitandam Judaici populi pietatem qui hac die ramos Palmarum venienti Domino prostraverunt.

XI. Eodem teste Auctore, Populus quibusdam in locis ex eisdem Palmarum ramis parvas sibi conficit Cruces, quas adversus morbos, & tonitrua non parum prævalere arbitratur, quæ quidem devotio, ut & initio hujus Commentarii notavimus, fundamentum habere potest in Orationibus ad benedicendos ramos in antiquis Missalibus, ac præsertim in Romano descriptis. Porro hujusmodi Palmæ, ut inquiunt Consuetudines Grandimontensium, *reservantur propter cineres faciendos anno sequenti, licet quidam faciunt dictos cineres de sarmento vitis*. Loquuntur de cineribus, qui benedicuntur, imponunturque capitibus Fidelium die primo Quadragesimalis jejunii. Rubrica Romani Missalis Parte IV. Tit. VI. num. 2. absolute ait, benedici eo die cineres factos *de ramis Olivarum, sive aliarum arborum præcedenti anno benedictis*. Ut nempe, sicut cineres ad humiliationem distribuuntur, ita & per humilitatem spem habeamus futuræ gloriæ, quam designavit Processio Palmarum, ut explicat ibidem Gavantus. Nequid demum desideretur in hoc Commentario, quod prodesse Parochis, cæterisque Fidelibus queat, operæ pretium duxi ad ipsius Commentarii calcem, benedictionis palmarum mysteria, & fructus spirituales exponere ex S. Carolo, qui in Provinciali V. Mediolanensi Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, sic habet.

Sanctissimi præterea, & antiquissimi instituti in Ecclesia Dei est, die Dominico Pascha Resurrectionis proxime antecedente ramos Palmarum, & Olivarum solemnibus precibus benedici, ac Fidelibus tradi, qui gestent, domique religiose, atque decenter observent. Et sicut ritus is, & insignem illum Jesu Christi Domini ingressum ad Urbem Jerosolymam, & triumphum illum commemorabilem significat, quem Passione, & Morte sua, superatis hostibus, idem Dominus resurgens reportavit, ita aliis etiam mysteriis plenus a Parocho, & a Concionatore explicetur, quo ardentius ad religionem illius Fideles accensi, spirituales fructus capiant, quos a Deo eis Ecclesia precatur, suntque hi præsertim.

Ut accipiant mentis, corporisque vim ad salutis opem, Deique gratiam implorandam.

Ut quemadmodum rami foliis virent, ita opera nostra, & justitia, & omni virtute sancta quamflorentissima sint.

Ut sicut Populus Hebræus Christo ramis obviam factus una cum eo Jerosolymam ingressus est, ita nos sanctissimis officiis, atque piis operibus Domino obviam procedamus, illiusque vestigia secuti, in cælestem patriam, eo Auctore, & Duce, recipiamur.

Ut veluti Christus Dominus de Satana hoste Cruce sua triumphavit, sic nos quamsæpissime id misericordiæ opus animo ita repetamus, ut Christi amore incendamur ad pugnam, & ad victoriam de dæmone, carne, & mundo reportandam.

Ut quocumque hi rami introducentur, ejus loci incolæ benedictionem Dei consequantur, omnique re adversa propulsata, virtute Altissimi defendantur.

Has, & alias salutares utilitates Parochus, & Concionator Fidelibus exponat, ut, qua debet pietate, religiosoque animo sacros ramos capiendo, gestando, & asservando, ita Dominum precentur, ut, & per Passionem, Mortemque suam, qua dæmonem fregit, ac superavit, & per misericordiam illam immensam, qua id egit, non solum corpora a malis tueatur, sed animæ gratiam suam cælestem infundat, sicque ipsi multis virtutibus, bonisque operibus florentes, Christum Dominum sequantur, hostibusque omnibus superatis, ad gaudia cælestis Jerosolymæ introducantur.

Bini omnes ad candelas, & rursus ad cineres capiendos accedant; ad Palmas etiam, ramosque Olivarum suscipiendos.

Sine strepitu, & tumultu, sed religioso silentio.

Qui extra ordinem accesserint, a Ministris ejiciantur, neque digni sint, qui sacrorum ramorum tunc participes sint, nisi aliud Episcopus censuerit.

## CAPUT IV.

### *Ordo servandus in Litaniarum Majorum Processione; quæ in Festo Sancti Marci celebratur.*

I. Solet Ecclesia ex pervetusto ritu Supplicationes agere, Processionesve, in Festo S. Marci, & in triduo ante Ascensionem Dominicam, quas Litaniarum Majorum, & Minorum nomine appellare placuit. Inter primos, qui hujusmodi Processiones appellarunt Litanias, numerandus est Arcadius Imperator, qui in Rescripto adversus hæreticos dato ad Clearchum Urbis Præfectum, *interdicit iis omnibus ad Litaniam faciendam intra Civitatem noctu, vel interdiu, profanis coire conventibus*. Ubi Litania pro Supplicatione, seu Processione videtur usurpari. Quamquam temporis processu, uti observat Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. V. preces, & rogationes quæ in ejusmodi Supplicationibus, seu Processionibus fiunt, Litaniæ vocabulo magis proprie significari mos fuit, sed maxime Sanctorum invocationes. Apposite Walafridus Strabo, Capite XXVIII. scribit: *Notandum autem, Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, quæ Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cuncta, quæ in Supplicationibus fiunt, Rogationes appellari*.

II. Principio tamen Litaniæ nomine significabatur solummodo initium nostrarum Litaniarum, ita ut *Kyrie eleison* pluries frequentaretur; quo sensu accipitur non semel in Regula S. Benedicti; eodemque sensu usurpatum legitur in vetusto Rituali Romanæ Ecclesiæ, quod, teste eodem Mabillonio, exhibet Codex Casinensis, ubi in Assumptione Beatissimæ Virginis Supplicatio præscribitur cum ter centena repetitione Litaniæ nostræ initialis. Verba prædicti Ritualis hæc sunt: *In Assumptione Sanctæ Mariæ, in ipsa Vespera Vigiliarum, præparatur quoddam portatorium in S. Lau-*

*S. Laurentio apud Lateranos; suppositaque tabula, Imagine Christi Domini nostri insignita, a medio noctis concurrente populo, exeunt cum Letania ad Sanctam Mariam-minorem, mundatis per viam plateis, & suspensis per domos lucernis, ibique in gradibus S. Mariæ deposita aliquando icona, omnis Chorus virorum, ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes, una voce per numerum dicunt centies*, Kyrie eleison, *centies*, Christe eleison, *item centies*, Kyrie eleison; *fusisque lacrymis, & precibus, per Sanctum Adrianum recta via vadunt ad Sanctam Mariam Majorem; auditaque Missarum celebritate, ad Palatium revertuntur. Unde quidam cum interesset, ita mirando prorupit.*

*Sancta Maria quid est? si Cæli climata scandis,*
*Esto benigna tuis.*

Et post aliquot versus, tempus scripti Carminis indicatur his versibus.

*Tertius Otto tuæ nixus solamine palmæ*
*Præstoque sit veniæ.*
*Hic tibi, siquid habet, devoto pectore præstat,*
*Spargere non dubitat.*
*Gaudeat omnis homo, quia regnat tertius Otto.*

III. Hactenus Codex ille Casinensis apud laudatum Mabillonium loco citato, ex quo curiosus lector plura addiscere potest. Quamvis autem Litaniæ nomen omnibus Processionibus commune sit, quia in iis Deo supplicatur, singulari tamen ratione tribui solet iis, quæ fiunt in Festo S. Marci die XXV. Aprilis, & triduo ante Domini Ascensionem; quarum prior *Litania Major*, posterior *Litania Minor*, vulgo appellatur; & illa quidem, quamquam institutione posterior, ut multi Scriptores ajunt, Majoris appellationem præ alia sortita est, tum a dignitate Auctoris, qui fuit Romanus Pontifex Maximus; cum is, qui Litaniam Minorem instituit, ut infra dicemus, Episcopus tantum fuerit; tum a dignitate loci, in quo fuit instituta, nempe in Ecclesia Romana, quæ Caput est, & Mater omnium Ecclesiarum; illa vero Viennæ in Galliis. Atque ita sentiunt Honorius Augustodunensis in Gemma animæ, Libro III. Cap. CXXXVIII. Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CXXII. Gulielmus Durandus, Lib. VI. *Rationalis*, Cap. CII. Jacobus de Vitriaco in Sermonibus de utraque Litania, & alii multi; licet alii aliter sentiant, ut infra dicemus.

IV. Majorem Litaniam, sumptam scilicet pro Supplicatione publica Processioni conjuncta, instituisse fertur S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, tametsi illo antiquiorem haud obscure videatur indicare Gregorius ipse, seu charta, *De Litania Majore*, inscripta initio Libri II. Registri Epistolarum sub Indictione X. quæ anno DXCI. a Septembri mense incipiebat; ibi enim tamquam de re jam instituta annuam hujusmodi Litaniæ celebritatem his plane verbis significat: *Solemnitas annua devotionis nos, Fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam, quæ Major ab omnibus appellatur, sollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare, per quam a nostris excessibus, ejus misericordiæ supplicantes, purgari aliquatenus mereamur.* Tum vero mox diem agendæ Supplicationis indicit, ejusdemque inchoandæ, atque complendæ loca designat: *Sexta igitur Feria veniente, a Titulo Beati Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad Beatum Petrum Apostolorum Principem, Domino supplicantes cum Hymnis, & Canticis spiritualibus properemus, ut ibidem Sacra Mysteria celebrantes, tam de antiquioribus, quam de præsentibus beneficiis, pietati ejus, in quantum possumus, referre gratias mereamur.* Anno DXCII. in diem XXV. Aprilis incidebat Feria sexta; hincque scite Cardinalis Baronius in Romanum Martyrologium ad diem ipsam XXV. Aprilis adnotat, Litanias Majores non inventas a S. Gregorio Magno, sed ab ipso ad Sanctum Petrum anno illo indictas.

V. Diligentiorem Processionis hujus descriptionem exhibet ejusdem S. Gregorii Papæ Sacramentarium a Pamelio vulgatum. Egrediebatur ab Ecclesia S. Laurentii, procedebatque per portam Flaminiam ad Ecclesiam Sancti Valentini, tum *ad pontem Molbi*, seu *Milvium*, tum etiam ad Crucis Oratorium prope S. Petri Ecclesiam, atque in ejusdem S. Petri demum Ecclesia terminabatur. In Sacramentario Gregoriano, quod typis edidit Muratorius eadem nominantur loca: *Ad S. Laurentium in Lucina, ad Sanctum Valentinum, ad pontem Molli, ad Crucem in Atrio S. Petri.* Hinc teste Bernardo de Rubeis in Dissertatione, *De sacris Forojul. ritibus*, Cap. XXV. num. 2. *Majorem* dictam Litaniam arbitrantur nonnulli, ob longitudinem itineris; ita vocatam alii putant, quod plures pluresque fierent Sanctorum invocationes, vel etiam, quod ex universo Clero Sæculari, & Regulari, ac frequentiore populi concursu constaret.

VI. Majorem hanc Litaniam Viri docti eandem putant cum Litania septiformi. Prostrabat olim inter Epistolas S. Gregorii, Libro XI. Indictione VI. æræ vulgaris anno DCIII. num. 2. denunciatio pro septiformi Litania. Hanc Monachi S. Mauri inscribunt, *Orationem S. Gregorii ad plebem de mortalitate*, rejeceruntque in Tomum I. ad calcem Homiliarum in Evangelia. Grassantem luem, quæ sequuntur indicant verba: *Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem prævenit; sed & languoris moras, ut cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur.* Post Tiberis inundationem, quæ anno DLXXXIX. accidit Septembri mense, pestilentia erupit. Percussus insequentis anni DXC. initio, idest, Januario mense Pelagius Papa II. interiit. Paulo post Gregorius Magnus eligitur in Summum Pontificem. Mauritii Imperatoris adsensus, ut tunc moris erat, expectabatur; nimiumque sero ejus Litteræ perlatæ sunt, ut nonnisi die III. Septembris in Summum Pontificem eodem anno DXC. consecrari potuerit. Eo temporis intervallo augebatur dira pestilentia, vastabaturque continuis funeribus Roma. Romanos pene animum despondentes, ut spe facta erigeret in Deum novus Pontifex, totque inter flagella ad pœnitentiam provocaret, Concionem ad Populum habuit de mortalitate; dignam sane, quam literis consignaret Gregorius Turonensis, a suo Diacono, qui tunc Romæ erat, acceptam.

VII. Publicam etiam a Gregorio Pontifice indictam Supplicationem, septiformem Litaniam appellatam, refert idem Gregorius Turonensis, Libro X. *Historiæ Francorum*, Cap. I. ubi hanc ejusdem distributionem recenset: *Ut Clerus egrediatur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Cosmæ & Da-*

*& Damiani cum Presbyteris regionis sextæ; omnes Abbates cum Monachis suis ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, cum Presbyteris regionis quartæ; omnes Abbatissæ cum Congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, cum Presbyteris regionis primæ; omnes infantes ab Ecclesia Sanctorum Joannis & Pauli, cum Presbyteris regionis secundæ; omnes laici ab Ecclesia Sancti Protomartyris Stephani, cum Presbyteris regionis septimæ; omnes mulieres viduæ ab Ecclesia Sanctæ Euphemiæ cum Presbyteris regionis quintæ; omnes mulieres conjugatæ egrediantur ab Ecclesia Sancti Clementis Martyris, cum Presbyteris regionis tertiæ; ac omnes demum ad Beatæ Mariæ semper Virginis Genitricis Domini nostri Jesu Christi Basilicam congregentur.* Eundem describit ordinem Paulus Diaconus Libro III. *De gestis Longobardorum*, Cap. XXIV. quem in eadem Sanctissimi Pontificis Concione Opusculo inserta Vitæ ejus prætermittit. Discrepat Joannes Diaconus in Vita laudati Gregorii Papæ, tum in ordine personarum, tum in Basilicis. Hæc ejus verba Lib. I. num. 13. *Litania Clericorum exeat ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ. Litania virorum ab Ecclesia S. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Ecclesia Sanctorum Joannis & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani. Litania feminarum conjugatarum ab Ecclesia Beati primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Ecclesia Martyris Vitalis. Litania pauperum, & infantium ab Ecclesia Beatæ Ceciliæ Martyris. Convenire omnes debent ad Sanctæ Dei Genitricis Ecclesiam.*

VIII. Dissidium, quod inter Scriptores de ordine, & loco hujusmodi Supplicationum versatur, conciliare nititur Baronius ad annum Christi DXC. num. XII. sic inquiens: *Sed unde ista diversitas? Non aliunde puto, quam quod non semel ejusmodi indictæ fuerint Litaniæ, proque diversitate dierum affigerentur in Ecclesia inscriptiones, singulæ diebus singulis, ex alia ipsarum alterius diei desumpserit Diaconus Gregorii* (Turonensis) *& ex alia alius retulerit inter Epistolas Gregorii Magni;* & apud Joannem Diaconum. Baronio favent laudati Gregorii Turonensis verba, qui post Concionem superius memoratam sic ait: *Hæc eo dicente, congregatis Clericorum catervis, psallere jussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant utrique Chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas Urbis, Kyrie eleison.* Ubi nota I. verba illa, *per triduum*, jam satis evincere, Litanias septiformes, non semel indictas fuisse. II. verba illa, *Kyrie eleison*, jam olim fuisse Litaniarum initium, in quibus nomina etiam Sanctorum invocantur.

IX. Litaniam hanc septiformem pro eadem Monachi Benedictini S. Mauri habent cum Litania Majori. Cajetanus Meratus Ordinis Clericorum, quos Theatinos vocant, alumnus, in Notis, & Observationibus ad Gavantum, Tomo I. Parte IV. Titulo XI. num. VIII. distinguendas censet hujusmodi Litanias, *Majorem*, & *Septiformem*. Est & ejusdem opinionis doctissimus De Rubeis loco citato, §. *Litaniam hanc*, ubi sic inquit: *In charta mentio fit Litaniæ Majoris, quæ ante Gregorium instituta fuerat, eratque jam Solemnitas annuæ devotionis, diei XXV. Aprilis allegata. Agitur in Concione de Litania, quæ vocatur septiformis, ab ipso Gregorio instituta, ad avertendum grassantis pestilentiæ flagellum.* Hæc anno DXC. ad finem vergente habita est, antequam Gregorius die III. Septembris ordinaretur Pontifex. Unde *monendus est lector*, verba sunt laudati Baronii num. 12. *Concionem illam perperam relatam esse in ipsius Gregorii Epistolarum Librum XI. sub Indictione sexta*; quæ annum indicat DCIII. *Præstat*, subdit Baronius, *ex hac parte audire Historicos omnes, testantes, indictam ab ipso Gregorio fuisse quarto Kalendas Septembris, Indictione octava*. De anno Christi DXC. indicato dubium nullum, inquit de Rubeis, incerta vero est dies illa XXIX. Augusti. At Litaniam Majorem indictam prodit charta superius memorata, *veniente sexta Feria*; eademque charta prostabat olim initio Libri II. Epistolarum sub Indictione decima, seu anno DXCII. quo scilicet anno litera Dominicali *E.* insignito, in diem XXV. Aprilis incidebat Feria sexta. Annum DCIII. loco citato definit Meratus, sed perperam, ut recte putat idem de Rubeis.

X. Ergo antiquissima est Litania Major, seu solemnis Processio die XXV. Aprilis in Festo Sancti Marci jam longe ante S. Gregorium Papam I. instituta, minimeque confundenda cum ejusdem Litania septiformi, ut male opinati sunt varii Scriptores allati a Jacobo Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XX. Porro licet passim, ac per antonomasiam Supplicatio, seu Processio, quæ ex antiquissimo ritu die XXV. Aprilis Festo S. Marci peragitur, *Litania Major appellatur*, ut in variis priscis Conciliis, & Libro VI. Capitularium Regum Francorum, Capite LXXIV. his verbis, *Ut Litania Major more Romano ab omnibus in septimo Calendas Maji celebretur*; negari tamen non potest, quin & Rogationes, quæ ex antiquo pariter ritu in triduo ante Christi Domini Ascensionem celebrari solent, & quæ vulgo *Litaniæ Minores* dicuntur, appellatæ aliquando fuerint *Majores*, teste Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XXVII. num. I. probarique id potest ex Concilio Moguntino anni DCCCXIII. quod quidem intelligendum omnino videtur de Litania, seu Processione fieri solita prædicto triduo ante Domini gloriosam, & triumphalem Ascensionem. Sic enim inquit: *Placuit nobis, ut Litania Major observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut Sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, & pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.* Sed de hac Litania dicemus nos fuse infra suo loco.

XI. Probari quidem & aliis testimoniis posset, Processiones ipsas, quæ triduo ante Ascensionem celebrantur, dictas fuisse Litanias Majores, invaluit tamen jam pluribus ab hinc Sæculis usus, ut Litaniæ Majoris nomine appelletur Processio illa, quæ in Festo S. Marci peragitur, erratque iccirco Suarez, Lib. III. *De Oratione*, Cap. IX. num. 26. ubi, uti notavit Quarti in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione II. Puncto IX. minus recte ait, Litanias Majores dici eas, quæ celebrantur in Rogationibus, & contra vero Minores esse illas, quæ cantantur in Processione fieri solita die XXV. Aprilis in Festo S. Marci. Siquidem ex Rubricis Missalis Romani, & in Missis Rogationum, atque ex nostro hoc Ri-

Rituali Romano, ut veteres æque, ac recentiores Scriptores omittam, qui de hujusmodi Litaniis scripserunt, manifestum est, Litaniam Majorem dici illam, quæ in prædicto S. Marci Festo ex antiquo ritu ubique fere locorum die ipsa xxv. Aprilis peragitur, Minorem vero, quæ in Rogationibus, sive tribus ante Festum Dominicæ Ascensionis diebus celebratur.

XII. Celebrandæ Majori huic Litaniæ, uti inter alios observat Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. xx. vernum tempus assignatum creditur, quod ea tempestas, peccatorum licentiæ, & publicis calamitatibus utplurimum initia, & causas præbeat; tunc enim effervescente sanguine ex novi Sideris influxu, lasciviæ spiritus exardescunt, unde ingens vitiorum seges, bella oriuntur, aeris intemperie morbi excitantur, flores, & frugum, atque arborum germina præ teneritudine facile pruinis, & alia quavis Cæli injuria dispereunt, & spem annui proventus fallunt. Quibus malis avertendis hujusmodi Supplicatio instituta est, ut notavit antiquus Auctor, creditus Alcuinus, in Libro, *De Divinis Officiis*, Capite inscripto, *De Litania Majore*; & Jacobus de Vitriaco, Sermone in Litania Majore, quod etiam de Rogationibus observatum est a Concilio Coloniensi anni MDXXXVI. Parte IX. Cap. VII. & ab eodem de Vitriaco in Feria II. Rogationum. Ea de re ita plane ait Ordo Romanus antiquus apud Hitorpium: *Pro importunitate autem bellorum potest procul dubio videri Litania instituta esse, & ex qualitate temporis colligimus, eam necessariam esse ad fruges conservandas*. Huc facit quod scribit Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ, Libro III. Cap. CXXXVIII. hanc nempe Litaniam, seu Supplicationem, *annuatim celebrari, ut Deus a populo, & ab animalibus pestilentiam avertat*. Anastasius Bibliothecarius simpliciter dicit pro salute populi Christiani, dum ita scribit in Vita Leonis Papæ III. *Cum die quadam more solito in Litaniis, quæ ab omnibus Majores appellantur, procederet, ubi sibi populus obviam sacra religione occurrere deberet, & secundum annuam consuetudinem Litanias, & Missarum solemnia cum Sacerdotibus celebraret, & Omnipotenti Domino pro salute Christiani populi preces funderet, & secundum olitanam traditionem a Notario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Ecclesia B. Georgii Christi Martyris in ejus Natali, ipsa Litania prædicata fuisset &c.*

XIII. Quod ad placandum Deum Supplicatio ista, ut ex dictis hactenus constat, fuerit instituta, non mirum videri debet, si non modo in ea Processione Clerus, Populusque discalceatus, cinere, & cilicio indutus incederet, verum & eadem die jejunium servaret. Hanc fuisse antiquam Ecclesiæ disciplinam, a sacris etiam Canonibus præceptam, tradit inter alios S. Petrus Damiani, qui claruit Sæculo XI. Lib. VI. Epistola XXXIII. extatque in Opusculo LV. sic inquiens, Cap. V. *De Litania Majore turpiter a nonnullis & manifestissime contra Canonum agitur sententias, quia in ea per occasionem B. Marci, cujus eodem die Festivitas est, jejunium non tenetur. Sed quia a conspiratoribus ventris nostra prorsus assertio ludibrium ducitur, ut subterfugium desit, ipsa Canonica auctoritas simpliciter inferatur. Ait enim Maguntiense Concilium*: Placuit nobis, ut in die VII. *Kal.* Maji, sicut in Romana Ecclesia constitutum reperimus, & sicut Sancti Patres nostri constituerunt, non equitando, non pretiosis vestibus induti, sed cinere aspersi, & cilicio induti, jejunemus, nisi infirmitas impediret. *At si cui adhuc ista auctoritas forte non sufficit, sufficiat Sedes Apostolica, sufficiat & ampla Roma, quæ hoc jejunium non modo Decretalis paginæ promulgatione corroborat, sed & viva annuatim veneratione conservat. Ubi notandum, quod geminæ Festivitati, Sancti videlicet Marci, atque Pentecostes, intra cujus spatium sæpe dies ista concluditur, jejunium Sancti Patres prævalere sanxerunt. Ita tamen ut Ecclesiasticum nihilominus Officium solemniter impleatur.*

XIV. Ex eodem Damiano eodem loco, ubi agit de jejunio Vigiliæ Apostolorum Philippi & Jacobi, jam & illud apparet, tribus Rogationum diebus jejunatum fuisse; id quod nos infra, cum de ipsis Rogationibus agemus, antiquis, solidis, certisque testimoniis latius ostendemus. Cæterum observasse Monachos die S. Marci jejunium, ab adipe abstinuisse, Processionesque, ut in Rogationibus, celebrasse, notavit Martene Lib. IV. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IV. num. 25. Sed fateri tamen ingenue cogimur, locum, quem S. Petrus Damiani recitat ex Moguntino Concilio, aliter legi in Collectionibus Conciliorum a Labbeo, & ab aliis doctis viris summo studio, ac diligentia adornatis; nam primo ubi Damianus legit, *ut in die* VII. *Kal. Maji*, in memoratis Collectionibus dici, *diebus tribus*, ut nempe ad triduanam ante ascensionem Christi Domini Supplicationem alludat; secundo, verbum illud *jejunemus*, quod veluti ex Canone Moguntini Concilii Damianus in sua Epistola, seu Opusculo adhibuit, in ipso Canone minime inveniri. Quidquid sit de hac variatione, illud pro certo habeo, Damianum Canonem ipsum descripsisse, prout in aliquo sui ævi Codice reperiit. Neque enim par credere est, S. Virum genuinum Canonem corrupisse, ut jejunium die festo S. Marci celebrandum probaret, quod, ut ipse affirmat, suo ævo in Ecclesia præsertim Romana omnium Matre, ac Magistra erat in usu. Porro si infra Paschatis octavam Majores Litaniæ ipsæ incidissent, jejunio illas vacasse, inter alios docet Joannes Abrincensis his verbis: *Litania Major, si infra octo dies Paschæ evenerit, nullum jejunium, nulla abstinentia, nec aliqua ejus mentio fiat, nisi festiva tantum Processio. Si autem alio tempore evenerit omnes, exceptis parvulis, & infirmis, jejunent*. Quod in hac Processione, illisque Rogationum, in signum pœnitentiæ Supplicationes Sanctorum, *cooperto capite*, dicerentur, addiscere licet ex Rodulpho in Chronico S. Trudonis Lib. VIII. quod extat Tomo VII. Spicilegii Dacheriani.

XV. Quamquam vero Litania ipsa Major, seu Supplicatio in Festo S. Marci antiquissima sit in Ecclesia, & ubique locorum recepta, ac religiose observata, in Urbe tamen, ac Diœcesi Mediolanensi temporum vitio ante S. Carolum, qui ipsam restituit, jam fuerat obsoleta. Testatur id quidem idem S. Carolus in Diœcesana Synodo II. Mediolanensi, Decreto III. ubi sic inquit: *Illarum pium usum*, Litaniarum scilicet Majorum, *in hac nostra Mediolanensi Ecclesia semel introductum, ac diu a Majoribus nostris sane servatum, quibusdam etiam certis statutis Ecclesiis, in quibus Festo illo S. Marci, & Stationes essent, & Supplicationes haberentur; eum his temporibus*

cum

*cum pene ita intermissum videamus, ut nullum pristinæ institutionis vestigium appareat: nos propterea, qui pro cura pastorali, quam gerimus, avidi, atque appetentes sumus omnis pii instituti in Urbe, ac Diœcesi nostra retinendi non solum, sed etiam restituendi, & quantum in nobis est, amplificandi, illud edicimus, ac jubemus, ut festo eo D. Marci die, signo Campanæ dato, Clerus Urbanus, qui Litanias Minores obire solet, ac debet, is universus Superpelliceis, & aliis solitis in hoc munere obeundo ornamentis indutus (id quod in cæteris Supplicationibus moris est) ad Metropolitanam nostram Ecclesiam conveniat, unde profectus post Missæ Sacrificium solemni ritu, sanctisque precibus ad statas eas Ecclesias procedat, quæ antiqui Auctoris Beroldi Libro descriptæ sunt; hocque Processionis Officio perfunctus, ad eam ipsam Metropolitanam Ecclesiam ordine redeat*. Statuit mox & alia S.Carolus, quæ cum Mediolanensem Ecclesiam solum spectent, consulto omittimus.

XVI. Celebrandas die xxv. Aprilis Festo S. Marci Litanias, seu solemnem Cleri Supplicationem, Processionemve, antiquæ passim, recentioresque Synodi, ac Rituales Ecclesiarum Codices districte mandant. Si vero hic quispiam quærat, utrum translato Festo S. Marci, transferendæ sint etiam Litaniæ, seu Processiones, dicam profecto, quod in hanc rem scripsit inter alios Guyetus in sua Heortologia, sive, *De Festis propris locorum, & Ecclesiarum*, Lib. IV. Cap. xx. Quæstione v. *Potest*, inquit, *occurrere Festum S. Marci die ipso Paschatis, uti accidit anno MDCLXVI. in quo casu Litaniæ, seu Processiones transferendæ sunt in Feriam tertiam sequentem ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die xxv. Septembris MDCXXVII. quod & Rubricæ Litaniæ post Laudes S. Marci appositum fuit in postrema recognitione Breviarii*. Subdit mox illud laudatus Auctor, quo Quæstionem ipsam ita resolvit: *Quocumque vero alio die occurrens prædictum Festum, transferatur, dicendæ sunt nihilominus Litaniæ in ipso die ex propria Rubrica, quæ jam ubique fere communis est*.

XVII. Pergit Guyetus, variosque de ea re usus recenset, improbatque Ecclesiarum Galliæ, quos & hic describere censui ad lectoris sacrorum rituum studiosi eruditionem, iisdem plane Guyeti verbis: *Sunt tamen aliqui adhuc usus hac in re diversi, quod procedit ex varia ratione servandi jejunii, seu abstinentiæ a carnibus. Et quidem translato Festo, una cum ipso abstinentiam, & Litanias transfert usus Turonensis haud ita probandus, cum nulla sit harum connexio cum ipso Festo. Minus adhuc placet usus Carnutensis & Aurelianensis recens ille ac de novo susceptus transferendi abstinentiam cum Litaniis seorsim a Festo in diem Veneris post Octavam Paschæ, commode id quidem, ut abstinentiæ parcatur, at bonam aliunde afferri posse rationem, vix mihi persuaserim*. Commodiores ait isto usu, imo & Romano ritui conformiores, Namnetensem, Venetensem, & siqui alii id genus sint, quod in quamcumque hebdomadæ Paschæ Feriam incidat Festum S. Marci, Litanias, seu Processiones in ea peragunt, abstinentiam vero prorsus intermittunt, nisi fuerit Feria sexta, aut Sabbatum. Strictiores dicit Bituricensem, & Cenomanensem, qui in quacumque die hebdomadæ Paschæ, translato Festo, abstinentiam, & Litanias retinent, itidemque Andegavensem, nisi quod ea ex die Paschæ transfert in Feriam tertiam post Octavam, & ex Feria secunda Paschæ in Feriam quartam similiter post Octavam.

XVIII. Spectant hæc quidem diem Paschæ, ejusque hebdomadam, quando in eam S. Marci Festum incidit. Quoad vero Dominicas consequentes, non improbandum ait ibidem Guyetus usum Parisiemsem, qui idem olim erat Bituricensis, & Arelatensis, transferendi abstinentiam cum Litaniis, seu Processionibus in Feriam secundam sequentem, eoque spectant duo illi versus,

*Si sint lux Domini simul & solemnia Marci,*
*Fit jejunando Processio luce sequenti.*

Quamquam ubique fere receptum est, ut fiant in Dominica ipsa Processiones, & Litaniæ, cesset vero tum abstinentia; inauditum siquidem est in Ecclesia, ut in ulla Dominica extra Quadragesimam servetur ullibi abstinentia; quam tamen anno MDCXXXVI. fuisse servatam in aliqua Diœcesi Galliæ, Episcopo rigorose nimis præceptum illud interpretante, audisse affirmat idem Guyetus loco citato, ubi etiam opportune docet, Litanias dicendas eo die, quo in qualibet Diœcesi servatur abstinentia: *Cum enim ad abstinentiam servandam eo quisque die teneatur, quo in Diœcesi præcepta est, abstinentiæ autem tanquam comites adjunctæ sint Litaniæ, seu Processiones, eæ omnino videntur eo semper die peragendæ, quo servatur in Diœcesi abstinentia*. Porro quamvis hæc abstinentia, jejuniumque servata antiquitus fuerint in Ecclesia Romana, ac in allis plerisque nostræ Italiæ Ecclesiis, ut ex recitato superius loco S. Petri Damiani addiscere licet, jam pluribus ab hinc Sæculis in desuetudinem abiere; neque enim Romæ, & in Regno Neapolitano ulla præcepta est abstinentia in Supplicatione Festi S. Marci, sicut nec in Rogationibus.

XIX. Abs re non erit & alia quædam hoc loco explicare, quæ ad materiam, quam agimus, spectant. Sane licet non omnes Sacri Homines variis ex causis ad Processionem S. Marci accedere teneantur, mandat nihilominus Romani Breviarii Rubrica, quæ legitur quidem post Laudes Officii S.Marci, ut qui *non intersunt Processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum cum precibus, & orationibus*. Esse hanc Rubricam præceptivam, & quidem sub mortali, ut, qui tenentur recitare Horas Canonicas, & non intersunt Processioni, dicere privatim Litanias debeant, communiter docent Sacri Scriptores, & inter alios Suarez, *De Horis Canonicis*, Cap. xv. num. 8. & 9. Bonartius in eodem Tractatu, Lib. II. Capite xxvi. & Gavantus in Rubricas Breviarii, Sectione vi. Cap. xvi. num. 3. ubi etiam tradit, quod licet oremus stantes tempore Paschali, tamen ii, qui non intersunt Processionibus S. Marci, & Rogationum, flexis genibus eas recitare debent; qui autem intersunt, dum incedunt, tenentur, & quidem pie, religioseque, non fabulantes, ne rei fiant coram Deo; & teneantur ad privatam earumdem recitationem, quia inter absentes eo modo numerantur, ut idem Gavantus docet sequenti num. 4.

XX. Haud tamen placet, quod subdit Gavantus, num. 6. posse nempe eum, qui recitat Vesperi Matutinum cum Laudibus, recitare Litanias, *quia*, ut inquit, *Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus, quibus idcirco adimitur ℣. Fidelium animæ &c. & accessorium sequitur naturam sui principalis*. Licet enim Litaniæ jun-

gantur cum Laudibus, non tamen habentur, aut vere sunt pars illarum, adeoque iis Vesperi anticipatis, non statim sequitur, Litanias ipsas posse etiam anticipari; sicut nemo dixerit, posse anticipari Vesperi Missam, quæ mane jungi potest cum Laudibus, iisque adimere Antiphonam finalem B. Mariæ. Sed ecce tibi argumentum ad hominem, ut ajunt, quod adversus ipsum Gavantum conficit citatus superius loco Guyetus, Quæstione VI. Refert ipsemet Gavantus, Sectione VII. Cap. XIII. ad diem II. Novembris, Decretum Sacræ Congregationis Rituum I. Septembris MDCVII. ne pridie Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum Vesperi recitetur Defunctorum Matutinum, sed ipsa die mane. Siqua autem ratio Decreti ipsius afferri potest, ea vel maxime est, quod cum dies II. Novembris addicta sit communi Ecclesiæ voto fundendis Orationibus pro Defunctis, anticipato Vesperi Matutino cum Laudibus, nihil pro Defunctis superesset Orationis in ipsa die. Ejusmodi rationem æque pugnare, imo & amplius pro Litaniis, ex eo demonstrari facile potest, quod cum ex instituto Ecclesiæ universalis addictæ sint diei XXV. Aprilis, & tribus Rogationum diebus, ad certum finem, ad quem etiam institutum est jejunium, seu abstinentia, de quibus jam supra diximus, si Vesperi anticipentur, nihil superesset ejusmodi precum in ipso jejunii, seu abstinentiæ die; nihil, inquam, prorsus, cum tamen anticipato pridie Officio Defunctorum, adhuc supersit ipso die Missa a singulis Sacerdotibus pro Defunctis celebranda. Guyeto consentiunt & alii Scriptores.

## §. I.

Clerus, & Populus hora statuta mane in Ecclesia congregati, omnes contrito, & humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Sacerdos Pluviali cum Ministris, vel saltem Superpelliceo, & Stola violacei coloris sit indutus, cujus coloris habitu in reliquis Processionibus semper utatur, præterquam in Processionibus Corporis Christi, & quæ fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actione; quibus diebus utitur colore propriæ solemnitati congruente. Cæteri vero Sacerdotes, & Clerici Superpelliceis induti sequentem Antiphonam stantes concinunt: *Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter Nomen tuum.* Psalm. *Deus auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis. Gloria Patri.* Repetitur Antiphona: *Exurge Domine &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Quum non pro solo Clero, sed & pro universo etiam fideli populo instituta primitus fuerit sacra ista Processio, hinc merito Rituales Codices mandant, ac præsertim Romanus, ut *Clerus, & Populus hora statuta mane in Ecclesia congregati, omnes contrito, & humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur.* Ut autem populus hujusmodi Processiones pie, religioseque prosequatur, S. Carolus iterum, ac iterum in Conciliis, Actisque Ecclesiæ suæ Mediolanensis constituit, ut non modo Parochi, sed & Concionatores prius illas denunciarent, ad easque obeundas Fideles hortarentur; itemque pridie Vesperi, quam haberentur, signum in omni Ecclesia campanarum sonitu daretur. Quanto olim concursu, quantave celebritate, ipsa potissimum Processio die XXV. Aprilis Festo S. Marci a Clero pariter, & Populo perageretur, testis est Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, num. LVI. *in Litaniis Majoribus*, inquit, *omnes Cruces Romanæ Civitatis cum Clero, & Populo honorifice cum Processione procedunt ad S. Marcum.* Ex præscripto nostri §. Clerus ipse, & Populus *hora statuta mane in Ecclesia congregari debet*; mane scilicet, & quidem diluculo, respective ad longitudinem itineris peragendi, & ut Missa celebrari possit, ut scite observat Barrufaldus in Commentario ad hunc nostrum §. ubi etiam notat, horam semel electam ad faciendam Processionem mutari non posse ex adductis a Pignatello Tomo VI. Consultatione DLXIII. num. 6. & a Matthæuccio, *Officialium Curiæ Ecclesiasticæ*, Cap. IV. num. 9. & seqq. Ecclesiam tandem, in qua congregari Clerus, & populus debet, intelligendam esse Cathedralem in Civitatibus, in Oppidis vero, & Pagis, Parochialem, Scriptores communiter docent, estque hæc communis omnium locorum praxis, nisi aliter fieri interdum Episcopus jusserit, vel necessitas coegerit.

II. Porro ubi Clerus, & Populus hora statuta mane in Ecclesia, unde scilicet exire debet Sacra Processio, congregati sunt, mandat Textus nostri §. ut *omnes contrito, & humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur.* Si enim placare Deum intendimus, & a nobis iram suam avertere, opus est, ut cordis compunctione prius efficiamur digni ad gratias istas impetrandas. Sed fateor equidem, vix me servatum vidisse in Processionibus, quod hic noster §. præscribit, munerisque iccirco sui onus adimplerent Sacrarum Cæremoniarum Magistri, si, ut recte Barrufaldus admonet, priusquam Litaniæ, & Processiones inchoentur, publicam precem indicerent, sub silentio tamen, & absque strepitu, ut sic statuto hujus §. obtemperent ii, qui Processionibus laudabiliter interesse cupiunt; nam jure meritoque Oratio ista præparatoria instituta est, ut sic per humilitatis actum, genuflectendo, & Deum deprecando, facilius ea, quæ in Litaniis, & Precibus petimus, consequamur. Sursum igitur hominum corda elevanda sunt per istam brevem orationem a nostro Textu præscriptam, quæ etiam ad componendum animum utilis est, illumque a vanis sæculi cogitationibus abstrahendum, ut in Processione solum Deum cogitemus, & animarum nostrarum indigentiam.

III. Huc sane spectat, quod in Concilio Provinciali IV. statuit S. Carolus, Constitutionum, Parte II. Capite, *De Processionibus*, ubi sic inter alia

alia inquit: *Clero ad Ecclesiam convenienti, Processionis, alteriusve ejusmodi Officii causa, locus aliquis Ecclesiæ illius, ample, quantum potest, patens constituatur; ubi simul universus, si potest, alioqui collegiatim saltem unusquisque Ordo conveniat, & tacite precando consistat, donec illas obeat, ne per Ecclesiam vagetur, aut quidquam aliud admittat, quod Concilio Provinciali secundo vetitum est.* Verba secundi Provincialis Concilii, Tit. II. Decreto IX. hæc sunt: *Clerus cum in aliquam Ecclesiam, vel ad Processiones, vel ad Stationes obeundas, vel ad funus convenerit, illud meminerit, se esse in Domo Dei sancta, quæ Domus est Orationis; quare nullus cujusvis Ordinis Clericus, aut Sacerdos in Ecclesia deambulet, nec in confabulationibus, & congressibus eo loco indignis versetur; sed unusquisque, aut solus, aut comitibus, sociisque aliis adjunctis, religiosas preces Deo in causa adhibeat, quamobrem Clerus universus convocatus est.* His adde, quod in citato loco Concilii IV. Provincialis idem Sanctissimus Antistes subjunxit: *Clericorum vero sit Ostiarii functiones in Ecclesia Cathedrali obeuntium, Ecclesiasticos Homines, Supplicationum, Processionumve causa in eum certum locum congressos, siquos vagantes, deambulantes, colloquentesve, animadverterint, Episcopi auctoritate prohibere, tum etiam contumacium nomina ad eundem deferre.* Similia legere est in aliorum Episcoporum Synodis, & Constitutionibus, quas de Processionibus ediderunt.

IV. His notatis, mandat præterea Textus nostri §. ut *Sacerdos Pluviali cum Ministris, vel saltem Superpelliceo, & Stola violacei coloris sit indutus.* Adhibendum colorem violaceum *in Missa Litaniarum in die S. Marci Evangelistæ, & Rogationum, & in Processionibus, quæ his diebus fiunt*, edicit etiam Rubrica Missalis Romani, Parte I. Titulo XVIII. num. 5. in signum scilicet mœroris, & pœnitentiæ, cui ipse color violaceus congruit. Inter alios dies, in quibus ex antiquo ritu color violaceus in vestibus sacris adhiberetur, tum Durandus, tum Ordo Romanus XIV. Auctore Gaetano, recenset Litaniam Majorem, quorum alter Libro III. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XVIII. num. 10. sic inquit: *Utitur etiam Ecclesia Romana violaceo colore in quatuor temporibus Septembris, & in Vigiliis Sanctorum, in quibus est jejunium, quando Missa est de Vigilia, & in diebus Rogationum, & in Missa, quæ dicitur in die S. Marci, de Officio Litaniæ, cum enim jejunamus, carnem nostram crucifigentes maceramus, ut sic facta livida, Christi livoribus confirmetur, cujus livore sanati sumus.* Idem docet laudatus Ordo Romanus XIV. Cap. LIII. aliique antiqui Codices Rituales.

V. Teste Gavanto in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XI. num. 8. quod in mœroris, & pœnitentiæ signum Christifideles in hujusmodi Sancti Marci, & Rogationum, vestibus nigris induti incederent, appellatæ aliquando fuerunt hæ Litaniæ *Processiones nigræ*. Unde non mirum, si etiam Clerus, ipseque Romæ Pontifex Maximus discalceati in hac præsertim Litania Majore incederent, uti docet Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XXXIX. num. 63. his verbis: *In Festo S. Marci Litania Majori Sanctissimus Dominus Papa descendit cum Episcopis, Cardinalibus universis, & aliis Ordinibus ad Ecclesiam Lateranensem, ubi veniens post Altare, & cantata Tertia, induunt se omnes Planetis, & excalceati ordinantur in Processione &c.* Esse antiquum ritum, ut in hac Processione Planetæ adhiberentur, constat ex Vita S. Leonis Papæ III. qui electus Romanus Pontifex fuit anno DCCXCV. In ea enim inter alia scribit Anastasius, occurrisse Pontifici Processionem hanc obeunti Paschalem Primicerium *sine Planeta*, & ita se se excusasse: *Quia infirmus sum, & ideo sine Planeta veni.* Cæterum pluribus ab hinc Sæculis invaluit mos, ut præter principalem Sacerdotem, qui Pluviali utitur, & quidem coloris violacei, cæteri Sacerdotes, & Clerici Superpelliceis; sed Monachi tamen, aliique Regulares proprio Religionis habitu induti procedant.

VI. Antiphona tandem, *Exurge Domine &c.* cantanda primum ex præscripto nostri §. in Ecclesia, unde exeunda est Sacra Processio, desumpta est ab ultimo versiculo Psalmi XLIII. mutato verbo *redime* in *libera*, legiturque in variis priscis Ritualibus Libris, tametsi non pauci alias Antiphonas canendas præscribant. Juxta Romanum Ordinem XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, num. 56. ubi agitur de Litania Majori, prius cantabatur Antiphona, *Domine Dominus noster, qui cum Patribus nostris*; deinde Psalmus, *Beatus vir*.

## §. II.

Deinde genuflectant, & duo Clerici ante Altare majus genuflexi devote Litanias cantare incipiant, cæteris eadem voce respondentibus. Cum autem cantatum fuerit, *Sancta Maria ora pro nobis*, surgunt omnes, & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes, præcedente Cruce, & sequente Clero, ultimo loco Sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum Ministris, prout res, vel locus postulat, sacris vestibus indutis.

## COMMENTARIUS.

I. Quum ad avertenda iræ Dei flagella, tum Major Litania in Festo S. Marci, tum Minor in triduo Rogationum institutæ potissimum fuerint, merito Textus hujus nostri §. mandat primum, ut genuflectant omnes, dum, antequam exeat ab Ecclesia Processio, duo Clerici ante Altare majus genuflexi devote Litanias cantare incipiunt. Sane quemadmodum, uti recte observat S. Joannes Damascenus, Libro IV. Orthodoxæ Fidei, Capite XIII. ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili, ita & duplicem devotionem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in mente interiori, & corporalem, quæ versa-

ſatur in exteriori corporis humiliatione. Exterior vero devotio fit propter interiorem, ut per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus alacri animo, & ſine cunctatione exequi, quæ ad Dei cultum pertinent; unde proſternere ſe, & genua flectere ad exteriorem pertinet devotionem; genua vero flectendi, corpuſque inclinandi uſus diebus præſertim pœnitentiæ addictis vetuſtiſſimus eſt, quem etiam a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis ad Chriſtianos manaſſe, multis veterum Patrum teſtimoniis probat Durantus, Lib. III. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXIV. num. 20. & ſeqq.

II. Quod Litaniarum originem ſpectat, difficile eſt eam definire. Nonnulli quidem opinati ſunt, primum illarum Auctorem fuiſſe S. Gregorium Magnum Pontificem Maximum, qui claruit labente Sæculo VI. At vero multo eſſe Gregorio antiquiores, perſpicue oſtendunt Baronius ad Martyrologium Romanum ſub die XXV. Aprilis, Suarez Tomo II. *De Religione*, Lib. III. *De Oratione*, Cap. IX. in fine, & alii complures, qui ex Conciliis, & Patribus, qui S. Gregorium præceſſerunt, Litaniarum antiquitatem probant. Fateor equidem, a principio non ita fuiſſe copioſas, ut in præſenti, nam paulatim plures Sancti additi fuerunt, ac ii præſertim, qui Confeſſores dicuntur, itemque plures poſt Sanctos Obſecrationes, uti in antiquis variis Litaniis videre eſt. Sed quidquid ſit de hujuſmodi additamentis, antiquiſſimus eſt certe in Eccleſia Litaniarum uſus, quas impie, perperamque, Lutherus, ejuſque aſſeclæ, ac ſequaces impetere conati ſunt; nihil enim in iis, quod Catholicum non ſit, & Divinæ Scripturæ Oraculis nixum. Certe precandi formas omnes, ut obſervat Guyetus in Heortologia, Lib. IV. Cap. XX. Quæſtione VI. recenſitas ab Apoſtolo in Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. II. ubi ait, *Obſecro vos, fieri Obſecrationes, Orationes, Poſtulationes, & gratiarum actiones*, continet ſeries una Litaniarum. Primo quidem Orationes in invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, Deiparæ Virginis, & Sanctorum. Secundo Obſecrationes ea parte, qua liberari *ab omni malo, ab omni peccato, ab inſidiis diaboli*, aliiſque poſcimus, *per adventum Chriſti, per Nativitatem*, aliaque ejus myſteria. Tertio Poſtulationes, quæ indicantur particula illa *ut*, nempe, *ut nobis parcas, ut nobis indulgeas, ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris &c.* quibus omnibus ſubditur reſponſio, *te rogamus audi nos*. Quarto denique gratiarum actiones, quæ habentur tum in Pſalmo, tum in ſequentibus Precibus, & Orationibus.

III. Fuiſſe vero olim ſingulas haſce Litaniarum partes fuſiores, prolixioreſque, conſtat plane, tum ex Radulpho Tungrenſi, *Propoſitione* XXI. tum ex antiquis Ritualibus, Ordinariis, Breviariiſque variarum Eccleſiarum, in quibus longe plures Sancti, pleræque Petitiones, atque Orationes continentur. Solemne enim Epiſcopis fuit, ut ſuos quiſque Sanctos proprios non omitterent, nempe inprimis Patronos, ſeu Eccleſiarum ſuarum Titulares, deinde Epiſcopos Diœceſis, tum alios naturales, ſive indigenas, ſive advenas, itemque illos, quorum habebant inſignes Reliquias, aut quorum fama ibi ex virtute miraculorum, opitulationum, aliove dono celebris erat; ſive quibus in Civitate dicatæ fuerint inſiginiores Eccleſiæ. Hunc ſane morem in poſtremis Breviariorum propriorum proxime ad Romanum reformationibus varias in Galliis Eccleſias pie ſapienterque retinuiſſe, conſtanter aſſerit laudatus Guyetus, probatque ex laudabili conſuetudine, qua Eccleſiæ ipſæ gaudent Sanctos ſuos Litaniis inſerendi.

IV. Contendit autem Gavantus in Commentariis ad Breviarium Romanum, Sectione IX. Cap. IV. recteque docet, Litaniis nullam debere fieri additionem, inconſulta Sancta Sede Apoſtolica, nec etiam Patronorum loci, & præſertim quando dicuntur Litaniæ ex præſcripto Breviarii Romani in Proceſſione S. Marci, in Rogationibus, & in Feriis ſextis Quadrageſimæ, quia ſcilicet Pius Papa V. prohibuit in Bulla ſua Romano Breviario præfixa omnem additionem. Forte in aliis caſibus addi poterunt ab Epiſcopis aliqui Sancti, Poſtulationeſve, puta in quibuſdam neceſſitatibus Populorum, ſicut adduntur in Rituali Romano varia, *A peſte, fame, bello &c.* ob varios caſus. Neque Paulus V. qui modernum Romanum Rituale primus edidit, probavitque, videtur prohibuiſſe in eo additionem fieri ex aliqua rationabili cauſa. Sed Sacra tamen Rituum Congregatio, teſte eodem Gavanto, die XXII. Martii MDCXXXI. reſpondit Canonicis Cathedralis Regienſis, non poſſe inſeri alios Sanctos Litaniis præter deſcriptos etiam tempore peſtis, quia nempe ipſi petebant facultatem addendi iis Sanctos Titulares, & Patronos Civitatis. Hinc merito Barruſaldus in ſuis ad hoc Rituale Romanum Commentariis, Tit. LXXIX. num. 10. veluti abuſum improbat morem Archiconfraternitatis Mortis, & Orationis in Civitate Ferrariæ, quod quaſdam ſoleat recitare Litanias a conſuetis diverſas, dum ſcilicet aſſociantur damnati ad patibulum, *in quibus Litaniis enumerantur nonnulli Sancti ſatis extravagantes, nempe Sanctus Diſmas, Sancta Reparata, & alii.*

V. Quamquam vero ſine Apoſtolicæ Sedis permiſſu nulla debeat, aut poſſit fieri in Litaniis additio, puto nihilominus, ſi qui additi in iis inveniantur, quibuſdam ſcilicet in Eccleſiis, ante reformatum a Pio V. Breviarium, & ante editum a Paulo V. Rituale Romanum, non eſſe ipſos a Litaniis expungendos, ſed omnino cum cæteris Sanctis invocandos, ut ſit Paulæ, quæ fuit Patria S. Franciſci Ordinis Minimorum Inſtitutoris, ubi ſemper in Litaniis Sanctorum invocatur hunc in modum, *Sancte Pater noſter Franciſce de Paula, ora pro nobis*. Invaluit quoque in noſtra Sancti Hieronymi Charitatis Domo laudabilis mos, ut in ſolis Sanctorum Litaniis, quas ter per hebdomadam in Oratorio Veſpertino poſt Orationem, quam appellant mentalem, ad horæ dimidium peractam, recitare ſolemus, poſt ultimum S. Confeſſorem, Sanctum Philippum, Nerium, ſcilicet invocemus, quod ipſe nimirum in prædicta noſtra Domo triginta tres annos commoratus primum Oratorium inſtituerit, quod iccirco Oratoriorum omnium ab ipſo, ſive ab ejus ſectatoribus inſtitutorum, Princeps, & Caput merito dicitur, ab eoque, ut fatetur Baronius ad annum Chriſti LVIII. Vallicellanæ Romanæ Domui nomen inditum eſt, *ut Congregatio Oratorii diceretur*. Sed de prærogativa noſtri Romani Oratorii S. Hieronymi Charitatis jam alibi fuſius, & quidem variis noſtrorum Operum locis diſſeruimus, dicemuſque magis magiſque, Deo dante, in peculiari de eodem Opere.

VI. At

VI. At vero, ut e diverticulo ad Litanias reditus fiat, cum noster §. expresse mandet, ut ubi devote duo Clerici Litanias cantare incipiunt, cæteri eadem voce respondeant, putant nonnulli, verbum illud *respondeant*, nequaquam intelligi, ut cæteri repetant id quod a Clericis ipsis cantatur, ut in Vigiliis Paschæ, & Pentecostes, sed satis esse, ut cæteri Cantoribus simpliciter respondeant: *Miserere nobis*, *Ora pro nobis*, *Libera nos Domine*, *Te rogamus audi nos*. Rubrica quidem Sabbathi Sancti præcipit, *ut Chorus idem simul respondeat*; in præsenti autem §. simpliciter dicitur: *Cæteris eadem voce respondentibus*, nempe invocationi complementum dantibus per ea verba, *Miserere nobis*, aliaque supra notata. Cæterum, teste Gavanto in citata Sectione IX. Cap. IV. num. 16. *communior usus Ecclesiarum Urbis est, quod, excepto Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecostes, Cantores, & Chorus eas dicant alternatim in Litaniis Majoribus ad distinctionem a Minoribus. Alicubi Chorus repetit quæ Cantores integre dicunt, ut in Sabbatho Sancto; qua in re standum est locorum consuetudini, & si longior Processio congrue id requirit*. Quod etiam in iis Litaniis decantandis alii singulas Sanctorum invocationes integras repetunt, ut in Vigiliis Paschæ, & Pentecostes, alii Cantoribus simpliciter respondent, *Ora pro nobis*, standumque sit consuetudini locorum, testatur etiam, docetque Guyetus in citata Heortologia, Lib. IV. Quæstione VI.

VII. Notandum nunc illud, quod ait noster §. mandans inter alia, ut, *cum cantatum erit*, Sancta Maria ora pro nobis, *surgant omnes*, *& ordinatim procedant egredientes*, *Litaniasque prosequentes*, *præcedente Cruce*, *& sequente Clero &c.* Sicque correctum est, quod Sacerdotale Romanum ab Alberto Castellano concinnatum, Venetiisque impressum anno MDLXVII. mandabat, ut nempe ibi genuflexi manerent omnes, unde exeunda erat Processio, usquedum diceretur, *Sancte Petre ora pro nobis*. De Crucis prælatione in Sacris Processionibus jam diximus supra non uno in loco, præsertim vero Capite I. hujus Tituli in Commentario ad §. V. Quo autem ordine, ac loco Regulares debent procedere, standum est receptæ, probatæque locorum consuetudini. Qui enim ratione consuetudinis solent in Processionibus præcedere aliis, vel qui sunt in possessione, vel quasi possessione aliis præcedere, manuteneri debent in dicta possessione, non obstantibus reclamationibus, & appellationibus quibuscumque, juxta celeberrimam Constitutionem, quam de ea re edidit Gregorius Papa XIII. incipitque, *Exposcit &c.* ubi inter alia statuit, præcedentiam in Processionibus observari debere juxta originem fundationis Monasteriorum in eo loco, in quo fit Processio, non vero juxta originem fundationis Religionum, nisi obstet consuetudo in contrarium. Porro variis in locis, & Civitatibus, ac Paulæ præsertim, connivente Magistratu, Dominicani ab ordinariis, & a Jure statutis Processionibus se abstinent, ne locum cedant Fratribus Eremitis S. Augustini, Minimis, Cappucinisque fundatione quidem Monasteriorum anterioribus, sed tamen Religionum posterioribus.

VIII. Varia scitu digna, quæ Litanias spectant, ac præsertim singulas earum partes, atque versiculos, ne in hoc Commentario prolixior fiam, lubens omitto, tum vero præsertim, quod ea fuse, docteque explicavit Paulus Maria Quarti Clericus Regularis peculiari Opusculo, quod inscripsit, *De Litaniis Sanctorum in Processionibus cantari solitis, & de eorundem Sanctorum intercessione*; legiturque in Appendice ad Tractatum, *De Processionibus Ecclesiasticis, tum in genere, tum in specie*.

## §. III.

Si Processio sit longior, vel repetantur Litaniæ, vel Litaniis absolutis usque ad Preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Pœnitentialibus, seu Gradualibus. Hymni vero, vel Cantica lætitiæ in iis, vel in Rogationibus, aut aliis Pœnitentiæ causa institutis Processionibus non dicantur.

## §. IV.

Si ad unam, vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ingressis Ecclesiam, intermissisque Litaniis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu, & Oratione Sancti Patroni illius Ecclesiæ. Deinde egredientes, resumptis Precibus, eodem ordine procedunt usque ad Ecclesiam, ubi cum Precibus, & Orationibus omnibus Processio terminatur, ut in fine Breviarii Romani post Psalmos Pœnitentiales.

## COMMENTARIUS.

I. SI antiquos Codices Rituales spectemus, oblongam fuisse hanc Processionem addiscimus ob varias Stationes, quæ in variis Ecclesiis fiebant. Addiscere id primum licet ex Sacramentario S. Gregorii Papæ, ubi notantur plures Orationes, una ad S. Laurentium in Lucina, altera ad S. Valentinum, tertia ad Pontem Milvium, quarta ad Crucem, quinta, & sexta in Atrio. Sequioribus Sæculis multo longiorem fuisse in Urbe istam Processionem, docent nos antiqui Romani Ordines XI. & XII. quorum prior Auctore Benedicto Canonico Sancti Petri, num. 56. sic inquit: *In Letaniis Majoribus omnes Cruces Romanæ Civitatis cum Clero, & Populo honorifice cum Processione procedunt ad Sanctum Marcum. Prius cantant Antiphonam*, Domine Dominus noster, qui cum Patribus nostris, *deinde Psalmum*, Beatus vir, *& reliquos. Cum autem ad Ecclesiam venerint, cantatur Responsorium*, Famule Dei Marce. *Finito Responsorio, faciunt*

*ciunt Collectam*, Populus Sion convertimini ad Dominum. *Finito cantu, dicunt*, Flectamus genua, Levate, *&* *Orationem*. Procedamus cum pace. *Respondent*: In Nomine Jesu Christi. *Exeuntes de Ecclesia, redeunt ad Processionem, per viam cantando Antiphonas, & Psalmos, & in statutis locis Letanias, sicut mos est, usque ad Sanctum Petrum, & accipiunt a Curia Domini Papæ Presbyterium secundum consuetudinem hujus diei*.

II. Multa sunt, quæ in recitato hactenus loco habentur, quibus nostri Paragraphi III. & IV. explicari egregie queant, sed operæ pretium duco ad eosdem magis magisque illustrandos, & ea describere, quæ idem laudatus Ordo Romanus XI. citato loco mox subjicit sequenti num. 57. *Interim convenientibus omnibus Patriarchiarum Canonicis cum suis Crucibus in Basilicam Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, ubi Dominus Pontifex post Altare ejusdem induit se cum Episcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus Sacri Palatii. Tunc Primicerius cum Cantoribus cantat*: Populus Sion. *Finito cantu, Dominus Pontifex dicit*, Oremus. *Archidiaconus*: Flectamus genua. *Alius respondet*: Levate. *Et Pontifex dicit Orationem. Schola respondet*: Amen. *Archidiaconus nunciat*: Procedamus cum pace. *Schola respondet*: In Nomine Christi. *Subdiaconus vero Regionarius elevat Crucem Stationalem de Altari, quam plene portat in brachio, ut osculetur ab omnibus in Processione ante Pontificem usque in exitu Ecclesiæ, deinde levat eam erectam. Primicerius cum Schola post Domnum Papam, tenens Pallium cum læva, primum incipit Antiphonam*, Domine Dominus noster; *deinde Lateranum eandem Antiphonam, postea Sancta Maria Major, in quarto loco Sanctus Petrus. Finitis Patriarchiis, Primicerius iterum incipit eandem Antiphonam, & hoc ordine cantantur aliæ Antiphonæ per totam viam, dum Pontifex cantat Psalmos. Cum autem venerit Processio ante Coloseum, Subdiaconus Regionarius incipit septiformem Letaniam. Basilicarii vero respondent illud idem usque ad septimum. Cum autem venerit ante Sanctam Mariam Novam, in præparato lecto Dominus Pontifex cum Episcopis, Cardinalibus, & Diaconibus quiescit, donec Letania finiatur. Qua finita, surgit Dominus Pontifex, dicit*: Oremus. *Diaconus*: Flectamus genua. *Respondetur*: Levate. *Pontifex dicit Orationem. Diaconus*: Procedamus cum pace; *& redeunt omnes in Processione per viam Sacram ad clivum Argentarii prælibatum. Subdiaconus incipit quinqueformem Letaniam eo ordine, quo prius, usque ad lectum ante Sanctum Marcum, ubi Dominus se pausat, sicut in primo. Deinde revertuntur in Processione usque ad Arcum triumphalem Theodosii, Valentiniani, & Gratiani Imperatorum, ubi incipit triformem Letaniam usque ad lectum in Ponte Adriano. Venientes ad Sanctum Laurentium in porticu majore, ubi incipit simplicem Letaniam usque ad lectum cantari ante S. Mariam in Virgari in fine Cortinæ*.

III. Similia his fere habet Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Capite XXXIX. num. 63. ubi etiam nonnulla habentur, quibus & recitatus superius locus Romani Ordinis XI. & nostri Romani hodierni Ritualis Paragraphi non parum dilucidantur: *In Festo S. Marci*, inquit, *Litania Majori Sanctissimus Dominus Papa descendit cum Episcopis, Cardinalibus universis, & aliis Ordinibus ad Ecclesiam Lateranensem, ubi veniens post Altare, & cantata Tertia, induunt se omnes Planetis, & excalceati ordinantur in Processione ab Archidiacono, & Subdiacono Basilicæ, & Priore Subdiaconorum, habentibus in manibus ferulas, ut superius in aliis Processionibus est narratum, Primicerio præsente cum sua Schola, & suum officium exercente, sicut convenit, cum Collecta; sicque processionaliter Ecclesiam exeunt, Cruce S. Laurentii foris murum præcedente, & deinde Cruce Sanctæ Mariæ Majoris, quæ de consuetudine diei talis ad Ecclesiam Lateranensem debet afferri; tertia affertur Crux ejusdem Ecclesiæ Lateranensis. Post has vero Crux quotidiana Domini Papæ; sic autem feruntur ordinate usque ad Sanctum Marcum*. Pergit prædictus Ordo, aliaque hæc subjicit mox sequenti num. 64. *Cum autem Dominus Papa venerit cum Processione ad Ecclesiam Sancti Clementis, ibi quiescit in lecto, superposito tapete, & herbis circumquaque positis, quæ tamen fiunt a Clericis ejusdem Ecclesiæ Sancti Clementis. Postquam vero quieverit, surgens vadit prædicto modo usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ novæ, ubi dum prædicto modo quiescit, unus de Schola Crucis cantat Litaniam. Surgens pergit prædicto modo usque ad Ecclesiam Sancti Marci, ubi, sicut superius scriptum est, requiescit. Et postquam pausaverit, surgit, & memorato modo incedit usque ad locum, qui Parion nuncupatur, Cruce Sancti Petri, quæ de consuetudine ipsa die apud Sanctum Marcum debet afferri, post Crucem Sancti Laurentii, & ante Crucem Sanctæ Mariæ-majoris in ordine præcedente. Ibi autem Dominus Papa prædicto modo quiescit, & post quietem incedit, sicut prius præmissum est, usque ad Pontem Sancti Petri; ibique modo prælibato quiescit; & ab illo loco surgens, prætaxato modo incedit usque ad locum, qui dicitur Cortina, & quiescit lecto ibi a Schola Virgarum prædicto modo aptato; surgensque accedit ad gradus Ecclesiæ Sancti Petri, & super gradibus vergens faciem ad Orientem, primitus intrat Ecclesiam, Primicerio cum Schola Cantorum*, Te Deum laudamus, *cantante. Factaque oratione post*, Te Deum laudamus, *super rota in introitu quasi Ecclesiæ, pergit ad Secretarium, & ablutis pedibus, ibi indutus, sicut moris est, & alibi scriptum, ad Altare pro Missa cantanda accedit*.

IV. Recitata hactenus loca satis nos docent, quanta pietate, humilitateque, Romæ Sæculo XII. Romani Pontifices Litaniam Majorem celebrarent, ex eisque addiscimus disciplinam eundi eo ævo in hac Processione per varias Urbis Ecclesias, ibique devotas Stationes una cum universo Urbis Clero, ac Populo peragendi. Quæ quidem disciplina fortasse adhuc hodie servaretur, nisi Clemens Papa V. initio Sæculi XIV. Romanam Sedem Avenionem transtulisset, ea enim translatione permulti sacri ritus, qui a Romanis Pontificibus in variis Solemnitatibus celebrari consueverant, adeo cessarunt, atque in desuetudinem abierunt, ut restituta Urbi Pontificia Sede, illi minime amplius in usum revocati fuerint. Cæterum quicquid sit de antiqua Romanorum Pontificum praxi in hac Processione aliquando servata, probat hodieque Rituale Romanum in hac Processione veterem ritum divertendi per plures Ecclesias, in iisque cantandi An-

Antiphonam cum Versu Sancti Patroni Ecclesiæ illius, ad quam in via divertitur, uti perspicue edicit noster §. IV. *Si ad unam*, inquit, *vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ingressi Ecclesiam, intermissisque Litaniis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu Sancti Patroni illius Ecclesiæ.*

V. Porro quod etiam post medium Sæculum XVI. in nostra præsertim Italia eadem Processio per varias Ecclesias pergeret, ac in eisdem variæ Antiphonæ, Preces, Orationesque canerentur, addiscere licet ex Romano Sacerdotali Venetiis edito anno MDLXVII. cujus locum tametsi prolixum operæ pretium duxi in præsenti nostro Commentario ad majorem prædicti nostri §. intelligentiam referre. Sic enim habet: *Repetita Antiphona*, Exurge Domine &c. *incepiatur Letania a duobus Clericis ante Altare genuflexis, & a Choro prosequatur, omnibus adstantibus genuflexis, usquedum dicatur*, Sancte Petre ora pro nobis; *& tunc egrediatur Processio, præcedentibus Acolythis, ultimo sequatur Sacerdos cum Pluviali, & Diacono, & Subdiacono, cum Dalmaticis, & procedant cantando Letaniam, quousque ad aliquam Ecclesiam pervenerint; quam ingressi, dimissa Letania, incipiant Antiphonam hanc sequentem, & eam cantent.* Ego sum Deus Patrum vestrorum, dicit Dominus, Videns vidi afflictionem Populi mei, & gemitum ejus audivi, & descendi liberare eos. *Qua cantata, dicat Sacerdos* ℣. Propitius esto peccatis nostris, Domine, propter nomen tuum. ℟. Nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum? ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio*. Deus, qui Juste irasceris, & clementer ignoscis, afflicti Populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus averte. Per eundem. *Postea cantetur Antiphona cum ℣. & Oratione de Sancto, vel Sancta, in cujus honore Ecclesia illa est intitulata.*

VI. Pergit Sacerdotale ritum exponere, qui in cæteris Stationibus ad eam Processionem fieri solitis observabatur: *Resumpta*, inquit, *Letania in loco, ubi dimissa fuerat, vel si fuerit completa, incæpto aliquo Hymno, procedant ad Processionem, & cum ad aliam Ecclesiam pervenerint, dimissa Letania, vel Hymno, cantetur Antiphona*: Clementissime Domine, exaudi Populum tuum tuam misericordiam devote poscentem, & in tua protectione sperantem ad te converte propitius. ℣. Exurge Domine adjuva nos. ℟. Et libera nos propter Nomen tuum. Oremus. Miserere, quæsumus, Domine, familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis munera compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per. ℟. Amen. *Postea dicantur Antiphona, ℣. & Orationes de Sancto, vel Sancta, cujus est Ecclesia. Postea resumpta Letania, vel Hymno, ubi fuerant prætermissi, Processionem prosequantur, & cum pervenerint ad aliam Ecclesiam, prætermissis Letania, vel Hymno, cantent Antiphonam*: Domine Deus noster, qui cum Patribus nostris mirabilia magna fecisti, nostris quoque glorificare temporibus, qui misisti manum tuam de alto, & liberasti nos Salvator noster. ℣. Si ambulaverimus in medio tribulationis, vivificabis nos Domine. ℟. Et Nomen tuum invocabimus. Oremus. Deus, qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, & fletus quoque lugentium non recusas, præsta quæsumus, ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per Dominum. *Postmodum fiat memoria de Sancto, vel Sancta, in cujus nomine illa Ecclesia intitulata est, per Antiphonam, ℣. & Orationem; & reassumpta Letania, ubi fuerat dimissa, vel Hymnus, ad Processionem procedatur, usque ad aliam Ecclesiam, ad quam Processio vadit, & ibi dimissa Letania, vel Hymno, cantatur Antiphona*: Multa sunt Domine peccata nostra, quæ tibi peccavimus, patientia Israel. Libera nos Domine in tempore angustiæ nostræ Deus noster ℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Oremus. Deus, qui culpas nostras piis verberibus flagellas, ut a nostris iniquitatibus emundes: da nobis, & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per Dominum. *Postea de Sancto, vel Sancta, in cujus honore fundata est Ecclesia, per Antiphonas, Versiculos, & Orationes fiat commemoratio; & resumpta Letania, vel Hymno, ubi fuerant dimissa, procedatur ad aliam Ecclesiam, quam ingressi cantent Antiphonam*; Parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis. ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam Nominis tui libera nos. Oremus. Parce Domine, parce Populo tuo, & nullis jam patiaris adversitatibus fatigari, quos pretioso Filii tui Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemisti. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula &c. *Postea fiat memoria de Sancto, vel Sancta illius Ecclesiæ per Antiphonam, ℣. & Orationem; & resumpta Letania, vel Hymno, procedatur ad Processionem versus Ecclesiam, ubi Processio debet terminari.*

VII. Ergo ex eodem Sacerdotali cautum est tandem, ut Ecclesiam, in qua terminanda est Sacra Processio, *ingressi Clerici, & Religiosi, si adfuerint, collocent se hinc, & inde, nec recedant, donec omnia fuerint completa, & hoc etiam in aliis Processionibus observetur. Ingressi igitur cantent Antiphonam*: Peccavimus, Domine, & tu iratus es nobis, & non est, qui effugiat manum tuam; sed supplicamus, ut veniat super nos misericordia tua, & qui Ninivitis pepercisti, miserere nobis, Domine Deus noster. Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. ℣. Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Tribulationes cordis nostræ multiplcatæ sunt. ℟. De necessitatibus nostris libera nos Domine. ℣. Peccavimus cum patribus nostris. ℟. Injuste egimus, iniquitatem fecimus. ℣. Miserere nostri. ℟. Quia multum repleti sumus despectione. ℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Deus ne elongeris a nobis. ℟. Deus in auxilium nostrum respice. ℣. Memor esto Congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. *Oratio*. Sequuntur mox variæ Orationes, & quidem diversæ ab iis, quæ leguntur post Litanias, quas recitare solemus post Psalmos Pœnitentiales, quasque una cum Precibus eisdem adjunctis dicendas in Ecclesia, in qua terminatur Processio, noster §. IV. præscribit.

VIII. Cæ-

VIII. Cæterum quod ad postremam Litaniarum partem attinet, quæ Psalmum, Preces, & Collectas, seu Orationes continet, aliqui Ecclesiarum usus, seu Rituales Codices habent Psalmum, *Deus misereatur nostri &c.* Alii, *Deus venerunt Gentes &c.* Radulphus Tungrensis citato superius loco notat Psalmum, *Inclina Domine aurem tuam &c.* Collectas vero sic disignat; pro Papa, pro Episcopo, pro Imperatore, contra hæreses, pro familiaribus, pro iter agentibus, pro Populo, pro peccatis, pro serenitate, pro vivis & defunctis, & hujusmodi necessitatibus. Teste Guyeto in Heortologia, Lib. IV. Cap. XX. Quæstione VII. peculiares habet Preces Breviarium Rhemense etiam modernum, hisque deinceps Postulationibus suæ ordine suo respondent Collectæ, quarum proinde numerus ad quatuordecim perducitur. Sunt in Silvanectensi usque ad XXXI. Sed fatetur tamen idem Guyetus, omnium castigatissimum esse Romanum usum, *cui nihil horum omnium addere necesse est, præter Orationem pro Rege a nostratibus*, Gallis scilicet, *communiter usurpatam post Orationem pro Summo Pontifice*. Sed hanc tamen Orationem cum Postulatione, *Ut Domnum Apostolicum &c.* & Versiculo, *Oremus pro Pontifice nostro*, omittendam Sede vacante, recte monet Gavantus in Commentariis ad Breviarium Romanum, Sectione IX. Cap. IV. num. II.

IX. Prætermiseram pene & alium ritum in hac Processione servatum, deferendi scilicet in ea non modo varias Cruces, verum etiam Sanctorum Reliquias cum cereis accensis, uti nos docent antiquæ Consuetudines Dionysianæ apud Martene Lib. IV. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IV. num. 34. *Ad Processionem*, inquiunt, *quæ dicitur Letania Major, debent Clerici Processionem præcedere; post hos unus ex Matriculariis indutus Alba ferat Aquam benedictam, & alter in Alba ferat Crucem, quæ est retro Altare Sanctissimæ Trinitatis, & alter in Alba lanceam Regis Dageberti, & Monachus quidam ferat Crucem parvam, quæ Dominicis diebus solet deferri ad Processionem; post hos alter Monachus in Alba ferat Baculum S. Dyonisii, post sequentur duo Clerici Sacerdotes in Cappis portantes feretrum S. Firmini; post hos sequatur Monachus quilibet qui ferat laternam cum cereo accenso, & duo cum candelabris &c.* Recte mandant, adhibendas laternas, ne scilicet ventorum vi cerei extinguerentur. Quod autem Reliquiæ in ipsa Processione deferrentur, probari & aliis testimoniis posset.

X. De Missa quoque ut aliquid & hoc loco notetur, sciendum illud, quod ait idem Gavantus in Rubricas Missalis Parte IV. Tit. XV. num. 7. in Festo S. Marci Missam Litaniarum Majorem cantari sine *Gloria*, *Credo*, & cum Præfatione ac tribus Orationibus, ut in Litaniis Minoribus Rogationum, nisi terminetur Processio ad Ecclesiam S. Marci, quia scilicet in ipsa Ecclesia cantari Missa debet de S. Marco ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis edito die XXIII. Maji MDCIII. *quia Titulus est Ecclesiæ, & lætitiæ locus eo die, nam alioquin cantantur duæ Missæ, de Festo, & de Litania, ex Micrologo, Cap.* LVIII. ut tradit idem Gavantus citata Parte IV. Tit. XI. num. 9. ubi etiam monet, in Missis de S. Marco non fieri commemorationem de Litania.

## §. V.

In Litaniis Minoribus Rogationum serventur omnia, ut supra in Litaniis Majoribus.

## COMMENTARIUS.

I. Certa est, constansque traditio, Auctorem Litaniarum Minorum, seu Supplicationum, quæ etiam Rogationes appellitantur, fuisse Mamertum, sive Mamercum, Viennensis Ecclesiæ Episcopum, qui claruit medio Sæculo V. Testantur id quidem varii Scriptores a doctissimo Eveillon in Opusculo, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XXI. allati, inter quos Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus Mamerci coætaneus, Lib. V. Epistola XIV. ad Aprum sic inquit: *Quidquid illud est, quod vel otio, vel negotio vacas, in Urbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocabere. Quarum nobis Solemnitatem primus Mamercus Pater, & Pontifex reverendissimo exemplo, utilissimo experimento, invenit, instituit, invexit.* Causam, modumque institutionis harum Litaniarum factæ a laudato Mamerto describit S. Gregorius Turonensis Lib. II. Historiæ Francorum, Cap. XXXIV. his verbis: *In his temporibus fuit in Vienna Urbe Terremotus maximus, ubi multæ Ecclesiæ, & domus multorum concussæ fuerunt, & subversæ, ubi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi acerbi ingressi per portam Civitatis devorantes plurimos. Nam veniente Solemnitate Sanctæ Paschæ, Sanctus Mamercus, qui in ea Urbe erat Episcopus, dum Missarum Solemnia ipsa Vigilia celebraret, Palatium quoque Regale, quod in ea Civitate erat, Divino igne succensum est. Cumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium Vir Sanctus Dei triduanum in Populo cum gemitu, & contritione.* Et paulo post subdit: *Tunc cessavit ipsa tribulatio, & subversio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei, & Sacerdotes hoc exemplum imitantes, usque ad præsens ipsas Litanias ubique celebriter colunt.*

II. Testantur vero & illud varii Scriptores, quod Ninivitarum exemplo Mamertus triduum proximum ante Ascensionem Ecclesiastica Lege Rogationibus consecravit, fuisse quidem communi Episcoporum consilio ab eo statutum. Sic enim scribit creditus Alcuinus antiquus Auctor Libri, *De Divinis Officiis*, in eo Capite, ubi de diebus Rogationum disserit: *Nam cum exigentibus peccatis Galliarum Populi luporum rabie interimerentur, nec hujus flagelli aliquod remedium inveniretur, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ Urbem, qui in commune statuerunt, ut triduano jejunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum vestigia sequentes. Cumque ad eorum preces oculus Divinæ pietatis respiciens flagelli hujus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in con-*

*consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum Provincias ante Ascensionis diem celebrarentur. Quæ consuetudo apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissime colitur.* Idem refertur in Chronico Cameracensi edito a Georgio Colvenerio his verbis: *Hujus temporibus habita Synodus Vienna Urbe describitur, ad quam Galliarum Episcopi a Beato Mamerco convocati, pene omnes convenerunt, ubi & ipsi Beatum Remigium utpote Divinis eloquiis eruditissimum, & præstantioris gratiæ privilegiis facundissimum venire petierunt.* Et post narrata prodigia, de quibus supra, ita demum subditur: *Hanc Divinæ indignationis animadversionem ex offensa hominum accidisse, advertentes Episcopi, communi consilio decreverunt, servari jejunium, quod triduo ante Ascensionem Domini usque nunc per omnes Galliarum Ecclesias agitur; sicque ipsa tribulatio, atque subversio quievit.*

III. Omnium primos suscepisse eam institutionem Arvernos, recte conjicit Jacobus Eveillon citato loco ex Epistola Sidonii ad ipsum Mamercum, quæ est prima Libri VII. qua scribit, Arvernos sua vestigia tam sacrosanctæ informationis sedulo fuisse amplexatos, petitque, sibi transmitti Formulam solemnium Precationum, qua usus fuerat. Certe brevi post intervallo, nempe anno DXI. Concilium Aurelianense I. harum Rogationum observationem per Galliam edixit, sic inquiens, Can. XXVII. *Rogationes, idest, Litanias ante Ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari, itaut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur; per quod triduum servi, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Tum Canone sequenti mandat, ut *Clerici, qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium Episcopi, Ecclesiæ suscipiant disciplinam.* Hisce Decretis paruisse universas Galliæ Ecclesias, dubitare haud licet; laudatur siquidem a Gregorio Turonensi in Libro, *De Vitis Patrum,* Cap. IV. S. Quintianus Episcopus, qui quinquennio post Concilium ipsum Aurelianense ad Arvernensem Sedem evectus est, quod *Rogationes illas, quæ ante Ascensionem Dominicam aguntur, devotissime celebraret;* in quibus inquit: *Die tertia cum portæ Civitatis appropinquarent, suggerunt ei, ut ipse dignaretur imponere.* Imposuit autem: *Si clausero Cælum.* Gallicani moris in servandis Rogationibus meminit etiam Synodus Turonensis II. anno DLXVII. celebrata, ubi Canone XVII. a Pascha ad Pentecosten prandia permittit Monachis, *exceptis Rogationibus.* Hinc quod ipsa religio omnes Galliarum Provincias tam celeriter invaserit, Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui ante memorata Concilia claruit, in Sermone CLXXIII. qui legitur in Appendice Tomi V. Operum S. Augustini novæ editionis, *in toto mundo,* & quidem *regulariter* celebrari existimavit, sic inquiens: *Præcipue in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se a sancto conventu subducat, nullus Ecclesiam cælestis Medici Scholam occupatus terrenis actibus derelinquat.*

IV. Tardius Romæ receptas fuisse Rogationum Supplicationes, & quidem sub Pontificatu Leonis Papæ III. docet nos in illius Vita Anastasius. Sane dum Carolus Magnus Imperator Spoleti adhuc degeret, pridie Kalendas Maji, hora noctis secunda terræmotus adeo vehemens fuit, ut in quibusdam locis Urbes ruerent, & montes, tectumque Basilicæ S. Pauli Apostoli Romæ cum trabibus suis magna ex parte decideret. Ob id, institutum esse a Leone ait Sigonius, Lib. IV. *De Regno Italiæ,* anno DCCCI. ut præcedentibus tribus Ascensionem diebus Supplicationes ad diversas Urbis Romæ Ecclesias haberentur. In Libro, *De Vitis Pontificum Romanorum,* qui nomine Luitprandi Diaconi circumfertur, & Auctorem Sæculo IX. exeunte Monachum fuisse creditur, Cap. XCVIII. Leo III. dicitur constituisse, *ut tres dies ante Dominicam Ascensionem Litaniæ celebrarentur.* Loquitur quoque de eo terræmotu superius memorato, de reparato tecto Ecclesiæ S. Pauli Romæ, & de institutione Rogationum per laudatum Leonem Papam III. Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis apud Cl. Mabillonium Sæculo III. Benedictino, Parte II. his versibus.

*Pauli tecta soli subito collapsa tremore*
*In melius revocat, cultuque reformat honesto,*
*Hæc & multa subhinc numerosis dotibus augēs.*
*Jura precū cumulat, servādaque Gallica tradit*
*Ascendens iter Domini præeuntia vota.*

V. Sed describamus Anastasii locum in Vita laudati Leonis III. ubi & institutionem Rogationum ab ipso Pontifice, & ordinem Processionum triduo Romæ ante Ascensionem peragendarum sic refert: *Ipse vero a Deo protectus, & præclarus Pontifex constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ Letaniæ celebrarentur. Scilicet Feria secunda egrediente Pontifice cum omni Clero, & cuncto Populo cum Hymnis, & Canticis spiritualibus ab Ecclesia Dei Genitricis ad Præsepe pergendo ad Ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana. Feria tertia vero exeuntes ab Ecclesia S. Sabinæ Martyris, & pergentes ad Beatum Paulum Apostolum. Feria quarta exeuntes ab Ecclesia Hierusalem, & pergentes ad Ecclesiam Beati Laurentii Martyris foris muros.* Romæ receptæ hujusmodi Rogationes appellari fortasse potuerunt, *Litaniæ Minores,* comparatæ ad Majores illas, quæ die XXV. Aprilis habebantur, quæ nempe solemnitate majori, majori etiam Cleri, atque Populi concursu, ac longiori Processionis itinere observari consueverunt, ut observat doctissimus De Rubeis in Dissertatione, *De sacris Forojul. ritibus,* Capite XXV. num. VI. Ludovicus Thomassinus Scriptor cæteroqui accuratus, & eruditus in singulari Tractatu, quem de jejunio composuit, existimat, Supplicationes solemnes in Festo S. Marci constitutas, de quibus nos supra late disseruimus, per dies tres perinde, ac in Rogationibus celebratas fuisse, fultus testimonio, Libri V. Capitularium Regum Francorum, Capite LXXXV. quod ita habet: *Placuit nobis, ut Litania Major observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus.* Verum, si Auctor ipse vel paucos Sacramentorum Libros manuscriptos pervoluisset, advertisset haud dubium, in compluribus Rogationes etiam dici Litanias Majores, de quibus proinde intelligendus est Capitularium locus, maxime cum ne levissimum quidem sit deprehendere vestigium triduanæ Supplicationis in Festo S. Marci in omnibus, quæ hodie extant, Missalibus mss. nec plus favet Concilii Moguntini anni DCCCXIII. Canon XXXIII. ex quo Capitularium locus desum-

sumptus est, qui proinde eodem modo intelligendus est, vel, uti eum legit S. Petrus Damiani, cujus testimonium attulimus supra in Capitis hujus Rubricam num. XIII.

VI. Finis triduanæ hujus Supplicationis est idem, qui in Litania Majore die XXV. Aprilis in Festo S. Marci celebrari solita, ut scilicet operibus pœnitentiæ, uti observat laudatus toties Eveillon in citato Opusculo, Cap. XXI. & precibus assiduis propitietur Deus peccatis Fidelium, & iræ suæ flagella ab eis amoveat, aeris, & corporum salubritatem, ac frugum ubertatem det, omnibusque Populi Christiani necessitatibus benigne prospiciat, quemadmodum docet vetus Ordo Romanus apud Hitorpium, itemque Amalarius, Lib. I. Cap. XXXVII. Honorius Augustodunensis in Gemma animæ, Lib. III. Capite CXXXIX. & Cæsarius Arelatensis, qui longo tempore ante hos omnes vixit, in citato superius Sermone CXXXVII. Appendicis Tomi V. Operum S. Augustini ultimæ editionis Patrum Benedictinorum Congregationis S. Mauri. Itaque hi dies sunt expiationum, & dies pœnitentiæ, unde Preces, quas in iis usurpat Ecclesia ex præscripto antiquorum Missalium, Ritualiumve, omnes pertinent ad pœnitentiam, & miseriarum ex peccato insurgentium deprecationem, atque hæc causa est, cur & nostrum hoc Rituale Romanum supra §. IV. vetet in his Processionibus, & Litania Majore, aliisve pœnitentiæ causa institutis Supplicationibus, dici Hymnos, vel Cantica lætitiæ.

VII. Ob eandem pœnitentiæ causam triduo Rogationum omnibus, quibus per ætatem, aut valetudinem liceret, impositum fuisse jejunium, constat plane ex recitato superius Can. XXVII. Concilii I. Aurelianensis, cui addi possunt alia complura Conciliorum, & Patrum testimonia: *Festivitas siquidem, cujus jucunditas sola sobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus pastus esuries est.* Verba sunt Aviti Viennensis Episcopi in Homilia, *De Rogationibus*. Cui concinit memoratus S. Cæsarius Arelatensis Episcopus sic in citato Sermone inquiens: *Nemo in his tribus diebus, aut sanguinem tollat, aut potionem accipiat, nisi forte infirmitas hoc nimium periculosa compellat. Conviviola nobis etiam Quadragesimali ordine præparemus, & magis legendo, psallendo, vel orando, animabus nostris spirituales epulas, quam corporales delicias, requiramus.* Servatum fuisse triduanum hocce jejunium in Anglia, addiscimus ex Concilio Cloveshoviensi ibidem celebrato anno DCCXLVII. Can. XVI. *Item quoque secundum morem priorum nostrorum tres dies ante Ascensionem Domini in Cælos in jejunio usque ad horam nonam, & Missarum celebrationem veneremur &c.* Jejunium quoque Romæ, & in Italia servatum fuisse saltem Feria IV. Rogationum, sive in Vigilia Ascensionis, liquet ex Sacramentario S. Gregorii Papæ, sive ex additamento illi assuto, ubi secreta Missæ Oratio prædictæ Feriæ IV. sic habet: *Jejunantium, Domine, quæsumus, supplicum vota propitius intuere; & munera præsentia sanctificans, perceptione eorum, occulta cordis remedio tua clarifica pietatis, ut nec opera carnalia, nec fluxa nos teneant, quos institutor jejunii Christus Dominus reparavit.* In Ordinario etiam ms. nostri Lucæ Consentini in citeriori Calabria Archiepiscopi, Vigilia Ascensionis in jejunio notatur.

VIII. Neque vero id mirum videri debet, servatum fere ubique locorum fuisse istud jejunium, a prima enim Rogationum institutione a S. Mamerto facta jejunatum in ipsis fuit, teste Sidonio Apollinari Arvernensi Episcopo S. Mamerti coævo, Libro V. Epistola XIV. ubi sic inquit: *In his jejunatur, oratur, psallitur, fletur.* Cæterum cum ex Sacris Canonibus animadversum esset, jejunia non indici a Pascha ad Pentecosten propter lætitiam Resurrectionis Dominicæ, ut constat ex Capite, *Scire debet*, Distinctione LXXVI. hinc mirari se ait Amalarius, Libro I. *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite XXVII. *quomodo inolevit consuetudo præsentis jejunii in nostra Ecclesia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Ecclesias, cum Sancti Patres, quos memoravimus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, dicant, relaxanda jejunia tempore Pentecostes*, idest, Quinquagesimæ post Pascha. Atque hinc est, quod sequioribus Sæculis jejunii Quadragesimalis observatio in his diebus relaxata fuit, & solum retenta abstinentia a carnibus ad aliquam pœnitentiæ speciem. Unde Jacobus de Vitriaco Sermone in Feria II. Rogationum ait: *In his autem Litaniis jejunare solebant in principio in Quadragesimalibus cibis, nunc autem pauci jejunant primis duobus diebus, nisi in caseo, & ovis. Omnes autem debent ab operibus mundanis cessare, sicut in diebus festis, donec facta sit Processio, cui debent interesse.* Quæ postrema verba respiciunt ad recitatum superius Canonem XXVII. Concilii I. Aurelianensis.

IX. Quæ fuerit apud Hispanos de ipso jejunio disciplina, tradidit jam S. Isidorus Episcopus Hispalensis, Lib. I. *De Officiis Ecclesiasticis* Cap. XLII. quod relatum est in Canone, *Post Pascha*, Distinctione LXXVII. his verbis: *Post Pascha autem usque ad Pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen siqui Monachorum, vel Clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia Antonius, & Paulus, & cæteri Patres antiqui his diebus in Eremo leguntur abstinuisse, neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die Dominico.* Porro in hac postremorum temporum fœce, admirabilis præ cæteris fuit civis meus S. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum Institutor, qui, ut legitur in Breviario Romano ad diem II. Aprilis, *cibi abstinentia fuit admirabili; semel in die post solis occasum reficiebatur, & ad panem, & aquæ potum, vix aliquid ejusmodi obsonii adhibebat, quo vesci in Quadragesima licet; quam consuetudinem, ut Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrixit.* Sed hoc obiter dicto, illud certe constat ex recitato superius loco S. Isidori, relictum fuisse solorum Clericorum, ac Monachorum arbitrio, si vellent prædictis diebus jejunare. Atque huc facit, quod de Hispanis ipsis scribit Walafridus Strabo in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. XXVIII. illos scilicet Litanias suas post Pentecosten rejecisse, quod intra Quinquagesimam Paschæ recusarent jejunare. In Ecclesia quoque Mediolanensi, non ante Ascensionem, sed sequenti hebdomada Rogationes ipsæ recoluntur, & quidem cum triduano jejunio, uti edicitur in Concilio Provinciali Mediolanensi I. a S. Carolo celebrato, in Capite, *De jejunio*, his verbis: *Ut triduo etiam Rogationum post Ascensionem Domini ex veteri instituto in Mediolanensi Ecclesia jejunium adhibeatur.* Servandum jejunium in

in triduo Rogationum ante Ascensionem, probari posset ex variis Ritualibus, ac Synodis etiam recentioribus, inter quas Coloniensis habita anno MDXXXVI. jejunii, & Rogationum, quæ ante ipsam Ascensionem fiunt, rationem hanc affert, quod scilicet cum Festum hoc in vernum incidat tempus, quo plerumque bellum geritur, & fructus terræ florentes periculo sunt obnoxii, per hujusmodi pœnitentiam, ac preces, Dei ira placanda est, & super terræ fruges benedictio petenda, ac proinde his diebus Processiones campestres a Majoribus nostris institutæ sunt, de quibus etiam infra dicemus.

X. Festivos primitus tres istos dies Rogationum fuisse, liquet ex Concilio I. Aurelianensi anni DXI. Can. XXVII. *quo magis plebs universa conveniat*, ad ipsas nempe Supplicationes; itemque ex Capitularibus Caroli Magni, atque ex Canone, *Pronunciandum*, De Consecratione, Distinctione III. quem Burchardus, Ivo Carnotensis, & Gratianus frustra adscribunt Concilio Lugdunensi, quod est incognitum, estque Haitotonis Episcopi Basileensis, qui tempore vivebat Caroli Magni, & Ludovici Pii. Inhibitiones autem abstinendi hoc triduo ab operibus servilibus paulo post restrictæ fuerunt ad Processiones tantum, quibus completis, permissum fuit precationi, & abstinentiæ, manuum opera potius conjungere, quam otio, & voluptatibus operam dare. Id quod non obscure significat Jacobus de Vitriaco in suo superius laudato Sermone, ubi inter alia inquit, quod in hoc triduo *omnes debent ab operibus mundanis cessare, donec facta sit Processio, cui debent interesse*. Romæ numquam dies istos fuisse festivos, tradit Grancolas in Commentario Historico ad Breviarium Romanum, Lib. II. Cap. LXXIV. subditque mox, in Concilio tantum Trevirensi anni MDXLIX. commendari, ut habeantur semifestivi, qualis est Feria quarta Cinerum, & triduum ante Pascha. Dolendum plane, minime hodie hujusmodi Processiones antiquitate celebres, & a Patribus summopere commendatas, a Christianis laicis frequentari, quia scilicet earum utilitates ignorant, quas alias Parochi deberent eisdem, sicut & cæteras Ecclesiæ functiones, ac cæremonias, exponere, uti Sacræ Synodi mandant.

XI. Quod autem pœnitentiæ demonstrandæ causa, uti jam iterum iterumque dictum fuit, & ad avertenda iræ Dei flagella, Rogationes institutæ sunt, hinc solemnis ante Processionem olim Cineris Benedictio, ac super singulorum Fidelium capita impositio non secus, ac in Capite Quadragesimalis jejunii, adhibita fuit, testesque hujus ritus sunt pervetustus Codex Turonensis Ecclesiæ annorum circiter CM. & Pontificalis Codex Salisburgensis, in quorum primo singulæ singulis Rogationum diebus assignantur Missæ, præmissa Cinerum Benedictione hoc modo: *Deus, qui humiliatione Fidelium flecteris, & satisfactione placaris, aurem tuæ pietatis inclina precibus nostris, & capitibus Servorum tuorum, horum Cinerum infusione tangendis effunde propitius gratiam tuæ bene ✠ dictionis, ut eos & spiritu compunctionis repleas, & quæ juste postulaverint, efficaciter tribuas, & concessa perpetua stabilitate manere decernas. Per*. In altero vero sic legitur: *In Litania Minore, sicut in Majore, Feria secunda inprimis agitur Benedictio Cineris, sequente Antiphona*: Exurge Domine, adjuva nos. Deus auribus. *Qua finita, ponendi sunt Cineres super capita singulorum virorum, ac mulierum, incipiente Clero, sicut Antiphonarium testatur*: Immutemur habitu. *Mentem familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per*. Legi & hæc possunt apud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXVII. num. IV. qui etiam notat sequenti mox num. V. similem ritum adhuc hodie vigere in Ecclesia Mediolanensi; in Ecclesia autem Viennensi, aliisque non paucis, puta in Ebrodunensi, Glandatensi, Uticensi, Silvanectensi, Carnotensi S. Joannis, Gastinensi, atque apud Præmonstratenses fieri etiam Aquæ lustralis aspersionem.

XII. Ritum quoque antiquum fuisse, ut in Supplicatione, seu Processione Rogationum omnes ipsi etiam laici & sæculares viri, ac mulieres Cinere non modo conspersi, & cilicio induti, verum etiam discalceati incederent, constat non solum ex antiquo Romano Ordine apud Hitorpium, sed etiam ex Canone XXXIII. Concilii Moguntini anno DCCCXIII. celebrato, ubi ritum celebrandæ Rogationum Supplicationis, quam Litaniam Majorem appellat, ita præscribit: *Placuit nobis, ut Litania Major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut Sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, & pretiosis vestibus induti, sed discalceati, Cinere, & cilicio induti nisi infirmitas impedierit*. Ab hac lege nec ipsos Imperatores, Reges, aut Principes fuisse immunes, docet nos exemplum Caroli Magni, quem merito laudat Monachus Sancti-gallensis in Libro de rebus ejus bellicis, Cap. XVI. *quod tempore Litaniarum de Palatio discalceatis pedibus usque ad Ecclesiam Pastoralem, vel ad S. Hemerammum, si quidem esset Ragenespurg, Crucem sequi solitus esset*. Nec minori digna laude videtur Sancta Elisabetha Hungarorum Regis filia, quæ, ut legimus in ejus Vita, Cap. X. apud Surium die XIX. Novembris, *lustrationem Christano more, priusquam Dominicæ Ascensionis Solemnitas agitur, fieri solitam, & ipsa laneis amicta, nudaque pedibus observabat, Christi Crucem, ac Sanctorum Reliquias indifferenter cum vulgo insequuta, Deique verbum auditura, peuperibus se feminis semper intermiscuit, non ignorans, cæleste semen in humili cordis globa uberius exurgere*.

XIII. Deferri consuevisse in hac Rogationum Processione Sanctorum Reliquias, ex variis antiquis Synodis liquet, inter quas Cloveshoviensis in Anglia anno DCCXLVII. habita, Can. XV. inter alia edicit, ut tribus ante Ascensionem Domini in Cælos diebus, *cum timore, & tremore, Signo Passionis Christi, nostraque æternæ redemptionis, & Reliquiis Sanctorum ejus coram portatis, omnis Populus genuflectendo, Divinam pro delictis humiliter exoret indulgentiam*. Idem ritus colligi potest ex antiquo Romano Ordine apud Hitorpium, Capite inscripto, *De Litania Minore*, aliisque Ritualibus priscis; perspicueque evincitur ex Vita S. Winoci Abbatis, Cap. XIII. *Dies*, inquit, *Rogationum advenerat, Populus cum Crucibus, & Reliquiis, & Cambuca Sancti longius processerat &c.* & ex Epistola Cuthberti ad Cuthvvinum de obitu Venerabilis Bedæ, qui accidit in Vigilia Ascensionis, hoc est, Feria quarta Ro-

Rogationum: *Mane illucescente*, ideft, quarta Feria, præcepit, *diligenter fcribi quæ cœperamus & , hoc facto, ufque ad tertiam horam ambulavimus, deinde cum Reliquiis Sanctorum, ut confuetudo illius diei pofcebat*. Atque hujus antiquæ confuetudinis meminit etiam Auctor Libri Miraculorum S. Trudperti num. 16. apud Bollandianos die xxvi. Aprilis: *Occurrerunt Rogationum dies, in quibus Sanctorum Reliquias. & Imagines moris eft circumferri*. Porro quod in hujufmodi Proceffionibus Sanctorum Reliquiæ geftarentur, ritus ille paffim obtinuit in Ecclefiis Cathedralibus, uti notat Eveillon citato fuperius loco, ut Proceffiones ipfæ incipiantur ab Antiphona, *Surgite Sancti*, vel, *De Jerufalem*. Addit mox etiam, Ordinem hunc fumptum effe ex Antiphonario S.Gregorii Papæ in Officio Litaniæ Majoris, hancque fortaffe caufam effe, cur plerifque in locis pia confuetudo invaluerit flores, & herbas fuaveolentes in via fpargendi adveniente Proceffione, de qua Baptifta Mantuanus celebris Poeta mentionem facit his verfibus Lib. iv. Faftorum.

*Ante triumphali Chriftus quam fidera pompa,*
*Confcendat, Litaneja Minor per rura, per Vrbes*
*Incedit, tres mane dies pulfantibus æra*
*Turribus, & fparfis paffim cum floribus herbis.*

XIV. Tefte Durando Lib. vi. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. cii. num. 7. *in Proceffione ipfa præcedunt Crux, & Capfa Reliquiarum Sanctorum, ut Vexillo Crucis, & Orationibus Sanctorum, dæmones repellantur*. Portari etiam inquit num. fequenti. *Vexilla ad repræfentandam victoriam Refurrectionis, & Afcenfionis Chrifti, qui cum magna præda Cælos afcendit*. Sed audiamus ms. Ordinarium Ecclefiæ Argentinæ, ubi ritum ipfum exponit geftandi in ipfa Rogationum Proceffione Cruces, Vexilla, & facras Sanctorum Reliquias: *Poft Nonam*, ait, *compulfentur omnia figna, & fiat Proceffio ad S. Aureliam, & portentur tres Cruces, & cum qualibet Cruce duo Vexilla, & unum Feretrum Reliquiarum Sanctorum. Hæc portentur a Scholaribus induti Albis, excepto uno Feretro, quod a duobus Hebdomadariis portatur Albis induti, nudis pedibus incedentes, & baculos in manibus tenentes; fed in portando Scholares induti Superpelliceis in itinere fupplent vices eorum, ita tamen, quod ipfi Hebdomadarii cum Feretro vadant, & in introitu Ecclefiarum, quas intrare folet Proceffio, ipfi propriis humeris importent, ponentes Feretrum in Altari ipfius Ecclefiæ, expectantes ufquedum Clerus veniens in eandem Ecclefiam cantaverit, & legerit ea, quæ funt canenda; tunc exportent Feretrum, & reddant Scholaribus. Præbendarii tamen Chori poffunt fupplere vices Hebdomadariorum in prædictis. Idem etiam Feretrum ponitur fuper Altare ante publicam Miffam per Sacriftam, & poft Miffam fumitur de Altari. Reliqua etiam Feretra portentur a Scholaribus in Ecclefias, ficut illud, de quo dictum eft fupra*. Hactenus ms. Ecclefiæ Argentinæ Ordinarium defcriptum a Martene in Libro, *De antiqua Ecclefiæ difciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. xvii. pag. 528. & feq. ex eoque confirmatur, quod docet Durandus de geftandis in prædicta Proceffione Cruce, Vexillis, ac multis etiam Sanctorum Reliquiis.

XV. Curiofum plane illud eft, quod idem Durandus refert de ufu quorundam locorum geftandi fcilicet in triduo Supplicationis Rogationum, fictitium draconem: *Confuevit quoque quidam draco cum cauda longa, erecta, & inflata duobus primis diebus ante Crucem, & Vexilla procedere; ultima vero die quafi retro afpiciens, cauda vacua, atque depreffa retro fequitur*. Tum vero nititur variis myfticis rationibus ritum ipfum fic explicare: *Nempe draco ifte fignificat diabolum, quia per tria tempora, fcilicet ante Legem, & fub Lege, & tempore Gratiæ, quæ per hos tres dies fignificantur, homines fefellit, & nunc fallere cupit; in duobus primis temporibus regnavit, & quafi Dominus Orbis fuit caudula longa, ideft, potenter; & inflata, ideft fuperbe incedens, unde Chriftus illum Principem vocat, & Joannes ait in Apocalypfi*: Draco de Cælo cadens traxit fecum tertiam partem Stellarum, *ideft, hominum; & Dominus in Evangelio*: Videbam fatanam tanquam fulgur cadentem de Cælo. *In cujus rei figuram duobus diebus modo prædicto procedit. In tempore vero Gratiæ per Chriftum victus eft, & data eft Apoftolis ejiciendi fpiritus immundos poteftas; propter quod tertia die draco, quafi poteftate propter Fidei dilatationem amiffa, poft Crucem fequitur, cauda vacua, & demiffa, & non longa, quia non audet ita potenter regnare, ut prius, fed per fuggeftionem, & latenter homines feducit, quos videt pigros in bonis operibus, & remiffos, nec viam vitæ fectantes, quafi fur retro afpiciens, fiquis oberret, & a rectitudine cadat, quem ad fe quafi caudam trahat, & fibi incorporeo, ficut & in Deferto Filios Ifrael infirmos, & debiles, & qui oberrantes remanebant, ultimi hoftes poft tergum venientes necabant*.

XVI. Quidquid fit de hac myftica explicatione Durandi, puto equidem, ritum ipfum geftandi fictitium draconem obrepfiffe in has Litaniarum Majorum, Minorumque Supplicationes, errore potius vulgi, quam certa illa ratione, aut inftitutione Ecclefiaftica. Neque enim, ut fcite obfervat Eveillon in Opufculo, *De Proceffionibus Ecclefiafticis*, Cap. iii. fi tale portentum auctoritate Ecclefiæ introductum foret, ad fignificandum dæmonem a Chrifto devictum, fublimis, & elatus portandus effet draco ifte aliquibus in locis hianti ore, & minaci, quafi victor, aut floribus, & fertis redimitus, quafi facra quæpiam, & veneranda imago, fed terræ afflictus ad pedes Crucifixi, ad eum modum, quo fub pedibus calcantis, & proterentis Sancti Archangeli Michaelis effingi in Templis folet; vel quo Conftantinus Imperator imaginem fuam in tabula depictam pro foribus Palatii propofuit victrici Signo Crucis in vertice capitis prominente, fub pedibus autem ftrato dracone Labari cufpide transfixo, & fluctibus obruto; qua defcriptione fymbolice adumbratur, draconem antiquum idololatriæ Principem ab ipfo Conftantino virtute Crucis proftratum, confoffum, & fubmerfum fuiffe, juxta Prophetiam Ifaiæ, Capite xxvii. *In die illa vifitabit Dominus in gladio fuo duro, & grandi, & forti, fuper leviathan ferpentem vectem*, ideft in longum protenfum inftar vectis; *& fuper Leviathan ferpentem tortuofum, & occidet eum, qui in mari eft*. Ad quam imaginem allufit Prudentius in Libro, περὶ στεφάνων, ideft, *De coronis*, Hymno i. loquens de duobus Draconariis, qui e militibus Gentilium Chriftiani facti, Crucem in exercitu pro Dra-

Dracone ferebant, his versibus, quos & idem Auctor Jacobus Eveillon recensuit loco citato.

*Cæsaris Vexilla linquunt, eligūt signum Crucis,*
*Proque ventosis draconum, quod gerebat palliis,*
*Præferunt insigne Lignū, quod draconē subdidit.*

Cæterum, si sublimis ad pompam in Supplicationibus portandus esset draco, eo habitu, ac specie jacens, exponendus esset, quo a S. Gregorio Nazianzeno describitur in ipsius Epitaphio, Oratione XLII. his verbis: *Ubi est mors stimulus tuus? Ubi tua inferne victoria? Crux te prostravit. Vitæ Auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serves, in sublimi loco quasi in columna publica, dedecoris, & ignominiæ notis inustus.* Deinde quid causæ est, cur draco iste in Litania Majore, & Rogationibus potius, quam in aliis Processionibus deferatur? Nonne æque in omnibus triumphatur dæmon a Christo crucifixo?

XVII. Rectissime autem autumat idem memoratus Auctor, videri errorem istum natum ex nomine Draconariorum. In militia quippe Romana singulæ Legiones suam aquilam habuere pro signo militari; singulæ cohortes draconem, seu draconis speciem in Vexillo expressam juxta descriptionem Ammiani Marcellini, Lib. XVI. & Prudentii in supra recitatis versibus, quam Græci vocant δρακόντιον, unde sicut aquilam portabant, Aquiliferi, sic qui draconem, Draconarii appellati, Græce δρακοντοφόροι, ut docent Vegetius, Lib. II. *De re militari*, Cap. VII. & XIII. & Modestus in Libro, *De vocabulis rei militaris*. Sed sublatis tandem e militia draconibus, inque Cruces mutatis, mansit appellatio Draconariorum pro quibusvis signiferis; sicut draconis nomen plerumque pro alio quovis genere Vexilli usurpatur, & apud Jonam Aurelianensem initio Libro II. *De cultu Imaginum*, pro Labaro in his verbis: *Exinde signum*, loquitur de Constantino Magno Imperatore, *quod de Cælo sibi fuerat demonstratum, in militaria Vexilla transformat, ac Labarum, quem dicunt draconem, in speciem Crucis Dominicæ exaptat, & ita armis, Vexillisque Religionis instructus, adversus impiorum arma proficiscitur*; & similiter hisce Aurelii Prudentii versibus, Lib. II. contra Symmachum.

*..... cecinere tubæ, prima hasta draconis*
*Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.*

Quæ quidem verba Baronius interpretatur pro Labaro. Unde in Ordine Romano antiquissimo Draconarii dicuntur, qui signa portant in Processione ante Pontificem, de iisque videri potest eruditissimus amicus noster Petrus Morettus in celebri Lucubratione omnigena eruditione referta, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione III. pag. 218. in Nota, litera *F.* & alibi.

XVIII. Putarunt igitur, ut scite concludit laudatus Eveillon, qui id ignorarunt, Draconariorum gestamen in Processionibus debere esse draconis imaginem, ut in Militia Romana fuit, atque ita sapientes in oculis suis, eam Vexilliferis Ecclesiasticis portandam imposuerunt. Favit opinioni eorum forsan draco ille, qui aquarum vi jactatus in Agrum Romanum universæ regioni pestem intulit, cujus causa S. Gregorius Magnum dicitur Litaniam Majorem instituisse, de qua nos supra late diximus initio hujus Capitis. Sed a nemine Historicorum dictum est, Sanctissimum Pontificem tam populariter, & otiose in negotio Religionis egisse, ut in summa omnium Ordinum consternatione, tam horrendum prodigii simulachrum Populi Romani oculis objiceret. Neque, si id verum foret, posset draconis gestatio ad Rogationes, aliasve quascumque Processiones trahi, quarum institutioni, & mysterio nullo modo convenit. Addi & his potest, nullam de hac draconis deportatione mentionem in antiquioribus Auctoribus, Ritualibusve haberi; nullum usquam ejus instituendi, aut instituti ritus monumentum in iisdem Ritualibus, aut Conciliis. Rem tamen in medio relinquimus, ut de ea quisque, prout volet, sentiat; quandoquidem præclarissimarum Ecclesiarum usum, siquæ hujusmodi ritum inter Sacra servare solent, damnare, nostri neque consilii, neque juris est. Unum vero hoc loco adnotaverim, non paucos ritus, qui olim pietatem fovebant, quod nostris temporibus risum concitarent, a supremis Ecclesiarum Præsidibus merito variis Decretis fuisse sublatos.

XIX. Porro ex Ritualibus pene omnibus antiquis recentioribusque ritus ille probatur, ut nimirum in Rogationum Processionibus, sicut in Litania Majore, plures ad varias Ecclesias Stationes fiant. Constat id quidem ex superius explicato §. V. testaturque id ipsum inter alios Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXVII. num. VIII. & sequenti; in iisque Stationibus inquit, aut diurnum consuevisse persolvi Officium, aut Missam celebrari, aut pias aliquas Preces ad devotos animi affectus excitandos accommodatas decantari. Teste Durando, Libro VI. Rationalis divinorum Officiorum, Cap. CII. num. 9. *in quibusdam locis fit Litania per campos, ut etiam e segetibus dæmones expellantur, vel potius ut a Domino conserventur.* Hinc mandat Romanum Sacerdotale Venetiis impressum anno MDLXVII. Parte III. pag. 253. ut, *ubi consuevit, quod Processio egrediatur ad campos, & agros, Sacerdos aspergat Aquam benedictam per agros, & vineas, & interim Clerici cantent Antiphonam*, Rigans montes de superioribus suis, & *Psalmum* CIII. *Benedic anima mea Domino &c.* repetitaque Antiphona, *Rigans montes de superioribus suis Domine de fructu operum tuorum satiabitur terra, producens fenum jumentis, & herbam servituti hominum, ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis,* dicat deinde Preces, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Dominus dabit benignitatem. ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.*

XX. Sequuntur mox quatuor Orationes, quarum prima sic habet: *Bene ✠ dicat nos Deus, Deus noster, & terræ nostræ fructus uberes multiplicet, & seminantes in gaudio seminent, & metentes in exultatione colligant manipulos, & te semper benedicant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.* Altera Oratio, ita plane inquit: *Quæsumus, Omnipotens Deus, misericordiam tuam, ut benedicere, & multiplicare digneris fines, & fruges famulorum tuorum, sicut multiplicasti fruges Patriarcharum Abraham, Isaac, & Jacob, ut sit servis tuis abundantia, &* ege-

*egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum, &c.* ℟. *Amen*. Oratio tertia hæc est: *Clementiam tuam, Omnipotens Deus, supplices deprecamur, ut benedicere, & visitare, & irrigare digneris fruges, & fines servorum tuorum, & ut defendas ab omni infestatione inimici, ut abundantia benedictionis tuæ repleas eorum inopiam, & tibi semper laudes referant, qui das escas omni carni. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen*. Quartæ demum Orationis formula hunc in modum concepta est: *Deus Cæli, terræque dominator, te supplices exoramus, ut Angelum tuum mittere digneris, qui custodiat, & defendat fines, & fruges famulorum tuorum ab omni incursione inimici, ut abundantia benedictionis tuæ repleas eorum inopiam, & tibi semper laudes referant, ut hic, & in æternum per te salvi esse mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit &c.* Extant & aliæ Orationes in aliis mss. Ritualibus, quas longum esset hoc loco describere, cum in variis Ecclesiis varii olim ritus in istis Rogationum Processionibus servarentur, qui etiam hodieque pie religioseque servantur; quos iccirco improbare, nostri neque consilii, neque juris esse, non semel testati sumus.

XXI. Præter consuetas Preces, in plerisque Italiæ locis Evangelia etiam tum intra, tum extra Civitatem recitari solent, illa scilicet ipsa, quæ in Missis Rogationum pronuntiantur. Processionale Ambrosianum in Litaniis Rogationum agens de tribus ipsarum diebus, ita ad nostram rem inquit: *Sequuntur duodecim Stationes, in quibus singulis cantatur Litania cum Oratione, Lectione ex Veteri Testamento, Responsorio, & Lectione ex Evangelio. Procedendo ab una Statione ad aliam concinuntur Antiphonæ, & Psalmi. Post tertiam Stationem cantantur Prima, & Tertia. Post sextam Stationem Sexta. Post septimam Nona. In octava vero Statione post recitatam Sancti Evangelii lectionem canitur ab hebdomadario Canonico Metropolitanæ Ecclesiæ Missa solemniter, & habetur post Evangelium Sermo ab Archiepiscopo de pœnitentia, aut alio de genere, pro ratione temporum, & datur Indulgentia. Post reditum Processionis in Metropolitana Ecclesia cantantur Vesperæ*. Spectant hæc quidem primum Rogationum diem; nam ut ait idem Processionale, *secundo die fiunt decem Stationes. Post primam cantatur Prima, post secundam Tertia, post quartam Sexta, post quintam Nona. In Ecclesia septima, quæ est S. Nazarii, Diaconus ante lectionem Evangelii elata voce ait*: Parcite fabulis. *Custos etiam*: Silentium habete. *Alter vero respondet*: Habete silentium. *Tum legitur Evangelium ex Luca. In octava Statione Missa celebratur, Concioque habetur, in reditu Vesperæ. In tertia vero Statione neque Litania, neque Lectiones recitantur*. Recenset tandem tertii diei ritum his plane verbis: *Die tertio per Ecclesias undecim Stationes totidem instituuntur. Post primam dicitur Prima usque ad Symbolum Sancti Athanasii, post tertiam Tertia, & Sexta, post quartam Nona. In quinta, quæ est ad Sanctum Laurentium, Diaconus dicit*: Parcite fabulis, *reliqua, ut supra, in eaque Missa celebratur*.

XXII. Ex dictis hactenus nemo est, quod non videat, quod alias notavit Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XXVII. num. XI. maximam olim diei partem in sacris Rogationum Supplicationibus ea qua par erat devotione adimplendis, consuptam fuisse, ac proinde non Clericos modo, sed laicos quoslibet, qui ipsis interesse solebant, jejunos ad vesperam usque perseverasse. At vero omissis aliis, quæ ex citato Processionalis Ambrosiani loco erui possent, quod ritum spectat recitandi Evangelia in ipsis Litaniis, tum intra, tum extra Civitatem, notatu plane hic dignus est ritus quammaxime venerandus, qui viguit olim in Urbe Florentiæ, ubi in ista Sacra Processione quatuor Evangeliorum lectiones ad totidem præcipuas Civitatis portas recitari solebant, ut liquet ex quodam pervetusto ms. Codice Evangeliorum ante annos, ut creditur, DCC. qui Romæ in celebri Barberina Bibliotheca asservatur, cujus nos quoque mentionem fecimus, Libro III. *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*, Cap. VI. atque hic non omittendum censeo ritum illum, qui Paulæ, quæ est patria mea in citeriori Calabria, adhuc tenetur, dum in Processionibus istis Litaniarum Majorum, atque Minorum, Parochus qui Pluviali violaceo indutus procedit, in aliquibus Urbis locis, agros, vineasque spectantibus, accepta Cruce hastata, quam Clericus defert, quater benedicendo cum cantu dicere solet, *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris*, genuflexis omnibus, ac respondentibus, *Te rogamus audi nos*. Ubi vero portam Civitatis principem ingressus est, in majori ipsius Foro, ipse etiam quatuor vicibus dicere solet, ad quamlibet ejus partem versus: *Ut Civitatem istam, & omnes habitantes in ea ab omni fame, peste, bello, & terræmotu defendere, & liberare digneris*, cæteris itidem genuflexis respondentibus, *Te rogamus audi nos*. Celebres tandem non solum apud Clericos, sed etiam apud veteres Monachos semper extitisse hujusmodi Processiones Rogationum vel extra proprium Monasterium, pluribus probat laudatus Martene, Lib. III. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. XIX. num. I. & seqq. ubi varios de ea re illorum usus recenset.

# CAPUT V.

## *De Processione in Festo Sanctissimi Corporis Christi.*

I. Festum Sacratissimi Corporis Christi primam sui originem debet Leodiensibus, qui ante omnes Ecclesias illud receperunt, hortante præsertim S. Juliana Montis-Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, & promovente Roberto ejusdem Civitatis Episcopo, cui cum Julianæ de instituenda nova Festivitate votum complacuisset, ut habent Acta ejusdem S. Julianæ apud Bollandum die V. Aprilis, *universis Ecclesiasticis personis suæ Diœceseos per elegantem Epistolam præcepit, ipsam Solemnitatem singulis annis die ad hoc statuto cum Officio celebrari, & ab eorum plebibus, sicut diem Dominicum, ab omni servili opere inviolabiliter obser-*

*ser-*

*servari*. Atque ut res faciliori negotii executioni demandaretur, idem Robertus, ut prædicta Acta mox subdunt, *circiter viginti Officia ipsius Festivitatis fecit de proprio conscribi, volens ea ad habendam copiam per loca distribui opportuna*. Notat autem & illud Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIX. num. I. Officium istud aliud fuisse sibi minime videri, quam illud, quod ad S. Julianæ preces quidam Joannes conscripsit, de quo in ms. Codice Vallis Rubeæ hæc legi affirmat idem Martene: *Hoc Officium incipit*, Animarum cibus, *& reperitur plenum in Urbe Tungrensi, & aliis locis. Deinde Urbanus IV. Officium, quod ubique cantatur, instituit*.

II. Porro ne piissimo fraudaretur voto Robertus, *& ne quisquam negligentium Prælatorum de ignorantia se posset excusare, proposuit in generali sua Synodo, quæ singulis annis, convenientibus Ecclesiarum Rectoribus, & Conciliorum Decanis, in unum fieri solet, quod per Epistolam statuerat, viva voce solemniter publicare*. Verum, cum ipse morte præventus, ut idem Martene observat sequenti num. II. sanctum haudquaquam potuerit adimplere propositum, Hugo S. R. E. Cardinalis ad partes Alemanniæ a Summo Pontifice Legatus, ut ajunt, a latere destinatus, hoc in se suscepit negotium, primusque in S. Martini Ecclesia Leodiensi Festum illud & promulgavit, & celebravit: *Diem quoque, quo per annos singulos celebrari deberet, instituit, & ab omnibus ad hoc præparatis, quorum Deus corda tangeret, licentiam tribuit percipiendi singulis annis ipso Solemnitatis die Sanctissimum Corpus Christi*. Et mox: *Ad ipsius etiam Cardinalis exhortationem Canonici majoris Ecclesiæ Leodiensis, dicto Cardinale in partibus ipsis adhuc agente, præmissam Solemnitatem in Officio plenario celebrarunt*. Neque his contentus Hugo, *sed, antequam ad Romanam Curiam reverteretur, dictæ Solemnitati providere studuit in futurum. Nam a cunctis Ecclesiarum Rectoribus, & Prælatis, & aliis Christifidelibus infra Legationis suæ terminos constitutis ipsam statuit celebrandam, eandem fieri rogans, & præcipiens, & injungens, singulis annis die ad hoc præfixa cum proprio Officio ipsi Solemnitati deputato*. Cardinalis Litteras ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, aliosque intra terminos suæ Legationis constitutos Acta ipsa S. Julianæ exhibent apud memoratum Bollandum: *Postmodum vero*, ut eadem Acta inquiunt, *cum Reverendus Pater Petrus ad Velum-aureum Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus advenisset, dictam Solemnitatem confirmavit, & de eadem Epistolam composuit elegantem*.

III. Ut autem firmior, & inconvulsa præfata institutio per futura sæcula permaneret, Stephanus Canonicus Leodiensis una cum Maria sorore sua non infimam bonorum suorum partem Ecclesiæ S. Martini contulit, quo in perpetuum solemni ritu in ea Festum ipsum Sanctissimi Corporis Christi celebraretur. Joannes vero de Laduno Ecclesiæ prædictæ Canonicus Octavam Corporis Christi fundavit. Sed tandem Jacobus de Threcis Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus, Patriarcha Hierosolymitanus IV. Kal. Septembris anno MCCLXI. extra Sacrum Cardinalium Ordinem electus Pontifex Maximus, dictusque Urbanus IV. quod decessor ejus obiisset die S. Urbano Papæ & Martyri sacra, ipsum Sanctissimi Corporis Christi Festum per universam Ecclesiam celebrari mandavit, data Bulla die VIII. Septembris anni MCCLXII. quam postmodum Clemens Papa V. confirmavit in Concilio Viennensi anno MCCCXXI. ad cujus Constitutionem in Capite unico, *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Glossa Canonici Juris hæc habet: *Quia illa Constitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens Papa V. innovavit illam Constitutionem, & illam præcepit ab omnibus observari*. In Galliis tamen ante annum MCCCXVIII. haudquaquam receptam fuisse, docet Papyrius Massonus, Lib. V. *De Episcopis Urbis*, in Vita Urbani IV. Ex Concilio autem Senonensi habito anno MCCCXX. constat quidem, celebrationem ejusdem Festi jam eo tempore in more Provinciæ Senonensis fuisse. Cujus Concilii Decretum, quod plura notatu digna contineat, opportunius infra describemus.

IV. Qua autem occasione adductus fuerit Urbanus ad hoc Festum instituendum, id ipse obscure insinuat in sua Constitutione de ea re edita, quod scilicet, *dum in minori officio esset constitutus, intellexisset, quibusdam Catholicis Divinitus fuisse revelatum, Festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum*. Sed rei totius historiam diffuse narrant eruditus Joannes Diestemius Blærus in Tractatu a se de hujusmodi revelatione conscripto, qui habetur editus in calce Magni Speculi exemplorum, & Bartholomæus Fisen Societatis Jesu Theologus in Libello, *De Origine prima Festi Corporis Christi*. Nimirum, uti jam supra adnotavimus, Sanctæ cuidam Virgini Ordinis Cisterciensis nomine Julianæ apud Monasterium Montis-Cornelii prope Leodium cælesti quodam viso inter orandum revelatum fuisse hujusmodi Festum in universa Ecclesia celebrandum esse; cumque de ea revelatione illa post vigesimum tandem annum Jacobum Pantaleonem Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconum, qui postea, uti jam dictum fuit, ad Summum Pontificatum evectus Urbani IV. nomen sumpsit, Hugonem de Sancto Ch[illegible]o Provincialem Ordinis Prædicatorum, qui fuit postea S. R. E. Cardinalis, Guiardum Episcopum Cameracensem, Cancellarium Academiæ Parisiensis, atque alios Theologos, & Sanctos Viros consuluisset, rem eorum judicio probatam fuisse, & Festum auctoritate Roberti Episcopi Leodiensis in sua Diœcesi institutum anno salutis MCCXLVI. Deinde vero anno X. Pontificatus Innocentii Papæ IV. ejusdem observationem ab eodem Hugone jam tum Cardinali, & Sedis Apostolicæ Legato per Universam Germaniam edictam, & subinde anno MCCLIV. Litteris Petri Capoccii Cardinalis, & Legati Apostolici confirmatam, ac demum ab Urbano IV. in eam rem jam ex prædicta revelatione inclinante, exorta nova quadam occasione prodigii apud Vulsunium super consecratione Hostiæ facti, ut patet ex ejus Pontificis Epistola ad Evam reclusam apud Diestemium Articulo VIII. & versu Thierrici Vallicoloris, qui eo tempore scripsit, *Hocque sui terno Papatus fecit in anno*, Christi Ecclesiæ auctoritate Apostolica præceptam fuisse, ac Festum ipsum ab eodem cum omni splendore, ac solemnitate Urbe veteri in Thuscia celebratum, ut eadem Epistola continetur.

V. Er-

V. Ergo primus istius Festi institutor absque ulla controversia est Urbanus IV. Pontifex Maximus, qui ad illud instituendum duplici ratione adductus potissimum fuit. Ipsum quippe Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconum suis per Venerabilem Hugonem Cardinalem tunc Priorem Provincialem Ordinis Prædicatorum, ac alios eximios Magistros probatis revelationibus moverat Beata Juliana ibidem in Leprosorio Sanctimonialis, postea vero Romanum factum Pontificem permovit prædictum insigne Miraculum, quod ita narrat doctissimus Onuphrius Panvinius: *Miraculum hoc tempore Vulsuniis, in Diœcesi, & Ditione Urbe-Vetana in Ecclesia S. Christianæ accidit. Nam dum Sacerdos quispiam sacra Missarum solemnia celebraret, Sacramento jam confecto, de panis, & vini transubstantiatione, & Christi Corpore dubitavit. Unde statim dictu, & auditu mirum, ex Sanctissima, quam in manibus tenebat, Hostia vivus sanguis manare cœpit, & totam Mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Urbanus IV. Corporale primum ad se ab Episcopo loci cum Processione in Urbem-Veterem transferri voluit, & illud, Solemnitate instituta, in Ecclesia Urbe-Vetana recondidit.* Saraceni a facinoroso Manfredo Siculorum Tyranno evocati, tunc infestabant, ac devastabant superiorem Italiam, ideoque Urbanus cum suo Clero in Urbe-Veteri residebat.

VI. Hoc ipsum, cum aliqua tamen circa celebrantem Sacerdotem differentia, in sua Historia refert S. Antoninus, sed distincte rem ipsam, occasionemque inde ortam instituendi Festi prædicti exponit in singulari Opusculo Joannes Trithemius, sic inquiens: *Quoniam, quemadmodum Beata Juliana dicere sæpe consueverat, hæc Solemnitas fuerat in abscondito consilio Summæ Trinitatis, placuit Altissimo illis diebus manifestum signum facere, quod ad sui Vicarii, idest, Apostolicæ Sedis Præsulis, & omnium adstantium notitiam perveniret. Igitur Sacerdos veniens Bolsenam, quod est Oppidum non longe distans ab Urbe-Veteri, dum celebraret Missam, dubius in Fide, vidit carneis oculis Hostiam in forma pietatis, & de ea sanguinem fluere in Calicem. Quo territus, dum conaretur occultare, & de cooperire de Corporali, apparuit mox forma pietatis in singulis partibus Corporalis, & ita coactus est populo assistenti Miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbem-Veterem properans, Pontifici nuntiavit mirabilia, & stupenda, quæ viderat. Stupente autem Curia per Summum Pontificem, qui necdum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum resideret, interveniente Consilio, & Assensu Dominorum Cardinalium, deliberatum est, quod Festum Corporis Christi per universam Ecclesiam semel in anno Feria quinta post Octavas Pentecostes in toto Terrarum Orbe celebraretur.*

VII. Similia legere est apud alios Auctores, qui etiam ejus miraculi insignes circumstantias narrant. Quos quidem sequutus Prosper S. R. E. Cardinalis Lambertinus, nunc Summus Romanus Pontifex BENEDICTUS XIV. Lib. IV. *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, Parte I. Cap. XXXI. num 24. sic inter alia scribit: *Contigit, ut incredulo Sacerdote Missam celebrante in Ecclesia Vulsunii Urbevetanæ Diœcesis Hostia appareret oculis ipsis vera caro, roseo cruore respersa, ea tantum excepta particula, quæ Sacerdotis digitis tangebatur. Vitta autem lintea, quæ ad reverentiam Calici erat imposita, ex Sanguinis effusione madefacta est, ita ut Sacerdote studente cooperire Corporale. Dextera autem Domini faciente virtutem, singulæ guttæ Sanguinis ex Vitta ipsa manantes, & in Corporale fluentes, singulas figuras in similitudinem Hominis in ea impresserint.* Pergit Lambertinus, subditque mox: *Itaque re ad Urbanum IV. delata ab ipso Sacedote, qui pœnitentia ductus suam priorem incredulitatem amare deflebat, decretum est, ut prodigiosum Corporale ad Ecclesiam Urbevetanam solemniter deferretur, prout sane delatum est, ipso Pontifice cum universo Clero & Populo illud excipiente, & in Templo majori Urbevetano collocante, in quo etiamnum asservatur, & statis diebus publice ostenditur.* Atque hæc omnia confirmat Lambertinus variorum Scriptorum testimoniis, Panvinii, Trithemii, S. Antonini, ac Lindani, quorum loca refert Lupus in Dissertatione, *De Sacris Processionibus*, Cap. III. iisque alios Auctores adjungit, nempe Continuatores Bollandianos ad diem V. Aprilis, Donzellinum in Historia, *De Solemnitate, & Festivitate Corporis Christi*, Cappeavil Tomo II. Historiarum Leodiensium, Fisæum, *De Origine Festivitatis Corporis Christi*, Martene, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIX. & Raynaudum.

VIII. Explicatis Auctore, & occasione instituendæ prædictæ Festivitatis Sacratissimi Corporis Christi, ad Auctorem Officii ejusdem quod attinet, omnes docti Viri consentiunt, verum, & germanum illius parentem esse S. Thomam Aquinatem Dominicani Ordinis, & universæ Ecclesiæ lumen, atque Doctorem. Testatur id quidem inter alios Scriptores laudatus Trithemius, qui recitato superius testimonio subjungit, quod, *vocato Beato Thoma de Aquino, qui tum præsens aderat, præceptum fuit*, a memorato scilicet Urbano IV. Papa, *ut Officium de tali Festo secundum usum omnium Ecclesiarum componeret. Thomas autem Divinarum armarium Scripturarum, cujus mentem obedientiæ, & omnium virtutum decor collustraverat, præceptum hoc libenter, atque insignissime complevit. In cujus rei testimonium Bolsenæ depictum est Miraculum Sacerdotis celebrantis. Depictus est Beatus Thomas, sedens, & scribens, tanquam Doctor in Cathedra, circumstante Curia, hujus Sacramenti Officium dictans. Depictus est etiam Crucifixus alloquens Sanctum Thomam, coram se super genua adorantem: Bene de me scripsisti Thoma.* Jam non opus est alia testimonia referre, cum nullum prorsus de ea re dubitandi locum relinquat solida, ac erudita Natalis Alexandri Dissertatio; qua Officium ipsum vindicat laudato Angelico Doctori S. Thomæ Aquinati, qui illud, jubente Pontifice Urbano IV. composuit tanta pietate, tantique Divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes Ecclesiæ sibi decantandum, porsolvendumque ultro susceperint, ipsa etiam Leodiensis Ecclesia S. Martini, illo relicto, quod primum jubente S. Juliana, a Joanne compositum persolvere incœperat; tametsi rituum suorum tenax nonulla ad proprium usum accommodata Officio S. Thomæ adjecerit, ut sunt Hymni ad singulas Horas proprii, propriæ item Collectæ cum

cum quibusdam Antiphonis, & Versiculis, Hymno illo omisso, qui ad Nocturnas Vigilias decantari solet, ut testatur Martene loco citato, num. IV. ubi etiam tradit, quod in Turonensi S. Gatiani Basilica omnes Nocturnorum Antiphonæ ex ejusdem Ecclesiæ Ordinario ter debent repeti; in Martiniana vero ejusdem Urbis post tertium cujusque Nocturni Responsorium Prosa decantari. At in Breviario Tolosano in secundis Vesperis pro Hymno legitur Prosa, *Lauda Sion Salvatorem*. In Ordinario Argentino ad Vesperas Hymnus, *Sacris solemniis*; ad Completorium, *Pange lingua*, assignatur.

IX. Sed omissis variis Ecclesiarum usibus, explicandæ sunt potius rationes, ob quas Festum prædictum fuit institutum, quæ quidem ex Constitutione Urbani Papæ IV. & ex S.Thoma Aquinate in Opusculo LVII. quatuor fuere, uti notavit Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XXV. Prima, quod, cum Sanctissimum Sacramentum a Christo institutum fuerit, ut esset in Ecclesia perpetuum memoriale summi sui erga nos amoris, & potissimum illius, quam in Passione monstravit, excellentissimæ charitatis, æquum fuit tanto mysterio digne, & solemniter celebrando certum diem publico ritu consecrare. Licet enim in die Cœnæ Domini institutionis ejus memoria in Missæ Officio recolatur, quia tamen eo die Ecclesia Pœnitentium reconciliatione, Chrismatis, & Olei Sancti consecratione, adimpletione Mandati Dominici de lotione pedum, & aliis hujusmodi ritibus, atque Officiis occupata est, iccirco plene vacare non valet hujus Sacramenti celebrationi, quod in fine Missæ recondendum est; sed neque id illius temporis ratio patitur, quod est tempus tenebrarum, luctus, & lamentationis de traditione, Passione, & Morte Christi. Altera ratio est, *ut, quod in quotidianis Missarum Officiis circa Solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur; & Fideles, Festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum Solemniis, sæcularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animæ puritate restaurent*. Tertia, *ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam*. Quarta, tertiæ consequens est, *ad corroborationem, & exaltationem Catholicæ Fidei*.

X. Cur vero ei Festo celebrando selecta fuerit Feria quinta post Octavas Pentecostes, hanc causam reddit laudatus toties S. Thomas in prædicto Opusculo LVII. *Ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti, nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari*. Quippe in Actibus Apostolorum, Cap. II. S. Lucas scribit, statim post illapsum in Apostolos Spiritum Sanctum, Fideles assidue versatos fuisse in communione Sanctæ Eucharistiæ: *Qui ergo*, inquit, *receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa*, Pentecostes scilicet, *animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*. Hunc plane locum accipiunt Interpretes de usu Eucharistiæ; aperte namque Lucas agit de rebus spectantibus ad cultum Religionis Christianæ, inter quas eminet sumptio Eucharistiæ. Nec re vera pertineret ad laudem Fidelium perseverantia in communicatione fractionis panis, si ea communicatio spectaret profana convivia, usumque ciborum materialium. Fractio igitur panis, de qua Lucas loquitur, ad Eucharistiæ usum pertinet, ad quem etiam Sanctus Augustinus in Epistola LIX. vult pertinere Orationes, in quibus addit Lucas perseverasse Fideles. Id quod docet eruditus Raynaudus in Tractatu, *De prima Missa, & prærogativis Christianæ Pentecostes*, Sectione I. Cap. IV. ubi illud potissimum asserit, probatque, in Pentecoste primum sacrificatum fuisse ab Apostolis ritu Christiano, atque adeo eam fuisse in Christiana Ecclesia Missam primam a puro homine celebratam.

XI. Explicata huc usque origine Festivitatis Sacratissimi Corporis Christi, devenio nunc ad originem solemnis Processionis, quæ cum delatione Sanctissimæ Eucharistiæ quotannis in eadem Festivitate fieri assolet. Matthias Felisius, & Gregorius de Valentia censent quidem, solemnes cum Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Processiones esse coævas hæresiarchæ Berengarii erroribus, utpote ad ipsorum confutationem, atque victoriam institutas. Verum antiquæ adeo institutionis nullus est testis, nulla memoria, nullum exemplum, ut scite notavit Lupus in Dissertatione, *De Sacris Processionibus, in quibus circumfertur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*, Cap. III. ubi etiam expresse ait, acriterque contendit, laudatum superius Urbanum IV. Pontificem non solum Festum instituisse, sed etiam solemnem cum ipso Sacramento Processionem. Verum nec hujus institutionis ab Urbano factæ ullus est testis, ulla memoria, ullum exemplum. Imo nulla prorsus mentio in Constitutione Urbani, nulla in ejus Epistola ad Evam Reclusam S. Martini Leodiensis, quæ legitur apud Labbeum Tomo XI. Conciliorum, pag. 817. nulla apud S. Thomam, qui jussu Urbani, uti dictum superius fuit, Officium Sanctissimi Sacramenti composuit, nulla apud Auctores, qui sub idem tempus scripsere de Festo hoc per eundem Urbanum instituto. De ea tanquam *Divina inspiratione introducta* memoratur in Concilio Senonensi, quod anno MCCCXX. celebratum est; verisimileque esse, ait Vanespen, Parte II. Juris Ecclesiastici universi, Tit. IV. Cap. V. num. V. *eam Sæculo XIV. paulatim invaluisse, atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis serius fuisse institutam, ad Solemnitatem institutæ Festivitatis augendam*.

XII. Jam non desunt Auctores, qui tradunt, Joannem Papam XXII. non modo institutionem Festi factam ab Urbano Papa IV. confirmasse, ejusque executionem mandasse, verum etiam Processionem adjecisse. Testatur id quidem Trithemius sic inquiens: *Quamquam Apostolica Mandata omnibus Ecclesiis directa fuissent, super celebranda nova de Venerabili Sacramento Solemnitate, omnes tamen Ecclesiæ obedire dissimulaverunt præter Ecclesiam Leodiensem, quæ, ubi Apostolicum Nuncium cum Bullis, Decretalibus, & Officio apportatis honorifice suscepit, tamquam devota filia mox celerrime obedivit, rejecto Officio, quod Virgo Juliana confici fecerat, utens illo Officio, quod D. Thomas Aquinas confecerat. Itaque ab adventu præfatarum Bullarum tota, &*

*sola Leodiensis Diœcesis præfatam Solemnitatem singulis celebravit annis usque ad tempora Domini Papæ Joannis XXII, qui omnes Constitutiones Clementis*, nempe Papæ V, *publicavit, & ad universalia studia transmisit, Et ultra illas ordinationes Urbani IV, Clementinis Constitutionibus insertas, novas Indulgentias concessit, atque Processionem ordinavit. Ex tunc igitur, & deinceps Solemnitas hæc per totius Orbis Ecclesias devotissime acceptata est ad honorem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Joannes igitur Pontifex XXII, ex Trithemii testimonio institutum ab Urbano Festum innovavit, & misit in generalem executionem, ac præterea Processionem adjecit. Hinc de ipso scribit ad annum MCCCXVII, Thomas Walsinghamensis: *Hoc anno Dominus Papa instituit Festum Solemnitatis Corporis Christi, quod ab Urbano Papa IV, sumpsit exordium*. Et adjecit Processionem.

XIII. Ad eundem annum ait in Aurelianensis Ecclesiæ Historia Carolus Sauslæus, Milonem de Thally Episcopum *haud multo post Concilium Viennense, in quo calculis omnium Patrum laudatum fuerat, & votis omnibus conspirantibus, susceptum Festum Corporis Christi ab Urbano IV, institutum Feria v. post Octavam Pentecostes injunxisse omnibus, & singulis Prioribus, Capitulis, Curatis, cæterisque Rectoribus Civitatis, & Suburbii, ut virtute obedientiæ sibi debitæ, singulis annis cum suis Processionibus, ad pulsationem Tertiæ, convenirent ad Ecclesiam S. Crucis, ituri inde cum Processione dictæ Ecclesiæ ad Ecclesiam S. Petri Virorum, nec a Processione recessuri, nisi post Sermonem, qui ad populum faciendus est post reditum Processionis, quo completo, unusquisque ad Ecclesiam suam sit reversurus, ad Divinum Officium ibidem peragendum. Actum Magduni die Lunæ post Octavam Pentecostes, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo*. Videntur quædam etiam intra Galliam Ecclesiæ Joannis Papæ XXII. ordinationibus non statim obtemperasse, ideoque aliquot post ipsas annis Milo Episcopus eas debuit cum rigidis Mandatis mittere in executionem, uti notavit Lupus loco citato.

XIV. Scribit quoque, ut alios omittam, Diestemius Blærus citato superius loco, Articulo IX. Joannem Pontificem XXII. ultra ordinationem Urbani Clementinis insertam novas Indulgentias concessisse, atque Processionem ordinasse. Sed ejus rei nulla prorsus mentio in Constitutionibus laudati Joannis, sive quæ inter extravagantes, sive quæ in Bullario habentur. Neque verisimile est, eum, quando suas illas Constitutiones Corpori Juris inseruit, tanti momenti ordinationem omissurum fuisse, si illam edidisset, cum ipse Constitutiones Urbani IV. & Clementis V. de ejusdem Festi institutione, & celebratione minime omisit. Illud itaque pro certo habendum puto, quod & dictum superius fuit, Processionem ipsam paulatim invaluisse, atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis serius fuisse institutam ad Solemnitatem institutæ Festivitatis augendam. Consuevisse fieri in Gallia, in Provincia saltem Senonensi, ipsam Processionem initio Sæculi XIV. constat plane ex Senonensi Concilio anno MCCCXX. celebrato, ubi non modo Festi Corporis Christi Feria quinta post Octavam Pentecostes celebrandi, verum etiam jejunii in ejus Vigilia, ac solemnis Processionis in ipso Festo mentio habetur: *Statuimus*, inquit, *ac etiam ordinamus, ut quilibet Diœcesanus in sua Diœcesi plebem a Deo sibi commissum, tam per se, quam per alios, loco & tempore congruis, salutaribus monitis inducat, ut quarta Feria præcedente Feriam quintam post Octavas Pentecostes, qua summi, & magnifici Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretiosissimi Sacramenti, ac ipsarum plebium salutem animarum, se ab esu carnium abstineant, & jejunent; omnibusque jejunantibus, vereque pœnitentibus, & confessis, in remissionem suorum peccatorum, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia duximus concedendos; totidemque eisdem a quolibet Diœcesano in Diœcesi sua auctoritate Concilii hujus concedantur. Circa vero Processionem solemnem, quæ dicta Feria quinta fit a Clero, & Populo in delatione dicti Sacramenti his diebus, cum quodammodo Divina inspiratione introducta videatur, nihil quoad præsens injungimus, devotioni Cleri, & Populi relinquentes*.

XV. Longe serius fuisse Processionem ipsam institutam, probari potest ex iis, quæ ex Donati Bossii Chronico scribit Gilbertus Genebrardus: *Centum annis post Festi institutionem Papiæ cœpit lustratio Sacramenti, qua Corpus Christi in circulum fertur. Atque tunc ad reliquas Occidentis partes manavit, præsertim Andegavum, ubi Berengarius fuerat Archidiaconus, & sacramentariam impietatem sparserat, ut Corporis Christi præsentia preces sint ardentiores; Fidei publica fiat professio contra sacramentarios, debitus cultus Christo exhibeatur, qui nobiscum Corporaliter versari dignatur*. Sed audiamus Donati Bossii verba; *Anno Domini millesimo quadringentesimo quarto, vigesima Maji, die Jovis, Corpus Christi solemniter, ut postea factitatum est, per Papiam Urbem circumferri cœptum*. Errant plane, qui verbis istis Bossii decepti prima initia hujus Processionis ad annum MCDIV, retulerunt, quasi, quod tunc Papiæ novum fuit, toti Orbi ante ignotum, & inusitatum fuisse oporteret, ut recte notat Jacobus Eveillon citato superius loco. Quod enim initio Sæculi XIV, ea Processio in Senonensi Provincia in usu esset, probatum jam fuit ex Concilii Senonensis celebrati anno MCCCXX. Decreto; cui concinunt Statuta Tornacensia anni MCCCXXV. & Carnutensia anni MCCCXXX. quorum meminit Grancolas Lib. II, Cap. LXXXI. Forte plures Italorum Ecclesiæ non statim eam celebritatem admiserunt, quod Romanus Pontifex in Gallia resideret, ideoque Italia ad ejus sanctiones erat ex causis morosior, ut censet Lupus loco citato. Cæterum illud plane constat, ineunte Sæculo XV. fuisse Processionem ipsam in more positam; etenim Martinus Papa V. in sua Constitutione XII. in qua Festum Sacratissimi Corporis Christi spiritualibus gratiis auxit, *illis præterea, qui Processiones, in quibus vivificum Sacramentum dicto Festo defertur, continuo sequuti fuerint, .... centum dies singulis annis de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxat*.

XVI. Festivitatem æque, ac Processionem Sacratissimi Corporis Christi laudat, confirmatque Oecumenica Synodus Tridentina, Sessione XIII Capite v, ubi etiam ipsarum in Ecclesia introductarum rationem exponit, ubi sic inquit; *Declarat præterea Sancta Synodus, pie, & religiose*

*giose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die praecelsum hoc, & Venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate, celebraretur; atque in Processionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repraesentatur. Atque sic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio, & haeresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant*. Et iterum infra Canone VI. ejusdem Sessionis XIII. sic plane habet: *Siquis dixerit, in Sancto Eucharistiae Sacramento Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum, atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem, & universalem Ecclesiae sanctae ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit*. Ista igitur Processio est quasi solemnis Christi triumphus de Berengario, Wicleffo, Luthero, Calvino, & cunctis eorum sectatoribus. Lutherani non solum cum Calvinistis, sed etiam inter se se sunt Cadmaei fratres; ut enim observat ibidem Lupus, quidam Venerabilis Sacramenti, & Festivitatem, & Processionem, quidam improbant solam Processionem.

XVII. Eodem teste Lupo, Tridentina Synodus in recitatis Decretis omnino respexit ad solemnem illam anni MDXXX. factam in Augusta Vindelicorum Civitate, & Lutheranorum injuriis affectam Processionem, de qua Laurentius Surius in Commentario brevi rerum in Orbe gestarum ad annum ipsum MDXXX. de Imperatore Carolo V. veniente in praefatam Civitatem ipsa Vigilia Festi Venerabilis Sacramenti sic habet: *Intra Urbem excepit eum Augustanus Episcopus, cum Clero, & sub Umbella ad summam Ædem perduxit. Ejusdem diei Vespera, & mane sequenti multum egit per suos cum Saxone, & aliis Lutheranis Principibus, ut interessent Processioni publicae, qua gestanda erat Sacrosancta Eucharistia. Sed hoc ab eis impetrare non potuit, cum fere ad meridiem cum illis egisset. Persuaserunt enim illis ipsorum concionatores idololatriae crimen committi ab iis, qui Eucharistiam adorarent. Negant, Christum in Eucharistia esse extra tempus sumptionis. Fuit ea horrenda blasphemia, sed illi in sua sententia, tamquam in magna luce, permanserunt. At vero Caesar religiosissimus, licet jam meridies appeteret, cum reliquis Principibus, quorum illic, magnus erat numerus, cum Hispanis quoque, & Belgicae Proceribus illi Processioni, cum quadam eximia in Deum pietate, & haud vulgari splendore interfuit. Eucharistiam gestabat Cardinalis Moguntinus, a dextris Rege Ferdinando, a sinistris Joachimo Brandeburgico Principe eum deducentibus. Ante Eucharistiam praecedebant Principes saeculares, itemque Clerus cum aliis permultis. Post eam sequebatur Carolus Imperator nudo semper capite tametsi sol esset ardentissimus, in manu ferens quadrifidam facem ardentem: Quod idem voluit fieri a cunctis Proceribus, & Principibus. Imperatorem sequebantur omnes Archiepiscopi, & Episcopi. Umbellam ipsam, sub qua portabatur Sacrosancta Eucharistia, vicissim gestabant seni Principes saeculares. Porro longissima Processione diversi generis musici concinebant in laudem Dei. Omnibus rite peractis, Caesar valde acerbe tulit Lutheranorum Principum detrectationem, jussitque, ut quamprimum altera die cum fide publica Augusta excederent; sed Principum Catholicorum precibus ab ea se sententia deduci passus est*. Itaque ad Christum Dominum contra similes Lutheranorum, & Calvinistarum contumelias vindicandum prodierunt memorata superius Concilii Tridentini Decreta.

XVIII. Porro quod Berengarius Archidiaconus Andegavensis anno MXXXV. palam asseruerit, Eucharistiam esse nudum Christi Corporis signum, argumentaque subministrarit haereticis recentioribus negandi realem Christi praesentiam in Sacramento Eucharistiae, hinc jure, ac merito in Ecclesia Andegavensi summa cum pompa, atque apparatu celebrari ipsa Processio consuevit, teste Jacobo Eveillon ejusdem Andegavensis Ecclesiae Canonico in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XXV. prope finem. Ergo circumstantiae, quae ad apparatum hujus triumphi pertinent, & in Ecclesia Andegavensi servantur, hae plane sunt. Pegmata, seu Machinae gestatoriae, circumlucentibus in summo cereis, in quibus Christi miracula, & mysteria, Sancti Sacramenti figurae, & institutio, ac variae similis argumenti historiae ex utroque Testamento cereis simulacris expressae spectantur. Item alia pompae fercula, Cruces, Vexilla, Sanctorum Imagines, & insignia, quae a Sodalitiorum Magistris, & signiferis praeferuntur. Serta, festae frondes, corollae e floribus in capitibus puerorum symphoniacorum, & aliorum Ecclesiae administrorum. Viae linteis, & velis instar perpetui conopei contectae, & floribus omnis generis, atque herbis odoratis constratae. Parietes utrinque praetenti aulaeis, & ramis virentibus. Longus ille Ordo procedentis Cleri & Populi cum facibus, funalibus, & cereolis ardentibus, ad modum illius ignis, qui olim pro Symbolo Regiae majestatis Imperatoribus publice procedentibus praeferebatur, ut est apud Herodianum Lib. II. Historiarum & Codinum Lib. I. *De Officiis Palatii Constantinopolitani &c.* Cap. VI. ubi Lampadarius appellatur is, qui ignem, seu lampadem ardentem gestabat. Deinde Chori fidicinum, cornicinum, tubicinum, ac tibicinum, & omnis generis musicorum ante Currum triumphalem, idest ante Arcam Sacramenti, ludentium in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, ut habetur Lib. II. Regum, Cap. VI. & Lib. I. Paralipomenon, Cap. XIII. Atque in primis festivae Sacerdotum, & Clericorum acclamationes cum laetitia canentium sacros Hymnos, instar solemnis illius Carminis, *Io triumphe*. Tabernacula, quae secundum viam plerisque in locis per intervalla extruuntur ad faciendas Stationes in morem Arcuum triumphalium. Concio publica de honoribus Victori Imperatori Christo decernendis. Sacrificium solemne ad Altare; ac postremo Epulum publicum Senatui, Populoque Christiano, magna videlicet illa Coena omni ge-

nere deliciarum instructissima, quam fecit Rex Regum, Homo Deus omnibus invitatis, se in cibum, & vitam præbens; ad quam Cœnam publica hortatione invitari Fideles, Dominica Festum præcedente jussit Urbanus IV. in sua Constitutione. Reliquum foret ad perfectam imaginem triumphi, ut in singulis Urbibus via, qua evehitur hæc Christi triumphantis Processio, *Via triumphalis*, more Romano appellaretur.

XIX. Universum Ordinem, & pompam hujus triumphi juxta ritum Ecclesiæ Andegavensis eleganter admodum, & graphice describit Ludovicus Cellotius Professor Societatis Jesu in Libro III. Mauritiados; aliæque aliarum Civitatum, ac locorum etiam minus insignium Processiones memorari possent, in quibus magno cum apparatu, ac pompa, circumgestari quotannis solet Sacratissima Eucharistia. Sed his omissis, adnotandum illud hic censeo, quod alias eruditi Auctores observarunt, non deesse scilicet vetera monumenta, quibus docemur, consuevisse jam olim longe ante Festum Sacratissimi Corporis Christi, in Ecclesia Latina fieri Processiones cum Venerabili Eucharistiæ Sacramento. Multa quidem id genus monumenta congessit laudatus Christianus Lupus in Dissertatione, *De Sacris Processionibus, in quibus circumfertur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*, Cap. II. Sed celeberrimum omnium monumentum, exemplumque etiam solemnis extra Ecclesiam Processionis, ac delationis Eucharistiæ, suppeditat Canon IV. Synodi III. Bracharensis habitæ anno DCLXXV. his verbis: *Bona quidem res est Divina Sacerdotibus contrectare mysteria, sed cavendum valde est, ne hoc quisque ad usum pravitatis suæ intorqueat, unde soli Deo de bono conscientiæ placere debuerat. Scriptum est enim:* Væ his, qui faciunt opus Dei fraudulenter, & desidiose. *Ut enim quorundam Episcoporum detestanda præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, agnovimus, quosdam de Episcopis, quod in Solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, Reliquias collo suo imponant, & ut majoris fastus apud homines gloria intumescat, quasi ipsi sint Reliquiarum Arca, Levitæ Albis induti in Sellulis eos deportant. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie, simulata vanitas sola prævaleat, si modum suum uniuscujusque Ordinis reverentia non agnoscat. Et ideo antiqua in hac parte, & solemnis consuetudo servabitur, ut in Festis quibusque Arcam Dei cum Reliquiis non Episcopi, sed Levitæ gestent in humeris, quibus & in Veteri Lege onus id, & impositum novimus, & præceptum. Quod si etiam Episcopus Reliquias per se deportare elegerit, non ipse a Diaconibus vectabitur, sed potius pedissequa eo una cum populis progressione procedente ad conventicula Sanctarum Ecclesiarum Sanctæ Dei Reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur. Jam vero qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quandiu in hoc vitio fuerit, a sacrificando cessabit.*

XX. Adductus prolixus hic Canon plura nos docet, quæ mox infra adnotabimus. Primum enim notandum est illud, per hasce Reliquias, quarum meminit Canon, quidquid aliqui in contrarium censeant, Sacrosanctam Eucharistiam intelligi, hujusque opinionis sunt inter alios Eveillon, & Lupus, locis citatis. Usus enim fuit in primitiva Ecclesia, & subsequutis temporibus, ut Sanctum Domini Corpus, cum asservabatur, nomine *Reliquiarum* appellaretur, quasi quod ex Sacrificio anteacto reliquum superesset. Ea appellatione usi sunt præter alios S. Clemens Papa, vel alius antiquus Auctor, in Epistola II. ad Jacobum Fratrem Domini, & Lib. VIII. Apostolicarum Constitutionum, Cap. XIII. & XXXI. S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Calosyrium, quæ præfixa est Libro contra Anthropomorphitas, ubi Eucharistiam *Reliquias* vocat, Liturgia Præsanctificatorum in Euchologio, quæ similiter vocat *Sanctas Reliquias*; & S. Germanus Constantinopolitanus in Theoria mystica, ubi *Divinas Reliquias* appellat. Etiam apud Latinos eo nomine dictam antiquitus fuisse Eucharistiam, constat ex Concilio Matisconensi II. anni DLXXXV. Can. VI. ubi eas diserte appellat *Reliquias Sacrificiorum*, & simpliciter *Reliquias*. Cæterum, si Canonis Bracharensis verba attendantur, clarum est, eas denominationes, quibus utitur, *Divina Mysteria, quæ contrectantur a Sacerdotibus, Sanctæ Dei Reliquiæ, Arca Domini*, Reliquiis Martyrum convenire nequaquam posse, sed soli Eucharistiæ Sacramento, quod Deum præsentem in se, & Cælestis Cibi Manna continet, cujus Figura extitit Arca Veteris Testamenti, quæ cum religione, & reverentia portabatur a Levitis, quasi Dei Sedes ex ejus Propitiatorio oracula edentis, & vota suorum exaudientis, de quo solo Sacramento dici potest, quod in eo Divina mysteria contrectentur a Sacerdotibus.

XXI. His ita explicatis, jam plura nos docet recitatus Canon Bracharensis, uti observat Lupus ibidem. I. quod apud omnes Hispaniarum Ecclesias olim viguerit antiqua, & solemnis consuetudo, ut in Sanctorum Martyrum Solemnitatibus Sacrosancta Eucharistia ex Episcopali Palatio deportaretur ad Ecclesiam, & quidem cum solemni Processione. II. quod Sacra Eucharistia deportaretur in sacra Arca. III. quod hanc Arcam Levitæ gestarent in humeris ad majorem splendorem. IV. quod quidam Episcopi morem hunc immutaverint, Sanctissimum Sacramentum suo collo appendebant, atque ita semetipsos transformabant in Dei Arcam, & se in Sellulis jubebant solemniter deportari super humeros Diaconorum Albis indutorum. V. quod iidem ritum hunc induxerint ex gravi vanitate, & forte, ut una cum glorioso mysterio colerentur a Populis. VI. quod Synodus ipsa hanc novitatem abstulerit, & reduxerit ritum antiquum. VII. quod tamen permiserit Eucharistiam gestari ab Episcopis pedibus procedentibus. VIII. frequentissime celebratam hujusmodi Processionem cum sacratissima Eucharistia, nempe *in Solemnitatibus Martyrum*, &, *in Festis quibusque*. Porro ad istum Canonem Bracharensem, vel certe ad stabilitam ab ipso pietatem respexit S. Pius Papa V. de quo ita scribit in citato suo Commentario Historico ad annum MDLXVI. Laurentius Surius: *Pius in Festo Sacrosanctæ Eucharistiæ, licet fractis esset viribus, & medicorum opera uteretur, attamen vere Pius Pontifex, non sella pro more gestatus, & non Corona Pontificia ornatus, sed cum maxima populi ædificatione pedibus ingrediens, illud præstantissimum Corporis Christi voluit circumferre Sacramentum*. Pium V. Ordinis Prædicatorum imitatus est & nostro

hoc

hoc ævo Benedictus XIII. ejusdem Ordinis, quippe qui, licet decrepitæ esset ætatis, & Pio longe senior, pedibus quoque incedens, ac nudo prorsus capite in solemni Corporis Christi Processione Sanctissimum Sacramentum semper gestavit, ejusque rei testes nos sumus.

XXII. Notatis obiter hisce exemplis occasione Canonis Bracharensis, addendum censeo aliud antiquum exemplum gestatæ olim in solemni Processione Eucharistiæ, de quo alias diximus supra in Commentariis ad Caput III. quod est de Processione in die Palmarum, in qua quidem Processione jam etiam longe ante institutionem Festi Corporis Christi Sacratissima Eucharistia in triumphum deferebatur summa cum reverentia, ut ex Statutis Lanfranci Cantuariensis Episcopi addiscere licet. Testatur inter alios Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Lib. II. Capite LIII. hanc fuisse unam ex antiquioribus Latinæ Ecclesiæ Processionibus, in quibus occurrat Sanctissimi Sacramenti delatio, quod non tamen palam, aut in aperto Vase, sed in Feretro, seu Portatorio quodam, ut a quibusdam dicitur, ferebatur. Processio ista fiebat etiam prædicto die Palmarum Rotomagi, appellaturque *Processio Sancti Corporis*, quam idem Grancolas ita describit: *Circa horam tertiam matutinam Presbyter e Sancto Ciborio desumit Hostiam, & in alterum immissam summa cum reverentia defert ad portam Chori, & super mensam paratam in gestatorio Tabernaculo quadrato, & vitris clauso collocat, ut Hostia videatur, & adoretur. Ad horam sextam post Laudes duo Sacerdotes eam sub Umbella deferunt ad Ecclesiam S. Godardi, alias extra Urbem sine Cruce, & Clero magno cereorum numero, & Populi cœtu subsequente. Ubi dicitur Missa Sanctissimi Sacramenti, & ad horam decimam Canonici cum Palmis veniunt. Fit prædicatio, deinde exponitur SS. Sacramentum ad portam Ecclesiæ, quo Clerus, & Populus accedunt, cantantes*, Hosanna, *& iterum defertur ad Cathedralem*. Idipsum fiebat in Monasterio S. Albani in Anglia, ut refert Matthæus Parisius in Vitis XXIII. Abbatum illius Monasterii, ubi Vas describit affabre elaboratum, quod fieri jussit Abbas Simon ad deferendum Corpus Domini nostri in Processione Dominicæ Palmarum.

XXIII. Quidquid autem sit de antiquis hujusmodi Processionibus, quod præsentem Processionem spectat, quæ fieri quotannis solet in Festo Sacratissimi Corporis Christi, examinandum restat, an statim ubi fuit Processio ista instituta, delata fuerit patenter Sacratissima Eucharistia. Dubitare videtur Joannes Baptista Thiersius in singulari Tractatu, quem de Sanctissimi Altaris Sacramenti Expositione inscripsit, Lib. II. Capipite IV. in eamque propendet sententiam, quæ Corpus Christi in Calice, seu Vase alio absconditum, deportatum fuisse sustinet. Est & ejus opinionis Grancolas in citato Opere, Libro II. Capite LXXXI. Sanctissimi Sacramenti expositionem, delationemque in Ostensoriis apertis, & translucidis non reperiri ante Concilium Coloniense anni MCDLII. quod vetat hoc modo exponi, præterquam in Festo Sanctissimi Sacramenti, & in Octava: *Ad majorem honorem Sanctissimi Sacramenti*, inquit memoratum Concilium, *statuimus, quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum nullatenus visibiliter in quibusdam monstrantiis ponatur, nisi in SS. Festo Corporis Christi cum suis Octavis semel in anno in qualibet Civitate, aut Oppido, aut Parochia*. Verum ex recitato Decreto liquet, jam ante annum Christi MCDLII. in usu fuisse Ostensoria translucida, in quibus Sacratissima Eucharistia palam, & in propatulo in Altari exponeretur, ac in Processionibus portaretur.

XXIV. Adversatur autem opinioni Thiersii antiquum Missale Monasterii Fiscamnensis ad usum Ecclesiæ Rotomagensis scriptum, cujus character ad annos CDL. proxime accedit, in quo ante hujus diei Missam præmittuntur ea, quæ in Processione sunt canenda, atque in prima initiali litera efformatur Imago duorum Presbyterorum Sanctissimum Sacramentum in Vase gestatorio omnino apertum, ut nunc fit, humeris gestantium, teste Martene, in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIX. num. V. ubi etiam ait, idem erui ex Missali Melodunensi, in quo Feria V. post Festum Sanctissimæ Trinitatis habetur Missa de Sanctissimo Sacramento, cui appicta est Imago Sacerdotis Sacram Eucharistiam manu gestantis, sub baldachino a quatuor Viris delato, qui perinde, ac Sacerdos ipse, reliquique Clerici nudum caput florum coronis ornatum habent. Sed & nullum dubitandi locum relinquit Ordinarium Silvanectense ab annis circiter CDL. manu exaratum, in quo hæc se legisse affirmat idem Martene: *Post Primam Processiones Sanctorum Reguli, & Frambaldi, & omnes Curati cum suis Parrochianis, & Canonici S. Mauritii veniunt ad Ecclesiam Cathedralem. Tum fiet Processio in Cappis sericis, in qua Sacratissimum Corpus Christi IN APERTO VASCULO positum defertur ab Episcopo, vel Decano, vel antiquiori Canonico reverenter*. Cæterum Thiersii opinio confirmari quidem potest ex Constitutionibus Chori insignis Ecclesiæ Lemovicensis anno Christi MCDLXX. scriptæ, in quibus ipsissima hæc verba continentur: *Ad Processionem portatur Corpus Christi in Calice pulchriori, & hebdomadarius, qui portat, habet Cappam rubeam festalem*. Casulam perplures, non Cappam induisse, notavit jam ibidem Martene.

XXV. Ex hactenus dictis jam illud addiscimus, in quibusdam scilicet Ecclesiis gestatam fuisse Eucharistiam in translucidis Ostensoriis, & in Vasculis apertis, in quibusdam vero clausam in Calice; rursus, in Ecclesiis nonnullis manu Sacerdotis deferri consuevisse, in nonnullis vero a duobus Presbyteris super humeris in Vase gestatorio, qui ritus servatur hodieque in multis Hispaniæ Ecclesiis, ac aliis aliarum Provinciarum locis. Alium deferendi morem ex Brundusina Joannis Caroli Verani Historia adducit eruditus Angelus Rocca in Commentario, *De Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*, Parte I. Capite ultimo, his verbis: *Brundusii in hanc usque diem mos observatus obtinuit, ut singulo quoque anno in Solemnitate Corporis Christi Sanctissimum Sacramentum equo albo, necnon mansueto, ac pulcherrime phalerato per Civitatem deferatur. Quare Archiepiscopus hac die, Sacerdotalibus vestibus, Pluvialeque interea indutus, talique equo insidens, Sanctissimum Sacramentum a duobus Acolythis assidue incensatum in Supplicatione solemni sub Umbella a sex Canonicis*

*cis delata*, *gestare solet*, *duobus Civitatis Primariis*, *Gubernatore scilicet*, *& Regio Assessore*, *equi frenum tenentibus*, *ipsumque ducentibus*. Causam, originemque ejus ritus legere est apud ipsum Veranum, ac Roccam, quorum alter in citato Commentario illud etiam notavit, Eucharistiam, quæ Summum Romanum Pontificem ex antiquo ritu præcedere solet, quandoque ab albo equo, quandoque a duobus mulis deportatam, illisque magnam impendi gratiam, etenim postmodum sunt liberi ab omni opere. Nec mirum, nam & equus Corinthii Civis, qui Sanctum Joannem Romanum Pontificem portarat nullum deinceps passus est insessorem, ut legitur in Breviario Romano ad diem XXVII. Maji. Porro juxta Rubricas Missalis, ac Cæremonialis Episcoporum, itemque nostri hujus Ritualis Romani, ut videre est infra in §. III. gestandum est Sacramentum manu Sacerdotis, isque est communis fere usus, quem variis Decretis confirmavit Sacra Rituum Congregatio, teste Gavanto.

XXVI. Plura alia, quæ ad hanc Processionem pertinent, explicabimus nos infra in Commentariis ad sequentes Paragraphos, sed non omittendam censemus hoc loco eam variorum Scriptorum, & quidem insignium controversiam, an scilicet in Sacris Processionibus, in quibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum defertur, recte circumferantur etiam Sacræ Sanctorum Reliquiæ, aut Imagines. Improbant plane varii Auctores hunc ritum, quem tamen acriter tuetur, propugnatque Christianus Lupus in citata toties sua Dissertatione, *De Sacris Processionibus*, *in quibus circumfertur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*, Cap. V. & pluribus sequentibus. Puto equidem, attendendam esse probatam locorum consuetudinem, Synodisque, ac Episcopis parendum, qui ea de re Decreta, & Constitutiones ediderunt. Sane noster Bonsignorius Cacciaguerra in Epistola data anno MDLIII. die XXI. Julii, ad Cardinalem de Augusta, ubi refert solemnem Processionem factam post Vesperas Octavæ Festi Corporis Christi a Canonicis S. Laurentii in Damaso, inter alia ait, ante Sanctissimum Sacramentum incessisse sex pueros in forma Angelorum indutos, quorum quilibet instrumentum aliquod Passionis Dominicæ manu gestabat. Quod etiam in hujusmodi Processionibus Imagines, Reliquiæve Sanctorum, aliquibus in Ecclesiis deferri consueverint, pluribus exemplis memoratus Lupus demonstrat. At vero non desunt Concilia, in quibus is usus prohibitus fuit, præsertim vero in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite inscripto, *Quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, ubi S. Carolus, ita statuit: *In solemni illa Processione, in qua Sanctissimum Domini Corpus religioso cultu defertur, ne Reliquiæ ullæ, sed illud solum, ut veteris instituti, Ecclesiæque Romanæ Matris consuetudinis est, pio, religiosoque apparatu, solemnique celebritate feratur*. Idem statuunt & aliæ Synodi complures.

## §. I.

Decenter ornentur Ecclesiæ, & parietes variarum, per quas est transeundum, tapetibus, & aulæis, & sacris Imaginibus, non autem profanis, aut vanis figuris, seu indignis ornamentis.

## COMMENTARIUS.

I. Qualis esse debeat Templorum, viarumque ornatus, & apparatus in Supplicationibus, ac in illa præsertim, in qua Sacratissima Eucharistia in Festo Corporis Christi circumfertur, jam variis Ecclesiarum Rituales, ac Synodi explicuerunt, inter quas Diœcesana II. Mediolanensis S. Caroli Synodus Decreto XX. ita plane statuit: *Quoniam a Christiana pietate alienum est, ad ornatum Templorum augendum, ea adhiberi, quæ non modo religionem non excitant, sed popularium animos ad nefarias cogitationes alliciunt, ideo nequis illis ornandis peristromata, aulæaque adhibeat obscenis figuris contexta; neque item imagines, & signa apponat, quæ, vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, quæ a loci sanctitate alienæ sint, speciem referant, cum Templa Dei piis, atque honestis ornamentis illustrari, atque adornari debeant*. Tum vero mox subjicit: *Quod de hoc ipso Templorum ornatu sancitum est, idem in apparatu, qui in Supplicationibus publicis, & die præsertim Festo Corporis Domini fit, Parochi in suæ quisque Parochiæ via, qua Processionis munus obibitur, servari curabunt*. Similia, & longe plura legere est in Synodis Provincialibus, ac Diœcesanis, Ritualibusque permultis, in quibus quæ in ipsis Processionibus præparanda, & quæ cavenda, præscriptum legitur.

II. At vero notatu dignus est ritus, quo vias, per quas transeundum est in Processione Corporis Christi, ornari, & quæ præparari præcipit Sacerdotale Brixiense, Distinctione V. Cap. X. num. XIII. *Ad Processionem Corporis Christi*, inquit, *paranda sunt ista*. *I. Omnes viæ, & plateæ, per quas Venerabile Sacramentum portabitur, sint mundatæ, & ornatæ arboribus, frondibus, floribus, gramine, aulæis, aliisque oramentis*. *II. In quatuor distinctis locis versus quatuor Mundi plagas, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, respicientibus erecta sint quatuor Altaria ex ligno cum baldachinis, seu tectis, pulchre, ac decenter ornata, super quibus collocari possit Monstrantia*, idest Ostensorium, *dum quatuor Evangeliorum initia cantantur*. *III. Deputentur principaliores aliquot Viri pro portando baldachino, sub quo Sacerdos cum Venerabili Sacramento processionaliter ire debet; qui viri pro cujusque facultatibus pulchre sint vestiti, ferantque singuli sertum in capite ex floribus confectum*. *IV. Induantur aliquot puerorum paria ad formam Angelorum cum sertis in capite, quorum aliqui canistris deferant folia rosarum, versus Venerabile Sacramentum quandoque in Processione seminanda; alii cymbalas, seu campanulas portent, alii accensas candelas, alii arma, seu mysteria Passionis*

*nis Dominicæ. V. Habeatur thuriferarius cum thuribulo, & alius quidam puer cum incenso, ambo Superpelliceis induti. VI. Quatuor Diaconi induti Dalmaticis. VII. Aliquot viri decenter vestiti cum sertis rosarum in capite, qui ab utraque parte baldachini deferant faces, lampades, seu candelas accensas. VIII. Puer indutus Superpelliceo ferens Librum Evangeliorum. IX. Instrui possent aliquot paria puerorum, puellarumque, qui decenter vestiti, & cum sertis roseis processionaliter irent, ut infra. X. Sit Magister Cæremoniarum, vel aliquis ejus loco, totam Processionem ordinans, & promovens &c.* Forte nonnulla in citato hactenus loco habentur, quæ moribus hodiernis repugnant, ideoque attendenda sunt semper Statuta, & Edicta recentiora, quæ in rebus ad cultum Divinum spectantibus, a legitimis Ecclesiarum Pastoribus, occasione præsertim hujus Processionis, promulgari quotannis solent. Quædam enim in antiquis Ritualibus inveniuntur, quæ licet aliquando Fidelium pietatem foverent, si hodie essent in usu, ad risum potius excitarent.

III. Porro, ut viæ, per quas Processio transire debebit, mundentur, & ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse, & qualitatem loci, ipsaque Ecclesia similiter, in qua scilicet incipit, finemque habet Processio, perpulchre ornata sit, statuit jam Cæremoniale Episcoporum a nobis perpetuis Commentariis illustratum, Lib.II. Capite xxxiii. §.II. Si enim ornandæ sunt viæ, multo magis Ecclesia parari debet pulchriori apparatu, & pretiosiori supellectile, nullis tamen super Altari, ex quo Sacramentum sumitur in Processione deferendum, positis Statuis, Reliquiisque Sanctorum, ne Populus minimum distrahatur ab adoratione Sanctissimæ Eucharistiæ, ut est usus insignium Basilicarum, & Ecclesiarum Urbis, & scite monet Meratus in Additionibus ad Gavantum, Parte iv. Tit. xii. Neque enim adhæreo Christiani Lupi Viri alias doctissimi opinioni, ubi Tomo xii. Operum editionis Venetæ, in Dissertatione, *De Sacris Processionibus &c.* Cap. v. acriter contendit, vel in Processionibus, quæ Sanctissimum Sacramentum circumferunt, recte circumferri Sanctorum Reliquias. Licet enim hic ritus aliquando aliquibus in locis viguerit, improbatus tamen reperitur in variis Synodis a Sanctissimis Episcopis celebratis, præsertim vero a S. Carolo, cujus locum initio hujus Commentarii descripsimus.

IV. Ad vias præterea quod spectat, laudabile admodum erit, si arcus, quos triumphales vocant, locis congruis apte disponantur, cum versibus, emblematibus, & mysticis figuris, a Scriptura scilicet desumptis, & prius ab Episcopo, vel ab ejus Ministro probatis. Laudabile quoque esset, si juxta morem complurium locorum paretur per vias, per quas transeundum est, unum, sive ad summum duo Altaria, quæ decentissime ornentur cum multis luminibus, & solitis paramentis, ac mappa munda cum Palla, aut Corporali desuper in ejus medio, nisi forte Bursa cum Corporali deferatur ab aliquo, ut inserviat, prout opus erit; & non est necesse, ut ibi lapis consecratus ponatur, quia scilicet nullum ibidem celebrandum est Sacrificium. Cæterum decet quammaxime, quinimo necessarium mihi videtur, ut super hujusmodi Altaribus Baldachinum etiam ponatur, juxta generales de Altaribus Rubricas, quas jam late explicuimus in citatis Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum Lib. i. Cap. xii. Cavendum vero potissimum erit, ne in hac Processione actus scenici, ut alicubi fieri assolet, vel ludicri, & indecori intermisceantur, sed omnia cum gravitate, & devotione fiant, ut Cæremoniale Episcoporum non uno in loco edixit, præsertim vero Lib. II. Cap. xxxii. §. xii.

V. Quo vero rite omnia fiant, optimum erit, ut Sacrarum Cæremoniarum Magister circumeat prius vias, & plateas, per quas transire debet Processio, diligenterque perpendat, atque oculariter disquirat omnia, & singula ornamenta, aulæa, picturas, & quæcumque exposita fuerint ad istius Processionis ornatum; & si quid, vel profanum, vel sordidum, ludicrum, indecorumve, repererit, removere, & auferre faciat, inhærendo semper Edictis, & Sanctionibus Synodalibus ab Ordinario factis, & publicatis per aliquot dies ante Processionem, ut moris est; implorandoque, si opus sit, brachium, ut ajunt, sæculare, seu Magistratus auctoritatem, ad hoc etiam, ut eos, qui id possunt, compellat, ad ornandum tapetibus, aulæisve fenestras, in iis scilicet viis, per quas transire solet Processio, juxta laudabilem locorum morem.

## §. II.

Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas Hostias consecret, & sumpta una, alteram in Tabernaculum in Processione deferendum ita reponat, ut per vitrum, seu christallum, quo ipsum Tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, veloque operiatur, donec auferatur ab Altari. Peracto autem Sacrificio, & Processione jam inchoata, ordine, quo jam supra dictum est in Litaniis Majoribus, Sacerdos Pluviali albo indutus ter incenset Sacramentum genuflexus.

## COMMENTARIUS.

I. Illud primum in hujus Commentarii limine adnotandum censeo, quod nempe observat Meratus in Additionibus ad Gavantum in Rubricas Missalis Parte iv. Tit. xii. allatis variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, eum nempe, qui Missam hac die celebrat, & per Octavam, debere in Processione Sanctissimum Sacramentum deferre. Quatenus fieri potest Missa debet esse solemnis, *in qua*, ut ait hic noster §. *duas Hostias consecret, & sumpta una, alteram in Tabernaculum in Processione deferendum ita reponat, ut per vitrum, seu christallum,* quo

*quo ipsum Tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, veloque operiatur donec auferatur ab Altari*. Ergo Hostia deferenda in Processione, consecranda est una cum illa, quam elevat Sacerdos in Missa, ac deinde sumet; quia scilicet Processio censetur pars Officii, seu Missæ solemnis hujus diei, & ideo concordare debet cum Missa, ut notat ad hunc nostrum §. Barrufaldus, qui etiam monet, duas istas Hostias debere esse æquales, nisi Ostensorii circulus minorem Hostiam requirat, sed non adeo tamen minorem, ut videatur potius Particula, quam Hostia magna, consecrari solita in Missa.

II. Porro ut ait hic noster §. consecratis in Missa duabus magnis Hostiis, & sumpta una, alteram in Tabernaculum in Processione deferendum ita reponere debet Sacerdos, *ut per vitrum, seu christallum, quo ipsum Tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat &c.* Tabernaculum hic nihil aliud plane est, quam quod hodie dicitur *Ostensorium*, seu *Sphæra*, olim vero *Monstrantia*, quodque S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite inscripto, *Quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, ita describit: *Tabernaculum autem, quod agendis Processionibus, vel exponendæ Sacræ Hostiæ usui est, pellucido vitro, vel christallo undique circumdatum sit, lunulamque forma Instructionibus Supellectilis Ecclesiasticæ præscripta hujusmodi habeat, ut aperiri commode possit, & fragmenta colligi, siquæ forte ibi relicta sunt; ipsa autem lunula saltem cum supposito parvulo scuto ex argento constet*. Loquitur hic Sanctus Carolus de Tabernaculi forma ad usum exponendæ, gestandæque in Sacris Processionibus Eucharistiæ, quod suo ævo in usu erat, constructum ad modum Turris, quale est illud, quod depictum cernitur in Imagine S. Claræ Virginis in actu fugandi Saracenos, & non obscure in hoc nostro §. significatur, ubi ait Tabernaculum ipsum vitro, seu christallo, ita circumseptum esse debere, ut Sacra Hostia in eo posita *exterius adorantibus appareat*, ab omni scilicet ejus parte, a fronte, a tergo, & a lateribus. Sed audiamus iterum S. Carolum, qui in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Parte IV. Lib. II. Instructionum fabricæ, & supellectilis Ecclesiasticæ, Tabernaculum ipsum parvulum Sanctissimæ Eucharistiæ describit his plane verbis.

III. Tabernaculum parvulum Sanctissimæ Eucharistiæ sit ex auro, aut argento puro puto, eoque certis locis inaurato, aut saltem ex aurichalco constare debet, quod auri puri specie bene integatur. Forma rotunda sit, & altitudine cubitali, aut majori, minorive, pro Tabernaculi magni ratione, amplitudine, quæ Hostiam magnam commode capiat. Distingui debet certis spatiis inter columellas interjectis, quæ columellæ ornate fabrefactæ, non impares, ne Sacræ Hostiæ prospectum a latere impari impendiant, sed pares, nempe quatuor, aut sex, aut octo esse possunt, quæ si octo binæ collocentur. A summa parte columellarum existere debet ornatus e zophoro corinthio, quod opus *fregio* vocant, & coronicibus constans, ita ut in eo Tabernaculo fastigium semisphærale, aut pyramidale nitatur, adjunctis in ima parte fastigii duabus fibulis, sive uncis, quibus fastigium cum zophoro connectatur, affixa in summo parvula Cruce quadrata, aut Imagine Christi Domini crucifixi, vel resurgentis. Pes, quo Tabernaculum hujusmodi sustentatur in orbem latiuscule ductus, forma sexangula, vel octangula sit, quo firmius, & decentius hæreat. Nodus in medio decore recteque ornatus nihil vel minimum eminens habeat, quo, dum capitur, incommode capiatur, aut digiti quidquam lædantur. A parte inferiori Tabernaculi lamina orbicularis omnino argentea, aut inaurata pro illius magnitudine esse debet, quæ sensim a lateribus, indeque circum in labiis eminens, fundum constituat, atque hujusmodi, ut, cum usuvenerit, amoveri queat. In cujus laminæ, fundive superiori parte, media affigi debet parvula lunula aurea, vel saltem argentea inaurata duplex, quæ brevi, tenuique sustulcimento sustentata, a fundo paululum extet; tantulo præterea spatio divisa, quantulum Sacræ Hostiæ crassitudo capit; & item fabrili opere confecta, ut una alteri in sustentaculo firmiter, apteque inserta, aliquando disjungi possit, quo accuratius, siquæ fragmenta Hostiæ Sacræ in parvulo illius medio spatio remanserint, colligantur. A parte autem inferiori lamina hæc parvulo, tenuique tubo transversali constet, per quem spinula argentea ducta, eam laminam firmiter cum Tabernaculo plane connectat. Tabernaculo ita constructo, Vas forma orbiculari illius magnitudini apte conveniens, a summa parte clausum, & solidum, ab ima vero apertum, e christallo, aut e vitro pellucido pretiosiori apparari debet, quod intra ipsas Tabernaculi columellas inseratur, unde Sacræ Hostiæ prospectus esse possit.

IV. Hactenus S. Carolus de Tabernaculi parvi forma ad usum exponendæ, gestandæve in Processione Sacræ Eucharistiæ, cujus tamen forma communiter immutata est in Sphæræ formam cum suis radiis ad similitudinem Solis, seu Stellæ, pedi oblongo innixæ, ad instar illius, quo cuppa Calicis sustentatur, habentisque in ejus summitate Crucem parvulam prominentem. Quamobrem mirum videri debet, quod nostrum hoc Rituale Romanum jussu Pauli Papæ V. editum, novissime vero jussu regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. editum non modo, sed & auctum, vocem Tabernaculi usurpavit, & non potius Sphæræ, seu Ostensorii, quo forma illius recentior, & ubique recepta exprimitur. Porro decet quammaxime, ut quatenus fieri possit, Sphæra ipsa, sive Ostensorium, saltem in gyro Sacram Hostiam excipiente, ex argento conficiatur; & licet in Ecclesiis pauperioribus ex ære, vel ex aurichalco inaurato toleretur, lunula tamen interior, quæ Sacram in se recipit Hostiam, ac firmat, esse omnino ex auro, vel ex argento inaurato debet. Christallus autem ab utraque parte Ostensorii posita, esse nitida debet, ac diaphana, lævigata, & in nulla sui parte fracta, vel rimata. Hostiam tandem ita locari in eo opus est, ut Crux in ea præsignata videri a Fidelibus queat, quod animadvertere debet Diaconus, dum accepto Ostensorio, illud tradit Sacerdoti post Missam genuflexo ad portandum in Processione, ut tradit Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XII. num. 4.

V. Rursus ex nostro §. & ut ad ipsum notavit Barrufaldus num. 32. *dum Missa perficitur, velari debet Ostensorium, in quo sit Hostia cum velo albo, quod præstari poterit a velo, quo Ca-* lix

*lix operitur*; *fitque*, *ut dum reliqua Missæ peraguntur*, *non appareat indebite Sacramentum collocatum extra Baldachinum*, *& cum Calice vicino*, *adeo ut nondum primum locum habere possit*, *quemadmodum habere debet in Processione*. Sed ut praxim hujus actionis distinctius, luculentiusque explicemus, describendum hoc loco ducimus, quod eam in rem tradit Bauldryus in Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. XVI. Articulo III. num. I. & II. *Post sumptionem*, inquit, *pretiosi Sanguinis*, *defertur prædictum Ostensorium cum velo*, *quo tegitur*, *a Cæremoniario*, *vel Subdiacono per gradus laterales Epistolæ*, *facta debita genuflexione in recessu*, *& accessu*. Et mox: *Tum Diaconus*, *qui stabit ad Librum*, *accedit ad dextram Celebrantis cum genuflexionibus solitis*, *recedente Subdiacono cum eisdem genuflexionibus ad latus Evangelii*, *tunc stat ad Librum*, *ibique ipse Diaconus Calicem Celebrantis collocat versus cornu Evangelii super Corporale*, *& Palla tegit illud*, *tum Ostensorium detectum aperit*, *ac statim Celebrans*, *facta genuflexione*, *propria manu dextera adaptet Sacram Hostiam in prædicta lunula*, *quæ est in medio prædicti Ostensorii*, *adjuvante eodem Diacono*, *qui illud statim claudit*, *in medio Corporalis collocat reverenter*, *& velo suo cooperit*. *Postea tam Celebrans*, *quam Ministri genuflectunt*. Atque hæc sunt, quæ describenda censuimus ad explicanda ea nostri §. verba, quibus dicitur, ut immissa in Ostensorium Sacra Hostia, illud *velo operiatur*, *donec auferatur ab Altari*, ut scilicet in Processione gestetur.

VI. Exponenda sunt denique postrema ejusdem nostri §. verba: *Peracto autem Sacrificio*, inquit, *& Processione jam inchoata*, *ordine*, *quo jam supra dictum est in Litaniis Majoribus*, *Sacerdos Pluviali albo indutus*, *ter incenset Sacramentum genuflexus*. Qui ritus a Celebrante servandus sit, ubi peracto Sacrificio, delaturus est in Processione Venerabile Sacramentum, exponit inter alios Bauldryus loco citato, num. V. & seqq. Ergo, finita Missa, ipse Celebrans, & non alius, nisi sit Episcopus proprius, qui velit Sanctissimum Sacramentum deferre, uti jam diximus in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum, per gradus laterales se retrahit ad cornu Epistolæ, & Ministri Sacri cum eo, factis debitis genuflexionibus in medio super suppedaneum Altaris, ibique in plano deponit Planetam, & capit Pluviale albi coloris, qui ex Rubricis Missalis huic Solemnitati congruit, adjuvantibus Ministris Sacris, qui etiam Manipulos suos deponunt; Celebrans enim non debet esse paratus Planeta in hac Processione. Tum per planum inter Ministros Sacros elevantes Pluviale ejus, accedit ad medium Altaris, ubi cum eis in plana terra utrumque genu flectit, & se profunde inclinat ante, & post. Tum surgit, ascenditque ad secundum gradum, ubi aliquantulum orat cum suis Ministris. Interim ordinatur Processio, factaque oratione, surgit Celebrans, imponit de more thus in duo thuribula, & cum primo genuflexus incensat Sanctissimum Sacramentum, jam prius a Diacono discoopertum velo, quo fuerat obtectum. Ex Gavanto in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XII. num. 3. *potest cantari interim*, *dum incensatur*, O sacrum Convivium, *vel*, Tantum ergo, *ut in Instructione Romæ edita pro Oratione quadraginta Horarum dicitur*.

## §. III.

Deinde Diaconus oblongum, ac decens velum circumponit scapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta Ostensorium, seu Tabernaculum sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu, mox ad Altare ascendit, & Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum, inde descendit sub Umbellam, comitantibus Ministris, & duo Acolythi, vel Clerici, cum thuribulis effumantibus præcedunt.

## COMMENTARIUS.

I. INcensato Sacramento, *Diaconus*, inquit hic noster §. *oblongum*, *ac decens velum*, *circumponit scapulis Sacerdotis*. Supponit hic noster §. quod Subdiaconus, qui solemni Missæ Celebranti in Altari inservivit, deferat in Processione Crucem, ideoque Diaconum ait oblongum, ac decens velum circumponere scapulis Sacerdotis. Tradit quidem Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XII. num. 5. congruere quidem, ut qui in hac Processione Crucem defert, *veste Subdiaconali sit indutus*, *& procedat medius inter Acolythos cum candelabris cereis accensis*; & consequenter, non ille Subdiaconus, qui Celebranti ministravit, qui sane a sinistris Sacerdotis Sacramentum gestantis debet procedere, Diacono a dextris stante. Servanda itaque est praxis insignium Basilicarum Urbis, quam etiam communiter docent, qui ritum hujus Processionis exponunt, estque hujusmodi. Incensato Sanctissimo Sacramento, Diaconus reddit thuribulum primo Thuriferario, qui cum debita genuflexione vadit ad cornu Evangelii in plano, sicut jam prius secundus se receperat ad cornu Epistolæ. Diaconus vero accedit ad Altare, ubi, facta genuflexione, capit Ostensorium, & interim Subdiaconus imponit velum, adjuvante Cæremoniario, humeris Celebrantis, & firmat. Ipse vero Diaconus tradit Ostensorium Celebranti genuflexo in supremo Altaris gradu, ut ait hic noster §. qui illud capit dextera nuda per nodum, sinistra vero per pedem, ita ut Imago Christi, quæ est in Hostia, respiciat illos, qui ante in Processione incedunt, quo facto, manus Celebrantis tegit extremitatibus veli oblongi, ita ut nullo modo appareant, sed dumtaxat Sacramentum pateat in Sphæra, ac radiis. Tum ipse Celebrans surgit, &, ut ait §. *mox ad Alare ascendit*, *& Sacramentum ante faciem tenens*, *vertit se ad populum*, *inde descendit sub Umbellam*, *comitantibus Ministris*, *& duo Acolythi*, *vel Clerici cum thuribulis effumantibus præcedunt*.

II. Sed operæ pretium est, ut recitata postrema hæc nostri §. verba paulo fusius, luculen-

tiusque enarremus. Umbella, de qua §. loquitur, est parvum baldachinum, forma rotunda, cum suis laciniis, vel fericis, vel aureis, argenteisve circa eam pendentibus uno hastili sustentata; de eaque loquitur ipse §, apertis verbis, non de Baldachino, quod difficile, & cum magno incommodo, necnon cum aliqua deformitate ad Altare accedere potest, ut Sacerdotem tegat ab eo cum Sanctissimo Sacramento descendentem. Ergo, ut recte notat ad hunc §. Barrufaldus num. 37. in subsidium prompta esse debet per totum spatium, quod interest ab Altari usque ad Presbyterium, ubi solet Baldachinum adesse, ne Sacramentum absque honore parvi illius baldachini, quod est Umbella, licet per breve spatium, gestetur. Debere hanc Umbellam, sicut & Baldachinum esse sericum saltem, albique coloris, cum suis laciniis aureis, argenteisve, seu saltem fericis circa eam pendentibus, docet inter alios Gavantus, Parte v. *De mensuris propriis sacræ supellectilis*, verbo, *Umbella*.

III. Quamquam vero in hoc nostro §. ac in toto præsenti Capite, quod est de Processione in Festo Sanctissimi Corporis Christi, nulla fiat Baldachini mentio, adhibendum est illud tamen, quia, uti dictum est, Umbella in subsidium haberi debet, non vero ad usum totius Processionis. Esse autem antiquum ritum, ut ad tanti Sacramenti venerationem, Celebrans, qui illud in Processione defert, incedat sub Baldachino, quod sex, aut octo baculis oblongis alligatum, a totidem viris nobilioribus loci, præsertim vero ex Magistratu gestari solet, jam dixi in recitatis ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis. Attendendam dico hac in re, sicut & in aliis multis, longam probatamque locorum consuetudinem, & propriorum Episcoporum Constitutiones, quæ frequenter in Synodis ad evitandas contentiones, & scandala editæ leguntur. Certe, ut Episcopus in Diœcesana Synodo pro sua prudentia constitutionem edat de Baldachini baculis a Clericis deferendis, ad eas contentiones vitandas, statuit Concilium Provinciale XII. Beneventanum sub Maximiliano de Palumbaria anno MDXCIX. celebratum, Titulo LI. Capite II. his verbis: *Si quando in Processione Sanctissimi Corporis Christi ambitiosorum hominum devotionis speciem præseferentium, super delatione baculorum Umbellæ altercatio oriretur, Episcopi in Diœcesanis Synodis pro eorum prudentia, ad tollendas dissidii causas, & evitanda scandala, ut per Clericos deferantur, provideant.* Recte ait, *pro eorum prudentia*, non enim puto, licitum esse Episcopis eam prærogativam, si in ejus possessione sint Magistratus, nobilioresve locorum, eisdem tollere, & aliis ad suum ipsorum arbitrium concedere; se enim, suamque dignitatem, ac jurisdictionem litibus longis, altercationibusque exponerent.

IV. Quod ait demum hic noster §. ut in hac Processione duo Acolythi, vel Clerici *cum thuribulis effumigantibus præcedant*, id ideo edicit, ut incedentes ante Baldachinum, Sacramentum incensent. Quod, ut observat Gavantus, Sectione IV. Tit. VIII. num. 9. littera Q. duobus modis fieri potest; primo, si Acolythi alternatim incensent, ductis thuribulis, ut fit in incensatione personarum; secundo, si hinc inde ante procedant, moventibus manibus dextris thuribula de eisdem pendentia, atque fumantia, quasi sternendo viam Sacramento cum odore incensi, qui modus videtur magis usitatus, & majorem connotat reverentiam erga Sacramentum. Convenire etiam, ut unus ex Clericis, si fieri potest, cum iis incedat cum navicula, ut ministret incensum utrique, quando opus sit, monet inter alios Bauldryus in Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. XVI. Articulo II. n. XV.

## §. IV.

Omnes procedunt nudo capite, accensos cereos gestantes, & sequentes Hymnos pro longitudine Processionis devote concinentes. Dum vero Sacerdos discedit ab Altari, Clerus, vel Sacerdos, cantare incipit sequentem Hymnum: *Pange lingua gloriosi Corporis mysterium &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Nulla de Baldachino hic mentio, quod alias in hac Processione adhibendum est, uti jam diximus in Commentario superiori, & in illis, quibus & Cæremoniale Episcoporum, & Cæremoniale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illustravimus, ubi de hac Processione tractant. His itaque hoc loco omissis, ex præscripto præsentis §. *Omnes præcedunt nudo capite, accensos cereos gestantes*. Si nudo capite, jam non licet biretum Clericale, vel pileolum in eo tenere, sed illud manu cereo non impedita gestare debent, nec valetudo quempiam excusare potest, ut decidit Sacra Rituum Congregatio die VIII. Augusti anno MDCXCV. & XXI. Januarii MDCXCVI. apud Sarnellum Tomo IV. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistola XXVI. num. 4. Quamvis enim Summus Pontifex reservatam habeat facultatem concedendi pileolum in Missæ celebratione, ut declaravit Sacra Cardinalium Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita die II. Januarii MDCXC. & die XVII. ejusdem mensis MDCXCV. itemque Sacra Rituum Congregatio die XXXI. Januarii, & XXIV. Aprilis MDCXXVI. apud Gavantum in Rubricas Missalis, Parte II. Tit. II. num. 2. & apud Corsettum in Additionibus num. 26. nihilominus ille, cui facultas ista conceditur, non potest uti pileolo, neque in solemni Missa, neque in privata, a Præfatione usque ad peractam communionem, teste Pyrro Corrado in Praxi Dispensationum, Lib. III. Cap. VI. num. 31. Quod & ampliari potest in hac Processione, in qua Sacratissima Eucharistia Fidelium venerationi exposita, atque patens circumgestatur, uti recte advertit ad hunc nostrum §. Barrufaldus.

II. Sed non opus est Auctorum testimonia congerere, cum & Rituales Codices passim, ac Synodi eum ritum incedendi in hac Processione nudo,

*nudo*, five *aperto*, vel *detecto capite*, præscribant. *Omnes procedunt nudo capite*, ait hic noster §. eique consentiunt Cæremonialia allata a laudato Sarnello citato loco, Epistola xxv. num. 5. & seq. atque inter alia Concilium Mediolanense iv. Capite inscripto, *Quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, ubi Sanctus Carolus agens de Processione in Festo Corporis Christi, & in aliis, in quibus Sanctissimum Sacramentum defertur, ita plane statuit: *Canonici singuli, & qui Dignitates obtinent, cum Processiones publicas, illam præsertim solemnem, quæ in Celebritate sacri diei Corporis Domini agitur, atque alias item in portando Sanctissimo Sacramento singulis mensibus constitutas obeunt, intortitium accensum in manibus capite aperto ferant*. Idem statutum lego in aliis Synodis, ac præsertim in Provinciali xii. Beneventana sub Maximiliano de Palumbaria anno MDXCIX. celebrata, Titulo li. Cap. i. quod est de Processione Sanctissimi Corporis Christi: *Canonici*, inquit, *& reliqui ex Clero associantes Sanctissimum Corpus, intorticium accensum capite aperto in manibus ferant*. Quam tenax sit hujus disciplinæ, atque servatrix Romana Apostolica Sedes, patet ex variis Sacrarum Congregationum Decretis, ac ex illo præsertim Sacræ Rituum Congregationis, quæ in una Mediolanensi consulta, *Pileoli usus an liceat in Processione Sanctissimi Sacramenti*, die xxvii. Augusti anni MDCLIV. ita rescripsit: *Nullum detur Responsum*, uti videre est apud ipsum Sarnellum in citata Epistola xxv. num. 11.

III. His accedunt varia Summorum Pontificum exempla, omniumque celeberrimum est illud S. Pii Papæ V. qui in ista Sanctissimi Corporis Christi Processione, ut ait in ejus Vita Gabutius, Lib. vi. Cap. iii. ad finem, *singulari humilitate, ac reverentia, aperto capite, pedibus incedens, præter morem aliorum Pontificum, qui alioqui recte pro sua dignitate Sella gestari consuevere, Sacrosanctum illud Sacramentum Pius circumferebat*. Nec omittendum, quod citato loco idem Auctor refert, nempe hæreticum quemdam ex Anglia virum primarium, qui animi gratia Romam venerat, sacrosque ritus, ac piorum cæremonias tacitus irridebat, ubi magna, quæ increscebat in die, Pii religionis, ac sanctitatis percitus fama, prædictæ Processioni interfuit, tantam admiratum religionem, ad Deum rite colendum se se convertisse; nec multo post ad Pii pedes provolutum delictorum suorum veniam postulasse, atque illa demum Catholico ritu confessum in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium rediisse. Porro, ut scribit Surius in Commentario brevi rerum in Orbe gestarum ad annum MDLXVI. qui fuit primus Pontificatus Pii, *in Festo Sacrosanctæ Eucharistiæ, licet fractis esset viribus, & medicorum opera uteretur, attamen vere Pius Pontifex, non Sella pro more gestatus, nec Corona Pontificia ornatus, sed cum maxima populi ædificatione pedibus ingrediens, illud præstantissimum Corporis Christi voluit circumferre Sacramentum*.

IV. Pium V. Ordinis Prædicatorum Alumnum imitatus est nostro hoc ævo alius ex eodem Ordine Pontifex Maximus Benedictus XIII. quem, licet senio esset confectus, ac omnino calvus, meis oculis vidi pedibus incedentem, non Pontificia sella vectum, ac nudo capite Venerabile Sacramentum in hac Processione deferre consuevisse; itemque in aliis id genus Processionibus, nudo prorsus capite, ac cereum accensum manu tenentem Sanctissimum Sacramentum sequi. Id ipsum testatur Sarnellus in citata Epistola xxv. num. 17. de Clemente Papa XI. quem ait exemplari pietate Processionibus interfuisse, quæ peragi solent in Octava Festi Corporis Domini circum circa ambitum Basilicæ S. Petri, cum intorticio in manu, *& capite penitus aperto, & denudato*, quamvis anno MDCCV. ventus valde frigidus esset, atque molestus. Addit, interfuisse istius anni Processioni omnes S. R. E. Cardinales, Episcopos, aliosque permultos, aperto quoque capite, & denudato, & tamen nullum prorsus ob eam reverentiam augustissimo Sacramento exhibitam interiisse. Quibus tacite quosdam sui, nostrique ævi Homines suggillat, qui adeo sunt delicatuli, ut vitæ periculum subire metuant, si capite aperto incedant in hujusmodi Processionibus, vel Divinis Officiis, quæ coram Venerabili Sacramento exposito celebrantur, assistant. Quod quidem contra illud Apostoli fit, qui in Epistola i. ad Corinthios, Cap. xi. ait: *Omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum*, idest, injuria Christum afficit; paulo enim ante dixerat: *Caput viri Christus*. Hinc quod Bulgari cum ligatura lintei, quam in capite gestabant, Ecclesiam intrarent, hocce Apostoli oraculo usus Nicolaus Papa I. in Responsis ad eorum Consulta, ita eum abusum, Cap. lxvi. improbavit: *Nam sæpe memoratus, ac semper memorandus Apostolus Paulus ait*: Omnis vir orans, aut prophetans velato eapite, deturpat caput suum. *Et iterum*: Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago, & gloria est Dei. *Quod enim de velamine dici, etiam ligaturæ volumine debet, credimus observari*.

V. Longum esset Patrum testimonia congerere, eorumque argumenta referre, quibus probatur, debere orationem peragi nudo, & aperto capite, sed lubet ad arguendos magis, magisque delicatulos nostri hujus sæculi laicos æque, ac Sacros Homines, exemplis Romanorum Pontificum superius memoratis, alia Imperatorum, ac Regum adjungere, qui nudo & ipsi capite Sacris Processionibus, quæ cum delatione Sanctissimi Sacramenti celebrantur, interesse voluerunt. Testatur id quidem de Carolo V. Imperatore Surius in citato Commentario ad annum MDXXX. sic inquiens: *At vero Cæsar, licet jam meridies appeteret, cum reliquis Principibus, quorum illic magnus erat numerus, cum Hispanis quoque, & Belgicæ Proceribus, illi Processioni cum quadam eximia in Deum pietate, & haud vulgari splendore interfuit. Eucharistiam gestabat Cardinalis Moguntinus, a dextris Rege Ferdinando, a sinistris Joachimo Brandeburgico Principe eum deducentibus. Ante Eucharistiam præcedebant Principes sæculares, itemque Clerus cum aliis permultis. Post eam sequebatur Carolus Imperator nudo semper capite, tametsi sol esset ardentissimus, in manu ferens quadrifidam facem ardentem; quod idem voluit fieri a cunctis Proceribus, & Principibus*. Aliud ejusdem Imperatoris exemplum refert inter alios Campius in Historia Cremonensi Lib. II. & ex eo Barrufaldus ad hunc nostrum §. num. 53. his verbis: *Prosequebatur Augustus Augustissimum Sacramentum Processionaliter delatum; cumque sol radiis satis acutis caput ejus verberaret, adsuit* fa-

*familiaris, qui umbellam explicando, & elevando, caput Imperatoris a nimio æstu defendere studebat. Cui Cæsar illico, tantam irreverentiam indignatus,* Aufer istam hinc, *serio dixit*: Dominum Dominantium sequor, sol illi servienti non nocet. *Quam responsionem*, opportune subdit memoratus Auctor, *cordi hærentem ouperem tot, tantisque nostri sæculi delicatis viris, qui dummodo propriæ commoditati faveant, irreverentias enormissimas committere non erubescunt.*

VI. Carolo V. Imperatori adjungimus Christianissimum Galliæ Regem Franciscum I. de cujus obsequio, & cultu erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum idem Surius ad an. MDXXXIV. scribit, quod, quum hoc anno Parisiis, in ipsa Aula Regia, atque aliis ejus Urbis, & Regni locis scripta quædam affixa fuissent Zuingliani dogmatis, quibus tunc Sacratissima Eucharistia indignis contumeliis lacerabatur, *ea res Franciscum Regem vehementissime commovit, indictaque publica Processione, in qua ipse aperto capite pedes incessit, ardentem gestans facem, sequente eum Regina Leonora, Regiisque liberis, & Aulæ Proceribus, omnique populo, scelus hoc expiare conatus est; ac deinde a meridie gravissima oratione ad ejus teterrimæ hæresis extirpationem omnes hortatus est, aitque palam, se ipsum quoque brachium suum excisurum, si ea peste infectum sciret.* Francisci I. exemplum, ut alios Christianissimos Galliæ Reges prætercam, sequutus est quidem immortalis memoriæ Rex Ludovicus XIV. qui in hujusmodi Processionibus, una cum Regii sanguinis Principibus, singulari modestia, atque humilitate, intorticium manu accensum, ac discooperto capite incedere solitus fuit, ut tradit Sarnellus citato loco, num. 21. qui etiam sequenti mox numero affirmat, Venetiarum Ducem, una cum Senatoribus in solemni Processione Corporis Christi, quæ fit per plateam S. Marci, pedes incedere solitum fuisse absque ullo capitis integumento.

VII. Præteriri tandem hoc loco non debet insignis erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Austriacorum Principum pietas, quæ summopere in Rodulpho I. Imperatore eluxit, de quo incognitus Auctor Ordinis Fratrum Minorum apud Nicolaum Serarium in Moguntinæ Ecclesiæ Historia sic habet: *Rodulphus Comes in Hasparg juxta Brug in Hergow, Vir timens Deum, die quodam, optimo sedens equo, trans campum equitans cum quodam servo, Sacerdotem quemdam Sacramentum Eucharistiæ ad infirmum portantem, præcedente ministro, obvium habuit. Cui Comes ait*: Cur, bone Domine, tam digna sarcina onerate, asperum, & lubricum iter non equitatis? *Et ille inquit*: Non habeo præbendam valoris tanti, ut possim equum comparare. *Et Comes*: Accipite hunc meum equum, & eo deinceps pro Dei honore utamini. *Compunctus in hoc facto socius itineris, & ipse suum caballum dedit Sacerdotis Ministro. Cumque venissent ad quamdam inclusam, cui Deus hæc revelaverat, inter alia audierunt ab ea*: Domine Rodulphe, vos hodie honorastis Deum in equo, ecce Deus largus remunerator infra triginta annos vos honorabit, & ad magnum honorem ascendetis. *Factus est enim postea Imperator post viginti duos annos.* Hoc ipsum referunt Chronicon Domus Austriacæ, & Chronicon Helveticorum, Rodulphus Imperium accepit MCCLXXIII. novem annis post institutum Festum Sanctissimi Corporis Christi, quod deinde zelosissime promovit per omnem Germaniam, & ipse, & ejus Successores, uti notavit Christianus Lupus in Dissertatione, *De Sacris Processionibus, in quibus circumfertur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*, Cap. IV. in fine.

VIII. Quanta fuerit post Rodulphum nepotum ejus erga Venerabile Sacramentum devotio atque reverentia, permultis argumentis probari posset. Sed ut iis utamur, quæ ad nostram rem faciunt, Philippus II. Hispaniarum Rex, Caroli V. Imperatoris, de quo supra diximus, filius jam semper solitus fuit in hac Processione nudo capite accensum cereum manu gestans incedere, cumque aliquando rogatus fuisset, ut caput tegeret, ne ei sol noceret, respondit: *Hodie sol non urit*. Insigne quoque fuit Ferdinandi II. Imperatoris exemplum, quem ajunt solitum & ipsum fuisse per Octavam Sanctissimi Corporis Christi Eucharisticas Processiones prosequi, pedes incedentem, manu cereum accensum portantem, discooperto semper capite, *sola florea redimitum corolla*; & quod mirum videri debet, cum aliquando brachium infirmum teneret, moneretur que iccirco a suis, ut domi se contineret, ab ipsis tamen Supplicationibus abstinere noluit, respondens, sanam sibi alteram manum restare, cum qua Deo obsequi poterat, ac inservire. Docet hæc quidem Sarnellus in prædicta Epistola, num. 18. ex quo etiam docemur in sequenti num. 19. Leopoldum I. inclytæ memoriæ Imperatorem simili ritu Processionibus istis interfuisse, capite aperto, & cum intorticio accenso, quod manu tenebat, procedentem; itemque in Parasceve aperto pariter capite, ac Rosarium, quod manu gestabat, recitantem incedere consuevisse ad visitanda Sacella, in quibus ex antiquo ritu Christi Domini Corpus in Arca solet includi mane Feria V. in Cœna Domini, quæ quidem Sacella, communi vocabulo *Sepulchra* appellant.

IX. Ex memoratis huc usque exemplis addiscimus, quanta sint digni reprehensione permulti Sacri Homines imaginario capitis morbo affecti, qui nec pileolo contenti, fortasse, ut juniores, venustioresque videantur, coma fictitia, externoque capillamento intorto, ac cyprio, ut ajunt, pulvisculo exornant, illudque adhibere non erubescunt etiam dum Missam celebrant, & dum Eucharisticis Supplicationibus intersunt. Sane Benedictus XIII. sanctæ, & inclytæ memoriæ Pontifex Maximus illud districte Clericis vetuit in Concilio Romano anno salutis MDCCXXV. cui subscripsere S. R. E. Cardinales, & permulti Episcopi, Tit. XVI. Cap. III. sic inter alia inquiens: *Quique insuper ignominiam sæcularis habitus, & comas capitum pro Christi amore deposuerunt, veste, ac tonsura, Clericis congruente semper utantur, Comamque fictitiam, vulgo*, Perucca, *aut*, Cerchietti, *nunquam adhibeant.* Si nunquam, jam Clericis prohibetur omnino, & semper, tam in Divinis Officiis, quam extra illa, usus hujusmodi capillamentorum, ad mentem Edicti jam prius in Urbe emanati die XX. Decembris anni MDCCXXIV. quod legere est in Appendice ejusdem Concilii, num. XVIII. Varias adversus eum abusum, qui potissimum invaluit initio hujus Sæculi, Constitutiones, & argumenta, legere est apud eruditissimum Joannem Thiersium in Libro, quem contra eundem abusum

sum scripsit, apud Sarnellum in citatis Epistolis Ecclesiasticis, & ut alios omittam, apud Ursayam, Tomo IV. Disceptationum Ecclesiasticarum. Nonnulla etiam nos de ea re diximus Tomo I. Commentariorum in Partem I. Romani Pontificalis, ubi de Tonsura Clericali, & ejus ritibus disseruimus. Ridiculum autem illud est videre non semel Sacerdotes ex infima plebe natos, vestibus, calceamentisque laceris indutos, comam fictitiam, cincinnatam, odoratoque pulvisculo adspersam gestare non modo, verum etiam cum eadem Missæ Sacrificium celebrare.

X. Fortasse duo nobis comarum fictitiarum professores objicient, primum nempe, habere se male affectum caput, secundo, se dispensationem Pontificiam habere. Ad primum quod attinet, non inficior aliquos inveniri, qui ex medicorum consilio, coma fictitia indigeant, sed non puto, innumeros pene homines eo remedio indigere, & adeo quidem, ut coma fictitia nequeant abstinere, quandiu intersunt Eucharisticis Supplicationibus, & dum Missam celebrant, brevissimo utplurimum temporis spatio, &, ut non pauci solent, quadrante horæ longe minori. Certe cum permulti Clerici initio hujus Sæculi fictam cæsariem deferrent, & ex iis non pauci nobilitate, ac dignitate insignes, & senio etiam confecti, ubi ex prædicto Romani Concilii Decreto coacti fuerunt illam deponere, ac tonso capite incedere, nullus, quod sciam, ob eam causam periculum vitæ, aut aliquod grave incommodum subiit. Quod vero dispensationem Pontificiam spectat, veneror plane illam, nec addubito, quin ea uti recte quis possit, ubi revera ex medicorum consilio coma fictitia indigeat, nam alias ipsa Pontificia dispensatio prodesse ei solum poterit in foro, ut ajunt fori, non vero in foro Poli, ut loquuntur Theologi, ac præsertim Cardinalis Bellarminus in sua celebri ad nepotem suum Episcopum Theanensem Epistola.

XI. Porro præfixa in nostro §. regula, ea est, ut *omnes* procedant in ista Processione Corporis Christi, *nudo capite, accensos cereos gestantes*. Ut omnes tam Religiosi, quam laici deberent, si fieri posset, in hac Processione, si non funalia, saltem candelas ceræ albæ accensas manibus portare, statuit quidem Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XXXIII. §. IV. Sed vix puto vile Oppidum inveniri, in quo Clerus Sæcularis, Regularisque, & laicorum Confraternitates accensum cereum in ista Processione non gestent. Quamobrem satis mirari nequeo, cur Romæ Religiosi, qui alias redditibus abundant multis, Franciscanis Capucinis, Observantibusque exceptis, in solemnissima Processione Corporis Christi, quæ fit in Basilica Vaticana, gestante Sacramentum Summo Pontifice, nec funalia, nec candelas accensas manibus ferant. Id quod etiam vidi, nec sine admiratione, in Sæculari Clero, ac in ipsis Basilicarum Urbis Canonicis sine accensis cereis in ista Supplicatione incedentibus. Vidi equidem innumera fere intorticia deferri a laicis, qui post Clerum incedunt, cum forte melius esset, ut, laicis sublatis, intorticia ipsa Fratribus Minoribus Observantibus, Capuccinisque gestanda concederentur, obligatis cæteris Clericis, Religiosisque, ut quisque Cœnobii, Ecclesiæque propriæ impensis, cereum accensum gestaret, Sed & fieri illud etiam posset, ut minime laicis sublatis, obligati essent Clerici Regulares, Religiosique Homines ditiores, qui ab hujusmodi Processionibus immunes sunt, memoratis Fratribus Minoribus cereos darent. Sed hæc non tam mea opinio est, quam virorum piorum, ac doctiorum, qui ferre minime possunt, Clerum Sæcularem, Regularemque in hac Processione sine cereis incedere. Cæterum nec audeo usum hunc improbare, cui forte, re bene perpensa, nullum adhuc potuit remedium opportunum adhiberi.

XII. Decori hujus Processionis, aliarumque Supplicationum, in quibus Sacra Eucharistia defertur, rite recteque consuluit sanctæ memoriæ Benedictus Papa XIII. ubi in Concilio Romano, quod celebravit anno Jubilei MDCCXXV. Tit. XV. Cap. VII. statuit, ut in solemnibus Sanctissimi Sacramenti Processionibus, præter consueta lumina, quatuor semper laternæ cum candelis intus accensis circa Sacerdotem Sacramentum portantem gestarentur; *Pro consueta*, inquit, *quæque alias haberi opus fuerit, solemni Sanctissimi Corporis Christi Processione, pluribus quamvis a Cæremoniali Episcoporum sit, qua par est, cura omni præcautum, quatenus illa religiose semper, & honorificentissime habeatur, luminibus præsertim adhibitis, a Clero, & Populo deferendis; verumtamen, cum quæ deferri solent, lumina aperte gestentur, eaque non raro vento, aut pluvia improviso superveniente, extincta omnia remanere videantur; ne idcirco, quod incongruum satis esset, atque Augustissimo Domino indecentissimum, lumina tunc debita desiderentur, curent Episcopi, & cum eis Sacrarum Cæremoniarum Magistri advigilent, ut per quos pertinet, quatuor saltem cum suis hastis laternæ, quæ tamen aliis sint nobiliores, comparentur, & suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, imposterum deferantur.* Atque huc facit, quod nos Tomo I. hujus Operis diximus in Commentariis ad Caput IV. Tituli IV. ubi ritum explicuimus deferendæ Sacræ Eucharistiæ ad infirmos.

XIII. Hymni præscripti in hoc nostro §. ut in Processione Festi Corporis Christi cantentur, sex sunt, nempe Hymnus, *Pange lingua gloriosi &c.* quem, ut ait idem noster §. *dum Sacerdos discedit ab Altari, Clerus, vel Sacerdos, cantare incipit*. Hymnus, *Sacris solemniis juncta sint gaudia &c.* Hymnus, *Verbum supernum prodiens &c.* Hymnus, *Salutis humanæ sator &c.* Hymnus, *Te Deum laudamus &c.* itemque duo Cantica, *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* &, *Magnificat anima mea Donminum &c.* Primi tres Hymni compositi quidem fuere a S. Thoma Aquinate una cum toto Officio Corporis Christi ut supra notavimus, nec eos Urbanus Papa VIII. emendavit, prout alios omnes anno MDCXXIX. sed intactos reliquit. Duo vero posteriores expurgati fuere a falsis syllabis a laudato Urbano Papa, prædicto anno, & Auctores diversos habent, sicut & Hymnus, *Te Deum laudamus*, qui Sanctis Ambrosio, & Augustino quidem adscribitur, sed tamen diversum Auctorem habet. Vide quæ de ipsa Urbani correctione ad Hymnos facta diximus Tomo II. Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum, Cap. I. in Commentario ad §. XI. Cantica tandem, *Benedictus*, & *Magnificat*, Auctorem habent S. Zachariam patrem S. Joannis Baptistæ Precursoris Christi, ac Sanctissimam Virginem Deiparam, leganturque

que in Evangelio Lucæ, Cap. I. Si memorati Hymni, & Cantica minime sufficiant, juxta opinionem Bauldry in Manuali sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. XVI. Articulo III. num. XVI. possunt alii cantari, scilicet, *Pange lingua gloriosi lauream certaminis, &c.* de Passione, &, *Lustra sex qui jam peregit &c.* & Hymni de Festo Transfigurationis, qui huic Processioni maxime conveniunt, & Psalmi Vesperarum, vel, *Quam dilecta tabernacula &c.* aut alii.

XIV. Ita plane tradit Bualdryus, sed puto equidem, melius fore, si Hymni ipsi, & Cantica repetuntur notata in hoc nostro §. Recte autem illud docet Gavantus Parte IV. Tit. XII. num. 5. Hymnos ipsos, & Cantica a Sacerdote Sacramentum gestante dici posse una cum Ministris alternatim submissa voce, non autem cantando cum aliis, uti ait Bauldry citato loco num. XVII. nisi forte essent pauci admodum Clerici, & necessitas maxima ad id cogat. Opportune monendum nunc illud, quod laudati Auctores docent, ac præsertim Gavantus, Sectione IV. Tit. VIII. num. 9. quod quando Processio ista non fit extra Ecclesiam, convenit, ut Clerus ad primos duos versus, *Tantum ergo Sacramentum &c.* ex Hymno primo desumptos, genuflectat conversus ad Sacramentum, exceptis Ministris, qui genuflectere non debent. Extra vero Ecclesiam nec etiam Clerus, nam ubi est multus Clerus, posset alioqui, & male interrumpi Processio. Idem præcipitur in parvo Libello Italice scripto cui Titulus Latinitate donatus ita plane inscriptus est: *Regulæ, & Instructiones observandæ in associatione Sanctissimi Viatici jussu Innocentii Papæ XII. a Cardinali Carpineo publicatæ, anno MDCXCIII.* pag. 176. in fine, ubi prohibetur ea Cleri, vel Populi genuflexio in tali Processione, dum per viam, & extra Ecclesiam cantatur Hymnus, *Pange lingua &c.* ad hoc ut evitentur varia incommoda. Atque hæc ratio etiam militat, ubi in hujusmodi Processione cantaretur Hymnus, *Te Deum laudamus*, ut neque tunc debeat genuflecti, dum ille cantatur versiculus, *Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni &c.*

XV. Sed ut alia hoc loco explicemus, quæ ad praxim hujus Processionis spectant, eodem teste Bauldry, citato loco, num. XXI. & seqq. ac aliis Scriptoribus, continuate, uniformiter, & sine ulla interruptione incedere omnes debent ita ut non sistant se Clerici, ut Sanctissimum Sacramentum a Clericis per viam, ut alicubi fieri solet, incensetur, nisi necessitas id postulet, nec ut tunc temporis Sanctissimum Sacramentum expectent. Et, si contingat, eos ante Sacramentum transire, quod forte defertur in alia Processione, non propterea firmare se debent, aut genuflectere. Si item accidat, ut Celebrans per aliquot gradus ascendat, aut descendat, Cæremoniarius, aut alius Albæ extremitates, & vestis talaris anteriores Sacerdotis Sacramentum gestantis elevare debet. De circulo, & via procedendi, servanda est locorum consuetudo, neque convenit, ut via antiqua omittatur, nisi aliquod adsit impedimentum, quo minus per illam transire queat Processio. Mutatio enim viæ, ubi nulla adsit necessitas, obnoxia esset litibus, atque altercationibus, quæ omnino ab Ecclesiarum Rectoribus vitari debent, maxime vero in ista solemnissima Sanctissimi Sacramenti Processione. Cæterum generaliter loquendo, habere Episcopum facultatem omnem a Jure, determinandi, & mutandi vias, per quas Ecclesiasticæ Processiones transire debeant, præcipue justa accedente causa, & rebus in eodem statu non permanentibus, pluribus probat inter alios Ursaya Tomo IV. Disceptationum Ecclesiasticarum, Disceptatione XVII. per totam.

XVI. Si longior fit Processio, potest Sacerdos Sacramentum gestans in locis, aut Altaribus paratis, ut supra, ponere Sanctissimum Sacramentum super Corporale prius explicatum juxta receptam probatamque locorum consuetudinem. Ibi ergo Diaconus genuflectet, Sacramentum accipit, illud super Corporale ponit, ministrat incensum Sacerdoti de more, qui genuflexus illud ter incensat, Cantoribus, dum ille incensationem inchoat, & non prius, intonantibus, *Tantum ergo Sacramentum &c.* aut aliud; quo dicto, subdunt mox Cantores versum, *Panem de Cælo &c.* ac deinde Sacerdos dicit Orationem, & alia peragit, ut infra in fine Processionis notata habentur. Sed advertendum hic tamen, minime convenire, ut id fiat passim ad singula Altaria, vel loca ornata in viis, sed semel tantum, ac iterum arbitrio Sacerdotis, frequentes enim Stationes videntur importunæ, & sæpe ordinem Processionis pervertunt. Sane in Patria mea, quæ Paula est Urbs citerioris Calabriæ, jam fere omnibus nota, ob denominationem, quam ab ea accepit illius Civis S. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum Institutor, inter alia, quæ per vias eriguntur Altaria, duo præcipua sunt, ac decentissime ornata, in quibus Sacramentum exponi solet, alterum quidem ab ipsa Civitate erectum, alterum vero a Domino loci juxta Palatium, in quo solitus est habitare, dum Paulæ moratur. Atque hic est ritus, qui in memoratæ Provinciæ Oppidis, locisve, servatur, ut ad unum, vel summum ad duo per vias Altaria erecta se sistat cum Sacramento Sacerdos.

XVII. Dum fit Processio, pulsandæ sunt quidem Campanæ Ecclesiarum, per quas illa transibit, ut in Synodis multis constitutum legi, & in multis locis servatum vidi, in quibus etiam mos ille obtinuit, ut Ecclesiæ, per quam Processio transit, Superior Sæcularis, Regularisve Pluviali indutus, una cum Thuriferario, & aliis Clericis cereos accensos tenentibus, obviam Sacramento fiat, illudque genuflexus, & profunda capitis inclinatione ante, & post, ter incenset, Clero suo, si adsit, ad fores Ecclesiæ genuflexo manente, Sacerdote autem, qui Sacramentum defert, stante. Sed de hac Processione, sicut & aliis multis standum est probatæ longo usu locorum consuetudini, ac propriorum Episcoporum Statutis.

## §. V.

Peracta Processione, & Sanctissimo Sacramento ad Ecclesiam reportato, & super Altari deposito, omnes Ecclesiastici, qui adsunt, hinc inde ordine genuflexi, illud reverenter adorantes, dum Sacerdos de more incensat, sequentem Hymni partem conci-

cinant: *Tantum ergo Sacramentum &c.* Postea duo Clerici dicant ℣. *Panem de Cælo præstitisti eis alleluja*. ℟. *Omne delectamentum in se habentem*, *alleluja*. Deinde Sacerdos stans dicit: *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

*Oremus*.

*Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue, quæsumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen*.

# COMMENTARIUS.

I. Quum ritus in reditu Processionis ad Ecclesiam servandus, parce admodum propositus sit in hoc præsenti §. operæ pretium duxi ad pleniorem ejus intelligentiam, ac praxim, ea primum describere quæ docuit Gavantus Parte IV. Tit. XII. num. 7. his verbis: *In fine Processionis Subdiaconus deponit Crucem in loco decenti, Ceroferarii candelabra in credentia, & cum Clero genuflectunt; deposito Sacramento super Altari cum ministerio Diaconi, ut in Cœna Domini, imponitur a stante Celebrante sine benedictione incensum in thuribulo, fit incensatio trina de more, cantante interim Clero genuflexo, ante, & circum Altare ultimos duodecim versus Hymni*, Pange lingua gloriosi &c. *quibus dictis, cantatur Versus a duobus Clericis*, Panem de Cælo &c. *& a Celebrante stante, Ministrisque genuflexis, & Librum sustinentibus hinc inde, dicitur*, Dominus vobiscum, *cum Oratione*, Deus qui nobis &c.

II. Sed ut ritum ipsum paulo etiam fusius luculentiusque explicemus, addendum hactenus dictis censemus quod notavit inter alios Bauldry in Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. IV. Articulo III. num. XXIX. & seq. Ingressa itaque Processione in Ecclesiam, Celebrans cum ascenderit ad secundum gradum Altaris, deponit Sanctissimum Sacramentum stans in manus Diaconi genuflexi in plano suppedanei in cornu Epistolæ, quasi vertentis renes eidem cornu, atque hic surgit, & reverenter illud collocat super medium Corporalis extensi super Altare, non omnino renes vertens Celebranti ob ejus reverentiam, nec statim illud ponit super Altare, sed tantillum expectat, ut Celebrans illud adoret. Sic autem illud ponit, ut Imago Christi in Hostia Sacra expressa populum respiciat. Tum Diaconus genuflectit, & accedit erectus ad dexteram Celebrantis, cujus non adhuc velum removetur ab humeris ejus, quia daturus est tandem benedictionem populo cum ipso Sacramento, ut dicemus infra in Commentario ad §. VI. Porro postquam Celebrans dederit Sanctissimum Sacramentum Diacono, statim genuflectit, & illo deposito super Altare ab eodem Diacono, ibidem stans ponit sine benedictione, & osculis thus in thuribulum primi Thuriferarii, alio genflexo in cornu Evangelii, ministrante Diacono naviculam, & genuflexus Sanctissimum Sacramentum, facta ante, & post, profundissima inclinatione, de more incensat.

III. Advertendum vero hic est, quod dum Celebrans suam inchoat incensationem, & non prius, Cantores, & non Celebrans, ut alicubi fieri assolet, & quidem contra præscriptum hujus nostri §. canere incipiunt versum illum, *Tantum ergo Sacramentum &c.* cæterosque prosequuntur cum sequenti versu, *Genitori, Genitoque &c.* Celebrans vero ita metiri suam trinam incensationem debet, ut ipsa duret, quandiu duo hi versiculi cantantur, scilicet, *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*; uti ait memoratus Bauldryus, num. XXXI. cui tamen adversatur Cæremoniale Episcoporum, Lib. II. Cap. XXXIII. §. XXV. & XXVI. mandans, Episcopum, dum Cantores cantant versiculum, *Tantum ergo Sacramentum*, surgere a genuflexione in infimo gradu Altaris, & ponere incensum, utique post cantatum ipsum versiculum, *Tantum ergo &c.* Sed puto non omnino improbandum ritum, qui in variis Ecclesiis viget, ut tunc quidem Celebrans suam incipiat incensationem, quum Cantores inchoant primum illum versiculum, *Tantum ergo &c.* Romæ passim incensatio fit a Celebrante, dum ille cantatur versiculus, *Genitori, Genitoque*. Et ut verum fatear, uterque ritus videtur laudabilis, cum ipsa incensatio utrique versiculo conveniat. Dico nihilominus, servandas esse Cæremonialis Episcoporum, & Ritualis hujus Romani Rubricas.

IV. Mandat præterea hic noster §. ut absoluto Hymno, *Tantum ergo &c.* usque ad finem *postea duo Clerici dicant*, Panem de Cælo præstitisti eis alleluja, & ℟. Omne delectamentum in se habentem Alleluja, *deinde Sacerdos stans dicat*, Dominus vobiscum, &, Oremus Deus qui nobis &c. Atque hic nota, I. Clericorum, sive Cantorum munus esse, versiculum ipsum cantare, *Panem de Cælo &c.* non vero Ministrorum, Diaconi scilicet, ac Subdiaconi, qui Celebranti assistunt, ut in multis Ecclesiis fieri assolet contra Rubricam hujus nostri §. Et Cæremonialis Episcoporum citato loco §. XXVII. *Duo Cantores*, inquit, *cantabunt versiculum*, Panem de Cælo &c. *& Chorus Responsorium*, Omne delectamentum &c. *& Episcopus surgens, ex Libro, quem Diaconi assistentes genuflexi hinc inde sustinebunt, cantabit Orationem, Deus, qui nobis sub Sacramento &c.* II. cantandum versiculum, *Panem de Cælo &c.* a Clericis, seu a Cantoribus genuflexis, non vero erectis, ut fieri solet in Ecclesiis passim, contra Rubricam, in qua nulla fit ejus erectionis mentio. III. addendum esse in ipso versiculo, *Alleluja*, non modo in Processione hujus Festi, verum etiam per totam ejus Octavam, prout fit tempore Paschali, & non ultra, ut Rubricæ præscribunt, & Auctores passim docent. IV. licet in recitato Cæremonialis Episcoporum loco, & ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto, cujus meminit Barrufaldus ad hunc §. num. 73. ad Orationem prætermitti debeat salutatio illa, *Dominus vobiscum*, dicendam tamen eam censeo, quia scilicet ita præscribit hic noster §. in Rituali Romano, quod nos explicamus,

mus, novissime Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papæ XIV. jussu edito, & aucto. V. Orationem terminandam esse illa tantum brevi conclusione, *Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum*, & non adhibendam aliam longiorem *Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus &c.* quæ tantum ad Missam & ad Horas dicitur, ut inter alios notavit Bauldryus, num. xxxiii, in fine. Cæterum cum unica Oratio præscripta in hoc §. sit, a Celebrante recitanda, jam nec ulla alia addenda, nec pro infirmo, nec in honorem alicujus Sancti, nec pro quacunque necessitate, ut notant Sacrarum Cæremoniarum Scriptores, quibus etiam adhæsit Barrufaldus, num. 75, quia scilicet unice de Sanctissimo Sacramento facienda est commemoratio in die Solemnitatis suæ; & non est Ministrorum inferiorum præscriptis ritibus quidpiam addere.

## §. VI.

Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento semel benedicat populum in modum Crucis, nihil dicens; postea illud reverenter reponat.

## §. VII.

Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis Processionibus faciendis cum Sanctissimo Sacramento.

## COMMENTARIUS.

I. Quoniam hic quoque §. breviter ritum exponit, quo post recitatam Orationem, *Deus qui nobis sub Sacramento &c.* Celebrans benedictionem cum Sanctissimo Sacramento impertiri debeat populo in Ecclesia genuflexo, opportunum duxi ritum ipsum ex Gavanto, Bauldry, aliisque Auctoribus hoc loco referre ad pleniorem ejusdem nostri §. intelligentiam. Responso itaque a Choro, *Amen*, ad prædictam Celebrantis Orationem, Celebrans ipse nihil addens, ascendit ad Altare, genuflectit, & sine alterius ministerio, velatis, ut prius, manibus, accipit Ostensorium, & vertens se ad populum per latus suum dextrum, ut ad *Dominus vobiscum*, tenens manu dextra nodum, & sinistrum pedem ipsius Ostensorii, sicut prius, ante pectus, benedicit populum semel tantum, nihil dicens, in modum Crucis, facie Hostiæ ad eundem populum versa, & gyrum perficiens, Ostensorium collocat super Altare. Hoc autem ritu Celebrans cum Sanctissimo Sacramento populum benedicit. Quum stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non super caput, sed tantum ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta attollit usque ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum ducit, & reducit ad dextrum, & rursum ante pectus reducit ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes Cruce, eam etiam venerandam omnibus præbeat, tum vero tandem gyrum perficit. Sed interim dum Celebrans benedicit, Ministri hinc inde genuflexi, & inclinati, facie versa ad Sanctissimum Sacramentum elevant partes anteriores Pluvialis illius. Id quod etiam assistentes faciunt in pari casu.

II. Ex præscripto quidem nostri §. vi. Celebrans benedicens, nihil dicit, nihilque prorsus tunc dicere debent Cantores, aut Musici, uti post alios notavit Bauldryus in sua Sacrarum Cæremoniarum Praxi, Parte iv. Cap. xvi. Articulo iii. num. xxxvi. Potest tamen Organum pulsari suavi sono, & gravi, ut ad elevationem Sanctissimi Sacramenti in Missa solemni. In quibusdam Ecclesiis, cum cantatur Versus, *Genitori, Genitoque*, Celebrans accipit Sanctissimum Sacramentum, & cum dicitur, *Sit & benedictio*, populum benedicit semel. *Sed hoc videtur*, ut scite admodum idem Bauldryus notat, *nimis rusticum, & est expresse contra Rituale Romanum, ideo mos iste non videtur permittendus*. Hunc abusum, quem alias servatum vidi in quadam insigni Urbis Ecclesia a Presbyteris, qui se doctos jactant, & Sacrorum Rituum servatores, jam merito ante Bauldryum improbarunt Sarnellus Tomo vii. Epistolarum Ecclesiasticarum, in Epistola lviii. num. 10. & Macrus in Hierolexico, verbo, *Benedictio*, ubi sic habet: *Notantur imprudentiæ Sacerdotes, qui ad benedicendum populo cum Eucharistiæ Sacramento, expectant id agere, quando nempe Chorus cantat verba Hymni*, Sit & benedictio; *nam sensus illius verbi*, benedictio, *non refertur ad nos, seu ad populum; sed ad Sanctissimam Triadem, ubi* benedictio, *laudem proprie sonat, & sic ridicule populus loco Trinitatis, sub illis verbis benedicitur*. Abusum quidem esse ait Macrus non dissimilem illi, qui in Ecclesia Africana tempore Sancti Augustini reperiebatur, ubi, quoniam solemus pectus percutere ad verba, *Confiteor &c.* idem faciebant Africæ Christiani, quando in Evangelio pronunciari audiebant, *Confiteor tibi Pater &c.* in quibus verbis se impeccabilem esse Filius Dei testatus est, non vero peccata illi confessus fuit. Sed ecce S. Augustini locum, quem ex Sermone viii. *De verbis Domini*, idem Macrus descripsit: *In hoc ipso quod sonuit* Confiteor, *pectora tutundistis. Tundere autem pectus, quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis*, Confiteor tibi Pater, *Confiteor, audistis. Qui confitetur non audistis. Nunc advertite. Si* Confiteor, *Christus dixit, a quo longe est omne peccatum, &c.* Sed his obiter dictis, fortasse tolerabilis est quarundam Ecclesiarum nostri Regni Neapolitani mos, in quibus dum Sacerdos cum Sacramento populum benedicit, cantare musici solent, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*; sive etiam

etiam populus ipse dicere consuevit: *Miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.*

III. Data benedictione ex præscripto nostri §. Celebrans ipse Sanctissimum Sacramentum reponit, quia scilicet supponit §. Diaconum tunc non assistere Celebranti; nam alias, ut Scriptores Sacrarum Cæremoniarum communiter docent, itemque communis Ecclesiæ praxis, Diaconi munus est Sacramentum recludere in Tabernaculo, servato scilicet in hunc modum ritu. Data benedictione, & deposito Sanctissimo Sacramento super Altare, facta genuflexione, descendit Celebrans ad infimum Altaris gradum, amotoque velo ab eo per Subdiaconum, vel Cæremoniarium, Diaconus ascendit ad Altare, genuflectit, aperit Tabernaculum, & reponit in eo Sacramentum, factaque iterum genuflexione, ostiolum claudit, & genuflexione alia facta, descendit ad dexteram Celebrantis, ubi genuflectit; moxque omnes surgentes, acceptis biretis, recedunt in Sacristiam præeunte Clero, extinctis jam prius cereis, qui delati fuere in Processione accensi, accensique manserunt usque ad depositionem Sanctissimi Sacramenti in Tabernaculo inclusive. Cæterum adnotandum restat, quod ait noster §. modum benedicendi hucusque præscriptum servandum etiam in aliis Processionibus faciendis cum Sanctissimo Sacramento, in iis scilicet, quæ per Octavam Festi Corporis Christi, in expositione quadraginta Horarum, & in tertia Dominica cujusque mensis in variis fieri solent Ecclesiis, ac in aliis demum, quas proprius Episcopus præscriberet, nam idem est Sacramentum, idem Dominus, atque adeo eadem religio, idemque cultus debetur rei tam sacrosanctæ, uti ad ipsum §. notavit Barrufaldus, num. 81.

# CAPUT VI.

## *De Processione ad petendam pluviam.*

I. INter eximia beneficia, quibus Deus cumulat habitatores Terræ, merito Regius Propheta pluviam recenset, dicens in Psalmo CXLVI. *Qui operit Cælum nubibus, & parat Terræ pluviam.* Et Christus, Matthæi Capite V. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos.* Ex adverso inter graves pœnas, quas idem Deus mortalibus comminatur, est Cælum claudere, & pluviam denegare: *Sit Cælum*, inquit Cap. XXVIII. Deuteronomii, *quod supra te est, æneum.* Quod quidem fecit per Eliam, & per Davidem Prophetas, quorum alter Lib. II. Regum, Cap. I. maledicens Gelboe montes dixit: *Nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Siquidem prohibita a Deo pluvia super Terram, ut scite observat eruditus Quarti in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione II. Puncto XVIII. languent, & gemunt prata, & nudantur colles suo virore, montes arescunt, flumina exiccantur, & fontes; denique, deficientibus Terræ fructibus, pallent præ inedia ora hominum, grassantur infirmitates, & mors dominatur ubique. At vero, concessa a Deo congruente pluvia, vertitur Terræ luctus in gaudium, lætantur campi, ridentque prata, fructus abundant, depellitur fames, redit hominibus vigor, & incolumitas. Hinc Isaias, Cap. LV. ait: *Descendit imber, & nix de Cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat Terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti.* Non ergo mirum, si Tales Milesius docuit, aquam esse rerum omnium principium; & si in Sacris Literis nives, & aquæ inter Dei thesauros computantur, uti in præcitato Capite Deuteronomii, *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, Cælum, ut tribuat pluviam Terræ tuæ in tempore suo.* Et Cap. XX. Numerorum, ubi Moyses petens aquam pro populo, ita Deum rogavit: *Domine Deus, audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* Et Capite XXXVIII. Job, qui ita ad Deum loquutus est: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?*

II. Porro pluviæ, nivisque originem explicuit inter alios S. Basilius Homilia III. in Exameron Divini opificii, ubi exponens eam execrationem a Deo Israeli factam citato Capite XXVIII. *Sit Cælum, quod supra te est, æneum*, sic inquit: *Quid his verbis indicare vult? nimirum omnimodam siccitatem, ac defectionem aerii humoris, & aquarum cælestium, quibus ad gignendos fructus efficitur Terra fœcunda.* Ecce hic pluviæ originem: *Quum itaque deferri de Cælo rorem, aut pluviam dicit, aquas tum eas nos intelligimus, quascumque superas occupare regiones est institutum. Quando namque exhalationes illæ sublime petentes, & aer aspirantium ventorum adstrictione addensatur, & concrescit, quum quidem humores hactenus vaporationis instar, & minutatim nubi inspersi, jam inter se mutuo cohæserint, generantur guttæ ex concretorum humorum pondere ad ima decedentes, atque id ortum esse pluviæ constat.* Pergit S. Doctor, explanatque mox generationem nivis, sic dicens: *At cum humor redactus in spumam fuerit vi ventorum, agitationeque dissectus, summeque deinde refrigeratus coactus fuerit universus, nix tum, cum frangitur nubes, defertur; atque omnino ratione eadem universam humoris naturam circum aerem nostro capiti imminentem, & superne pendulum tibi cernere licet.* Multa alia de aqua, ac nive, earumque effectibus tum idem Basilius, tum alii antiqui Patres recensent, quæ hoc loco referrre supervacaneum est. Legenda potius integra laudati Basilii Homilia, quam habuit ad populum suum Cæsareensem, quando per siccitatem Cæsareæ fames invaluit, quod icciirco admoneo, ut inde argumenta capere Parochus queat ad excitandum populum, ut in hujusmodi calamitatibus Deum peccatis offensum pœnitentia, ac supplicatione placare festinet.

III. Publicas preces calamitatis hujus tempore factas laudat quidem Basilius, quamvis a Deo non exauditas defleat. Sed & Tertullianus jam sua tempestate, Sæculo nempe II. quo ipse claruit, a Christianis pariter, & Gentilibus publice imbres deposci consuevisse, & qua ratione id fieret, narrat quidem in suo Apologetico, Ca-

Capite XL. his verbis: *Denique cum ab imbribus æstiva, & hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis, Cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso, & Deo, & Cælo. Nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge delati, in sacco, & cinere voluntantes, invidia Cælum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Juppiter honoratur.* Aquilicia ait Rhenanus dicta ab aquis eliciendis, quod fiebat in magna siccitate. Aquilices, sive Aquileges scrutandorum fontium artifices, ab elicibus dicti, qui sunt capita fontium, & scaturigines. Nudipedalia autem nuncupat, quod nudis pedibus juberetur in publicis Supplicationibus pluviam invocare populus apud Gentiles; alludens fortasse ad Sacra *Nudi pedalia* Judæorum apud Josephum, Lib. II. *De Bello Judaico*; sed quæ in honorem Dei fiebant, non Idolorum, sicut & apud Christianos nonnunquam in usu fuerunt, ac hodie etiam in Supplicationibus, quæ a religiosioribus Episcopis ad advertendas calamitates peragi solent. Sane idem Auctor scribit in citato Apologetico, Cap. V. Marcum Aurelium Imperatorem, cujus cum in bello adversus Germanos exercitus aqua destitueretur, precibus Christianorum retulisse acceptum, quod siti non conficeretur, quo illi pluviam a Deo impetraverunt: *Si Litteræ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte Militum precationibus, impetrato imbri, discussam.* Id quod expressius recenset in Libro ad Scapulam, Capite IV. sic inquiens: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum Militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit.* Subditque mox: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ. Tunc & populus adclamans Deo Deorum, & qui solus potens, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit.*

IV. Ergo antiquissimæ sunt in Ecclesia, & quidem longe ante datam Ecclesiæ pacem usitatæ a Christianis ad impetrandam pluviam Supplicationes, eumque pium morem omni ævo servavit Ecclesia, ubi pacem, tranquillitatemque per Constantinum Magnum Imperatorem recuperavit, ut innumeris pene exemplis probari posset, quæ in Historia Ecclesiastica, & in Vitis Sanctorum occurrunt. Celebre plane est illud, quod habemus in Vita S. Porphyrii Gazensis Episcopi, de cujus Supplicatione ad impetrandam pluviam ita scribit Marcus ejus Discipulus apud Surium ad diem XXVI. Februarii: *Accidit autem, ut illo anno*, nempe anno circiter CCCXC. *esset siccitas, & defectus pluviæ. Cives vero omnes id adscribebant ingressui Beati Porphyrii, dicentes*: Nobis responsum dedit Marna, fore ut Porphyrius esset author malorum Civitati. *Cum autem pergeret Deus non pluere primo mense, qui ab eis vocatur Dios, deinde etiam secundo, qui dicitur*, Epilleos, *omnes affligebantur. Congregati autem Idololatræ in Marnaeo, multa Sacrificia, & multas preces faciebant ea de causa. Dicebant enim, Marnam esse Dominum imbrium, Marnam vero dicunt esse Jovem. Cum autem perseverassent septem dies, hymnos dicentes, & egredientes extra Civitatem in locum, qui vocatur Orationis, animum despondentes; reversi sunt ad sua opera, nulla re effecta. His sic factis, congregati Christiani cum viris, & feminis, & pueris, numero ducenti & octoginta, rogarunt Sanctum Porphyrium, ut cum eis egrederetur, & precaretur, ut dimitteretur pluvia; jam enim erat fames, eoque magis, quod Beati ingressui adscriberent siccitatem. Persuasus autem Sanctus, cum edixisset jejunium, jussit, omnes vespere congregari in Sancta Ecclesia, ut illic vigilias perageremus. Fecimus vero tota nocte triginta preces, & totidem genuflexiones, præter choros, & lectiones.*

V. Spectant hæc quidem ad præparationem Supplicationis, quam mane sequentis diei celebraturus erat Sanctus Antistes solemnibus cæremoniis, quas ita memoratus Marcus Auctor ejus Vitæ recenset: *Cum fuisset autem mane, accepto signo venerandæ Crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum Hymnis ad antiquam Ecclesiam quæ est a parte Occidentali Civitatis, quam ajunt ædificasse Sanctissimum, & Beatissimum Asclepam Episcopum, qui multas sustinuit afflictiones pro Fide orthodoxa, cujus Vita, & facta scripta sunt in Paradiso deliciarum. Cum ergo fuissemus in dicta Ecclesia, illic quoque fudimus totidem preces, & illinc egressi, ivimus in Sanctum Martyrium gloriosi Martyris Timothei, in quo reposita sunt etiam aliæ Reliquiæ Mauris Martyris, & Thees, quæ relata est in numerum Confessorum. Cumque illic fecissemus totidem preces, & genuflexiones, reversi sumus in Civitatem, factis tribus precibus, & tribus genuflexionibus. Cum autem fuissemus circa Civitatem, invenimus eam clausam, erat vero hora nona. Idololatræ enim hoc fecerunt, volentes dissipare populum, ne perficeremus Supplicationes. Cum autem mansissemus duas horas ante portam, & nemo esset, qui aperiret, videns Deus populi patientiam, fletusque, & ineffabiles lacrymas, maxime Sancti Viri, motus misericordia, quomodo tempore magni Eliæ Prophetæ, movet ventum Austrum, & nubibus tegitur Cælum, & incipiunt fieri fulgura, & tonitrua, simul atque sol occidisset; & decidit multus imber, ut existimarentur non guttæ, sed grando e Cælo dejici. Nos autem præ magno gaudio propemodum non sensimus. Nos enim eramus invicem complexi. Quidam vero Gentiles, cum adspexissent miracula, quæ Deus nobis fecerat, & credidissent, nobis portam aperuerunt, & commixti sunt nobiscum clamantes*: Christus solus Deus, ipse solus vicit. *Convenerunt autem nobiscum in Sanctam Ecclesiam, & illinc Beatus eos dimisit in pace, Christi signatos signaculo. Erant vero viri numero centum viginti septem, & feminæ XXXV. & infantes XIIII. ex quibus erant puellæ quinque.* Concludit tandem memoratus Marcus, quod cum Christiani fecissent tunc perfectam gratiarum actionem, recessit unusquisque domum cum gaudio, & pace; tanta autem pluvia descendit illa nocte, & altero die, ut timerent, ne domus corruerent, ex quibus erant plurimæ constructæ ex lateribus.

VI. Enarrato hactenus antiquo Supplicationis ad pluviam impetrandam exemplo, lubet & aliud adjungere ex Vita S. Euthymii Abbatis, in quo sacri notatu digni ritus occurrunt quibus ab ipso Euthymio, qui claruit Sæculo V. obiit-

obiitque anno CDLXV. celebrata fuit ad impetrandam pluviam Supplicatio. Rem describit Cyrillus Monachus in ejus Vita apud eundem Surium die xx. Januarii, sic inquiens: *Circa illud autem tempus, cum terra laboraret siccitate, propterea quod non plueret, adeo ut esset quidem Cælum super caput, prout dictum est*, Deuteronomii Capite xxviii. *æneum, terra autem subtus ferrea, & quæ erant in Laura cisternæ, essent intus aridæ, & plenæ pulvere, valde affligtabantur Fratres, & cum magno accedentes Theoctisto, magnum rogabant Euthymium, sciebant enim, quanta ejus esset apud Deum fiducia, ut Cælum per preces aperiret, & illinc aquam ad eos deportaret, qui siccitate mirandum in modum laborabant. Ille autem id non in animum inducebat, eam rem vocans Dei disciplinam, & inflammationem invectam propter peccata*: Viæ enim tuæ, *inquit Divinus Hieremias*, & tua studia hæc tibi fecerunt; *& propterea forte ne me quidem exaudiet rogantem ejus benignitatem*. Ne ores, *enim inquit rursus idem Propheta*, pro hoc populo, & ne roges pro eis, quoniam te non exaudiam. *Et hæc quidem D. Euthymius differens de eo Deum rogare propter suam insignem modestiam. Cum autem incenderetur flagellum, siccitasque, & pluviæ invalesceret defectus, & deinde etiam vici, qui erant circum circa, graviori premerentur necessitate; quoniam erat dies octavus Sanctorum Theophaniorum, & jam advenerat dies præfinitus, quo is exibat in vastam solitudinem, innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo Cruces habens in manibus, &* Kyrie eleison, *idest*, Domine miserere, *non ore solum, sed labris quoque cordis invocans*.

VII. Pergit Auctor, allocutionemque mox refert, quam Dei Servus Euthymius ad populum ad eum confluentem habuit: *Ille autem illorum flexus precibus ad eos egreditur*: Mihi quidem, *dicens*, o filii, nulla est ad Deum certa fiducia, & eum libere alloquendi audacia, ut qui sim peccator, & plus quam ullus alius, ejus opus habeam clementia, & maxime tali ejus in nos iræ tempore, nimiæ fuerit meæ audaciæ Deo preces offerre, qui, ut ait Divinus Esaias, dat panem afflictionis, & aquam angustam. Qui aperiet, & non erit, qui occludat; & claudet, & non erit qui aperit. Peccata enim nostra inter ipsum, & nos separant. Inquinavimus ejus imaginem, Templum polluimus, servivimus libidinibus, & variis voluptatibus, invidiæ, & avaritiæ hæremus, ei exosi evasimus, dum alter alterum odimus. Verum enim vero quoniam benignus, & clemens est nobis Dominus, qui sola indiget occasione, & abunde protinus omnem effundit misericordiam, supplices ei procidamus & eum vehementer oremus; & scio fore, ut nobis ignoscat, & quod suum est, faciat, & nobis decernat irrigationem, & nostri paternam curam gerat. Est enim prope Dominus omnibus invocantibus eum, inquit Divinus David, in veritate. *Eo autem adhuc loquente, illi veluti una lingua, & voce respondentes*, Ipse, *dixerunt*, ora pro nobis, o Pater. Voluntatem enim eorum, qui ipsum timent, facere novit omnino Dominus. *Cum hæc, & quæ sunt ejusmodi, non posset Divinus despicere Euthymius, & populo quidem præcepisset, ut intense orarent, ipse autem assumpsisset ex Monachis eos, qui erant præsentes, ingreditur cum ipsis Oratorium; cumque se ipsum humi projecisset, Deum orabat cum lacrymis. Deus vero exaudiit orationem, statimque audiebatur quidem sonus vehementis spiritus, & aer implebatur nubibus, & erumpebant tonitrua, vehemensque magno impetu cadebat pluvia, & affluentibus aquis terra inebriebatur. Cum ergo ille humo surrexisset, & se turbis ostendisset*. Ecce *inquit*, Dominus vestris precibus exauditis visitavit terram sua visitatione, & ejus sulcos inebriavit, & ut eam ditaret, multiplicavit. Benedicet autem coronam anni hujus supra alios, & implebuntur quidem campi pinguedine. Pinguescent vero speciosa deserti, & valles multiplicabunt frumentum, & accingentur colles exultatione &c.

VIII. Hactenus S. Euthymii allocutio ad populum habita in ea ad impetrandam pluviam Supplicatione, desumpta ex variis Scripturæ locis, quam nos eo consilio descripsimus, ut inde Parochi, Concionatoresve, in hujusmodi angustiis argumenta sumant Sermonem habendi ad populum, qui pluviam desiderat, ut ad pœnitentiam excitetur, & ad Deum recurrat, præsertim per Processiones, & publicas Supplicationes, quæ magnam vim habent ad impetrandam pluviam, ut constat ex adductis exemplis. Siquidem, uti recte notavit allegatus superius Quarti in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione I. Puncto xviii. claves hujus thesauri, quas Deus Angelis denegavit, tradidit Orationi; vel potius ipsa Oratio, & Supplicatio clavis est, qua Cælum aperitur, & clauditur, ut pluat, vel non pluat super terram; quod manifeste probatur, exemplo Eliæ, de quo sic ait S. Jacobus Apostolus in Epistola sua, Cap. v. *Elias homo erat similis nobis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & Cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum*. Unde S. Augustinus in Sermone xxii. de tempore, sic inquit: *Oratio justi clavis est Cæli. Ascendit ad Cælum precatio, & descendit miseratio*. Quod, si non statim fluant aquæ, perseverare oportet in Oratione; sæpe enim vult Deus experiri spem nostram in eum, & perseverantes exaudire. Quod ejusdem Eliæ exemplo comprobatur, septies enim ille oravit ad impetrandam pluviam, & septies misit puerum ad videndum, num Cælum nubibus obtegeretur, cumque puer nihil se videre diceret, Elias ferventius orabat, donec septima vice voti compos effectus est, uti legere est, Lib. iii. Regum, Cap. xviii. in fine.

IX. Eliæ exemplum, quod Vetus æque, ac Novum Testamentum celebrat, a majoribus nostris summopere commendatum est in hujusmodi ad impetrandam pluviam Supplicationibus; uti constat ex superius memoratis, quas eam ob causam Sancti Porphyrius Episcopus, & Euthymius Abbas celebrarunt, & ex Euchologio, ubi variæ Orationes in pluviæ penuria a Callisto Patriarcha Constantinopolitano ordinatæ leguntur, quarum prima sic habet: *Dominator Domine Deus noster, qui propter magnum erga te zelum Eliam Thisbitem exaudisti, & imbrem suo tempore mittendum suspendi, eoque deinde deprecante uberrimum donari, jussisti: te omnium Dominum per tuam obtestamur clementiam, ut pluviam voluntariam hæreditati tuæ suppedites, & nostris neutiquam attentis peccatis, super indigen-*

*gentia loca imbres tuos demittas; exhilara faciem terræ, pauperes populi tui, & infantes, & jumenta, & alia cuncta, quæ a te sibi dari escam in tempore opportuno expectant. Tu enim es, Deus noster, Deus miserendi, & salvandi, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.* Rursus quarta Oratio sic incipit: *Domine, Domine, qui per Prophetam tuum Eliam, squallore terræ sublato, aquarum fluxu terræ faciem irrigasti, & populum tuum fructuum copia educasti: ipse nunc innata tibi benignitate motus, imbres terræ pacificos ad fructuum annuorum productionem largire.* Fit tandem & Eliæ mentio in sexta Oratione, ubi inter alia, hæc extant verba: *Nunc itaque cunctis nostris iniquitatibus dimissis, aurem tuam inflecte, & nos humiles, peccatoresque exaudi, sicut quondam Eliam Thesbiten obaudisti, ita ut edomando populo illi pervicaci, verbo solo Cælum teneres vinctum, atque iterum solita tibi humanitate usus, aqua congrua terram irrigaturus universam, tuo jussu pluviam nubibus expressisti: ita & num ejusdem Famuli tui interventu, & ferventibus precibus, non attentis iniquitatibus, & peccatis nostris, supplicationes nostras suscipe, & in hac hora ferventer te deprecantes exaudi &c.*

X. Præter S. Eliam Prophetam, jam quælibet Urbs, Oppidulumque suos habet Sanctos Patronos, ad quos ad impetrandam a Deo pluviam recurrere solent. Certe in Diœcesi Comensi perenne miraculum jam diu ejus incolæ experti sunt, & in dies experiuntur. Quoties enim imminet periculum famis ex nimia terræ ariditate, indictis publicis Supplicationibus ad Ecclesiam S. Æmilii, seu, ut alii vocant, S. Miri, sine longa mora fiunt voti compotes; post preces enim supplicantium intercedente etiam apud Deum prædicto Sancto, labuntur e Cælo sufficientes pluviæ, & fruges cunctæ virescunt, ut fusius narrat Petrasanta in sua Thaumasia, Tomo III. Cap. XXII. ubi hunc eventum recenset inter miracula perpetua. Paulæ quoque, quæ mea Patria est, simile prodigium experiuntur, ubi in pluviæ defectum indicta supplicatione ad Civem nostrum S. Franciscum de Paula recurrunt; statim enim impetrare a Deo pluviam solent, meritis, & intercessione ejusdem Sancti, qui Patriam suam eo semper amore prosequutus est, ut a communi calamitate famis, pestis, terræmotusque, cui aliquando tota Provincia fuit obnoxia, immunem suo apud Deum patrocinio semper servavit. Cæterum, alicubi in ipsa Brutiorum Provincia ea interdum incolarum simplicitas devenit, ut tempore nimiæ siccitatis post Supplicationem ad prædictum Sanctum habitam, si pluviam mox non obtineant, Statuam ejus in quodam carcere includunt, in eoque tamdiu detinent, donec ipsos optato imbre recreare dignetur; atque hac pia alioqui, simplicique audacia, pluviæ beneficium compluries obtinuerunt.

XI. Reliquum est, ut illud tandem notemus, quando scilicet non statim Deus pluviam nobis concedit, quam petimus, plerumque id eum facere ad nostram utilitatem, quia scilicet utplurimum nescimus quid petamus, & quid expedit nobis. Non enim semel contigit, ut obtentæ in tempore pluviæ, annonæ penuria successerit, & ex adverso, extraordinaria siccitas, qualis fuit illa elapsi anni MDCCLVI. magnam frugum omnis generis copiam peperit, idque aliis etiam confirmari posset exemplis.

## §. I.

Aguntur omnia, ut supra in Litaniis Majoribus, usque ad finem Litaniarum, in quarum Precibus bis dicitur: *Ut congruentem pluviam Fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus, audi nos.* In fine postea dicitur, *Pater noster*, secreto. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Psalmus CXLVI. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus &c.* Quo finito, dicantur Preces. ℣. *Operi, Domine, Cælum nubibus.* ℟. *Et para terræ pluviam.* ℣. *Ut producant in montibus fænum.* ℟. *Et herbam servituti hominum.* ℣. *Riga montes de superioribus tuis.* ℟. *Et de fructu operum tuorum satiabitur terra.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.*

Oratio.

*Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia, tua semper protectione muniamur.*

Oratio.

*Da nobis, quæsumus, Domine, pluviam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* ℣. *Exaudiat nos Omnipotens, & misericors Dominus.* ℟. *Amen.* ℣. *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. Quum hæc Processio ad impetrandam pluviam pœnitentialis fit, jam fieri omnino debet in paramentis violaceis atque eo quidem ritu, qui in Litaniis Majoribus, de quibus diximus in Commentariis ad Caput IV. servandus est; quia scilicet, cum ipsæ Litaniæ

niæ pro publica pœnitentia institutæ fuerint, ideo non immerito ad omnes actus pœnitentiales ex Ecclesiæ Decreto adhibentur, & consequenter in pluviæ penuria, cum illa additione in nostro hoc §. præscripta, ac bis dicenda, *Ut congruentem pluviam Fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus audi nos*; quæ quidem deprecatio desumpta est ex antiqua illa Oratione, prima scilicet in nostro §. descripta, ac in Missali Romano, quæ & dicitur ad petendam pluviam; in ea enim rogatur Deus, *ut pluviam* tribuat *congruentem*, sufficientem scilicet, & opportunam, ne alias nimia pluvia, & superabundans, & extra tempus decidens, nocumento potius frugibus sit, quam utilitati. Porro deprecatio illa, *Ut congruentem pluviam &c.* Litaniis adjungenda, & bis repetenda, recentioris videtur esse instituti, cum nulla ejus deprecationis mentio fiat in Sacerdotali Romano Venetiis impresso anno MDLXVII, in eo Capite, quod inscriptum est, *De Processione facienda ad petendam pluviam tempore siccitatis*.

II. Sed quoniam Romani Sacerdotalis facta mentio fuit, mandat id quidem, ut congregato Clero, & populo in Ecclesiam, cantatisque Antiphonis, ut in Festo S. Marci, iis finitis, cantetur Litania, & fiat Processio, eaque absoluta, atque reversa ad Ecclesiam, cantatur Antiphona, *Psallite Deo nostro, psallite in cythara, qui operit Cælum nubibus, & parat terræ pluviam*, cum Psalmo, *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus &c.* Quo dicto, repetendam ait Antiphonam, *Psallite Deo nostro &c.* Sequuntur mox Preces, & Orationes, & quidem longe plures iis, quas præscribit hic noster §. nempe: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster*. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Convertere, Domine, aliquantulum*. ℟. *Et deprecare super servos tuos*. ℣. *Domine refugium factus es nobis*. ℟. *A generatione in generationem*. ℣. *Metuamus Dominum Deum nostrum*. ℟. *Qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam in tempore suo*. ℣. *Cæli non possunt dare imbrem*. ℟. *Nisi volueris Domine*. ℣. *Dominus dat pluviam super faciem terræ*. ℟. *Et irrigat aquis universa*. ℣. *Aperiet Dominus thesaurum suum Cælum*. ℟. *Ut tribuat pluviam terræ nostræ in tempore suo*. ℣. *Domine exaudi Orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

III. Precibus recitatis huc usque succedunt septem Orationes, in quibus sola Oratio, *Da nobis quæsumus Domine &c.* quæ in nostro §. est ordine tertia, recensetur, aliæ enim diversæ omnino sunt, quarum prima ita plane inquit: *Obsecramus misericordiam tuam, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut squallentes agri fecundis imbribus irrigentur, quibus pariter æstivi mitigentur ardores, & sævientium morborum restringatur accessio; salus hominibus, jumentisque proveniat; atque ut hoc, te largiente, mereamur, peccata, quæ nobis adversantur, relaxa, qui pluis super justos, & injustos; & jam nostris offensionibus relaxatis, expectata nubium munera largiaris, quibus & salus nobis, & alimenta præstentur. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Altera Oratio sic ait: *Terram tuam, Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, cælestibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ sempiternæ. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Oratio tertia est eadem ac illa in nostro §. notata: *Da nobis quæsumus Domine pluviam salutarem &c.* Quarta Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas homines, & neminem vis perire; & aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluentis cælestis dignanter infunde. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Quinta Oratio: *Delicta, Domine, nos ipsi cognoscimus, ut ipsius terræ fœditas monstrat transgressionis excessus. Tu autem, piissime Pater, qui Cælum clausisti contumacibus & ingratis, reseratum humilibus & contritis concede deprecantibus, & nobis subsidia pluviarum tribue, & merentibus abundantiam largiri digneris. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Sexta Oratio: *In afflictione maxima constitutis consolationem tribue, Domine Deus, Fons largissimæ pietatis, & descendat, quæsumus, pluvia salutaris, ut omnia, quæ sub Cælo sunt, irrigentur ab aquis. Pasce servos tuos imbribus consuetis, quos ad laudem tuæ creare dignatus es majestatis. Per Christum &c.* ℟. *Amen*. Septima tandem, & ultima Oratio sic inquit: *Omnipotens sempiterne Deus, qui solas aquas emittis de Cælis, dona servis tuis beneficium pluviæ salutaris, ut quod facinore mox suspenditur, tuo jam gratuito munere prorogetur. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*. Finitis Orationibus, mandat mox idem Romanum Sacerdotale, *ut dicatur Missa ad pluviam postulandam, ut habetur in Missali*, antiquo scilicet, nam alias in Missali correcto jussu Pii Papæ V. desideratur hujusmodi Missa, sed extant tamen tres Orationes, *ad pluviam petendam*, dicendæ in Missis currentibus, ubi scilicet proprius Episcopus ab agricolis rogatus id jusserit.

IV. Ut aliquid demum de ritu Orientalis Ecclesiæ dicamus, prolixiores, & quidem longe sunt preces, quas ipsa adhibet; nam præter Officium in diversas Supplicationum Processiones & Vigilias, extat primo in ipsius Ecclesiæ Euchologio, seu Rituali, quod Notis illustravit doctissimus Jacobus Goar, *Officium in imbris penuriam, & siccitatem*. Secundo, *Canon supplex ad clementem Dominum siccitatis tempore*. Tertio, *In squallore temporis sicci protensa Oratio*. Quarto, *Orationes in Pluviæ penuria*, opus *Callisti Patriarchæ Constantinopolis*.

## CAPUT VII.

### *Processio ad postulandam serenitatem.*

I. Quemadmodum congruæ pluviæ donum universam Terram lætitia implet, ita incessantis pluviæ flagellum obumbrat horrore; & propterea sicut ad impetrandam pluviam habetur ad Deum recursus, & Supplicatio, uti jam late diximus in Commentario ad Caput superius, ita & ad eam compescendam, ad eundem, qui omnium bonorum dator est, fieri debet accessus per publicas Preces, & Supplicationem, seu Processionem; tantæ enim interdum, tamque assidue pluviæ decidunt, ut si non diluvium, saltem illud videatur, quod a quo-

quodam scriptum legitur apud Nicolaum Serarium, Lib. I. *De Sacris Catholicæ Ecclesiæ Processionibus*, Cap. v. his versibus.

*Obsecro, quid sibi vult ingẽs quod ab æthere nĩbus,*
*Noctes, atque dies sic sine fine ruit?*
*Terrigenæ quoniam nolunt sua crimina flere,*
*Cælum pro nobis solvitur in lacrymas.*

Et hoc est, quod S. Lullus Archiepiscopus Moguntinus vocat in S. Bonifacii Epistolis, Epistola LXII. *pluviarum flagellum*, contra quod etiam *Preces*, *Missas*, & *jejunia* indicit. Data est Epistola charissimis filiis Aenehardo, Eambertho, Vinberto, Sigeherio, Sigevvaldo, ubi ita plane S. Antistes scribit: *Admonemus vos, ut rogetis omnes ubique Deo servientes, tam Servos Dei, quam Ancillas Christi in Provincia Tyringorum, universamque plebem, ut in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluviarum flagello liberemur, idest, ut unam hebdomadam abstineant se ab omni carne, & ab omni potu, in quo mel sit. Secunda Feria, IV. Feria, & VI. Feria jejunetis usque ad Vesperam, & unusquisque Servorum, & Sanctimonialium quinquaginta Psalmos cantet omni die in illa septimana, & illas Missas, quæ pro tempestatibus fieri solent, celebrare vos Presbyteri recordamini.*

II. Præter preces, fieri etiam consuevisse olim publicas Processiones, Supplicationesque, depellendis nimiis pluviis, & aeris serenitati recuperandæ, innumeris probari posset exemplis, veterumque Scriptorum testimoniis. Certe Theodosium juniorem Supplicationem, seu Litaniam pro serenitate, & clementia aeris impetranda instituisse, Auctor est Nicephorus Lib. XIV. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. III. his verbis: *Litania instituta est, supplicantes processere, laudibus Deum vexere, atque una concors Ecclesia, Civitas tota facta, & ipse Theodosius hymnis canendis præiit, habitu privato incedens. Minime vero eum fefellit opinio; statim enim Cælum aerem turbidum cum serenitate commutavit, & frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia, & ubertas est consecuta.* Sequutus est iste Theodosius Junior senioris Theodosii exemplum, qui, ut scribit Ruffinus, Libro II. *Historiæ*, Cap. XXXIII. cum Eugenio pugnaturus, circuibat cum Sacerdotibus omnia Orationum Loca, & ante Martyrum, & Apostolorum Reliquias jacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Sane referunt laudatus Nicephorus citato Libro XIV. Cap. XLVI. & Cedrenus, aliique Scriptores non pauci, eodem Theodosio Juniore imperante, cum Civitas Constantinopolis gravi, & diuturno terræmotu concuteretur, Theodosium ipsum, & Proclum Patriarcham Constantinopolitanum Litanias, & Supplicationes indixisse, quibus cum cives operam darent, miraculum præter opinionem omnium subsecutum est.

III. Ut ergo hic de iis Processionibus, Supplicationibusque disseramus, quæ depellendis nimiis pluviis, obtinendæque optatæ serenitati, peraguntur, jam illud monemus, solicitiores fuisse præ cæteris Romanos Pontifices, ad eas indicendas, riteque celebrandas. Quum nimis crebræ essent pluviæ Romæ, & fulgura, quibus homines, & pecora enecabantur, tanta calamitas sublata penitus fuit per Supplicationes, & Litanias, teste Anastasio in Vita Adeodati Romani Pontificis, qui obiit anno DCLXXVI. *Post cujus transitum*, inquit, *tantæ pluviæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit esse, ut etiam homines, & pecudes de fulgure interirent; & nisi per Letanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel horreis frumenta recondere. In tantum enim crevere hæc mala, ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem devenirent, pro quo capti homines mirabantur.* Testis est idem Anastasius, S. Gregorium II. qui electus Romanus Pontifex fuit anno DCCXV. cum Tyberis alveum suum ob nimias pluvias egressus, muros Urbis superasset, domos evertisset, mortalesque multos sustulisset, tanto malo solis Supplicationibus subvenisse: *Eo tempore fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum suum egressus, se se per campestria dedit, intumuit etiam inundatione aquarum multarum, & per portam, quæ Flaminia dicitur, ingressus est. Transcendit interea aliquibus in locis & muros Urbis, atque ultra Basilicam S. Marci per plateas se extendit, itaut in via lata ad unam, & semis staturam aqua ejusdem fluminis excrevisset, atque a porta B. Petri Apostoli usque ad Pontem Milvium aquæ se distenderent, & juxta remissa in ipsius fluminis alveum se dedit. Domos itaque evertit, agros dissipavit, eradicans arbusta, & segetes. Nam nec serere ipso potuit tempore pars maxima Romanorum. Pro hoc imminebat tribulatio magna. Per dies autem septem aqua Romam tenebat pervasam. A Domno itaque Papa Letaniæ crebro fiebant. Cumque in Oratione, & Letaniis persisteret, post octavum jam diem misertus Deus aquam amovit, & fluvius ad proprium regressus est alveum.*

IV. Neque vero priscis tantum Sæculis ipsi Romani Pontifices pellendis nimiis pluviis Supplicationes instituerunt, verum etiam & nostro hoc ævo, ut alios omittam, Summi Pontifices non sine elogio nominandi, Benedictus XIII. & BENEDICTUS XIV. ad postulandam aeris serenitatem, ipsas Supplicationes celebrarunt, summa religione, ac pietate admirabili. Quod quidem sapientissime factum est, cum nimia pluvia, & importuna, longe gravius sit siccitate, & penuria aquarum, flagellum, quo quidem Deus peccatis nostris offensus, non modo sæpe agros, ac vastas regiones exterminavit, verum etiam totum terrarum Orbem temporibus Noe, uti legitur in Libro Genesis, Cap. VII. submersit. Quæ causa fuit immittendi universalis diluvii in Terram, declaravit ipsemet Deus in Libro Genesis, Cap. VI. *Corrupta est autem Terra coram Deo, & repleta est iniquitate; cum vidisset Deus Terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super Terram) dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, repleta est Terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum Terra.*

V. Sed ut ad Processionem ad postulandam serenitatem redeamus, advertendum est plane illud, quod recte monet Barrufaldus, quod scilicet, ut plerumque pluvio tempore fieri ista Processio soleat, prudentis Magistri sacrarum Cæremoniarum erit onus assignandi viam brevem, & commodiorem, porticibus ornatam, si fieri potest, per quam ducenda sit Processio, ad vitandum grave incommodum illorum, qui ei intersunt, si madefiant. In hoc casu pileum afferri paratum, ut caput in pluviæ casu cooperiant,

non

non deforme, nec improprium esse censet; commonerique posse ait habitantes in illis viis, ut portas domorum suarum apertas teneant, ut in casu præcipitis pluviæ, ad eas confugiant, præsertim si in ea Processione Sacræ Sanctorum Reliquiæ deferantur. Optimum plane esset, quinimo necessarium censeo, ut, si probabiliter imber immineat, ab Ecclesia minime discedatur; quod si dum Processio jam inita sit, repente imber ruat, Reliquiæ ad aliquam Ecclesiam, vel ad domum, porticumque viciniorem portentur, ut a pluvia subtrahantur. Ita plane idem Auctor affirmat factum Ferrariæ anno MDCCX. in simili Processione, quando in domo Comitum de Pachienis in via Judaicæ se receperunt Reliquiæ SS. Martyrum Georgii, & Maurelii Patronorum prædictæ Urbis, adstantibus cum toto Clero Eminentissimis Cardinalibus Ruffo Legato, & de Verme Episcopo, necnon Judice, & toto Sapientum Magistratu, qui ad prædictam domum confugere, donec imber ipse omnino quiesceret.

VI. Tradit hæc quidem Barrufaldus testis oculatus loco citato, ubi etiam ita mox subdit: *Sed hic fuit postremus aquarum conatus in illa inundantia, nam illico post tonitrua, & fulgura, serena facie Cælum apparuit, ut nos Ferrarienses in quasi possessione manuteneret, hujusmodi prodigia videndi in instanti, seu pluviæ impetrandæ, seu compescendæ, si deducantur per vias eorundem Sanctorum Patronorum Reliquiæ, adeo ut inveteratum, & commune adagium sit, Ferrarienses ita Sanctos suos Patronos habere benevolos, ut precibus populi sui quodammodo parere videantur.* Quod ait hic de Sanctis Patronis Ferrariæ Barrufaldus, affirmare & nos possemus de Cive nostro, ac Patrono S. Francisco de Paula, ad quem, ubi fit Supplicatio ad impetrandam pluviam, vel serenitatem, statim ejus intercessione beneficium congruentis pluviæ, serenitatisve solemus accipere, sicut & alia Calabriæ, seu aliarum Provinciarum loca, quæ facto ad ipsum recursu idem beneficium consequuntur.

## §. I.

Omnia fiant, ut supra in Litaniis Majoribus, & in Litaniarum Precibus bis dicatur: *Ut fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos.* Ad finem obsecrationum dicitur: *Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Psalmus LXVI. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.* ℣. *Adduxisti, Domine, spiritum tuum super Terram.* ℟. *Et prohibitæ sunt pluviæ de Cælo.* ℣. *Cum obduxero nubibus Cælum.* ℟. *Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei.* ℣. *Illustra faciem tuam, Domine, super servos tuos.* ℟. *Et benedic sperantes in te.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.* Oratio.

*Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.*

Oratio.

*Ad te, Domine, clamantes exaudi, & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus.*

Oratio.

*Quæsumus, Omnipotens Deus, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Juxta Romani Sacerdotalis præscriptum in eo Capite, quod inscribitur, *De Processione pro postulanda serenitate*, congregato Clero, & populo ad Ecclesiam, canebantur primum in ipsa Ecclesia duæ Antiphonæ, & quidem flexis genibus, quarum prima sic habet, *Oremus, Dilectissimi nobis, Deum Patrem Omnipotentem, ut cunctis Mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesque depellat inimicos, & de manu inferni liberet nos propter Nomen suum.* Atque hæc est Antiphona, quæ juxta Rubricam prædicti Sacerdotalis canebatur initio Processionum pœnitentialium, qualis est ista, quæ ad petendam serenitatem celebratur. Antiphona altera ita plane inquit: *Exaudi, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine;* cum Psalmo: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam;* & cum ℣. *Gloria Patri &c.* Repetita Antiphona, incipiebantur Litaniæ, & fiebat Processio, sicut ibidem notatum est in Festo S. Marci, sive, ut ait noster §. *in Litaniis Majoribus*, ex cujus etiam præscripto in Litaniarum Precibus bis dicitur, versiculus, seu obsecratio: *Ut Fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos;* quia scilicet ista est ratio præcipua, propter quam Processio celebratur.

II. Ad finem obsecrationum, ut ait idem noster §. dicitur, *Pater noster*, cum versiculo, *Et ne nos inducas in tentationem*, & responsione, *Sed libera nos a malo;* ac deinde Psalmus sexagesimus sextus, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.* in quo imploratur Divina misericordia, confitemur Divinam bonitatem, & justam peccatorum nostrorum punitionem. Sequuntur versiculi,

siculi, seu Preces ex Sacra Scriptura desumptæ, præsertim vero ex Genesi diluvii universalis recensetur historia. Orationes tandem transcriptæ sunt ex Missali Romano, & prima quidem ex Missa Feriæ v. post Cineres, secunda vero, & tertia sunt Oratio, & Postcommunio, quæ dici solent in Missis ad serenitatem petendam. Porro juxta Romani Sacerdotalis præscriptum, finita Processione, ac ingressis Ecclesiam, cantabatur Antiphona, *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt Majestatem tuam, & timuerunt, & turbati sunt abyssi, & probibitæ sunt aquæ de Cælo*. Sequebatur Psalmus LXXVI. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi*; repetitaque prædicta Antiphona, deinde dicebantur variæ Preces, & Orationes, diversæ ab illis in nostro §. præscriptis, si duas excipias, quæ est secunda nostri §. *Ad te, Domine, clamantes exaudi &c.* & tertia: *Quæsumus Omnipotens Deus &c.*

III. Sed quum non ita obvium sit Sacerdotale ipsum Romanum, ut haberi præ manibus facile queat, describere hoc loco censui Preces ipsas, atque Orationes, quæ post repetitam post memoratum Psalmum Antiphonam dicebantur; sunt autem hujusmodi: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos.* ℣. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit.* ℟. *Dominus super aquas multas.* ℣. *Inundaverunt aquæ super caput meum.* ℟. *Invocavi nomen tuum, Domine, & vocem meam audisti.* ℣. *Salvum me fac Deus.* ℟. *Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* ℣. *Illustra faciem tuam super servos tuos, Domine.* ℟. *Salvos nos fac in tua misericordia.* ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiscum* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.* Sequuntur mox quinque Orationes, quarum prima sic habet: *Domine Deus, qui in ministerio aquarum salutis tuæ nobis Sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui, & jube terrores inundantium cessare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte mysterii, ut qui se regenerantibus aquis gaudent recreatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per.* Oratio altera: *Quæsumus Omnipotens Deus, ut inundantiam coercens imbrium & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per.* Tertia Oratio. *Oremus. Ad te Domine clamantes exaudi, & aeris serenitatem &c.* ut in secunda Oratione nostri §. Quarta Oratio: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui nos, & castigando sanas, & ignoscendo conservas, præsta supplicibus tuis, ut tranquillitatibus hujus optatæ serenitatis, & consolationis, & dono tuæ pietatis semper lætemur. Per.* Quinta demum, & ultima Oratio, ita plane inquit: *Oremus. Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuæ majestatis instituis, serenitatem, & tranquillitatem misericordiæ tuæ nobis, remotis imbribus, largiaris, ut cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum &c.* Atque hæ sunt Preces, & Orationes præscriptæ in præfato Sacerdotali, in quo etiam statuitur, *ut postea dicatur Missa de serenitate, ut in Missali*; quæ tamen Missa sublata fuit novo in Missali jussu Pii Papæ V. edito, relictis Orationibus ad serenitatem petendam dicendas in Missis currentibus, ubi scilicet summi Ecclesiarum Præsides id præciperent.

IV. Consuevisse olim vel primis Christi Sæculis Sanctos Episcopos variis uti Precibus ad coercendam inundantiam imbrium, ac fluminum, docent nos antiqua exempla, quæ in Sanctorum Episcoporum Vitis occurunt, quorum omnium illud quidem celeberrimum mihi videtur, quod de S. Sabino Placentiæ Episcopo narrat S. Gregorius Lib. III. Dialogorum, Cap. X. *Cui dum die quadam suus Diaconus nunciasset, quod cursus sui Padus alveum egressus, Ecclesiæ agros occupasset, totaque illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua ejusdem fluminis teneret, Venerabilis Vitæ Sabinus Episcopus respondit, dicens*: Vade, & dic ei: Mandat tibi Episcopus, ut te compescas, & ad proprium alveum redeas. *Quod Diaconus ejus audiens despexit, & irrisit. Tunc Vir Dei, accersito Notario, dictavit dicens*: Sabinus Domini Jesu Christi Servus Commonitorium Pado. Præcipio tibi in Nomine Jesu Christi Domini nostri, ut de alveo tuo in locis istius ulterius non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas.. *Atque eidem Notario subjungit dicens*: Vade hoc scribe, & in aquam ejusdem fluminis projice. *Quo facto, Sancti Viri præceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alveum reversa, exire ulterius in loca eadem non præsumpsit.*

V. Teste Barrufaldo in suo ad hunc Romani Ritualis locum Commentario, num. 9. in antiquissimo Codice Rogationum nuncupato, in Archivo Capitulari Ferrariæ extante, in qua scilicet ob pluviarum abundantiam sæpe occurrit ratio indicendæ Processionis ad postulandam serenitatem, ne ex ipsis pluviis intumescant flumina, quæ arva non minus, quam Civitatem obruant, habetur vetus exemplar ritus, & Orationum adhibitarum hac occasione, inter quas notabilior illa est, quam Episcopus supra pontem sistens, fortasse Castri Thebaldi recitabat, quæ est hujusmodi: *Domine Deus Omnipotens, qui me servum tuum huic populo Pastorem elegisti, exaudi me Domine, exaudi, qui mare rubrum divisisti, qui Jordanis fluenta siccasti, cui impossibile nihil est: impera huic flumini, ut oppressionem populo tuo nullatenus faciat, & libera eos in manu potentiæ tuæ, qui se defendere non possunt suis virtutibus &c.*

VI. Hæc Orationis formula, ut idem Barrufaldus scite observat, clare demonstrat, Episcopos solitos fuisse huic Processioni ad postulandam serenitatem interesse, & tunc quidem præcipue, cum de flumine intumescentia compescenda tractaretur. Memoratam autem Orationem ex prædicti Codicis antiquitate conjicit a B. Joanne de Tusignano Ferrariæ Episcopo fuisse compositam, quando scilicet mirabile prodigium operatus est, simile illi, quod paulo superius de S. Sabino Placentiæ Episcopo S. Gregorius retulit. Ergo cum prædicto Joanni nuntiatum fuisset, Padum flumen prope muros Ferrariæ percurrens, alveum suum egressum, Civitatem, & Civium, atque Ecclesiæ agros occupare, accersito sibi Sacerdote, Præceptum hujusmodi illi dictavit in scriptis: *In Nomine Jesu Christi, præcipio tibi, o flumen, ut in locum tuum rediens, hæc loca deinceps invadere non præsumas.* Sacerdos vero irridens exequi mandatum comtempsit de cartula cum Præcepto in flumen projicienda. Ex quo factum fuit, ut ipse Sanctus

Antistes audenter, & maxima cum fiducia personaliter ad ripam inimici fluminis, indicta Processione, cum toto Clero se contulerit, atque ibi elevatis oculis in Cælum, verba Præcepti imperiose proferens, charthulam projecerit, signo Crucis efformato. Quo facto, illico, & instanti, toto adstante Clero, & populo, Padus in pristinum alveum se recepit, cum omnium admiratione, & compunctione. Accidit hoc prodigium circa annum MCDXL. ex Actis ejusdem Beati typis impressis anno MDXII. scriptis vero anno MCDXLVIII. a Joanne Peregrino Ordinis Jesuatorum, quem Sæculo elapso extinxit Clemens Papa IX. Diplomate dato VI. Decembris anni MDCLXXVIII. & ex ms. Codice in Archivo S. Hieronymi Ferrariæ extante, nec non ex Morigia in Paradiso Jesuatorum, Lib. III. Capite XI.

# CAPUT VIII.

## *Preces ad repellendam tempestatem.*

I. Verbum tempestas a Lexicorum Auctoribus multipliciter accipitur, modo idem significat, quod tempus, teste Plauto in Casina, ubi sic ait: *Ea tempestate flos Poetarum fuit*. Modo tranquillum, & serenum tempus, teste Cæsare, Lib. IV. *De bello Gallico*, ubi ita inquit: *Nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertia fere vigilia solvit*; & Virgilio Æneidos, iis verbis: *Unde hæc tam clara repente tempestas?* Modo, ut alias significationes omittam, in malam partem accipitur, ut idem sit, quod procella, turbo, grando, & generaliter quivis Cæli inquietior status, atque in hunc quidem sensum passim in Sacra Scriptura, & in Ritualibus, ac præsertim in Rubrica hujus Capitis sumitur. Quum autem tanta verno præsertim, æstivoque tempore soleat esse vis tempestatum, ut non modo sternat agros, sternat sata læta, bovumque labores, sed & domos ipsas, earumque habitatores, ac Templa potissimum, Sacrosque Homines prosternat, merito Ecclesia varias Preces ad eas compescendas instituit, ordinavitque.

II. Hanc fuisse causam, atrocem scilicet tempestatem, quæ Coloniæ contigit anno DCCCLVII. ut eodem anno Concilium Moguntiæ, dictum iccirco Moguntinum, seu Mogontiacum, a Carolo ejusdem Urbis Archiepiscopo sub Ludovico II. Imperatore, & Benedicto Papa III. celebraretur, testantur veteres Francorum Annales apud Labbeum Tomo IX. Conciliorum Editionis Venetæ, ubi sic inquiunt: *Habita est autem Synodus apud Moguntiacum circa Kalendas Octobres*, ubi inter alia, quæ ventilata sunt de Jure Ecclesiastico, *præsentata est Epistola Guntharii Coloniensis Episcopi ad Aldifridum, in qua legebatur, contigisse Coloniæ xvij. Kalendas Octobres terribilem valde tempestatem, populo cuncto præ nimio horrore in Basilicam S. Petri confugiente, & signis Ecclesiæ concrepantibus, unanimiter Dei misericordiam implorante, subito fulmen informe, ignei draconis instar, Basilicam scidisse, ac penetrasse, atque ex omni illa multitudine tres homines diversis quidem locis, sed uno ictu, in mortem dejecisse, Presbyterum scilicet juxta Altare S. Petri, Diaconum vero juxta Altare S. Dionysii, laicum autem ad Altare S. Mariæ; alios etiam numero sex eodem impetu ita prostravisse, ut elati semivivi vix convalescerent.* Hæc Annales Francorum, eademque Lambertus Schafnaburgensis in Chronico, & ex his Serarius in Historia Moguntina, Libro I. Capite XXXIII. & Baronius anno DCCCLVII. num. I.

III. Variis precibus, modisque religiosis consuevisse Episcopos, Sanctosque Homines tempestates cohibere, Scriptores Vitarum ipsorum passim nos docent. De S. Leobino Episcopo Carnotensi ita plane ait ejus Vitæ Auctor Capite III. apud Bollandianos die XIV. Martii: *Cum æstivo tempore proventus fructuum instaret, & matura segetes trita horreis recondi deberent, subita aeris oborta tempestas ita sylvarum frangebat cacumina, & messes sternebat, ut in stragem penitus viderentur redigi. Commotus ergo Vir de tantæ incommoditatis periculo, contra hujusmodi nimbi tempestatem cælestibus armis, orationibus videlicet se inarmans, & oleum sacræ benedictionis opponens, non solum fulgura, & tonitrua tempestatem concitantia fecit quiescere, & in pristinam tranquillitatem aeris quassationem redire, sed insuper quidquid cellæ in stipendiis debebatur, sub integritate conferre*. Occurrunt exempla id genus passim in Vitis Sanctorum, in quibus dicitur, compescuisse ipsos tempestates exitium agris, hominibusque minitantes, precibus, orationibusque ad Deum fusis.

IV. Orationum formula jam non una usi sunt Sancti Homines ad tempestatem repellendam. De S. Theutonio Canonico Regulari refert coævus ejus Vitæ Scriptor, Cap. III. apud eosdem Bollandianos die XVIII. Februarii, quod cum navis, cum qua Hierosolymam pergebat Sepulchrum Christi Domini veneraturus, tempestate jactaretur, in oratione cum lacrymis prostratus, ac totus ad Deum conversus, post Psalmos, & Litanias Dominatorem invocavit hoc modo: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Fili S. Mariæ, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus es in Summa Trinitate Deus, & vera Unitate, succurre nobis in supremo periculo constitutis, gloriosum ut Sepulchrum tuæ sanctæ Resurrectionis, pro quo venerando, & osculando de finibus mundi venimus, videre mereamur, & tuæ liberationi gratias agamus*. Addit mox, quod, *sedata tandem tempestate, omnes*, qui scilicet cum Sancto Theutonio erant in navi, *morti jam dediti, Cæli Deum exultantes benedixerunt, laudes eidem debitas referentes, &*, Gloria in excelsis Deo, *nobiliter cantantes, quod eos misericorditer dignatus est de eo mortis articulo liberare*.

V. Longum esset peculiares Preces hoc loco referre, quibus Sancti ea tempestatis occasione usi sunt. Teste Auctore Vitæ B. Æmiliæ Ordinis Prædicatorum, Cap. IV. apud memoratos Bollandianos in Appendice ad ejus Vitam die III. Maji, certam precandi formam, ac ritum Deipara Virgo ad tempestatem dissipandam, eidem tradidit: *Volo*, inquit, *te docere brevem orationem, qua tali occasione posthac uteris. Aci-*

*cipies ergo Cereum Paschalem cum Cruce, & Aqua benedicta, & comitantibus te processionaliter Sororibus, signabis deinde sola aerem ad quatuor mundi partes, ad singulas Cruces dicendo*, Credo, &, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster (*ad hæc autem verba Crucem formabis*) In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Denique regressa in locum opportunum, recitabis Litanias honori meo compositas, cum Hymno*, Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. *Hæc si in tempestatibus observaveris, videbis in momento redire serenitatem; imo ob tui amorem similiter exaudientur quicumque eadem usurpaverint*.

VI. Multum valere orationem, signum Crucis, ac intercessionem Deiparæ, ad tempestates depellendas, satis ostendit exemplum S. Liobæ Virginis, & Abbatissæ, de qua Ridolphus Auctor ejus Vitæ apud Surium die XXVIII. Septembris, Cap. XVII. narrat, quod cum horrida tempestas præsentem omnibus mortem intentaret, rogataque a populo, ut eam compesceret, *Cappam, qua erat induta, abjiciens, fores Ecclesiæ confidenter aperuit, atque in limine consistens, signo sanctæ Crucis edito, furenti tempestati Nomen summæ Majestatis opposuit, extensisque manibus in Cælum, terno clamore Christi clementiam invocavit, & per intercessionem, ac merita Sanctæ Mariæ Virginis, propitium eum populo suo velociter adesse precabatur. Confestim igitur adest Divinitas, tonitrua conquiescunt, venti contrarii ad dissipandam nubium densitatem ministeria convertunt, omnisque illa aerum tenebrositas mox in duas partes divisa, & in semetipsam relapsa, tranquillitatem, & serenitatem, apparente sole, reduxit*. Concludit Auctor, aitque, ita Virtutem Divinam, & Ancillæ suæ sibi fideliter servientis merita declarasse, & populis inopinatam securitatem, depulso timore, concessisse.

VII. Longum esset varia ex Ecclesiastica Historia, Vitisque Sanctorum, exempla referre, quibus docemur, candelis stata Ecclesiæ cæremonia, peculiarive Sanctorum prece benedictis, sive Cereis Agnis rite a Summo Romano Pontifice consecratis, vel Sanctorum Reliquiis, sedatas plerumque tempestates fuisse. Sed non omittendus est antiquus Exorcismi usus, quo olim Episcopi, Sacerdotesve inferiores, tempestates ipsas, quæ utplurimum a diabolicis potestatibus excitari in aere solent, ut Sacri Scriptores docent, pro sua in easdem potestate compescere consueverunt. Teste Auctore Vitæ S. Edmundi Cantuariensis Episcopi, Capite XV. apud Surium die XVI. mensis Novembris, *cum Wigorniæ extra Templum concionaretur, horrida nubes se repente diffudit, vehementes auditoribus imbres minitans, sentiens Vir Dei, consternatos illos jam fugam meditari, signum Crucis contra illas nubes expressit, ita dicens*: Præcipio tibi, maligne spiritus, ut procul hinc abscedas, nec hunc populum ausus sis impedire. *Dixit, & dispulsa mox atra caligine, nubes lucida obumbravit eos, interim in circuitu cum magna tempestate multa pluvia cadente*. Subditque mox, eundem Sanctum Episcopum etiam alias diversis temporibus pluviam, & tempestatem ab eo loco, ubi concionabatur, avertisse, consuetis scilicet Exorcismis, Crucisve sanctæ signo, seu aliis suis peculiaribus precibus.

VIII. Illud vero advertendum censeo, non omnes Conjurationes, Exorcismosque, ingruente tempestate, a Sacerdotibus esse adhibendos, sed illos tantum, quos Summi Romani Pontifices, institutaque ab ipsis Sacra Rituum Congregatio approbaverunt, non vero illos, quos quidam privati homines, quales sunt, quos inter alios collegit, Ritualique inseruit Petrus Lucatellus, quosque particulari Decreto damnavit, & a Rituali expurgandos decrevit Sacra Indicis Congregatio die XI. Januarii MDCCXXV. his verbis: *Ejusdem Sacræ Congregationis Decreto prohibentur omnes additiones factæ, & forsan faciendæ Rituali Romano post reformationem sanctæ memoriæ Pauli V. sine approbatione Sacræ Congregationis Rituum; & maxime Conjurationes potentissimæ, & efficacissimæ ad expellendas, & fugandas aereas tempestates a dæmonibus per se, sive ad nutum cujusvis diabolici ministri excitatas, ex diversis, & probatis Auctoribus collectæ a Presbytero Petro Lucatello Tit. S. Cassiani Bergomi; & benedictio Aquæ, quæ fit in Vigilia Epiphaniæ*. Meminit hujus prohibitionis in suo ad hunc Titulum Commentario Barrufaldus, aitque, unice tantum præter illos a Rituali approbatos, permitti quemdam Exorcismum contra imminentes tempestates, fulgura, & grandines, litteraliter excerptum ex Breviario Fratrum Ordinis Prædicatorum, & separatum typis editum post Decretum, emanatum a Sanctissimo Pontifice Benedicto XIII. die IV. Decembris MDCCXXV. adversus conjurationes a Lucatello collectas.

IX. Quamquam vero Exorcismus, qui extat in fine Breviarii Dominicani probatus sit a Sacra Rituum Congregatione, eoque rite, recteque Fratres Dominicani adversus tempestatem ingruentem utantur, cum tamen non omnes ritus, qui alicui Ordini concessi fuerunt, extendi privata auctoritate ad alios queant, puto equidem, teneri cæteros, qui Rituali Romano utuntur, ritus ab eodem præscriptos adhibere, & consequenter ad repellendas tempestates, iis uti Precibus in Capite præsenti recensitis. Recte autem notat Barrufaldus loco citato, locum, in quo faciendæ sunt istæ Conjurationes, & Preces habendæ, solere portam esse majorem Ecclesiæ, vel aliam, si adsit, per quam perspici possit insurgens tempestas, ad eamque faciem suam convertere Sacerdotem debere Superpelliceo, & Stola violacea indutum de more, ut alias fieri in Supplicatione, & Precibus pœnitentialibus solet, genuflexis scilicet cunctis, qui ei sacræ actioni adessent.

## §. I.

Pulsantur Campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam convocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur, *A fulgure, & tempestate*, & post Litanias, Orationemque Dominicam, Psalmus CXLVII. *Lauda Jerusalem Dominum &c.* ℣. *Adjut...*

*jutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cœlum, & Terram*. ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*. ℟. *Et salutare tuum da nobis*. ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster*. ℟. *Et propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos*. ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis*. ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis*. ℣. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos*. ℟. *Quemadmodum speravimus in te*. ℣. *Salvum fac populum tuum, Domine*. ℟. *Et benedic hæreditati tuæ*. ℣. *Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia*. ℟. *Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. *Oremus*.

*Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte*.

Oratio.

*A domo tua, quæsumus, Domine, spirituales nequitiæ repellantur, & aerearum discedat malignitas tempestatum*. Oratio.

*Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in materiam transeat laudis comminatio tempestatis*.

Oratio.

*Domine Jesu, qui imperasti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, ut hoc signo Sanctæ Crucis ✠ omnis discedat sævitia tempestatis*. Oratio.

*Omnipotens, & misericors Deus, qui nos, & castigando sanas, & ignoscendo conservas, præsta supplicibus tuis, ut & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum &c.* Aspergatur Aqua benedicta.

# COMMENTARIUS.

I. JAm non desunt Auctores, & præsertim Philosophi, qui hunc sedandi tempestates per Campanarum pulsationem modum naturali rationi tribuere student. Renatus Chartesius in Specimine Philos. Meteor. Capite VII. num. XII. hæc ait: *Non sine ratione vulgo creditur, vehementes sonitus, quales Campanarum, aut bombardarum, fulminis vim confringere, & vim tempestatum minui, nam concutiendo nivem, ex qua nubes inferior constat, illam ad descensum invitat, & discutit; ut hi satis sciunt, qui in vallibus, ubi moles nivium e montibus cadentium timentur, ita facere sunt assueti; nam ibi ne quidem loqui, aut tussire audent, ne sonus vocis nives commoveat*. Similia his tradit Edmundus Purchotius Institutionum Philosophiæ, Tom. III. Sectione III. Cap. IV. *De fulmine, tonitru &c.* §. 6. Qui etiam de ratione, cur Turres Campanarum frequenter a fulminibus percutiantur, sic inquit: *Cur nubes in terras ruunt, si corpus aliquod excelsum subjiciatur, ut prærupta rupes, vel turris prealta, tum nubes in diversas partes, istius corporis occursu distracta, in eo loco dehiscit, & quasi fulmini viam aperit. Hinc excelsa quæque sæpius fulmine feriuntur, quam depressiora. Idem accidit, ubi pulsantur Campanæ, si earum sonus, quem in aeris fremitu, ac partium succussu positum diximus, nubem in ea parte, quæ Turri, seu Campanili imminet, non mediocriter exagitat, unde nubes eo loci attenuata sæpius perrumpitur, facilioremque fulmini præbet transitum, ut in Campanile irruat, magno eorum periculo, qui pulsandis Campanis dant operam; ideoque utilis est sonus Campanarum ad arcendam nubem, priusquam accesserit; sed ubi jam Campanili incumbit, non sine periculo pulsantur Æra Campana*.

II. Ante Carthesium, Purchotiumque fuerunt & alii præfatæ opinionis Auctores, quos recenset, confutatque Martinus del Rio, Disquisitionum Magicarum Lib. VI. Cap. II. Sectione II. Quæstione II. in fine. Cum enim pietatem Christianam omnino destruant philosophicæ hujusmodi opiniones, & intentionem pervertant ab Ecclesia habitam in Benedictione Canpanarum, de qua late diximus Tomo II. Commentariorum in Partem alteram Romani Pontificalis, Tit. XX. parvi non modo sunt a Fidelibus pendendæ, verum etiam penitus rejiciendæ. Alioquin, si hoc naturaliter dari posset, frustranea essent, & illusoria verba illa, quæ ex præscripto memorati Pontificalis Romani Episcopus profert in Oratione, quam dicit, postquam fecit *ab extra supra Campanam de Oleo Sancto infirmorum signum Crucis*, quæque hæc sunt: *Procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum &c.* Quod si vera, & infallibilis esset allata a Philosophis citatis doctrina, nemo in casu tempestatis ingruentis auderet accedere ad Turres, & ibi pulsare Campanas, ob naturale periculum fulgurum tam facile imminentium; sed nec Ritualia, ac Synodi Episcoporum permultæ, ubi certum illud adesset periculum, eam pulsationem mandarent, & pulsantem vicinæ morti obnoxium facerent. Quidquid autem Philosophi opinentur, tribuenda est quidem vis, efficaciaque expellendæ tempestatis, non naturali Campanarum sono, sed earum Consecrationi, seu Benedictioni, ut sancta Mater Ecclesia omnium Magistra in suis Orationibus, ac sacris ritibus docet.

III. Neglectis Philosophorum commentis, standum est doctrinæ a Conciliis, ac Ritualibus traditæ de Campanarum sonitus virtute ad coercendos nimbos, procellasve ingruentes, quam etiam varia antiqua Sanctorum exempla ad præsentem usque diem confirmant. Tempestates patrocinio Beatæ Genovefæ depelli solitas pulsatis

Campanis, donec cerei super ejus Templum appareant, legitur quidem in addendis ad ejus Vitam Cap. VI. apud Bollandianos die III. Januarii, his verbis: *Monasterium S. Nicolai in lacu vulgo* Zumlaach, *Ordinis Benedictini Diœcesis Trevirensis ab Andernaco Oppido horarum aliquot itinere distans. Huic propinquus est vicus præsente semper S. Genovefæ contra Cæli tonantis tempestatis patrocinio clarus. Simul enim ac fragor exaudiri tonitruum cœperit, illico nimbi, gradinis, fulminis, & cujusvis demum periculi ab agris avertendi causa, incolæ ad Templum S. Genovefæ Campanas pulsaturi concurrunt; sin differant, accolæ advolant, ac pulsum urgent; neque is intermittitur, dum qui foris consistunt, ardentes aliquot candelas supra Templi tectum conspiciant, quos S. Genovefæ cereos appellant. Id argumentum est propulsatæ, quæ metuebatur, calamitatis.* Hunc subdit a majoribus fluxisse ritum, & perpetui prodigii fidem eo mirabiliorem, quod quibus læthali culpa inquinatus animus est, ab iis cereos illos minus conspici, credit simplex vulgus. Ingenue enim fatetur cereos ipsos aliquibus non apparere. Sed nec silentio prætereundum videtur miraculum, quod narratur de Campanula, a S. Bennone Misnensi Episcopo benedicta; nam ad sonitum illius Campanulæ, quæ quodam loco extat apud Misnam Germaniæ Civitatem, totum ejus territorium a fulgure, & tempestate, ut incolæ ipsius loci affirmant, teste Rocca in Commentario, *De Campanis*, Cap. XXI. tempus usque in præsens conservatur, etiamsi loca viciniora sæpe ab illis lædantur. Istudque ipsum de alia Campana in Pago Scomberch ab eodem benedicta Bennone, quod nomen a Slavorum lingua translatum, *Benedictus*, Latine dicitur, omnino affirmatur. Sonitus namque illius Campanæ omnem vim Cæli ab agris finitimis, ac tuguriis avertit.

IV. Porro Patrum doctrinæ inhærens celebre Concilium Coloniense anno MDXXXVI. celebratum, Parte IX. Cap. XIV. postquam dixit, benedici Campanas, ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in Templum, & audiendum verbum Dei; Clerus vero ad annuntiandum mane misericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum Fideles invitentur ad preces, & ut crescat in his devotio Fidei, ita statim sujicit: *Quamvis etiam Patres alio respexerint, videlicet, ut dæmones tinnitum Campanarum Christianos ad preces concitantium terreantur, quin potius precibus ipsis territi abscedant, illisque submotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur, ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur, infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aereæ tempestates posternantur. Breviter, ut audientes confugiant ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, & ante Sanctæ Crucis Vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodum hac in solemni Benedictione Campanæ reperies*; quæ quidem legitur Parte II. Romani Pontificalis, Tit. XX. qui inscriptus est, *De Benedictione Signi, vel Campanæ*, quemque nos, ut supra etiam diximus, in nostris ad ipsum Pontificale Commentariis fuse enarravimus.

V. Omissis aliis Synodis, quæ de virtute Benedictionis Campanarum loquuntur, veterum Patruum doctrinam, atque antiquam Ecclesiæ consuetudinem sequutus est S. Carolus ubi in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite, *De Oratione*, sonum ipsum Campanarum præscribit, ubi tempestas immineat, sic inquiens: *Nimbis, procellisve imminentibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, Campanis sonetur, tum ad tempestatem vi divina, quæ ex solemni Prece, sacraque Benedictione illis inest, depellendam, tum ad Dei misericordiam implorandam Christianæ pietatis orationibus: ita Fideles earum sono tunc excitati, in Ecclesiam, vel Cathedralem, vel Parochialem, vel in aliam saltem propinquiorem ad orandum conveniant; si minus possunt, saltem ubicumque sint, sive domi, sive foris, supplices Deum orent; tum Clerici Psalmis, Litaniis, Precibus, & Orationibus, quæ ex ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ ad arcendam tempestatem dicuntur, Dei misericordiam deprecentur.* Pergit Sanctus Antistes, statimque mandat, ut Parochi inprimis sit, cum in Ecclesia sua hoc officium religiose præstare ad præscriptum Libri Ritualis, aut Sacerdotalis; tum sollicite convocare Clericos, & populum, ut ob eam caussam Deum sancte precaturi, ad Ecclesiam frequentes concurrant; idque ipsum, prout in concionando usuvenerit, aliquando Fideles paterne diligenterque monere meminerit.

VI. Hinc arguendi sunt omnes fere Ecclesiarum Præsides, Rectoresve, qui, vel ubi atrocissima tempestas imminet, sonitu solo Campanarum contenti, nihil amplius curant de Litaniis, Psalmis, ac Precibus in Ecclesia publice recitandis in hoc nostro præsenti §. præscriptis. Fuisse autem antiquum ritum, ut ad tempestatem repellendam, præter Orationes, Psalmi etiam, ac Litaniæ dicerentur, docet nos allatum superius exemplum S. Theutonii Canonici Regularis, qui, dum navis, in qua ipse erat Jerosolymam profecturus, tempestate jactaretur, in Oratione cum lacrymis prostratus, ac totus ad Deum conversus, *post Psalmos, & Litanias, Dominatorem invocavit &c.* Sane ex præscripto nostri §. repetendus est in ipsis Litaniis bis ille versiculus, *A fulgure, & tempestate*, quia scilicet ista est præcipua ratio, ob quam institutæ sunt Preces, ad repellendam scilicet tempestatem. Quod congregato populo in Ecclesia Litaniæ recitandæ sint cum præfati versiculi repetitione ad Altare Sanctissimi Sacramenti, notavit Barrufaldus ad hunc nostrum §. num. 14. Exponi tunc etiam posse Sacramentum, patefacto scilicet Tabernaculo, ubi illud ad Altare asservatur, permittit quidem S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi III. ubi agens de iis, quæ ad Sacram Eucharistiam pertinent, sic inter alia ait: *Cum nimbi, procellæ, turbines, aut grandines impendent, ne Sacerdos, ad tempestatis procellam arcendam, Vasculum adhibeat, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur; sed Tabernaculum, ubi illud ad Altare reconditur, patefaciat licet; tuncque in ejus conspectu Litanias, aliasque religiosas Preces ejus rei causa institutas pie, sancteque pronunciet.* Fieri id debere, *accensis luminibus*, statuit idem S. Carolus in Diœcesana III. Mediolanensi Synodo, Decreto IX.

VII. At vero peculiaris hic ritus est Ecclesiæ Mediolanensis, nam alias nulla ejus mentio in §. nostro habetur; solum enim præscribit, ut pul-

pulsentur Campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam convocatis, dicantur Litaniæ Ordinariæ, in iisque bis dicatur, *A fulgure, & tempestate*, cum responsione scilicet, *Libera nos Domine*, & post Litanias, Orationemque Dominicam, dicatur Psalmus, CXVII. *Lauda Jerusalem Dominum &c.* cum Precibus, & Orationibus in eodem §. præscriptis, demumque fiat aspersio cum Aqua benedicta. Ita quidem habet hic noster §. ad eumque notat Barrufaldus, quod Litaniis expletis ad Altare, & recitata ibidem Oratione Dominicali, *ad portam devenire debet Sacerdos, & in conspectu imminentis tempestatis, atque ibi concitato animo, recitare vehementi voce Psalmum*, Lauda Jerusalem &c. Sed puto equidem, Litanias æque, ac cæteras Preces, Orationesque dicendas esse ad ipsum Altare, uti ex nostro eodem §. intelligere licet, in quo nulla fit mentio ejus profectionis ab Altari ad portam Ecclesiæ, sicuti nulla itidem mentio recitandi ibidem in conspectu imminentis tempestatis, *concitato animo, vehementi voce Psalmum ipsum* CXLVII. *Lauda Jerusalem Dominum*. Ad Orationes quod attinet, genuflexo populo, & Clero, stando quidem dicet illas Sacerdos, & in quarta signum Crucis, ut ibidem notatur, adhibebit, tum vero quinta absoluta, quæ est ultima hujus Sacræ functionis, Aquam benedictam adsperget, quia scilicet, uti passim docent rerum ritualium Scriptores, præsertim vero Quarti in Tractato, *De Benedictionibus*, Tit. III. Sectione I. Præludio III. ubi agit de virtute, & effectibus Aquæ benedictæ, seu lustralis, valet ipsa Aqua ad avertendas procellas, & grandines, contra sterilitatem, & similia flagella iræ Divinæ.

VIII. Quamquam vero ad repellendas tempestates adhibendæ sint Preces, quas in præsenti Capite Rituale Romanum præscribit, servandæ nihilominus siquæ sint aliæ probatæ locorum consuetudines, ac illa præsertim multorum locorum, quam laudat, probatque eruditus æque, ac pius Scriptor, Jacobus Gretserus Lib. II. *De Benedictionibus*, Cap. XLVIII. quæ est hujusmodi. Per dies æstivos, quibus tonitrua, & fulgura potissimum sævire solent, Sacerdos diebus præsertim Dominicis, Sacerdotali amictu indutus, prævia sibi sancta Cruce, ad propyleum Ecclesiæ egreditur, ibidemque principium Evangelii S. Joannis recitans, aliasque Preces adjungens, Deum pro aeris tranquillitate, tempestatumque perniciosarum amolitione deprecatur. Aliis locis Sacerdos in Altari manens Evangelium S. Joannis, aliasque eodem spectantes Preces clara voce decantat, Campanis interim ex turri resonantibus, omnesque ad vota concipienda accedentibus. Quæ consuetudo procul dubio commendabilis est, & omnibus commendanda. Si enim Precibus, & Benedictionibus, vis dæmonum, & maleficorum ab aliis rebus, etiam ex ædibus, & habitationibus expellitur, vel, ne ineat, impeditur; cur non eisdem sacris mediis, diabolica potestas ex sublimi regionis aere arceri, fugarique, vel saltem, ne nobis, tempestatibus in ea coactis, noceat, præpediri; Deusque etiam exorari posset, ut omnia ista nocumenta clementer a nobis avertat, omnemque efficaciam, ac potestatem maleficam clementer coerceat, & comprimat? Sunt etiam Exorcismi adversus jamjam imminentem, vel jam præsentem tempestatem, ubi caute cavendum, nequid superstitionis irrepat, nec usurpandæ formulæ, nisi ab Ecclesia, doctisque viris, approbatæ, quarum unam se legisse, ait Gretserus citato loco, in Parochiali Leodiensi jussu Serenissimi Ernesti Episcopi Principis Electoris edito anno MDXCII. ubi vel Deus adjuratur, sed petendo, & obsecrando, ut impendentem noxam a nobis, rebusque nostris amoliatur; vel dæmon, sed imperando; vel ipsa etiam nubium exitiosarum concitata, vel mox concitanda collectio, quæ tempestas appellatur, ad quam Exorcismi imperium, non quoad intelligentiam, sed quoad obedientiam pervenire potest.

IX. Nec audiendi, qui inficiantur, dæmonis administros, magos, & veneficos tempestates excitare posse. Contrarium certis documentis exploratum est; erravitque Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui integro Opusculo contendit, *Tempestarios* (sic enim vocat, & sic a Francis vocabantur) non posse ciere tonitrua, fulgura, fulmina, nec grandines procurare, nec hominibus, vel jumentis pestem immittere, infectis pascuis, & pabulo. Contrariam persuasionem plerique omnes Franci habebant, ut ex ipso vestibulo Opusculi Agobardi liquet: *In his regionibus*, inquit ille, *pene omnes homines, nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant, grandines, & tonitrua hominum libitu posse fieri; dicunt enim mox, ut audierint tonitrua, & viderint fulgura*, Aura levatitia est. *Interrogati vero, quid sit aura levatitia, alii cum verecundia, parum remordente conscientia, alii autem confidenter confirmant, incantationibus hominum, qui dicuntur* Tempestarii, *esse levatam, & ideo dici levatitiam auram*. Multa Scripturæ testimonia contra istos producit Agobardus, quibus tamen nihil aliud probat, quam homines id non posse sua vi, quod fatemur. Possunt tamen adjuti a dæmone, cui aliquid in hæc meteora facultatis esse docet historia B. Jobi, Cap. I. ubi legimus, ignem cælestem in greges Jobi a satana immissum, & violento turbine domum, in qua fili Jobi epulabantur, subversam. Nec tamen possunt, quantum volunt, sed quantum Deus permittit. Nec de nihilo est, Tempestarios istos grandinem ab agris aliis ad hostium suorum agros divertere posse. Nam ut excitare tempestates in eorum manu est, diabolo adjuvante, & activa passivis applicante, ita in eorundem arbitrio positum est, ut cui nocere volunt, noceant; cui nolunt, non noceant, ut fit etiam in aliis quibusdam nocumentorum generibus, quæ hic præterimus.

X. Habent & Græci suo in Euchologio precationem contra tonitrua, & fulgura, quam supra recensuimus, sed nullum tempestatis Exorcismum continent, quia simplex solummodo oratio est, ut Deus aeris serenitatem reddat, & tempestatem imminentem, vel jam præsentem sine cujusquam damno abire, & evanescere jubeat. Extant autem & in Euchologio, sive Rituali Græcorum apud eruditum Goar duæ Orationes, quarum prima *in fulminis, & fulguris periculo* sic inquit: Iterum, humanissime Domine, tibi vindictæ memoria est, iterum etiam inutilibus servis tuis te condonare decet. Jam ad preces confugimus, agnoscentes, quod quantum peccatorum magnitudo excedit, tantum quoque mali immemor clementia tua exuperare potest. Propterea rogamus te, ut a nobis furorem tuum aver-

avertas, ne in æternum irascaris nobis, sed in misericordia tua vivifica nos, Domine Deus noster, qui fulmen cohibes, & fulgur immutas, & omnia pro operum manuum tuarum salute disponis. Respice itaque in nos solita tibi clementia, & ab omni afflictione, flagello, calamitate, & imminenti periculo nos libera. Intonuisti enim de Cælo, Domine, & fulgura multiplicasti, & conturbasti nos. Reconciliare, benigne, ad te confugimus, & abundantes misericordias tuas ad nos mitte, & ut bonus, & humanus, servorum tuorum miserere, ne nos furoris tui ignis comburat, neque fulgurum, & fulminum furor consumat, sed solita tibi humanitate usus, iram tuam mitiga, & aere in serenum adducto, subjectaque caligine solaribus radiis dissoluta, procellam in tranquillitatem commuta. *Exclamando*. Quia Deus misericordiæ, miserationum, & clementiæ existis, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

XI. Altera Oratio priore prolixior *in aeris intemperiem, & maris procellam*, ita habet: *Dominum precemur*. Dominator, Domine Deus noster, qui cum causæ experte in te existente Verbo, & cum vivifico, unaque tecum adorando Spiritu, e nihilo ad esse cuncta adduxisti, qui arenam mari terminum posuisti, montesque, & colles statera appendis, qui Cælum palma metiris, & pugillo terram contines, qui mensuram, legem, limites, nexum, & ordinem visibili, & sensibili huic creaturæ, sicut & temporum mutationes, & solis cursum, & recursum constituisti, elementorumque concursu, & temperamento inaudita ratione detrimenti expertem, & indissolutam illam conservas. Ipse Rex Optime, innata, solitaque tibi clementia, & bonitate iterum usus, ad nos manuum tuarum opera respice, & ne a nobis misericordiam, & miserationes tuas avertas, neque testamentum tuum disperdas. Qui nobis ad imaginem tuam propriam formatis Unigenitum Filium tuum in Redemptorem concessisti, & secreta spiritus effusione, etiam propriæ Deitatis participes effecisti, remitte precamur exuperanti miserationum tuarum copia peccatorum multitudinem, qui Cruce, & Sanguine Filii tui, generis nostri delicta delevisti, creaturam tuam innaturali nunc agitatione turbatam; propter innaturalem nostram perversitatem, & incompositum nefandæ, pravæque nostræ conversationis ordinem, ad naturalem sibi statum, compositionemque revoca. Solitam quoque immensi maris hujus grassante procella, & aeris tempestate disjecta, tranquillitatem renova; præcipe ventis, ut congruum, commodumque spiritum emittant; increpa maris turbines, & ventorum innaturales motus; procellæ spiritus cohibeatur, & elementorum agitatio in serenitatem commutetur, ut opera, & mirabilia tua videant iterum, qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Compone illud, clemens Domine, incomprehensa tua humanitate, ut a procella cesset, qui Unigenitum Filium tuum, & Dominum nostrum Jesum Christum beneplacito tuo, & Sancti Spiritus cooperatione hominem fieri, & Sanctis suis cum Discipulis, & Apostolis navigare, turbinesque ventorum increpare, marisque fluctus placare coordinasti: Ipse nunc contrarium omnem ventum, consopi, seda fluctus, procellam paca, commodos ventos, & compositum tempus exsuscita; gubernator, & auxiliator servis tuis factus, deduc eos in salutis portum. Solum namque Nomen tuum agnoverunt illi, nec alium, præter te, Deum profitentur, & opem tuam jugiter implorant; precibus, & interventu super omnes benedictæ Deiparæ, Deiformium Angelorum, & omnium Sanctorum. *Exclamando*. Beneplacito, & humanitate Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum Sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu.

XII. Ad Sacerdotum tandem, ac præsertim Parochorum instructionem, ut nempe in tempestatum ingruentium clade habeant hi quid ad populum dicant, optimum plane erit, ac utile Sacerdotibus ipsis, & Populo, si ea occasione, legant celebrem Sancti Gregorii Nazianzeni Orationem, quam ipse Sanctus Doctor aliquando habuit in plagam grandinis; moralis est enim, ac suasoria, Fideles ad pœnitentiam, vitæque correctionem exhortans; naturalem etiam Philosophiam, & placita Philosophorum attingit, potissimum vero Veteris passim, Novique Testamenti testimoniis, atque Oraculis nititur. Porro habendæ Orationis occasio hæc fuit. Tiberinæ Regionis, in qua natalitius ipsius Arianzi pagus situs erat, fruges jam maturæ grandine percussæ fuerant. Quam calamitatem cum Gregogorius pater ob populi scelera immissam fuisse cerneret, silentio utebatur. Filius autem Gregorius item dictus cognomento Theologus plebis impulsu in medium prodiens, patrem potius ad dicendum cohortatur, utpote virtute, & ætate provectiorem.

## CAPUT IX.

### *Preces dicendæ tempore penuriæ, & famis.*

I. PEnuria, ut Lexicorum Auctores docent, vox est a penu deducta, significatque omnium rerum inopiam, præsertim earum, quæ ad penum pertinent, cum scilicet desunt ea, quæ ad victum sunt necessaria, usitatissimeque accipitur pro cujusvis rei egestate, potissimum vero in præsenti Capite rei frumentariæ, ubi etiam fames, licet proprie edendi cupiditatem significet, accipitur tamen pro caritate ex annonæ penuria nascente, cum scilicet plerique aliquo in loco, alimento deficiente, de vita periclitantur. Est quidem fames unum ex atrocioribus Dei peccata populi punientis flagellum, tempestatumque nomine appellata fuit a Jeremia Propheta, Cap. v. ubi populi sui afflictiones recensens in Oratione, quam ad Deum habuit, sic inquit: *Pellis nostra quasi clibanus, exusta est a facie tempestatum famis*.

II. Portentosos penuriæ, ac famis effectus, prophanæ æquæ, atque Ecclesiasticæ narrant Historiæ, & veteres non modo, verum etiam recentiores, unde non immerito S. Basilius Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus Homilia in divites super illa Scripturæ verba, *In fame, & squa-*

*squalore*, quando per siccitatem Cæsareæ fames invaluit, habita, inter humanas inde ortas afflictiones primum locum fami dedit, sic inquiens: *Esurientis morbus, fames, inquam, miserabilis est adflictio. Humanarum calamitatum caput est fames, cujusvis mortis genere duriorem adferens finem.* Quod quidem ita statim probat: *In aliis namque periculis, vel ensis cuspide cito interibis, vel ignis impetus breviter vitam extinguit, aut ferarum dentibus membra statim discerpta intereunt, quæ quidem dolorem morienti minime protrabunt. At famis diuturnius malum, ocius torquet, lentius tabefacit, sensim occidit. Naturalem namque humorem absumit, calorem refrigerat, innatam, ac vegetem corporis habitudinem deterit, vires paulatim debilitat, ossibus caro velut aranearum tela cohæret. Coloris flos sanguine deficiente refugit. Albedinis splendor e summo corpore discedit, & pallor, ac livor insurgit. Genua infirma, ac per vim tracta conspiciuntur. Vox tenuis, & imbecillis. Oculi infirmi in suis cavis, non secus thecis reconditi, quam in putaminibus nuces visuntur. Ossa tamen pelle operta. Venter vacuus, ac collapsus tumore, viscerumque solita productione caret, ac dorsi tantum ossibus sustentatur, & hæret.* Tum vero, paucis interjectis, nonnullos alios diros famis effectus recenset, his verbis: *Quid fames non cogit? Naturæ leges sæpe pervertere, ac transgredi multis suadet, & hominum corporibus, vel propinquorum vesci. Matrem quem peperit natum impulit in ventrem male recondere, quam tragædiam Judaica commemorat Historia a Josepho gravi Auctore conscripta, quando videlicet diræ calamitates Hierosolymitanos pœnas justas propter impietatem in Deum dantes apprehenderunt.*

III. Hisce, aliisque id genus malis occurrendis, quæ oriri ex famis tempestatibus solent, statas Preces Ecclesia in Capite præsenti præscripsit, quas enarrabimus nos in Commentario ad §. sequentem. Verum præter ipsas Preces, providere debent Magistratus locorum, quæ necessaria sunt, & opportuna alimenta, ad avertendam famem, officiumque in primis Episcopi erit, Rectorumque Ecclesiarum, ubi nempe extrema necessitas urgeat, vel sacra ipsa Ecclesiæ vasa confringere, pretiumque in alimoniam pauperum erogare, exemplo SS. Ambrosii, Augustini, aliorumque veterum Patrum, quos recenset, laudatque Thomassinus, Parte III. Veteris, ac novæ Ecclesiæ Disciplinæ, Lib. III. Cap. XXVI. & seqq. Sane refert Sozomenus Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XXIV. a Cyrillo Jerosolimitano Episcopo divenditos fuisse thesauros, atque sacros ornatus Ecclesiæ suæ, quo plebi adesset annonæ penuria, & fame laboranti, & Episcopi maxime sui præsidio assuefactæ calamitates plerasque suas propulsare: *Multitudo rebus ad victum necessariis destituta, ad Cyrillum, utpote Episcopum, opis implorandæ causa confugit. Cui cum pecuniæ ad eam sublevandam non suppeterent, thesaurum Ecclesiæ, & sacra aulæa vendidit.* Sed, ut alios omittam, B. Hugo Gratianopolitanus Episcopus, teste Guigone magno Carthusiæ Priore in ejus Vita apud Surium die 1. Aprilis, cum gravi aliquando penuria, & fame laboraret regio, sequutus & ipse veterum Patrum, & Episcoporum exempla, vasa sacra confregit, & dilargitus est.

IV. Alius modus providendæ in communi penuria, & fame, pauperum indigentiæ, est ille, quo usus fuit aliquando Sanctus Basilius antequam crearetur Cæsariensis Antistes, de quo in Oratione, quam in ejus laudem habuit S. Gregorius Nazianzenus, ita scribit: *Fames grassabatur, & quidem post hominum memoriam atrocissima. Languebat Civitas, nec ex ullo loco auxilium afferebatur, nec ulla calamitatis medicina.* Tum vero inferius: *Apertis Oratione sua, & Cohortatione locupletum horreis, facit quod est in Scriptura, cibum esurientibus frangit, panibusque pauperes satiat, alitque eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? Neque enim hoc ad laudis cumulum parvi momenti est. Nam cum eos, quos fames vulnerarat, in unum coegisset, nonnullos etiam spiritum ægre trahentes, viros, feminas, puerulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam, omnium ciborum genera, quibus fames depelli solet, corrogans, atque ollas pulmentariorum, salsique nostratis obsonii, atque ad levandam pauperum famem accomodati plenas proponens; ac deinde Christi, qui linteo præcinctus Discipulorum pedes abluere nequaquam gravabatur, ministerium imitans, simulque puerorum, sive conservorum suorum ad eam rem opera utens, corpora pauperum, animasque curabat, honorem cum necessario alimento connectens, ac dolorem eorum utriumque leniens.* Appellat mox Nazianzenus Basilium alterum Josephum, quinimo etiam isti illum præfert, quia nimirum Josephus arte fami occurrit, ac benignitate Ægyptum emercatus fuit, ubertatis tempore ad famem venturam commodissime usus; Basilius autem gratuitam beneficentiam exercuit, neque in hoc frumentariæ largitionis auxilio quæstum ullum captavit, id unum spectans, ut misericordia misericordiam sibi conciliaret, ac pro terrena frumenti erogatione cælestibus opibus frueretur.

V. Egregiam S. Basilii charitatem imitatus plane fuit S. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis, qui obiit anno MXXI. Scribit enim ejus Vitæ Auctor Lambertus Tuitiensis, Cap. III. num 12. apud Bollandianos die XVI. mensis Martii, quod, cum periclitaretur fame depressa Gallia, & Germania, ac ipse instaret, ut pauperum inopiæ provideretur, *seorsim eis hospitia disposuit, & pro varietate languorum annonam instituit, & ut singulis competebat, sollicitudinem adhibuit, ipse secreto privatus ad eos descendebat, & pedes eorum abluens, & abstergens, imbecillitati eorum vehementer condolebat, dominos, & fratres eos nominans, siquo indigerent, ab eis prudenti astutia requirebat, & sic erga ipsos exercitatiores eorum Ministros faciebat.* Sed & dignum notatu est, quod mox subdit: *Per alias etiam Urbes familiarissimos animæ suæ Clericos idoneos habebat, quibus & certæ pecuniæ quantitatem clam dirigebat, ut in similes usus ab eis fideliter expenderetur, & ea exposita, identidem ab eo alia repeteretur.* Atque hinc addiscere possent Episcopi, non modo pauperibus Civitatum, ubi resident, eleemosynas largiri, verum etiam iis, qui sunt per eorum Diœceses dispersi; ut pii, religiosique Antistites facere consueverunt.

VI. Relictis aliis antiquis exemplis, ad recentiora devenio, ac primum ad illud S. Ignatii Lojolæ Societatis Jesu Institutoris, qui plebi Romæ fame periclitanti mirum in modum succurrit,

ut

ut tradit Maffeus in ejus Vita, Lib. II. Capite XI. Ergo erat annus a Virginis partu MDXXXVIII. insignis annonæ caritate, ac per hyemem præcipue tanta frugum inopia, ut passim jacentes in publico pauperes frigore, fameque confecti miserandum in modum expirarent. Quo spectaculo commotus Ignatius, tantæ calamitati sibi omni ope subveniendum putavit. Jamque e Garzonii Villa, cum suis in Urbis frequentiora loca migraverat, laxiore sibi ab amicis domo conducta, ad Circum Flaminium, in ea regione, quæ Sancti Angeli ad Forum Piscarium hodie dicitur. In ejus igitur domus ampla cœnatione fœno, stragulisque dispositis, & in pauperum alimenta eleemosynis undique corrogatis, in omnes partes dimisit, qui in id hospitium, ut quemque periclitantem extrema inopia invenissent, vel inter manus, prout res ferret, vel gestatoria sella deveherent. Cum strenue curaretur, adhibitis etiam, ubi opus esset, adjutoribus, bajulisque, brevi numerus decumbentium ad quadringentos ascendit. Hic vero, eodem Ignatio Præside, ac Duce, Patrum, Fratrumque se se charitas, ac virtus exercuit. Diluculo quotidie linteati omnes ad imperia accipienda præsto aderant; inde ad sua quisque officia discurrere sine ulla perturbatione, vel tumultu; alii recens illatos pauperes clementer exuere, & calida elutis corporum sordibus, in lectulo collocare; alii assidere languentibus, eosdemque amicissimis consolari verbis; hi cibos, aut domi excoquere diligenter, aut aliunde missos instruere, illi fercula inferre, & longa inedia propemodum enectis pretiosa instillare liquamina; hi cubilia sternere, illi scopis pavimenta purgare; denique certatim omnes munere suo ita fungi, ut præclare testarentur, in minimis illis agnoscere se Regem Regum, & Dominum dominantium. Neque vero corpora solum egentium, sed animi quoque eadem opera curabantur. Plurimi quippe rudes Christianæ Doctrinæ præceptis probe instituti, multi a turpi quæstu, fraudibusque deterriti, & quod, caput est, sacra omnes Confessione expediti, ac pane Cælesti longo intervallo refecti sunt. Deinde ut aliqui convaluerant, succedentibus invicem aliis, cum tegumentis ad frigus arcendum, & certo pecuniæ subsidio dimittebantur.

VII. Quantum juverit hoc Ignatii exemplum, constat plane ex iis, quæ idem Maffeus subdit. Nam ea res per Urbem vulgata, magnam populi benevolentiam conciliavit Ignatio, atque ad eam Christianæ humilitatis, charitatisque officinam visendam interdiu promiscua turba, noctu vero etiam Viri Principes ventitabant, ac tanta fuit exempli vis, ut quidam, cum præsentes non suppeterent sibi nummi, depositis illico in usus pauperum vestimentis, domum seminudi reverterint. Alii etiam sancta æmulatione incitati, ejusdem conditionis homines, quorum non deerat passim copia, hospitio susceptos benigne curarunt. Multi præterea Proceres in gloriosi operis perfectionem Ignatio pecuniæ summam ultro detulere non levem. Qua in re Margaritæ Austriacæ Caroli V. filiæ, Octavio Farnesio nuptæ, Placentinorum, & Parmensium Duci, pietas, ac beneficentia vel in primis enituit. Atque ejus pecuniæ, cum Ignatius intelligeret, se vel maxima eorum, qui contulerant, voluntate, partem aliquam in suas, & suorum necessitates erogare posse; tamen tanta fuit religione Vir, ut ne obolum quidem, nisi in externorum pauperum commoda insumpserit, relatis in Codicem accurate nominibus, ut omnium prorsus ratio constaret. Atque hunc maxime in modum labor ad exactam usque hyemem secunda Civitatis admurmuratione perductus; ac vere demum ineunte, frumenta partim ab iis, qui suppresserant, sponte prolata, partim a Magistratibus aliunde convecta sunt. Ea re non mediocriter annona laxavit, gravique perfuncta periculo plebs, Deo adjuvante, ad solita quæstus, & opificia rediit.

VIII. Magnum quidem est, quod hucusque de S. Ignatio narravit Maffeus, sed majus mihi cunctisque videri debet, quod fecit S. Camillus de Lellis Religionis Clericorum Regularium ministrantium infirmis Fundator, non jam in Urbe Roma, ubi adest Pontifex Maximus, Cardinales, Præsules, Principes viri, Magnates, ac alii permulti Christiana charitate prædití, ac divitiis affluentes, verum Bocchianici, quod est parvum in Samnio Oppidum, cujus omnes fere incolæ pauperes sunt, & indigentes. Nam cum mense Majo anni MDCXII. ad visitandam religiosam sui Ordinis Domum Bocchianicensem profectus fuisset, essetque eo tempore ibidem magna annonæ caritas, & tanta quidem, ut gens paupercula herbis vulgo natis vesci cogeretur, unde magnus hominum numerus in morbos, nec multo minor in mortem preceps ibat. Videns igitur Camillus, ut in ejusdem Vita narrat Cicatellus Lib. II. Cap. XV. nullum a publico suppeditari remedium, sponte assumpto boni Patris, ac veri popularis officio, hanc init juvandorum pauperum, & sublevandæ egestatis rationem. Cum invenisset in dicta Domo bonam copiam fabarum, ciceris, ficuum aridarum, sorborum, castanearum, & aliorum similium fructuum hibernorum, jussit hæc omnia in pauperes, qui ad portam accedebant, & qui ducenti numero circiter erant, larga manu distribui, addita etiam ingenti olla leguminum, quæ singulis diebus mane coqui imperabat. Consumpta autem hac alimonia, & incipientibus emergere novis fabis, mandavit, ut quotidie mane in parvulo quodam ejusdem Domus prædio earum certa mensura colligeretur, quam postea panis vice dispensabat. Quin cum intellexisset, propter dictas fabas illius prædii, portam servari clausam, mandavit, ut relinqueretur aperta, sicque omnibus pauperibus ad eas comedendas quovis tempore liber pateret aditus. Quo in facto magna postmodum eluxit Dei providentia. Quamvis enim dictarum fabarum non amplius satum esset, quam exigua quarta pars unius mensuræ, ac tanta interim earum copia partim collecta, partim commesta esset; ad extremum tamen cum unusquisque existimaret, ne unam quidem esse reliquam, Dominus Deus ita eas multiplicavit, ut collectæ rursus fuerint minimum sex aliæ mensuræ, ita ut omnes tantam vim Divinæ providentiæ vehementer admirarentur, atque obstupescerent.

IX. Neque vero hic se continuit admirabilis Camilli charitas, cum enim ad succurrendum toti egenorum multitudini, tam virorum, quam feminarum, quæ præ verecundia intra ædium suarum septa se continebant, id auxilii non sufficeret, convenit Camillus omnes Terræ illius homines locupletes, ac speciatim aliquos Prio-

Priores Xenodochiorum, & piarum Societatum, exposuitque, sibi quidem aliud nihil ad dandum superesse, ac proinde ipsorum nunc esse in tanta necessitate miseris pauperibus succurrere. Tandem ergo, multis superatis difficultatibus, aureos centum a Xenodochiis, & totidem alteros a dictis Societatibus impetravit. Ad quod tamen exequendum cum Vicarii Urbis Teateæ facultas esset necessaria, ipsemet confestim eum adiit, & re confecta, raptim rediit, magno quidem pauperum emolumento, sed valetudinis suæ haud minori detrimento. Iter enim illud fere totum pedibus percurrit, propterea quod equitationem sibi tum permolestam, tum admodum infaustam expertus esset. Unde cum Bocchianicum reversus esset, totus ex itineris labore defatigatus, & aggravato insuper tibiæ dolore, multum debilitatus, accedente ad hæc febri acutissima, parum abfuit, quin vitam amitteret; postea tamen aliquantum convaluit, & ad solitam adjuvandorum pauperum curam, atque sollicitudinem rediit. Cumque adverteret, nec ducentos illos aureos in tantam inopum turbam satis esse, petiit, obtinuitque, ut Consilium Communitatis in unum coiret, ad quod ipse etiam febri æstuans profectus est, & tanto mentis fervore pauperum causam egit, ut totus Consilii cœtus vim ejus dicendi, atque prudentiam admiratus, & insignem ejus in miseros charitatem amplexus, alteros illi ducentos aureos in idem subsidium attribuerit; quos ipse Camillus per egenorum tuguria distributum ivit. Postquam vero febri invalescente, atque eum lecto affigente, id munus per se præstare non potuit, tres eximiæ probitatis viros delegit, qui eam distributionem peragerent; quibus quotidie duas minimum horas aures dabat, quo intelligeret, quemadmodum res ea transigeretur. Denique his officiis bonus Pater omnem illum populum gravi necessitate liberavit, etiamque morti præripuit.

X. Hæc exempla referre placuit, non tantum ut eximiæ Sanctorum Ignatii, & Camilli charitati panegyricum caneremus, sed ut ab illis Sacri Homines, præsertim Religiosi, erga proximos suos, & locum, ubi ab incolis recepti fuere, ac ditati, se se gerere debeant. Nonnullos enim alicubi novi, qui, arrepta occasione communis penuriæ panis, olei, vinique, primi extitere, qui earum rerum pretium auxerunt. Cum alias in hujusmodi malis, uti merito dolet in laudata Oratione Nazianzenus, nihil gravius, atque acerbius sit, quam crudelitas, & cupiditas inexplebilis eorum, qui rei frumentariæ copia circumfluunt. Observant enim temporum difficultates, atque ex annonæ penuria lucrum captant, & ex aliorum calamitatibus messem faciunt; nec illud audientes Proverbiorum, XIX. eum qui pauperes commiseratur, Deo fœnori dare; nec rursus illud Ecclesiastici, XXIX. eum, qui frumentum abscondit, plebi execrabilem esse; nec denique quicquam aliud eorum, quæ vel humanis, & benignis hominibus pollicetur Scriptura, vel duris, & inhumanis comminatur. Verum immodica quadam, & inexplebili cupiditate fragrant, maleque sibi consulunt, ut aliis sua, ita sibi ipsis Dei, cujus ope non multo magis se indigere sentiunt, quam alii ipsorum auxilio egeant, viscera præcludentes. Atque hæc frumentarii mercatores, cauponesque faciunt, qui nec cognationis jure moventur, nec erga Deum, cujus munere ipsi, aliis inopia laborantibus, in rerum copia vivunt, grati animi officio funguntur. Porro optimum erit, si postquam Sacri Homines tempore penuriæ, & famis, sua, quæ necessario victui superflua sunt, in pauperes erogarunt, privatim, publiceque eam mercatorum avaritiam acri Oratione exagitarent, divitesque ad succurrendum in ea calamitate indigentibus inducerent.

XI. Hanc plane viam tenuit inter alios Sanctus Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, de quo scribit Auctor ejus Vitæ, Cap. III. num. 7. & 8. apud Bollandianos die IV. Februarii, quod ubi Germaniæ populos gravissima fames oppressit, non modo ipse pauperes aleret, verum etiam *per omnem regionem misericordiam prædicari fecit egenis, eleemosynas pro viribus auxit, pauperibus undecumque venientibus necessarium præsentis vitæ pabulum abundantius ministravit*. Teneri autem unumquemque Fidelem, esurientes pascere, aliaque misericordiæ opera in proximum suum exercere, præcepto quidem Divino, ac sub pœna damnationis æternæ, satis nos docuit Christus Dominus in Evangelio Matthæi, Capite XXV. ubi diserte ait, quod qui esurientibus cibum non præbent, *ibunt in supplicium æternum*. Atque huc facit celebre Statutum Concilii IV. Arelatensis celebrati anno DCCCXIII. Can. XIV. his verbis: *Ut unusquisque tempore famis, aut cujuslibet necessitatis, ad se pertinentes pro viribus suis gubernare studeat, quia scriptum est:* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Et iterum*: Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis.

XII. Quamquam vero nihil de his, quæ hactenus diximus, Rituale Romanum in præsenti Capite statuerit, solumque præscribat Preces dicendas tempore penuriæ, & famis, adhibendæ sunt nihilominus diligentiæ, quas Sancti Viri, Episcopique, ac Doctores Ecclesiæ tenuerunt, præsertim vero S. Basilius, de quo ita scribit laudatus toties S. Gregorius Nazianzenus: *At Basilius panem quidem e Cælo per orationem fundere, profugumque populum in Deserto alere minime poterat, nec alimoniam sumptus expertem vasis fontis instar scaturire, quodque vix humani sensus capiunt, inanitione ipsa intumescentibus, ut altricem suam in hospitalitatis præmium aleret, nec postremo quinque panibus copiosissimæ multitudinis famem explere, quorum reliquiæ etiam tales erant, ut pluribus mensis sufficerent. Hæc enim Mosis erant, & Heliæ, & Dei mei, a quo ad eos quoque hujusmodi potestas manaverat; fortasse etiam temporibus illis, statuique rerum conveniebant; quandoquidem signa infidelibus, non fidelibus dantur*. Addit mox, ea tamen, quæ his consentanea sunt, & eodem tendunt, cum pari fide cogitasse, ac perfecisse Basilium; quæ quidem nos jam superius ex eodem Nazianzeno retulimus. Adhibuit enim humanam omnem diligentiam, ut populo fame periclitanti succurreret. Atque hic merito laudandus S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, qui, ut scribit in ejus Vita Joannes Diaconus, Libro II. Cap. LIX. apud Surium XII. Martii, *famis tempore, ut haberet unde Christi pauperibus subveniret, frumenta comparare studebat*.

XIII. Cæterum, quod diligentiæ humanæ aliquando in annonæ penuria nihil prosint, merito

to Ecclesia publicas Preces instituit tempore penuriæ, & famis dicendas, quinimo etiam publicas Supplicationes, Processionesve, facere consuevit, ut addiscere licet ex Auctore Vitæ Sancti Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum, Libro III. num. 2. apud Surium die V. Aprilis, ubi etiam prædictionem ab eo factam recenset de navibus, quæ cum frumenti copia Barcinonem, ubi tunc ille concionabatur, præter spem advenerunt: *Erat tum fames ingens in locis, & magna annonæ caritas. Ea causa indictæ sunt publicæ Preces, factæque solemnes Processiones a Clero, & a populo universo. Interea quodam die Dominico Sermonem habuit Vincentius. Aderant autem supra triginta hominum millia. Ibi tum ille Divinitus permotus*: Volo, *inquit*, o Barcinonenses, gratos vos esse Deo pro beneficio vobis ab ipso collato. Hodie enim ante solis occubitum duæ magnæ naves in portum Urbis vestræ appellentur. *Iis verbis multi e populo lætabantur, sed viri graviores, cum eis necdum esset Sancti Viri perspecta virtus, parum ei tribuebant; nec deerant certæ rationes, quæ non admitterent, ut ejus sermonibus fides haberetur. Ita plus inde scandali, & offensionis, quam lætitiæ extitit in populo; & Prior quoque illius, & Fratres eum temeritatis arguebant, quibus ille placidissime respondebat, ita fore, quemadmodum dixisset. Et certe, vera eum dixisse, rei docuit eventus, navibus ante solis occasum ad Urbem feliciter appulsis*. Similis prædictionis prodigium legimus plane in alio ejusdem Ordinis Prædicatorum alumno Beato Petro Hieremia, cujus precibus impetrata fuit a Deo annona in summa Urbis Panormi caritate. Rem narrat Auctor ejus Vitæ, Cap. III. num. 22. apud Bollandianos, die III. Martii: *Premebatur inopia rei frumentariæ Civitas. Cives omni spe destituti, cum neque per mare, ventis, procellisque agitatum, neque per pluviam, fluminaque extra ripas diffluentia asportari triticum posset, periculum Prætori, ac Senatoribus exhibebant. Hi timore perculsi, ad Petrum confugiunt, calamitatem Patriæ, Civium commotionem, suum periculum exponunt. Ad quos ille*: Mœrorem abjicite, antequam sol occidat, provisum a Deo erit, tritico abunde in Urbem invecto. *His verbis homines consolatos dimisit, precibusque se dedit, a quibus simulac surrexit, hilari vultu ad mare conversus, navem inspexit ventis adeo agitatam, ut omnium judicio in terram collidenda, naufragiumque factura videretur. Iterum effusæ ab eo preces; mox navis præter spem in portum appulsa, magno omnium gaudio cives fame liberavit.*

XIV. Fusis ad Deum precibus, tum privatis, tum publicis, obtentam frequenter annonam fuisse tempore penuriæ, & famis, innumeris pene exemplis ostendi posset, quæ leguntur in Vitis Sanctorum. Celebre est illud, quod legitur de S. Simeone Monacho Trevirensi apud Surium in ejus Vita, die I. Junii: *Per totam Ægyptum orta est fames valida, itaut in sola Civitate Babylonia, mortuorum corpora numerarentur usque ad centum millia, civibus refertis auro, gemmis, cæterisque ornamentis, morientibus præ inopia panis. Fratres igitur Monasterii hac calamitate constricti, ex toto corde Deum invocant, ut qui filios Israel in Deserto paverat pane cælesti, servorum suorum dignaretur misereri; sicque habito consilio, cum hymnis, & orationibus, ad tumulum, quod superfuerat, frumenti accedunt, & quia ab Abbate in mandatis acceperant, ut unusquisque, quo vellet, abeundi copiam haberet, unanimiter se consolantur, ut quamdiu granum unum ibi reperiri posset, nullus recederet. Mira res! Ab illa die usque ad novas fruges non defecit illud frumentum, cum quotidie inde sumeretur, & non solum victui Fratrum pararetur, verum etiam Arabibus, qui cum mulieribus, & parvulis septa Monasterii obsidebant, abundantissime distribueretur*. Porro ad impetrandam a Deo annonam, tempore penuriæ, & famis, una cum precibus adjungendam esse pœnitentiam, testatus est S. Severinus Noricorum, & Pannoniorum Apostolus, in sua celebri Concione, quam ad Viennenses fame laborantes habuit.

XV. Rem narrat Eugippus Abbas Severini contemporaneus in ejus Vita apud laudatum Surium die VIII. Januarii: *Civitatem Fabianis nomine* (ita nunc Vienna Austriæ appellatur) *sæva fames oppresserat, cujus habitatores unicum sibi remedium adfore crediderunt, si a supradicto Oppido Comagenis hominem Dei Severinum religiosis ad se precibus invitarent. Quos ille ad se venire prænoscens, cum hæsitaret, utrum pergeret cum eis, nec ne, admoneretur a Domino, ut pergeret cum illis. Veniens igitur ad prædictam Civitatem, cœpit suadere, dicens*: Pœnitentiæ fructibus poteritis de tanta famis pernicie liberari. *Qui cum talibus proficerent institutis, Beatissimus Severinus Divina revelatione cognovit, quamdam viduam nomine Proculam, fruges plurimas occultasse. Hanc nimirum productam in medium arguit vehementer*: Cur, *inquit*, tam nobilissimis orta natalibus, cupiditatibus te præbes ancillam, & avaritiæ mancipium, quæ est, teste Apostolo, idolorum servitus? Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male partis facias, non habes, nisi forte frumenta diu denegata, in Danubii fluenta projiciens, piscibus exhibeas, quæ hominibus denegasti. Quamobrem subveni tibi potius, quam pauperibus ex his, quæ adhuc te æstimas, Christo esuriente, reservare. *Quibus auditis, magno mulier pavore perterrita, cœpit servata libenter pauperibus erogare. Nec multo post naves de partibus Rhetiarum, mercibus onustæ quamplurimis, insperate videntur in litore Danubii, quæ multis diebus crassa fluminis glacie fuerant congelatæ; sed Dei tunc imperio solutæ, ciborum copias laborantibus illis detulerunt*. Cuncludit tandem, cœpisse tunc omnes Deum insperati remedii largitorem continua devotione laudare, qui se tabe diuturnæ famis interire crediderunt, fatentes evidentius, extra legitimum tempus, glaciali solutas frigore, Servi Dei precibus advenisse.

XVI. Ergo ad impetrandam annonam tempore penuriæ, & famis, recte Ecclesia Preces instituit, & quidem pœnitentiales, ut ex sequenti §. liquet. Neque enim decet, quod alias non sine turpi abusu Deum ad iram potius, quam ad misericordiam incitante fieri assolet, ut dum ad avertendam caritatis calamitatem Christiani, mane preces in Ecclesia peragunt, nocte deinde ad theatrum, atque ad alia sæculi oblectamenta procedant. Hæc enim causa est, ob quam sæpe calamitatibus opprimimur, quod innumeris pene probari posset exemplis.

§. I.

## §. I.

Aguntur omnia, ut supra in Litaniis Majoribus, usque ad finem Litaniarum, in quorum Precibus bis dicitur, *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris*. Post Litanias dicitur, *Pater noster &c.* Psalmus XXII. *Dominus regit me &c.* ℣. *Domine non secundum peccata nostra facias nobis*. ℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis*. ℣. *Oculi omnium in te sperant Domine*. ℟. *Et tu das illis escam in tempore opportuno*. ℣. *Memento Congregationis tuæ*. ℟. *Quam possedisti ab initio*. ℣. *Dominus dabit benignitatem*. ℟. *Et terra nostra dabit fructum suum*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*. Oratio.

*Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.*

Oratio.

*Da nobis, quæsumus, Domine, piæ supplicationis effectum, & famem propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, & te indignante, talia flagella prodire, & te miserante, cessare.* Oratio.

*Populum tuum tibi subditum pro peccatis suis fame laborantem ad te, Domine, converte propitius, qui quærentibus Regnum tuum omnia adjicienda esse dixisti. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Præter Litanias, & Preces tempore penuriæ, & famis, ex præscripto præsentis §. dicendas, consuevisse olim ad eas avertendas fieri a Clero, & Populo Processiones, ex dictis superius constat, easdemque præscribit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi v. Capite inscripto, *Quæ ad Processiones pertinent*, ubi postquam dixit, statos dies Processionum, quæ pro gratiarum actione fient, *ut antiquis rituum monumentis traditum est*, esse Dominicum diem, vel Feriam quintam, ita statim deinde subdit: *Si vero pro calamitatibus, peste, bello, fame, aliisque id generis supplicandum est, Processiones publicæ agantur Feria quarta, sexta, & Sabbato; quibus Processionibus agendis etiam certas Ecclesias, pro Ecclesiæ suæ consuetudine, ac pro populi commissi pietate, Episcopus statuet libero arbitratu suo*. Porro dicendas Litanias Sanctorum in hujusmodi Supplicatione, recte mandat hic noster §. ut nimirum, Deus peccatis nostris offensus, desideratam propitiationis suæ abundantiam multiplicatis intercessoribus largiatur. Bis autem in earum Precibus dicendum præscribitur, *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris*, ut ea scilicet obsecratione, Divina misericordia dignetur nobis fructus terræ largiri, & conservare, pro quorum penuria facta est fames in populo.

II. Post Litanias ex præscripto ejusdem nostri §. dicitur Oratio Dominica, & Psalmus XXII. *Dominus regit me &c.* Oratio Dominica consuevit semper dici ante alias Preces, peculiari tamen ratione dicitur in Supplicatione ad depellendam penuriam, & famem, nam inter alias ejus petitiones, rogatur Deus, ut det nobis panem quotidianum; qui quidem a Sanctis Patribus, non modo accipitur pro Pane Eucharistico, verum etiam pro communi cibo. Unde S. Cyprianus in Libro, *De Oratione Dominica*, ita inquit: *Procedente Oratione, postulamus, & dicimus*: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Quod potest spiritualiter, & simpliciter intelligi, quia & uterque intellectus utilitate Divina proficit ad salutem*. Tum postquam pluribus docuit, panem ipsum, quem petimus, sumi posse pro cibo Eucharistico, & pro communi cibo, quem etiam ait diurnum peti debere, nec in longum desideria petitionis extendere, ita deinde subjicit: *Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo cum scriptum sit* (Proverbiorum 10.) Non occidet Dominus fame animam justam. *Et iterum* (Psal. 36.) Junior fui, & senui, & non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem. *Item Dominus promittat, & dicat*, Matth. 6. Nolite cogitare dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Hæc enim nationes quærunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis. *Quærentibus Regnum, & justitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel in leonum lacu jussu Regis incluso prandium divinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes homo Dei pascitur. Sic alitur Helias in fuga, & in solitudine, corvis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus, in persecutione nutritur*.

III. Docet hæc quidem S. Cyprianus, ex iisque argumenta Sacerdos sumere posset ad Sermonem habendum in ipsa Supplicatione ad populum; ut alia omittam, quæ poterit sumere ex verbis Psalmi XXII. & Precibus, atque Orationibus in §. nostro præscriptis; ut nempe ad peccatorum pœnitentiam populum excitet, quæ causa fuerunt penuriæ, ac famis. Cæterum fructus hujus Supplicationis non tantum ille est, ut Deus populum sibi subditum pro peccatis suis fame laborantem propitius convertat, famemque ipsam propitiatus avertat, sed etiam, ut qui abundant pane, illum indigentibus donent, juxta illud præceptum Apostoli ore prolatum in Epistola 1. ad Timotheum, Cap. VI. *Divitibus hujus sæculi præcipe ..... bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*.

# CAPUT X.

## *Processio tempore mortalitatis, & pestis.*

I. Omnium malorum teterrimum est procul dubio pestis flagellum, quæ peculiari ratione dici assolet Dei flagellum, & gladius Dei, uti habetur Lib. I. Paralipomenon, Cap. XXI. Tanta autem illius vis est, tamque vehemens, ut cum occulte in omnes partes progrediens brevi momento temporis, quasi repentino quodam impetu turbidæ tempestatis homines obruat, teterrimi contagii metu omnes consternentur. Quamobrem eo pavore animi commoti, atque obstupefacti plerique, tantum abest, ut officii sui partes fortiter amplectantur, ut quasi e mentis suæ statu repente dimoti, ne cogitare quidem, nedum deliberationes, consiliaque suscipere possint, quid in calamitate publica expediat, & quid plane necessarium sit. Alii vero eo metu affecti, dum humanæ prudentiæ cautionibus se tueri volunt, eam sibi solicitudinem, quæ tota mundanæ diligentiæ præsidiis nititur, ita præpostere struunt, ut religionis, pietatisque Christianæ, si omnino non obliviscuntur, ejus tamen officia intermittant. Nam sæpe fit, ut Missæ Sacrificio interesse, Sacramenta suscipere, Ecclesiam frequentare, ad Conciones sacras convenire, Supplicationes publicas, publicæque Orationis munus obire negligant; & quos cognationis gradu conjunctissimos, quosque charos habent, siquando fortasse ii in pestiferam labem, aut in suspicionem ejus inciderint, non modo illos non curent, sed etiam ab iis ipsis longe admodum refugiant.

II. Hæc, & alia scitu digna sapientissime notavit in Concilio Provinciali Mediolanensi V. Constitutionum Parte II. Capite I. quod est, *De cura pestilentiæ*, Sanctus Carolus, qui afflictissimo tempore, quo Mediolanum, ejusque Diœcesim fere omnem, & aliquam Provinciæ suæ partem sæva pestis invasit, res multas commiseratione, lacrymis, luctuque dignas, & aliunde audivit, & propriis oculis in Urbe, Diœcesique Mediolanensi aspexit. Hinc quod omni rationi plane consentaneum esse animadverteret, & quemadmodum parens optimus, qui filios unice diligit, tum in præsenti, tum in futurum eis prospicit, ac parat, quæ sunt ad vitæ cultum necessaria, ita & ipse paternæ charitatis officio adductus, omni præcautione Fidelibus Mediolanensis Provinciæ in laudato Concilio Provinciali V. consuleret, provideretque deinceps quæ experiendo cognoverat, pestilentiæ tempore salutaria esse adjumenta; ideo multa ibidem statuit, & quidem inter alia, ut Episcopus universi populi supplicantis religiosa, solemnique oratione Deum placet, cum primum in locis finitimis pestis grassatur, preces, statasque publicas Processiones triduanas non semel, sed iterum, atque adeo sæpius, si opus erit, in Urbe, ac in Diœcesi indicet; quas jejunio, eleemosyna, sacco, cilicio, omnique mœsto, & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitentiæ publicæ modo, vocibus ex intimo animo ad misericordiæ implorationem emissis, gemitu, lacrymis profusis, intentissimo assiduarum precum studio, & omni demum, non externo solum, sed interno pietatis religiosæ officio, sancte agi, & celebrari studebit.

III. Antequam de Precibus, & Supplicationibus dicamus tempore mortalitatis, & pestis peragendis, operæ pretium ducimus aliquid de charitate differere, quam exercere erga peste infectos Sacri præsertim Homines debent, exemplo majorum nostrorum, qui Christianam Religionem, & doctrinam profitentes, animas suas juxta Christi Domini oraculum pro proximis suis libenti, atque alacri animo posuerunt. Celebre est, quod in hoc genere charitatis narrat Dionysius Alexandriæ Episcopus, ubi agit de Alexandrina peste apud Eusebium Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XVII. cujus verba digna sunt, quæ hic describantur: *Quamplurimi e Fratribus nostris adeo immenso quodam charitatis, & fraternæ benevolentiæ ardore erant inflammati, ut minime suæ parcentes vitæ, sed ipsi sibi inter se firme adhærescentes, eos qui morbo opprimebantur, nulla sui cura, aut cautione adhibita, sedulo inviserent, illis inservirent assidue, pro viribus ob Christi amorem curarent, una cum illis decederent e vita, lubentissime contagione aliorum infecti, etiam morbum a proximis quodammodo ad se attraherent, suaque sponte aliorum mœrores benevole mitigarent. Multi item, dum aliis ægrotantibus curam adhibent, illisque vires restituunt, ipsi aliorum mortem in se derivantes vitam amittunt. Et verbum illud, quod vulgo semper dicitur, quodque veræ benevolentiæ solum videtur convenire, nimirum ut singuli pro amicis abeant e vita, seque eorum causa, ut ita dicam, rejectamentum efficiant, re ipsa expleverunt. Ex Fratribus igitur, qui virtute facile erant præstantissimi, ad hunc modum mortem appetiverunt. Quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, quidam e populo virtutis ergo multum laudati, adeo ut istud mortis genus quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur.*

IV. Pergit Dionysius, humanitatemque Christianorum sui ævi magis magisque commendat non modo erga morientes, verum etiam erga ipsos mortuos peste infectos; cum interim gentiles homines miserabiliter se invicem desererent, vir uxorem, uxor virum, filii parentes, ipsi natos suos: *Quin etiam Sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adherescere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere non gravati sunt, ipsique, qui supererant, paulopost similia officia in se collata propterea adepti, quod eandem mortis viam instarent, quam qui præiverant, instituissent.* Tum vero mox ita gentilium inhumanitatem peste ipsa grassante recenset: *Gentiles autem his omnia fecere contraria, eos enim, qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extrudere, deserere amicissimos, in plateis semivivos projicere, cadavera insepulta canibus exponere dilanianda, mortis participationem, & quasi communionem avertere, quam plane, vel infinita diverticula quærentes, nullo modo poterant evitare.* Teste Baronio, cæpta est anno CCLV. immanis ista lues,

quæ

quæ universum fere depasta est Orbem, quam æque Scriptores Ethnici sub Gallo, & Volusiano Imperatoribus collocant. Eandemque ab Æthiopia originem duxisse, atque in universum Orbem progressam vix intra decennium quievisse tradunt. De qua Orosius Lib. VII. Cap. XXI. ait, nullam fere Provinciam Romanam, nullam Civitatem, nullam domum fuisse, quæ non illa generali pestilentia correpta, atque vastata fuerit. Agens pariter de eadem Gregorius Nyssenus in Vita Magni Thaumaturgi, docet eam in Næocesarienses per Angelos malos immissam esse, ulciscente Deo eorum impietatem, sed ad Evangelii profectum id permittente, cum per eundem Thaumuturgum ab ea liberati omnes ferme Christo nomen dederunt.

V. De eadem quoque lue Africam infestante deque S. Cypriani sedulo tunc officio non solum erga Fideles, sed etiam erga ipsos Gentiles impenso plura habet Pontius in ejusdem Cypriani Vita Cap. V. quæ ad nostram eruditionem, instructionemque hic etiam referre censuimus: *Erupit postmodum lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie, quasi cum illo peste morituro, etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota Civitate, non jam corpora, sed cadavera plurimorum, & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. Nemo respexit aliud, præterquam lucra crudelia. Nemo similis eventus recordatione trepidavit. Nemo fecit alteri, quod pati voluit. Quid inter hæc egerit Christi, & Dei Pontifex, qui Pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate præcesserat, scelus est præterire. Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiæ bonis instituit, docens divinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Tunc deinde subjungit, non esse mirabile, si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus; eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano, vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit; qui pro persequentium se salute, sicut Dominus monet, & hortatur, oravit. Oriri Deus facit jugiter solem suum, & pluvias subinde nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista, non suis tantum, sed etiam alienis; & qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum Patris imitatur?* Respondere, *inquit*, nos docet natalibus nostris, & quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit, sed probari potius in sobole traducem boni Patris æmulatione bonitatis.

VI. Multa alia, & quidem magna, quæ tunc egit Cyprianus, præterire se ait Pontius sequenti Cap. X. quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiori sermone replicari; sed nonnulla mox tamen subdit, quæ & a nobis hoc loco notanda sunt: *Si illa*, inquit, *Gentiles pro nostris audire potuissent, forsitan statim crederent. Quid Christiana plebs faceret, cui de Fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum, atque Ordinum ministeria. Multi, qui angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem. Et quis non sub tanto Doctore properaret inveniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret, & Deo Patri, & Judici Christo, & tam bono interim Sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate quod bonum est apud omnes, non ad solos domesticos Fidei. Fiebat plus aliquid quam de Tobia incomparabili pietate signatum est.* Porro, ut idem Baronius observat, sævientis pestis hujus tempore idem Cyprianus aureum Libellum, *De mortalitate*, scripsisse cognoscitur, quo cum debiles ad tolerantiam, & ad contemptum humanæ vitæ excitavit, tum etiam eos arguit, qui offenderentur, quod debitum Gentilium crudelitati supplicium Christianos quoque pertingeret, docens pluribus, quam ea pestis proficua esset ipsis etiam Christianis.

VII. Præter Librum, *De mortalitate*, scripsit quoque Cyprianus in ipsa pestis calamitate Librum adversus Demetrianum, quem Pontius his verbis designat: *Per quem Gentiles, repercussis in se iis, quæ nobis ingerunt*. Ventitabat ad Cyprianum Demetrianus, eumque Cyprianus oblatrantem adversus Deum, & verbis impiis obstrepentem minime idoneum judicabat, quocum congrederetur, cum nec docere indocilem posse sibi videretur, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed cum idem Demetrianus dictitaret, *quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, quodque imbres, & pluvias serena longa suspendant*, Christianis imputari; tacere ultra noluit Cyprianus, ac ne silentium diffidentiæ, non verecundiæ tribueretur, huic homini respondendum esse duxit pariter & cæteris, quos ipse forsitan concitaverat, & adversum Christianos odia maledicis vocibus seminando, comites sibi plures fecerat. Demonstrat igitur Cyprianus, calamitates, ac inter eas luem, non inde oriri, quod Deum Christiani colant, sed quod eum Gentiles non colant, ejusque cultores omni cruciatus genere torqueant; quamvis autem hæ calamitates ipsos etiam Christianos attingant, eas tamen solis Gentilibus nocere, non Christianis, quos ad æterna gaudia perducunt. Legendus integer Cypriani Liber ad ipsum Demetrianum, in quo peccatores etiam nostri ævi exagitantur, qui vel in ipsis calamitatibus a Deo propter peccata immissis, minime ad eum convertuntur; *Indignatur ecce Dominus*, inquit, *& irascitur, & quod ad eum non convertamini, comminatur*. Et paulo inferius; *Fieri enim ista vel ad disciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum declarat in Scripturis Sanctis idem Deus, dicens*, (Hieremiæ Cap. II.) Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt. *Et Propheta devotus, ac dicatus Deo*, idem scilicet Hieremias, Cap. V. *ad hæc eadem respondet, & dicit*: Verberasti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, nec voluerunt accipere disciplinam. *Ecce irrogantur divinitus plagæ, & nullus Dei metus est. Ecce verbera desuper, & flagella non desunt, & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis vel ista censura, quanto adhuc major in hominibus esset audacia, facinorum impunitate secura*.

VIII. Quantum ergo ex dictis hactenus liquet, plebem Cyprianus suam eo divinæ ultionis flagello perculsam, non præsentia tantum sua

sua recreavit, sed & solatia spiritualia, & temporalia aggeravit illi omnia, quæ providentissimæ & infatigatæ charitatis Præsul excogitare, & parare potuit, ut recte notavit Thomassinus Parte II. Veteris, & novæ Ecclesiæ Disciplinæ, Lib. III. Cap. LXVII. num. I. Quin & Fidelibus persuasit Cyprianus hanc opportunam sibi ansam efferri splendidissime ulciscendæ persecutionis, qua in eos paulo ante grassati erant Gentiles, congerendis super eorum capita carbonibus, malis beneficio pensandis, omnibus denique illis omni ope, cura, obsequio demerendis. Ita calamitas mortales omnes, ut idem laudatus Auctor observat, Cyprianum commendabat, Paganos ipsos, & persecutores conciliabat, ut residentiæ suæ beneficia, & pastoralis charitatis rivulos in eos quoque effunderet. Ea ille causa, uti jam nos supra notavimus, aureum scripsit Libellum, *De mortalitate*, quo penitissime insereret Fidelium animis hanc Christiani dogmatis summam. Congratulandum esse nobis, ubi eæ incidunt causæ, quibus invictum animi robur, & Religionis indomitam vim prodamus, quæ etiam gaudeat perire, quidquid periturum aliquando est; ita certe ut nihil Christiano depereat, qui nihil possideat, aut possidere sibi videatur, nisi æternorum charitatem, quæ nec perire ipsa, nec auferri nobis ulla vi possint: *Contra tot impetus vastitatis, & mortis, inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est? & quanta sublimitas, inter ruinas humani generis stare erectum, nec cum eis, quibus spes in Dominum nulla est, jacere prostratum?* Atque hinc recte concludit Thomassinus, sic imbuti, animatique Pastoris præsentiæ tanto evidentiorem esse necessitatem, quo possint ab eo ignavissimi quique roborari, possit & mortis acerbitati ineffabilis quædam suavitas effundi.

IX. Quæ sint Episcoporum, & aliorum curam animarum habentium partes, dum pestilentia Diœceses, & Parochias populatur, docet inter alios S. Gregorius Magnus in Literis, quas ad Dominicum Carthaginensem Episcopum dedit, ubi non solum a vinculo illum non absolvit residentiæ, sed vehementer adhortatur, ut dum immani peste Africa tota vastatur, mortis ipse terrores, & amaritudines lenire studeat, & conculcare firmissima spe vitæ æternæ; ut hac asperitate pœnarum temporalium urgeat illos ad extimescendas, fugiendasque flammas sempiternas; ut orationi instet, instarique ab omnibus curet, quo emolliat Deus ad pœnitentiam; ut carnis vulneribus, & morbis, persanentur animæ; utque mors ipsa compendiaria via sit ad immortalitatem: *Vestra*, inquit Lib. VIII. Epistola XLI. *eos lingua, sicut & credimus, magis, ac magis a pravi operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, ut qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescant, & ab his se, quæ sunt plectenda, contineant. Nam in flagellis positos, flagellis digna committere, contra ferientem est specialiater superbire, & sævientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam a malis suis juste quiescere, & Deum injuste a sua velle ultione cessare*. Tum vero sic subjicit: *Sed quoniam in his Divino adjutorio opus est, cunctis, dilecte Frater, precibus Omnipotentis clementiam exoremus, ut & nos digne ista tribuat exhibere, & populorum ad hæc operanda misericorditer corda compungat, quatenus in timore ipsius, actus nostros salubriter ordinantes, & ab ingruentibus malis erui, & ad superna venire gaudia, ejus duce gratia, sine qua nihil possumus, mereamur.*

X. Provectus fuerat Gregorius ipse ad Pontificiæ culmen dignitatis, cum sæviret in Urbe lues: *Pestilentia sæviente, quia Ecclesia Dei sine Rectore esse non poterat, Gregorium delegerunt*; ut scribit in ejus Vita Joannes Diaconus, Lib. I. Cap. XXXIX. Sane peste dicta inguinaria obiisse Pelagium II. Papam, cui immediate successit in Romano Pontificatu S. Gregorius, testatur inter alios Gregorius Turonensis, Lib. X. Historiæ, Cap. I. ubi postquam narravit inundationem Tyberis Romæ mense Novembris anno DLXXXIX. seu, ut ipse ait, *mense nono*, factam, ita mox subdit: *Subsecuta est vestigio clades, quam inguinariam vocant, nam medio mense XI. adveniens, primum omnium, juxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur*, a Sanctuario meo incipite, *Pelagium Papam perculit; quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est*. Lues itaque incepit mense Januario, qui undecimus dicitur a Gregorio Turonensi, sicut mensis November dicitur nonus, quia in Gallia annus a Paschate, seu a mense Martio initium sumebat, ut videre est in Concilio Aurelianensi III. anno DXXXVIII. celebrato, in quo mensis Majus vocatur mensis tertius, uti notavit Pagius in Breviario Gestorum Pontificum Romanorum, ubi enarrat Vitam Pelagii II. Papæ, num. XIX. ubi etiam tradit obiisse ipsum Pelagium die VIII. Februarii anni DXC.

XI. Mortuo peste inguinaria Pelagio, Gregorius, qui in ejus locum successit, Pontificatus sui primordia dedicavit, tum prædicationibus rei præsenti accommodatis, tum Processionum complurium solemnitate, & Supplicationibus publicis, ut aut tanti mali finem Deus annueret, aut pœnitentiam aspiraret, quæ malum ipsum bene verteret. In una harum Concionum, non toto unius horæ spatio, ut testatur ejus Vitæ Auctor, interiere ex ea lue octoginta homines, stante, & impavido inter has ruinas Summo Pastore, & de Concionibus, & Supplicationibus nihil remittente, donec ultricem Dei manum exarmaret, pacemque, & sanitatem plebi suæ recuperaret: *Intra unius horæ spatium octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarunt; sed nequaquam destitit facundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione Divina, pestis ipsa quiesceret.* Illud admiratione profecto dignissimum censeri debet, quod, ut observant Thomassinus, Parte II. Lib. III. Cap. LXVIII. num. VI. & Pagius in ejus Vita, num. V. dum ipse gregis se saluti Gregorius impenderet, necdum suæ in Summum Pontificem acquieverat electioni, peculiareque ipsius privilegium fuit, quod, Clero annuente, res administraverit, licet nondum ordinatus esset. In Gregorium, veluti si confirmatus esset, intenti oculi omnium erant, ut ab eo in tanta, in qua ob pestem ingruentem calamitate erant, remedii aliquid acciperent.

XII. Quoniam vero paulo superius diximus, Gregorium primordia sui Pontificatus ad avertendam luem, quæ grassabatur, Prædicationibus, & Processionibus dedicasse, abs re non erit, sermonem illius tempore mortalitatis habitum, qui ad-

adhuc extat in Registro ejus Epistolarum, Lib. XI. Epistola II. Indictionis VI. hoc loco describere: *Oportet*, inquit, *Fratres charissimi, ut flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa jam, quam patimur, pœna dissolvat. Ut enim Propheta teste*, Hieremia Cap. VI. *prædictum est*: Pervenit gladius usque ad animam. *Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem prævenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Judicis pervenit, cui non vacat flere, quod fecit. Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis, quidquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præveniamus faciem ejus in Confessione, & sicut Propheta admonet*, Levemus corda nostra cum manibus ad Deum. *Ad Deum quippe corda cum manibus levare, est orationis nostræ studium merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam*, Ezechielem XVIII. *clamat*: Nolo mortem peccatoris, sed, ut convertatur, & vivat. *Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conversus Latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Levemus igitur corda, & præsumamus, nos jam percepisse, quod petimus. Citius ad precem Judex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Judici veritatis placet, quia pius, & misericors Deus a se vult veniam precibus exigi, qui, quantum meremur, non vult irasci*. Variis id genus Prædicationibus non contentus Gregorius, instituit tunc etiam ad depellendam luem Litaniam septiformem, seu Processionem, de qua dicemus in Commentario ad §. sequentem.

XIII. Itaque de tota Summi Romani Pontificatus gloria, & pompa, hoc unum erat, quo Gregorius duceretur, unum, quo se oblectaret, tempore pestilentiæ cum grege suo residere, & in ejus salutis procuratione mortem oppetere. Nec Clericos, nec laicos ad fugam invitabat Gregorius, adeo non de fuga ipse cogitabat. Insidebat forsan, ut recte idem Thomassinus notavit, jam tum ejus animo illa eadem Gregorii II. Papæ sententia ad Consultationes Bonifacii Archiepiscopi Moguntini rescribentis, stultum esse, siquis elabi se posse speret manibus Omnipotentis, & ubique præsentis Numinis; atque adeo qui in Monasteriis, vel in Clero tam atrociter grassata pestilentia superstites adhuc erant, iis non de fuga, sed de demerendo precibus Numine cogitandum esse: *Adjecisti etiam*, inquit, *quod si pestifer morbus, aut mortalitas in Ecclesia, vel Monasteriis irrepserit, hi, quos nondum tetigit, an debeant a loco fugere, evitantes periculum. Quod valde fatuum videtur, non enim valet quisquam Dei effugere manus*. At vero, quod ad Episcopos attinet, certior factus Sanctus Gregorius, ardere Narniensem Civitatem pestilentia, ad Præjectitium ejus Episcopum scripsit, Lib. II. Epistola II. tanto magis infatigata vigilantia instandum ei esse ad Romanos, Longobardos, Paganos, & hæreticos ad Fidei, & pietatis lucem revocandos: *Quamobrem salutantes Fraternitatem tuam, instantissime suademus, ut a Longobardorum, sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, sive exhortatione, nulla ratione cessetis, & maxime a Gentilium, & hæreticorum, ut ad veram, rectamque Fidem Catholicam convertantur. Sic enim, aut Divina misericordia pro sua eis forsitan conversione, & in hac vita subveniet, aut si eos migrare contigerit, a suis, quod te magis optandum est, transient facinoribus absoluti*.

XIV. Si vetera Sanctorum exempla spectemus, jam illi officii sui memores, & curæ pastoralis soliciti, non modo de fuga non cogitarunt, etiamsi maximam jam suæ Civitatis partem lues esset depopulata, sed irrequieto studio, & conatu impellebant superstites omnes, ut precibus, & vigiliis concederent ad æternitatis sibi januam patefaciendam. Ita enim testatum facit de Sanctissimo Albigensi Episcopo Salvio Gregorius Turonensis, Lib. VII. Cap. II. *Invalescente apud Albigensem Urbem inguinario morbo, & maxima jam parte de populo illo defuncta, cum jam pauci de civibus remanerent, Vir Beatus tanquam bonus Pastor nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos, qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, dicens: Hæc agite, ut si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem introire possitis*. Ex eodem Gregorio Turonensi, Lib. IX. Cap. XXII. cum Theodorus Massiliensis Episcopus ejus mali flammas cerneret Civitatem suam quaqueversum depascentes, in eas se impiger, intrepidusque conjecit, & in Basilica sedens S. Victoris, adeo vigiliis, & oratione certavit, ut exterminatoris Angeli gladium constringeret tandem, & cohiberet; *Velut in segetem flamma accensa, Urbe tota morbi incendio conflagravit. Episcopus tamen Urbis accessit ad locum, & se intra Basilicæ S. Victoris septa continuit cum paucis, qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam Urbis stragem orationibus, ac vigiliis vacans, Domini misericordiam exorabat, ut tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere*. Cum tandem Alexandrinam Civitatem mortalitas ingens vastaret, Joannes ille ab eleemosynis cognomen nactus splendidissimum, ejus Urbis Patriarcha multis documentis approbavit, quam non sua tantum, sed & seipsum cuperet ovium saluti impendere: *Multoties assidebat & his, qui morituri vexationem in exitu animæ patiebantur, & ipse eorum oculos propriis manibus claudebat*, ut scribit ejus Vitæ Auctor, Capite XXIV.

XV. Hæc, & alia id genus exempla Sanctorum Episcopornm, qui tempore luis vitam suam exposuerunt, affert quidem Thomassinus citata Parte II. Disciplinæ, Lib. III. Capite LXVII. & seqq. longeque plura, ac pene innumera occurrunt in Ecclesiastica Historia, & apud Surium, atque Bollandianos in Vitis Sanctorum. Sed his omis-

omissis, recensendum omnino est S.Caroli Borromæi Mediolanensium Archiepiscopi exemplum qui peste Mediolanum anno MDLXXVI.vastante, multa effecit, quibus Ecclesiarum Pastores instruuntur, ut se se in simili calamitate gerere debent. Ergo peste Mediolanum ingressa, licet multi Sanctum Antistitem hortarentur, ut alio secederet, ipse tamen Pastoris officia omnia jam sibi suscipienda, & in suorum salutem omni studio, atque opera esse incumbendum, existimavit. Ad mortem certe obeundam perspicue paratus etiam testamentum fecit, in quo hæreditate ad Hospitium pauperum Mediolanense delata, multa pie legavit Ecclesiæ, amicis, & familiaribus. Tum ad gregem suum sine mora conversus, miseris pestis morbo infectis ad Gregorianas ædes derelictis cœpit subvenire, & ex domo sua, quæ res ad vitam erant necessariæ, ea quotidie mittere, tum vero eleemosynas in Urbe, foris, atque adeo extra Provinciam corrogare, a Clericis, Monachisque, qui abundarent, petere, ut illos, aliosque per Urbem in egestate positos sublevaret. Quamvis autem maxime doleret, suos rebus ad victum necessariis destitui; multo magis tamen angebatur, quod sacra subsidia, extremæque ad salutem sublevationes deessent.

XVI. Rem fusius narrat Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli, Lib. IV. per totum, ex quo ea nos delibabimus, quæ ad instructionem Episcoporum, aliorumque animarum curam habentium spectant. Cum itaque hæc ita essent, Summum Pontificem sibi in primis consulendum Carolus statuit, neque enim adhuc Romæ refutabantur Litteræ Mediolanenses. Quid de Parochis agendum esset, consuluit; quidque ipse ex piorum, doctorumque virorum sententia existimaret, exposuit. Postulavit, ut auctoritate Pontificia posset homines Regulares, quos mala mente Claustris suis ad tale obsequium, periculumque exire velle, verisimile non erat; alienosque Clericos etiam suorum Antistitum injussu, volentes tamen, ad ægrotorum ministerium admittere; varia Apostolicæ Indulgentiæ genera, etiam quæ summa sunt, pro ratione, modoque obsequii, ministeriive iis proponere, ac impertiri, qui ægrorum curationi, salutique animi, & corporis varie inservirent; veniam pœnitentibus quorumcumque criminum dare, & quibuslibet animæ vinculis Sacros Homines liberare, quorum causa ad Romanæ Sedis auctoritatem confugere necesse est; coronis, calculisque benedicere, quibus precantes varia Indulgentiæ dona consequerentur. Consuluit item, an ad pauperes sublevandos, bonis ad alios pios usus relictis, & quatenus, uti deberet; & ea de re facultatem petiit, etiamsi alienatione bonorum immobilium opus esset. Litteras quoque Pontificias ad populum, quibus ad calamitatem Christiana mente sustinendam, & ad charitatis officia ægris præstanda incenderentur. Præterea quo mortis casum omni ratione leviorem iis faceret, quos ad ministrandum aliis invitabat, postulavit, ut Missis in Sacello S. Gregorii faciendis, ita mortuis suffragari Sacerdotes possent, ut qui Romæ in insigni illo Altari S. Gregorii faciunt. Concessiones autem non sibi tantum, cui aliquid humanitus accidere poterat, sed alii quoque, qui in Ecclesiæ administratione succederet, poposcit. Demum supplex petiit, quidquid in omni cura, & administratione, quam sibi proposuerat, aggrederetur, & faceret, id ut bene, feliciterque sibi, aliisque eveniret, Summus Pater precaretur, & quas pro aliis venias, facultatesque petebat, eas itidem sibi jubere posset adhiberi.

XVII. Annuit Caroli postulatis Pontifex, alia Litteris quamprimum mittendis comprehendi, alia consultanda mandavit, sed rescripsit prius, laudare se Caroli animum, tum metu vacuum, tum vero ardenti incensum charitate gregis sui, quem sicuti nullo modo deterrebat, quin præsens omnium saluti diligenter consulere studeret; ita hortabatur, ne ipse illa facile cum vitæ periculo obiret, quibus exequendis aliorum opera sufficeret; maximum enim immensæ multitudini præsidium in ejus vita esse positum, quæ, si deficeret, omnia, ut videbatur, miserrima strage perculsa, & prostrata fore. At vero interea Carolus, Clero convocato, animos omnium confirmavit; quæ partes essent hominum Divinis obsequiis addictorum, diligenter monuit; ad ægrotos in tanta rerum omnium inopia studiose juvandos vehementer accendit. Quibusdam ex primariis certas Urbis regiones assignavit, ut quæ opus esse viderent, suo quisque loco, diligenter pro tributa auctoritate curarent, aut Carolo ipsi denunciarent. Atque cum ex Urbe in Castella, Villasque quammaxime a periculo remotas, nobiles viri, & alii quoque omnes, quicumque perfugii aliquid habebant, passim dilaberentur; plurimos ad se vocatos, qui Reipublicæ usui esse poterant, in Urbe detinere, & ad Patriæ charitatem præstandam Divinis verbis incendere studuit; quosdam ut firmius teneret, piis operibus variis in ea calamitate necessariis præfecit. Præfectos autem assidue confirmabat, stimulabatque, ut afflictis rebus melius consulerent, nunc ad se vocando, nunc ad ea loca adducendo, ubi præsentes mala, miseriasque cernerent, frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in consultationibus eorum semper adesse curabat, qui sanitati præsunt publica auctoritate conservandæ, ut potestatis utriusque gubernatio apte ordinata conveniret, & ad subveniendum esset accommodatior.

XVIII. Cum essent omnium animi tam tristis eventus expectatione suspensi, nullusque jam esset mercaturæ, artificiive quæstus, suam quisque domum, ad quam paucissimos redigere studebat, quia & sumptus diutius ita suppeteret, & in minori numero minus periculi futurum erat contagionis. Itaque & Patritii famulos, famulasque, & mercatores, artificesque operarios, quotquot poterant, missos faciebant. Illi autem neque suo labore, neque aliorum liberalitate vivere poterant; Provincia decedere, nisi certo vitæ discrimine, per finitimos non licebat, tecto etiam ipso carebant. Atque alii quidem vitæ periculum contemnentes, ut vitam tuerentur, aut si minus possent vivere, honeste saltem occumberent, operam suam ægrotis, cadaveribusque deducendis, rebus quoque igne, & aqua purgandis, publice locaverunt. Alii agmine facto ad Carolum tanquam egenorum Patrem omnes communi consilio confugerunt, quibus item se socios addiderunt mendici multi, qui ostiatim quæritare victum solebant. Carolus quamquam de tot hominum inopia jam solicitus erat, quod humano judicio vix sustentari posse nullo modo videbantur, egregia tamen illa sua fiducia confirmatus, de iis sublevandis animo cogitare cœpit,

pit. Post multa versata, cum inprimis tecto, eoque amplo opus esset, venit in mentem magnarum ædium, quas in via Romana septimo ab Urbe lapide, Franciscus Gallorum Rex ante annos circiter sexaginta construxit, victoriæ illius monumentum, quam de ferocissima Helvetiorum multitudine, pro Mediolanensi Duce Maximiano pugnante reportaverat, qua de re eas Victoriæ etiam nomine appellavit; quas quidem ædes cum adjuncto agro Carolus olim obtinuisset, pro ea parte, quæ ad eum pertinebat, primario pauperum hospitio donaverat. Eo igitur gregem miserabilem misit, supellectiles ad vitæ necessitatem suppeditavit, mares a feminis disjunctos haberi jussit, certas precandi exercitationes, horasque præscripsit; religiosos viros laicos, & sacros, præsertim quos vocant Capuccinos, præfecit, qui eorum res curarent, & multitudinem malis fere artibus assuetam in officio continerent. Ut autem facilius, & otii malum arceretur, & unde viverent, suppeteret, ad vicos, villasque, quæ circum essent, turmatim eos educi quotidie Præfectorum cura jussit, & eleemosynas passim quæritare; ordine autem quæque turma Crucem sequebatur, & Litaniæ in via operam dabat; ac, tametsi incredibile visum fuerat de tali hominum genere, sine flagitio, fere toto pestilentiæ tempore, quietam in eo loco vitam egerunt; id fecit indigentia, fecit eorum, qui præerant, diligentia, & pœnæ item metus; nam ad eos, qui deliquissent, puniendos Judicem suum mittebat Carolus, quemadmodum cum Senatu convenerat, qui homines castigari, & virgis etiam cædi juberet. Ipse quoque præsens interdum eorum res cognoscebat, tum ex Archiepiscopali domo, licet inopi jam, peneque exinanita, eleemosynarum subsidio deficiente, quæ opus essent, & suppetebant, petere, atque asportare jubebat. Fuerunt autem ii circiter trecenti.

XIX. Verum cum hyeme ingravescente homines semivestiti maxime algerent, memorabile fuit Caroli factum, qui, cum aliud non haberet, velaria, quibus ex simplici laneo panno nulla textili pictura, ad parietes vestiendos utebatur, item conopea, vela, stragula, quibus ex eadem materia, & opere, operiri lectos, ostia obtendi, mensas sterni opus erat, omnia concidi jussit, & ex iis duplices vestes quamplurimas cum caputio fieri, singulisque tradi, ut jucundum, pietatisque plenissimum spectaculum, multitudo pauperum, marium, feminarumque præberet, purpureis, violaceis, viridibus, pullisque vestibus olim ad amplitudinem comparatis, varie induta, nihilque reliquum ex hujusmodi suppellectili in Caroli domo fuit, præter unum viride casu omissum, & cannabinum item stragulum viride, quod laneo panno fuerat subsutum, quod in ea ipsa mensa stratum Carolus habuit, qua legendo, scribendove utebatur, neque unquam postea mutavit, sicuti neque pannos parietum, neque stragula ostiorum unquam restitui, usque ad mortem passus est. Sed ne aliis quidem rebus ullis tali tempore pepercit; vestes, caligasque, necessariis tantum retentis, aut donavit, aut vendidit, ut pretium pauperibus daret; pelliceas vero vestes ita alienavit, ut usum ejusmodi sibi in perpetuum interdiceret; omnino domus tota rebus iis omnibus exhausta est, quæ sibi, familiæque prorsus necessariæ non essent. Nam Carolus ipse cellas ingressus, nequid forte contra ejus voluntatem reservaretur, inspectis receptaculis, omnia extrahi jussit; pecunia quoque multa mutuo accepta, quæ non nisi ex sequentium annorum fructibus solvi posset; quin ea ipsa quandoque penitus defuit; cumque nihil suppeteret, unde necessaria emerentur, & nox jam esset, magnum pecuniæ numerum pro consueta in eleemosynis dandis magnificentia, Cusani Fratres Pomponius, & Augustinus misere; ac non cives solum, sed exteri etiam multi, quæ pauperibus dare statuebant, eaque magni momenti, mittebant ad Carolum, quem optime omnium distribuere sciebant.

XX. Jam pluribus locis tacta morbo Civitas, in tantum periculum adducta erat, ut quasi multis partibus injecto igne, subito, atque horribili incendio conflagratura videretur. Prudentes certe, Patriæque amatores viri summopere dolebant, brevi fore, ut amplissima Civitas morbo, luctuque confecta miserrime concideret, & civium internecione vastata, in solitudinem propemodum, ut antea, simili ex morbo, redigeretur; multitudo namque populi maxima est, insigni numero plebs, & vulgus, genus hominum ad contagium maxime accomodatum ob confertissimam habitationem, & sordes; qui si non pestilentia, fame certe, brevi interituri videbantur; solent enim ex quotidiano quæstu vivere, cui tunc locus non erat; & siquid supersit, in vestimenta potius, etiam quæ longe eorum statum superant, quam ad res ad paulo diuturniorem victum parandas malunt insumere. Is cum esset prudentium virorum sensus, ne Carolus quidem, nisi Dominus præcipua aliqua, atque admirabili ratione subveniret, aliud fore existimabat. Attamen litteris a Pontifice interim, & concessionibus allatis, alacri, promptoque animo, Deo fretus, & charitatis stimulis concitatus, ad reliquam afflictæ Civitatis curam aggressus est. Atque Parochos, quamvis de eorum debitis populo officiis adhuc definitum non esset, gravium tamen Scriptorum sententiam sequutus, jussit consistere, ægrotis suæ Parochiæ adesse, sanctaque, Pœnitentiæ saltem, & Eucharistiæ, Sacramenta ministrare; qui resisteret, mulctavit, quosdam etiam in carcerem conjecit, quamquam plerique minime coacti, ac satis fortiter in Urbe, totaque Diœcesi, officii sui munera tandem obierunt; quidam etiam sponte extremam Unctionem moribundis adhibuerunt. Cum autem artificia varia, mortis metu industriam acuente, quidam invenirent, quibus Sanctissimam Eucharistiam, vel longe, vel tecti morbo affectis præberent, nullum adhiberi Carolus passus est, sed manu libera porrigi sacrosanctum cibum omnino statuit; ac etiam decentes cautiones, & probavit, & docuit; veluti ut contra ægroti spiritum Sacerdos vultu non consisteret, sed eum commode semper declinaret; ut inter eum, ægrumque poneretur ignis, cujus vi, quæ in aere esset, tabes absumeretur; digitos statim post ministerium, vel aceto, vel accensi cerei flamma purgaret; indumentorum suorum, ægrique contactum studiose caveret, sua etiam statim mutaret, purgarique curaret, & alia hujusmodi. Baptismum quoque non mergendo, ut Ambrosiani ritus est, sed aquam infundendo, ministrari concessit.

XXI. Impetrata deinde Apostolica præmia ut jam inciperet impertiri, populumque jam totum

tum ad Divinum auxilium implorandum, Deumque in primis placandum converteret, publicas Supplicationes indixit, de quibus dicemus nos infra opportunius in Commentario ad sequentem §. sed cum supplicis Ecclesiæ, Sacerdotisque sui preces non statim audire visus sit Dominus, pestisque latius in dies cæpta progressione manans, jam totam occupasset Civitatem, pluribusque Ministris ad juvandos ægrotos indigeret, Carolus, pro Pontificia auctoritate, Apostolica dona singillatim, distincteque proposuit iis, qui variis officiis, muneribusque ægros juvarent, medicis præfectis, variis chirurgis, obstetricibus, nutricibus, famulis, aliisque, quorum industriæ, atque operæ in ægrorum, egenorumque cura posset esse locus; majora vero gravioribus, cumulatioribusque officiis, ministeriisque assignavit. Cum autem nulla in re consilium, laborem, vigilantiam, auctoritatemque suam afflictæ Civitati deesse pateretur, iis de rebus erat maxime solicitus, quæ ad animas expiandas, salvandasque pertinebant. Sacerdotes desiderabat in primis, qui sacrosanctis rebus juvarent ægrotos, ac Gregorianæ quidem turbæ, Priore mortuo, alium itidem ex Helveticis Regionibus Presbyterum dederat, in quo tantus fuit morbi contemptus, ut locum ingressus statim se in eodem lecto collocarit, in quo alius mortuus erat; posteaque licet pestilentia bis affectus nunquam deterreri potuerit ab ægris assidue non solum adeundis, audiendisque, sed quocumque modo opus esset, tangendis, atque tractandis, usque ad pestilentiæ finem. Dederat item Paulum Belintanum Brixiensem ex Capuccinorum Ordine, qui, Sacramentis exceptis, non enim erat Sacris initiatus, rebus omnibus multitudinis salutem curabat, ac Præsidis cujusdam eo loco personam, partesque sustinens, & pestilentiæ nomine inclusos, & eis inservientes, etiam auctoritate Senatus in officio continebat, puniebatque delinquentes. At iis etiam quasi valetudinariis castris, quæ extra mœnia posita erant, consulendum erat, Sacerdotesque dandi, qui Sacra præberent, ne flagitia committerentur, curarent. Ad Cœnobia igitur Regularium Hominum conversus, eorum Præfectos vocavit, qui alios quoque Sacerdotes audiendis sacris Confessionibus destinatos adducerent; eosque in hujusmodi fere sententiam est allocutus.

XXII. „ Miseram ac luctuosam Civitatis nostræ conditionem si vobis explicare coner, „ inepte faciam, Fratres; nemo est enim, cui „ non ante oculos perpetuo tantæ miseriæ versentur; immo neminem tam durum arbitror, „ cujus non misericordia jam disrumpatur animus; charissimorum Capitum præsentia, omniumque subsidio homines destitui; ex proprio, dulcique domicilio, rebus suis relictis, „ ægros, & semianimes extrahi, funestis, fordidisque carris in ea tecta duci, quæ stabulis „ quam civilibus ædibus multo similiora sunt; „ unde redeundi vel nulla, vel exigua spes manet; in mortis quasi faucibus assidue teneri; „ hæc, ut humana fert imbecillitas, prorsus misera sunt; sed quoniam tamen sunt hujus tantummodo vitæ, & temporis, videri possunt „ tolerabiliora, maxime si quis futurorum spe „ se se erigat. At iis quoque subsidiis, atque „ opibus deseri, quæ ad alterius vitæ felicitatem, bonaque æterna maxime conducunt, ut „ cum præsentia quis amittat, in discrimen quoque veniat futurorum, quæ perpetuo manent; id vero & iis, qui patiuntur, miserrimum est, & nobis, quibus earum rerum cura, potestasque divinitus data est, grave sane, & periculosum. Scientibus nobis, ac videntibus, ut pestilentia corpus, ita pii Fratrum nostrorum animi rerum divinarum desiderio contabescunt; semivivis vocibus sæpissime, vel obtutu ipso Sacra postulant, misericordiamque implorant; nos autem duri cunctamur, aut despicimus. Parochos in officio, „ ut scitis, continemus, sed non sufficiunt multitudini, quemadmodum notum est; ne si quidem eorum quisque plurium vires haberet; „ omnino, qui ad casas educuntur, multo sunt „ remotiores, quam ut iis suus possit Parochus „ subvenire; quin etiam Parochi sæpe ab suis „ refutantur, cum ægrotis ministraverint, donec tempus comprobaverit sanitatem; ita ut „ ipsis etiam viciniæ incolis aliorum opera necessaria sit. Externos Sacerdotes quæsivi, neque frustra, sed plurimis adhuc opus est; ad „ casas educta multitudo certe destituta jacet; „ alios, qui operam dare velint, non reperio, „ cogere non possum, nec debeo quemquam. „ Confugio ad eos, quorum conditio, & status, ita rerum omnium humanarum contemptum præsefert, ut unam divini cultus, humanæque salutis curam intueatur. Si vitæ periculum pro aliena salute adire, Dominumque in hoc genere imitari, cujusquam est, vestrum esse videtur in primis. Non ita egent „ ægri subsidiis nostris, fateor, ut sine iis spes „ salutis nulla maneat; verum sæpe necessaria „ sunt; cæterum quantum semper prosint, non „ solum malis, sed etiam bonis, clarius est, „ quam ut disputetur; vel de sensu nostro nosmetipsi conjecturam faciamus, quantum afferre soleant tum ægroto corpori, tum maxime animo de salute sua solicito levationem; „ sed quibus tam profusa liberalitate misericordia tributa est, quomodo ipsi suam tam anguste circumscribunt, & necessariis, extremisque rebus metiuntur? Qui omnium etiam inimicorum, impiorumque salutis causa, Dei „ Filius summo dedecore, cruciatuque acerbissimo fixus in Cruce mortuus est; idem nos, „ qui tantum ab eo beneficium consecuti sumus, „ invitat, ut quietæ, gloriosæque mortis periculum pro piis Fratribus adeamus. Cui tantum debemus, quantum millies moriendo sine „ dubio assequi non possumus; is ne vilem quidem vitam hanc, sed ejus tantumodo periculum poscit; in his periculis ita versari plurimos videmus, ut mortem tamen effugiant; „ immo etiam multos metu solutos eadem subire; sed si nos non effugiemus, hoc mori non „ erit, sed eam potius, quæ vere vita est, citius consequi; omnino quid habet in humanis „ rebus summa nostra tenuitas, in quo pro summis, & immortalibus Dei beneficiis vere gratum animum præstare possit, si occasionem amittamus hujusmodi? Quid autem? Vitæ parcimus, post paucos tamen annos, aut dies, aut „ vero horas, ut humana conditio est, necessario amittendæ; quin hoc ipso Civitatis casu, „ quam periclitationem fratrum charitas a nobis „ non impetraverit, eam facile jam jam extorquebit contagionis necessitas; facile, quem-

„ ad-

„ admodum alii fere innumerabiles, licet omni „ sibi diligentia caveant, moriemur. Quam pulchrius est hac quidem in re necessitati nos antevertere, gratissimamque Domino pro peccatis, proque eo, quod ejus immensæ benignitati, majestatique debemus, hostiam præbere? videmus heu! quotidie plurimos hæc eadem adire pericula mercede vilissima conductos, qua sæpe ne fruuntur quidem; nos tantis de causis, tam amplis propositis præmiis moramur. Si respicitis obedientiæ legem, cujus virtute vestras actiones ad salutem roborari recte vultis, illud, sicuti vos non latere jam arbitror, in manu nostra posuit Summus Pontifex, communis omnium Pater, atque Antistes, cujus etiam litteras recitari audistis, quibus ad præclarum nos, sanctumque juvandum fratrum munus vehementer cohortatur; non est, quod Antistitis ibi quis, aut respiciat voluntatem, aut interdictum vereatur, ubi Antistitum omnium Princeps, & velle se declaravit, & suas addidit cohortationes. Deo vos hoc tribuere muneris volo, Fratres, quod, quemadmodum spero suscipietis; sed maximo nos quoque beneficio affeceritis, quod nulla unquam delere poterit oblivio, si huic summæ solicitudini, dolorique meo, vestra virtus hoc attulerit levamenti, ut hic aliquot videam ad opus sanctissimum paratos, ultro vitam suam in hoc beatum discrimen Deo, mihique offerre; non dubito, quin aperto semel ab nonnullis, vel parvo aditu, plurimi alii, qui nunc graviori quadam insolitæ rei opinione deterrentur, quasi lata via introeuntes, exemplum hilares sequantur; ita qui prior id fecerit, is se aliis auctorem, ducemque præbuerit, magnoque pondere auxerit meritum suum. Neque vero novum ad vos non offero charitatis ardorem; ita Patres nostri Dei spiritu incitati in re simili fecerunt, ita faciendum docuerunt, quemadmodum ex veterum scriptis jussu nostro collectis, editisque satis apparet; immo opus ejusmodi ita extulerunt, quod ad animos nostros stimulandos maxime valeat, ut Martyrii genus esse confirmarent. Optabile sane tempus, quo absque tyranni crudelitate, sine aculeis, sine ignibus, sine bestiis, omnino sine ulla cruciatuum asperitate, quæ humanæ imbecillitati maxime solet esse formidabilis, Martyrii palmam consequi possumus; immo & sine ea acerbitate possumus, quæ solet semper cum hujusmodi morbo esse conjuncta, ut ægroti destituantur ab omnibus, nulliusque ope subleventur; quod ægro cuicumque dabitur, id multo minus negabitur ægrorum Patri, nobisque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit; sperare quisque potest, incolumem se fore, id multo majori ratione, quam alii fere innumerabiles, quos videmus, nulla cautione, nulla etiam temperantia, in medio pestilentiæ æstu assidue versari; sed si morbum quis contraxerit, quando alii deficient, ego ipse, qui egenorum causa inter vos quotidie versabor, adero; mihi curæ erit utraque salus vestra, ego libenter subveniam; ego me, si opus fuerit, Sacrorum Ministrum jam nunc vobis offero; qui quidem Divina ope fretus, neque laboribus, neque periculis ullis parcere decrevi, ut Pastorali officio meo satisfaciam, & quibuscumque rebus potero, gregis mihi commissi saluti serviam.

XXIII. Hæc Carolus, quem talem se auditores sensisse testati sunt, ut ex ejus Oratione sibi aculeos, & vincula injici viderentur, & humana quidem facultate nihil efficacius fieri posse judicarent. Res ipsa declaravit, quid Caroli Oratio divina vi roborata posset; continuo enim Sacerdotes circiter viginti octo se se ad ægros sacris rebus omnibus sublevandos, promtos esse professi sunt; quos quasi, fundamento jacto, alii multi præsto fuere; neque unquam postea defuerunt, toto ipso pestilentiæ tempore, qui mortuis succederent; & ubi Carolus juberet, operam suam libere ponerent, quorum omnium paratum hospitium erat Caroli domus. Laici prætérea multi exemplis hujusmodi, Carolique adhortationibus excitati, atque incensi, iisdem misericordiæ officiis, obsequiisque, se se, quamdiu pestilentia fuit, exercuerunt, & variis ægrotorum commodis amanter inservientes, in pestilentiæ discrimen christiane se libenter objecerunt. Pulcherrimum visu erat, mares, feminasque frequenter ad Carolum ipsum accedentes, operam in eo genere suam fidenter polliceri; cannabinamque vestem quamdam fusci coloris, quam is tradere ad id solebat, hilare quasi insigne aliquod magni honoris accipere; tum salutari signo, precationeque optimi Patris confirmatos, ad assignata munera convolare, nulloque mortis metu, mortis pericula, quasi rem jucundam, adire. Ex omnibus propemodum Religionis Ordinibus Sacerdotes fuere, qui ad eam se piam curationem offerrent, sed plurimi ex Capuccinis. Memorabilia ubique fuere Christianæ charitatis exempla, quorum vel exiguam partem persequi nimis longum esset.

XXIV. Singulis igitur casarum vicis, si ita volumus appellare, quamquam eos etiam a Parocho suo quandoque lustrari jubebat, unum, duosve ex Sacerdotibus, qui se obtulerant, prout necesse videbatur, Carolus præposuit, & ubique peccatorum Confessione, Divino Eucharistiæ pabulo, Unctione Extrema ægrotos ita fere juvandos, ac si non multitudo maxima pestilenti morbo affecta, sed mediocris numerus in hospitio aliquo congregatus fuisset; immo alios illi ægrotos in eo superabant, quod a quocumque Sacerdote, morientes plenam peccatorum veniam ex concessione Pontificis accipere poterant. Satis autem diversos Sacerdotes ad Sacra præbenda destinavit, ne timentes ab iis, qui tetigissent infectos, rebus forte salutaribus abstinerent. Illud quoque solatii Carolus iis, qui in casis detinebantur, dedit, ut Missæ Sacrum, si non audire, saltem videre omnes possent. Jussit enim Tabernaculum ex tabulis ita alte extrui, ut Sacerdos in summa parte faciens, ab omnibus casis conspici posset. Licet autem acervatim fere, ob multitudinem, carris imposita cadavera ad sepulturæ locum portarentur, sacros tamen homines, apto loci intervallo comitari, preces, lumina, & alia, quæ in funere esse solent, adhiberi jussit; immo neque sacrum sepulturæ passus est officium, ritumque prætermitti; nam ad posteriorem Gregoriani Valetudinarii partem, ex aliis locis cadavera plaustris afferri solebant; cumque magnus esset congestus numerus, tum Sacerdotibus rite precantibus, Ecclesiasticisque cæ-

cæremoniis adhibitis, in ampla fossa ad id facta, consecrataque, omnia simul ad sepulturam quotidie dabantur; quo loco mirabile quiddam evenit, quod Carolus ipse, tum de suggestu, tum libello de pestis memoria edito prædicavit, mihique prætereundum silentio non est. Summo mane Gregorianus Presbyter Sacramentum Sanctissimum ad ægrotos suos afferens, non longe ab ea, quam memoravi, parte forte præteribat, cum ex magno corporum acervo, quæ proxima nocte illata fuerant, unum se se attollere conatur, genibusque consistere, ac simul voce inquit morienti, verbisque interruptis: *Per Deum obsecro, Pater, mihi quoque*. Cumque a Sacerdotis clementia statim omni pietatis indicio Sacramentum accepisset, eodem loco procumbens, nullo præterea motu jacuit; quod quidem singularis beneficii loco animæ illi, ob religiosum, & ardens illius divini cibi studium, tributum credibile est.

XXV. Ad inclusos quod attinet, Carolus cum & ipse Clerum suum domi se continere jussisset, iis tamen exceptis, quos ob pia ministeria, divinaque Officia, foris, & in Ecclesiis versari oportebat, inclusionis universæ diem litteris editis prævenit, quibus quadragenarium illum numerum pie, sciteque ad sacram rationem convertens, omnes monuit, ut cum is numerus jejunio, atque afflictionibus jam inde ab antiquis Ecclesiæ temporibus consecratus esset, Mediolanenses quoque eo tempore, quo per pœnitentiam Deum placare debebant, opportune illud temporis spatium in custodia traducendum religiose acciperent, & ad pœnitentiam salutarem accommodarent; præterea hortatus est, ut ante constitutam diem peccata quisque sua confiteri, Sanctissimamque Eucharistiam accipere studeret, prompteque deinde Magistratuum Edicto pareret. Curavit item, ut inclusi, cum adire sacra loca, rerumque sacrarum fructum percipere nequirent, Divinis tamen subsidiis, quantum fieri posset, ne carerent; custodiaque illa, atque otio domestico ad exercitationem precandi frequentiorem uterentur. Itaque per Urbem aptis, conspicuisque locis, ut quammaximus numerus de fenestris, januisque spectare posset, Altaria constitui jussit, quantum potuit, ad rei sanctissimæ decentiam composita, & circummunita. Presbyteros elegit, qui in eis quotidie Missam facerent, Sanctissimam Eucharistiam, rite scabellis ante januas apparatis, itidem distribui permisit, ipseque sæpe distribuit. Sacerdotes mittebat, qui cum sacris indumentis, & scamnis ad ferendum accommodatis domos obirent, ut ad januas sedentes, eorum, qui inclusi erant, aliquo intervallo disjuncti, sacras audirent confessiones. Præterea septies die, nocteque maxima Ecclesiæ majoris campana signum dari jussit, quo Civitas audito ad Litaniam Psalmosque ex editis libellis recitandos universa consurgeret. Singulæ autem plateæ, aut vici quasi choros singulos efficiebant; nam ad fenestras, januasque per diem, magnamque item noctis partem, habitatores veniebant, & uno, qui voce excelleret, præeunte, qui sæpe etiam erat Presbyter, ad Altare in via consistens, reliqua multitudo omnis undique respondebat. Quæ res erat tum admirabilis, tum etiam, ut in magna calamitate, piis omnibus sane jucunda, quum totam viderent maximam Civitatem, ex libera evagatione, ac licentia in cellas quasi redactam, & in Monasterium quoddam conversam; imitatione Canonici Instituti, septem temporibus noctu, atque interdiu publice precari, & uno tempore vias omnes, tectaque Urbis universa sacris vocibus audirent personare.

XXVI. Hæc omnia cum ita instituisset Carolus, loca omnia obibat frequenter, quotidianaque opera præsens de omnium rerum statu cognoscebat; hortabatur, jubebat, quæ fieri oporteret; per vicos, & plateas mira humanitate infirmis hominibus precationis ritum tradebat; rediens rationem poscebat; qui præcinerent, ipse deligebat; cum multos simul videbat ad januas congregatos, eo veniens, religiosis, piisque verbis apposite monebat, omnes consolabatur, & ad otium illud sancte accipiendum, consumendumque inducebat; omnino tanta erat Caroli mansuetudo, ut quilibet ex infimis Ordinibus libere alloqueretur, ejus se precibus, domumque suam commendaret, & tanquam Patri quæ sibi opus essent, quæque vellent, familiariter exponeret. Multi, qui pudore quodam impediti Præfectis, aut aliis quibuslibet inopiam suam patefacere non audebant, aperiebant illi multo facilius; illeque egenos ejusmodi juvare præcipue studebat. Mulierculæ etiam annulos, & alia ejusmodi in manum tradebant, quibus venditis, pretio pauperes sublevaret. Tantam autem in eo sibi spem cunctus populus posuerat, ut ejus aspectu primo, vicinia tota frequenter edito clamore, misericordiæ vocem mitteret. Gregorianas item ædes sæpe circuibat, casasque lustrabat, ac ad singula consistens domicilia, singillatim de iis, quæ ad animæ salutem primo, deinde quæ ad corpus pertinerent, item de opera ministrorum, diligenter inquirebat; quod erat providendum, curabat diligenter, & memoriæ gratia, quod facto opus erat, confestim in libello notabat ipse. Pecuniam quoque manu sua large dabat egenis; ejus erat consuetudinis, ex hebdomadæ diebus, duos iis dare, qui in Civitate manebant, reliquos iis, qui extra mœnia erant educti; domo exire nunquam, nisi suorum salutis gratia; mittebat etiam aliquos ex primariis suis Presbyteris, qui in equis cistas tenentes, ægrotis ostiatim tribuebant exquisitiora quædam, quæ languentibus stomachis essent levamento.

XXVII. Ægrotos, qui ob dignitatem in Urbe relinquebantur, ipse visebat, consolabatur, Indulgentiam tribuebat, cubicula ipsa ingrediens, ad ipsos quoque lectos accedebat. Inprimis curabat Ecclesiasticis viris subveniri, iis præsertim, qui ægris deservierant; ideoque jusserat, ut sine mora, de inferiorum morbo gradatim certiores fierent Superiores; ipsis Parochis in Urbe, si pestem contraherent, juvandis, se ipsum offerebat; in Diœcesi vero vicinos Parochos, tum Præpositos, aut Vicarios hortabatur, ut subvenirent, atque his non solum Sacramenta ministrari decrevit, sed etiam religiosæ consolationis levamen, quamdiu animam agerent, missis ad id quocumque oporteret Sacerdotibus, adhiberi. Atque hujusmodi Caroli instituta, quotidianam præsentiam, cohortationesque, cum eximia charitate, & suavitate conjunctas, plurimum valuisse, dubium non est, ut tanta Civitas carceris genus ejusmodi tamdiu facile toleraret, quod initio vix sperabatur, quodque ab aliis Civitatibus fere non potuit obtineri.

XXVIII. Hæc ita cum ageret Carolus, quæ qui-

quidem his præsertim moribus, & hac remissiore Pastorum cura, magna merito, atque adeo maxima judicabantur, sibi tamen parum facere videbatur, quia tangere, tractareque pestilentiæ nomine suspectos, aut etiam infectos, sibi quoque pro suo munere non contingeret. Apud se igitur primo cogitavit, esse in Urbe, atque in tota die Diœcesi plurimos, qui Confirmationis Sacracramento muniti non essent, hos ex hac vita pati sine tali Sacramento decedere, quo salutis imminente certamine, Divina firmitas, & robur animis adderetur; neque satis animarum charitati consentaneum, & sibi, qui solus posset, etiam quodammodo turpe, omnino sibi minime committendum existimabat; id eo magis, quod ab hæreticis Sacramentum illud hoc tempore graviter sciebat impugnari. Itaque indicta Chrismatis sacri per Urbem administratione, quam potuit decore, per vias Episcopali illo munere diu satis functus est; licet enim quotannis stato tempore per Urbis Ecclesias faceret, multa tamen adhuc hominum millia invenit, qui nondum Sacramentum illud acceperant; atque ipso initio, licet de morbo suspectos, atque a reliquis segregatos minime vocasset, dubium tamen non est, quin affectos peste quamplurimos inter eos confirmaverit; fieri namque non poterat, ut omnes simulatque contagione infecti erant, a ministris deprehenderentur, & a cæteris separarentur; verum ipsos quoque palam infectos, ægrotosque postea libere admisit. Urbis cum tantummodo rationem sibi non esse habendam statueret, vicos etiam, castellaque totius Diœcesis, quæ morbus oppresserat, mira celeritate omnia adiit, & in iis ejusdem Chrismatis sacrosanctum remedium passim adhibuit; postea vero, ut quemque locum recens infectum audiebat, ita eo statim solebat advolare, ac eadem ratione calamitosis consulere.

XXIX. Eadem vero via, occasioneque ad alia quoque utebatur gregibus suis salutaria, nam Parochos, aliosque Sacerdotes ad ægrotorum curam studiosius suscipiendam excitabat, confirmabatque, quosdam etiam compellebat, ægrotos ipsos consolabatur; precationum publicarum rationem præscribebat, omnem populi gubernandi, custodiendi, eleemosynis juvandi rationem recognoscebat, Cœmeteria consecrabat, quo rite multitudo cadaverum inferretur. Præfectos item, Ministrosque civiles juvare studebat, monendo, ad officia commissa inflammando, mercedem promittendo. Sacros Ministros pluribus locis ab eorum vi, atque injuria defendit, qui sacrorum munerum liberam functionem, Ecclesiasticamve administrationem, sive in sepultura corporum, sive in distributione piorum emolumentorum, quandoque in Oppidorum ingressu, & egressu; vel in segregatione Sacrorum hominum, & hujusmodi aliis impediebant; populos ad Ecclesiarum ædificationem, ad festorum dierum integrum cultum, chorearumque refutationem, & alia pia opera publice vovenda perduxit. Cumque ita frequenter, ut necessitas ferebat, ipse loca omnia obire non posset, suos cum potestate sæpe misit, qui loca reviserent, easdemque res recognoscerent; quibus si Præfecti locorum exquisitæ custodiæ gratia restitissent, & locorum ingressus prohibuissent, anathematis pœnam adhibuit, & ea ratione aditus omnes suis patefecit; quos tamen certa sanitatis testimonia volebat a Vicariis suis afferre. Atque iis itineribus Carolus incredibiles plane suscepit corporis, animique labores, non primis iis solum mensibus, sed sequentibus quoque omnibus, quamdiu morbus viguit, ut neque somni, neque longinquitatis, asperitatisve ullius habita ratione, omnia loca celerrime adiret, & perlustraret, sacrisque officiis, & muneribus, assidua contentione operam daret.

XXX. Foris ad sacram Chrismatis confirmationem etiam infectos ipsos hoc modo cœpit admittere. Cum ad vicum in via Modoetiensi venisset, qui sexto ab Urbe lapide positus, Sextus appellatur, & ad sanctam Confirmationem conferendam ibi paratus esset, animadvertit, morbidos quoque magno teneri ejus Sacramenti desiderio; cogitavit apud se, neque tunc primum indigere illos magis, quam alii, utpote morti propinquos, ejusmodi salutis adjumento; itaque Divinum sibi lumen ea in re precatus, Monetam interrogat, censeretne, miseros etiam illos admittendos? neque affirmare ille, neque negare audet, tantum si admittere vellet, operam suam pollicetur. Ecce autem, dum consultat, ex iis circiter duodecim adveniunt, & se Divinæ unctioni offerunt. Satellites, & Præfecti conviciis increpare, repellere, minitari, nisi statim ad locum revertantur. Carolus vero, *Jam nihil*, inquit, *dubitemus*; neque enim casu omnino venisse injussi existimandi sunt, & Præfectis abstinere, silereque jussis, eos, aliosque rite confirmavit; idemque passim postea, & foris, & in Urbe fecit. Accidit autem in Vico Tritio, ut ægrotus quidam vix Caroli manu peruncta fronte mortuus caderet ante illum. Obtulit se præterea occasio, ut quod erga Parochos, & alios Presbyteros animis curandis præfectos de infectis juvandis, tangendisque facturum se pollicitus erat, re ipsa præstaret; in quo quidem consilio, ac voluntate, quamvis ei multi contradicerent, persistendum sibi judicavit, affirmans, Parochum se esse Parochorum; absurdumque videri, ac turpe, si ipse, qui Parochos hortaretur, & impelleret, ut curæ suæ commissos sacris rebus juvarent, quique eis non semel eam operam pollicitus erat, quam ipsi aliis tribuissent, nunc cum opus esset, abstineret, periculumque fugaret; & qui aliis omnibus persuaderet, ut metu mortis abjecto deservirent ægrotis, oblatam occasionem aspernaretur, aut dissimularet; offensioni id multis futurum, cujus causa, vel in eo charitatis officio frigerent, vel penitus abstinerent.

XXXI. Ac primo quidem in Urbe Parochum Ecclesiæ S. Victoris ad Theatrum, item S. Babylæ, & plures alios ex pestilentia jacentes pie visit, ac amanter consolatus est, nonnullos eorum Sanctissimo Eucharistiæ cibo refecit, qui paulo post vi morbi interierunt. Illud vero fortius, illustriusque factum. Qui Parochiam Sancti Raphaelis curabat, ex quorundam consuetudine, quos incaute in domum admiserat, morbum contraxit; adiit illum statim Carolus, & ægritudinem pia consolatione lenivit; cumque valde oppressum advertisset, Sacris muniendum judicavit; postero die mane ad eam Ecclesiam venit, ut Missa facta, Sanctissimam Eucharistiam ad Parochum deferret, eique Extremam Unctionem adhiberet. Post Missam, in qua illius Clericum morbi nomine suspectum sacrosancto cibo pavit, dum se mutatis rite indumentis, ad reliqua

qua pararet, Clericis, & administris, qui adstabant, & inserviebant, ob periculum expallescentibus, ad Ecclesiam venerunt, Joannes Baptista Capra Civitatis Vicarius, & Alfonsus Gallaratus designatus, tum Senatores, unaque Patricii multi, ex ipsius Civitatis consilio, qui neque loci, neque sacri muneris ratione deterriti, prostrati, ac supplices a Carolo Civitatis nomine cum lacrymis petierunt, ne in tantum se vitæ discrimen vellet objicere, aliorum ministerio Presbyteri saluti consuli posse; si forte contracto morbo ipse ex hac vita abiisset, res Civitatis, totiusque Diœcesis, quæ ut in minimo periculo optime tamen se haberent, & feliciter gubernarentur, in summam confusionem, desperationemque adducendas; omnium animos eo Duce, & Præside sustentari; divini propemodum, & humani subsidii spem in eo uno esse collocatam.

XXXII. Constitit Carolus ad amantissimas civium, filiorumque preces audiendas, quibus, cum, eo uno excepto, præsentes omnes lacrymas funderent, respondit, *gratias se agere de tali amore, pietateque in Pastorem suum, sed ne ægre ferrent, si munus illud obiret; suum id esse officium, suasque partes; in quibus etiamsi vitam amisisset, recte id factum omnes judicare deberent; neque ipsis adeo desperandum, sed Divinæ bonitati, summæque potentiæ magis confidendum, cui facillimum erat sine ipso Civitatem servare, aut alium Pastorem meliorem dare.* Cum aliud impetrare non possent, illi magno affecti mœrore tacuerunt. Carolus vero primo Eucharistiam ad Presbyterum jacentem, & jam tabido corpore æstuantem attulit, præbuitque; deinde etiam ejus cubiculum ingressus solus, ministro Bernardino Taurusio in limine consistente, Extremum Unctionis Sacramentum rite contulit, & piis, suavibusque verbis confirmavit. Parochus ita confirmatus, paulo post accepta Sacramenta pie mortem obiit. Ad alium Parochum Sancti Petri, ad Caminatellam appellant, ex peste jacentem ivit, animo itidem Sacra ministrandi, sed cum advenisse Carolum bonus Presbyter audiisset, ægreferens tanti viri vitam in suo capite periclitari, quantum potuit conatus, surrexit e lecto, & in Ecclesiam venit; concessit Carolus, ut Eucharistiam ibi acciperet, sed jussit deinde ad cubiculum redire, & in lectulo se collocare, quo statim eum sequutus est, ut Extrema muniret Unctione; recusavit ille, periculum adhuc quidem tanti esse non concedens, sed postero die, cum de morbo ingravescente accepisset, revisit eum Carolus, riteque unxit, qui postea vi morbi oppressus abiit ex hac vita.

XXXIII. Ex his actionibus omnibus, contactibusque nullam sensit Carolus, Deo inprimis bene juvante, contagionem, quod ejus fiduciæ fuit valde consentaneum; confidebat enim maxime, solo actu, contactuve ad rem sacram necessario, morbum a nullo Presbyro contrahendum; atque ita toto illo tempore evenisse prædicabat, qui interierant, pestemque attraxerant, eos sibi non cavisse in cæteris, ut oportebat. Fiebat revera, ut cum quis ad ægrotos juvandos animum induxisset, quasi seipse abjiceret, & pro derelicto haberet, omnem omitteret cautionem, & non necessaria juxta, ac necessaria pericula adiret. Ipse autem, qui libere, & absque ullo metu Sacra omnia peragebat, in reliquis omnibus exquisita cautione utebatur, ut contagionem vitaret; idemque summa diligentia jubebat a suis observari. Maxime autem curabat in iis sacris Officiis indumenta sua ita collecta, & contracta esse, ut ne modico quidem alieni panni tactu, quod facillime fit, infici possent. Initiaci, qui vicus omnium miserrime tunc peste afflictus, est, Ecclesia, Cœmeterioque jam completo, quamplurima in Campum cadavera illata erant, quotidieque inferebantur, locum religiosi ritus gratia sibi Carolus consecrandum statuit; terra jam ob anni, dieique tempus calefacta, magno tabidorum cadaverum numero humato, fœtoris, corruptique vaporis multum emittebat, ut ejus administri Clerici de vita sua tunc maxime desperasse affirmarent. Eo loco Carolus, quantum ad actionem consecrandi, quæ longa est, opus erat, cum sine sollicitudine ulla moraretur, in cæteris ita cavebat, ut ne ipsos quidem viatorios sacculos, perasve, opus enim faciebat ocreatus, & ex itinere, humi poni pateretur. Ibi tamen plurimos Sacra Unctione confirmandos cum reperisset, Ecclesiæ, Cœmeteriique fœtentis periculum devitans, in platea Sacramentum administravit, primo valentibus, tum reliquis universis.

XXXIV. Quamvis autem ita confideret, quotiescumque morbo infectum tetigerat, separatum se se habebat ab aliis; ex familia eos tantum sibi propius inservire patiebatur, qui necessarii essent, & id facerent libenter, & ex animo. Ea re interdum accidit, ut cum alius esset nullus, sibi ipse, ut quilibet privatus homo, quibuscumque rebus opus esset, ministraret. Qui adibant, eos interposito longurio audiebat; per vias aliquem anteire jubebat, qui virgam periculi indicium ferens, tacite obvios moneret, ut cederent. In Ecclesia procul a Canonicis sibi assistere solitis, & a cæteris Clericis congruo intervallo se continebat; cumque passim homines contagionis causa suspectos humano judicio quadraginta diebus segregarentur, ipse sibi, Sacerdotibusque aliis, qui sine magno ægrorum damno abstinere diu non poterant, septem tantummodo præscripserat dies. Cum ita suis caveret, evenit tamen, ut tres ex eorum numero, qui ad Carolum tangendum non accedebant, morbo contracto, interirent; unus ab Epistolis, alter a pedibus, tertius stabularius. Fuerunt qui Carolum servatum eo tempore dictitarent ex variis medicamentis, illi etiam a Principibus Viris, Italiæque Regulis missis; sed affirmat tamen Caroli vitæ Scriptor, & quidem illius verbis, ea contra pestem, periculo facto, minime valuisse; testaturque, nihil ab eo adhibitum fuisse præter spongiam aceto imbutam, quam, ut alii passim, in pila lignea perforata inclusam manu ferebat, & aliquid etiam aromatum, quod ore solebat interdum tenere.

XXXV. Quæ pie, atque ex officio egit Sanctus Carolus occasione pestis, jam non eo consilio longa narratione ex oculato ejus Vitæ Scriptore, familiarique Carolo a Basilica Petri descripsimus, ut Episcopi, aliique curam animarum habentes, admirentur, sed ut ex iis addiscant, quæ in simili casu sint eorum partes, illud namque ab omnibus, uti jam sapientissime notavit BENEDICTUS Papa XIV, Libro XIII. *De Synodo Diœcesana*, Capite XIX. num. I. admittitur, quod quicumque curam gerit animarum, ac residendi obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiæ loco recedere, ut pe-

pestis periculum effugiat; ideoque sæviente licet peste, & residere debet, & residentiæ non materialis tantum, sed etiam formalis, ut Theologi, & Canonistæ inquiunt, onera adimplere, operando nimirum, & operando pro spiritualibus, & corporalibus concreditæ sibi plebis necessitatibus. Gravissima pestis, quæ Mediolanum invasit, dum S. Carolus Borromæus illius Civitatis Archiepiscopus sedebat, die XII. Augusti MDLXXVI. sævire cœpit, ut præter memoratum ejus Vitæ Scriptorem notat etiam in ejusdem Vita Giussanus. Cum S. Præsul animo forte prospiceret, non neminem fore, qui parvi æstimans incumbentem sibi animarum curam, facile consilium cœpisset, ut alium in suas vices substitueret, seque residentiæ loco subtraheret, dubium hoc ad Congregationem Concilii detulit, num scilicet residere teneretur, qui curæ præerat animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem, & ex illa occumbendi. Responsum autem fuit, residendi obligationem vel tum vigere, eaque obstringi non modo Parochos, sed & Episcopos, quemadmodum videre est in Rescriptis mensis Octobris, & Decembris ejusdem anni apud Fagnanum in Cap. *Clericos*, num. 37. & seqq. *De Clericis non residentibus*. Quibus Pontificia quoque Gregorii Papæ XIII. accessit approbatio; unde post hujusmodi Rescripta, sive Resolutiones, aditus, locusque amplius relinqui non potest eorum Doctorum opinioni, qui affirmarunt, & docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, a residentiæ loco abscedere, modo Sacerdotem idoneum adinveniat, qui, accedente Episcopi licentia, vices ejus adimpleat, ut recte perpendit Muratorius, in Tractatu, *De Peste*, Lib. III. Capite IV. pag. 359. primæ editionis Mutinensis.

XXXVI. Rectissime autem & illud observat Thomassinus, Parte II. veteris, ac novæ Ecclesiæ Disciplinæ, Lib. III. Cap. LXX. num. V. quod, ubi dictum est, ad eum modum responsum fuisse B. Carolo, non id eo pertinet, quasi ab eo addubitatum aliquando fuisset. Nec enim ea Congregationis Declaratio, aut expetita fuit, aut suscepta, nisi ad abducendos ab errore, vel ab ignavia, vel a mollitie eos, qui vel benevolentia, vel imperitia, vel affectu quodam carnali enitebantur Sanctissimo Episcopo suadere, non obligari eum ulla certa lege ad residentiam tanto vitæ periculo conjunctam; & quamquam posset perfectionis consilio ejus tum præsentia suaderi, non posse tamen ullo eandem præscribi præcepto. Carolus, quem plura edocuerat cælestis unctio Spiritus, quam Consultores, vel Doctores capere illi potuissent, sapientia, & magnitudine animi prorsus singulari reposuit, etsi aliis id foret consilium perfectionis, sibi præceptum esse, cum Episcopalis Ordo statio sit perfectionis, non quærendæ, sed partæ jam, & acquisitæ. Atque hoc Sanctissimi Præsulis Oraculo obturatum est os mollibus, & inconsultis Consiliariis; curriculum vero initum est longe pulcherrimum virtutum omnium Episcopalium, quamdiu ea Mediolanum calamitas depasta est, uti jam plurimis ejus pietatis documentis supra ostendimus. Cæterum in Concilium ejus Provinciale V. Mediolanense anni MDLXXIX. Institutionum Parte II. conjectæ Constitutiones sunt complurimæ, & mirandæ prorsus, ab ipso S. Antistite scilicet libratæ, & temperatæ ad res omnes tempore pestilentiæ moderandas. Sed inculcata ibi potissimum est illa residentiæ Pastorum tum maxime inexorabilis necessitas, cum & tot amoliri mala datur, & tantum bonorum infundere gregibus. Ibi expromuntur celeberrima exempla Sanctissimorum olim Præsulum, Cypriani, Basilii, Nicolai, quibus accedunt & duo Archiepiscopi Mediolanenses, qui ante Carolum, lue sæviente, charitatis suæ flammas sparserunt, exemploque suo Parochos omnes incenderant.

XXXVII. Sed ut redeamus ad ea, quæ laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. citato loco docet, quia fortasse S. Caroli ævo, peste Mediolanum vexante, aliquis excipiendo allegaverat, permissum esse ei, qui animarum curam administrandam suscepit, propter inimicitias, & persecutionum timorem a residentia recedere, per Textum in Capite, *Ad Supplicationem, De renunciatione*, ideoque posse eum æquo jure aufugere ex loco, quem pestis invasit, cum in utraque facti specie æquale subeat vitæ discrimen, animadversum sapienter fuit, quod cum inimicitiæ, & persecutiones sint peculiare quidpiam, Prælati, vel Parochi tantummodo personam respiciens, mirum videri non debet, si ob eas causas licet his a residentiæ loco aufugere, quum alii ibidem remaneant, qui sine propriæ vitæ periculo, ea erga populum præstare possunt, quæ Parochus, Prælatusque præstare tenentur, uti recte demonstrat S. Thomas II. II. Quæstione CLXXXV. Articulo V. At longe secus se se res habet in altero pestilentiæ casu, cum scilicet contagiosæ luis periculum æque omnibus imminet, ideoque neminem reperire est, qui absque vitæ discrimine possit ea peragere, quæ ab Episcopo, aut a Parocho ex eorum officii debito requiruntur; quapropter Episcopo, Parochoque id onus relinquitur, ut proprii muneris officia per seipsos obeant, suamque vitam pro concreditarum sibi animarum bono in discrimen adducant, uti plane concluditur ex Canone, *Adversitas*, §. *Hoc tunc servandum*, Causa VI. Quæstione I. atque ex Canone, *Tres personas*, XXIII. Quæstione IV. quibus ea accedunt, quæ latiori calamo deducta videri possunt apud laudatum Fagnanum, citato loco, num. 47. & seq. & in ejusdem Papæ BENEDICTI XIV. Opere, *De Canonizatione Sanctorum*, Lib. III. Cap. XVI. a num. 14. ad 17. ubi agit de justa, vel injusta fuga, quam aimarum Pastores, subortis persecutionibus, arripiant. Celebris sane est in rem hanc S. Augustini Epistola CCXXVIII. ad Honoratum Episcopum Thiavensem, quam Sanctus Possidius necessario legendam censet Sacerdotibus, ut excitatis in se turbis, & persecutionibus, recte se gerere valeant, quamque paucis verbis conclusam refert Petrus Ballerini in suis eruditis doctisque Notis ad Summam Theologicam S. Antonini, Parte I. Tit. V. Cap. I. col. 358. Editionis Veronensis anni MDCCXL. *Sanctus Doctor*, inquit, *universim statuit, Pastoribus illicitum eo in periculo a suis gregibus recedere, idoneis licet Vicariis relictis; tum vero eum solum casum fugæ approbat, ac supplendi per alios, cum periculum solius Pastoris est, uti cum Pastor ipse per se ad necem quæritur, non autem cum periculum commune est Pastoris, & ovium*.

XXXVIII. Cum itaque Episcopus, ac Parochus, sæviente peste, formalis residentiæ officiis adstricti sint, jam non addubito asserere, quin

quin ad præbenda peste infectis Sacramenta teneantur, Baptismatis scilicet, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ in modum Viatici, & Extremæ Unctionis. Ad Confirmationem quod attinet, cujus minister est in sua quisque Diœcesi Episcopus, nec alius quisquam licet Episcopali charactere insignitus potest, non obtenta ab eo licentia, illam conferre, cum ipsa non sit Sacramentum omnino, & absolute ad æternam salutem necessarium, difficile erit, inquit laudatus Pontifex BENEDICTUS num. VI. tueri, Episcopum obstringi ad illud peste laborantibus administrandum, etiam cum proximo vitæ suæ periculo; eumque ab ea administratione cessantem, dum ægrotantes hoc spirituali præsidio foveri exposcunt, peccare. Absolute non negat, sed solum censet, difficile eam posse defendi sententiam; quam tamen veluti certam, & Episcopalis muneris propriam S. Carolus omnino judicavit, ubi sacro Chrismate Diœcesanos suos peste laborantes confirmavit, & quidem non modo ut illustre hæroicæ Charitatis suæ exemplum daret, verum etiam, ut sui pastoralis muneris partes adimpleret. Licet enim Confirmationis Sacramentum non sit absolute necessarium ad salutem ex unanimi Theologorum sententia, admirabiles tamen, & quammaxime salutares effectus producit, quibus non debent, morientes præsertim defraudari, potissimum vero ubi adsit Episcopus: *Confirmatio* inquit Synodus Senonensis anni MDXXIV. *fortiorem reddit ad resistendum tentationibus, promptiorem ad Deo serviendum, & Dei præcepta implendum, in Fidei confessione confirmatum constantiorem efficit*. Varios hujus Sacramenti effectus explicuimus jam nos Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum I. sed videri plane potest Tridentini Concilii Catechismus Parte II. *De Confirmationis Sacramento*, num. XVII. & seq.

XXXIX. Si quis autem Episcopus huic adhærens sententiæ, quæ dicit, teneri eum peste laborantes sacro Chrismate consignare, forte id sibi proponeret, quod, uti inferius animadvertemus, ab aliquibus suggestum fuerat quoad Extremam Unctionem peste contactis administrandam, ut scilicet ad consignandam confirmandi frontem salutiferæ Crucis signo adhiberetur penicillus intinctus in Oleum Balsamo immixtum, absque eo quod Minister proprio pollice infectum peste signando contingeret; ambigendum valde esset, an id fieri jure posset, & an validum foret Sacramentum hac ratione collatum, uti recte notat memoratus Pontifex citato loco num. XV. ubi citat Suarezium, qui Tomo III. in Tertiam Partem S. Thomæ, Disputatione XXXIII. Sectione III. in fine proponit Quæstionem a nullo alio præcedenter propositam, an sit de essentia, ut unctio fiat proxime manu, & pollice Episcopi, vel eadem peragi possit medio aliquo instrumento, puta penicillo, aut alio simili; respondetque, unctionem fieri debere pollice dexteræ manus Episcopi Chrismate tincto, de necessitate præcepti, cum sit res gravis, & ab Ecclesia servata, & præscripta in ritu tradendi dictum Sacramentum; & deinde subdit, probabile sibi videri, esse etiam essentiale, & necessarium necessitate Sacramenti, ut unctio fiat immediate manu, seu digito Episcopi. Atque huic sententiæ videtur adhærere idem Pontifex BENEDICTUS, qui etiam alios Scriptores recenset, qui sequuti sunt ipsam Suarezii sententiam.

XL. Quod duo Sacramenta spectat, Baptismi scilicet, ac Pœnitentiæ, cum ista ex absoluta necessitate ministrari debeant etiam pestifero morbo correptis, dum is vel maxime grassatur, hoc primum asserit quidem, docetque Sapientissimus BENEDICTUS Papa XIV. num VI. Parochorum onus id esse proprium, Episcopos vero ad hujusmodi Sacramenta peste affectis administranda, minime obstrictos esse, nisi cum nemo alius adesset, qui id præstare posset. Episcopi namque se habent, veluti universales causæ, quæ proxime, & per se non operantur effectus illos, qui a causis particularibus induci debent, nisi cum rariores aliqui, urgentioresque casus usitatum rerum ordinem immutarunt; Parochi vero, tamquam particulares causæ sunt constituti, ideoque proximi administri Sacramentorum, quæ populo administrari oportet, quemadmodum recte docet S. Thomas Quodlibeto I. Articulo XIV. in Corpore, & Quodlibeto III. Articulo XVII. ad quintum, ac in rem nostram pergit Sylvius in Supplemento, sive Additionibus ad III. Partem S. Thomæ, Quæstione XXXII. Articulo III. §. *Priusquam respondeatur*. Quapropter quum S. Carolus Borromæus, ut supra dictum est, prædictam Quæstionem, sive Dubium, ad Romanam Concilii Tridentini Interpretum Congregationem detulisset, rescripsit illa, ejusque Rescriptum ab ipso quoque Gregorio Papa XIII. approbatum fuit, debere omnino Parochos residere, & per se, vel per Sacerdotes a se delegatos, ab Episcopo vero approbatos, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ Parochianis suis peste laborantibus ministrare: *Die 10. Septembris MDLXXVI. facta Sanctissimo relatione in Consistorio, Sanctitas sua decrevit, scribendas simpliciter litteras ad Cardinalem Sanctæ Praxedis*, nimirum S. Carolum Borromæum, *quibus significetur, Dubio in Congregatione proposito, & ad Sanctissimum relato, Sanctitatem suam decrevisse, Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Ecclesiis Parochialibus, posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ*.

XLI. Hæc est ea Resolutio, quam, ut supra jam diximus, affert Fagnanus in Capite, *Clericos*, num. 45. *De Clericis non residentibus*, ubi etiam satis ad rem adnotat, ideo definitum fuisse, teneri eos, quibus cura animarum imminet, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ministrare suis parochianis, aut directe per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati; quod, cum non omnes passim, sed aliqui tantummodo ex parochianis pestilenti morbo inficiantur, nollent profecto ii, qui bene valent, Sacramenta recipere a Parocho, quem scirent eadem administrasse peste infectis. At vero subdit mox num. VII. BENEDICTUS Papa XIV. tuto affirmari non posse, decretas illas Litteras Sacræ Congregationis subinde conscriptas fuisse, & ad S. Carolum transmissas, cum nihil plane de iis occurrat in Urbis hujus, aut in Ecclesiæ Mediolanensis Regestis: *Num hoc Congregationis, & Pontificis Responsum ad Sanctum Carolum missum fuerit, ignoro; nulli enim ejus Vitæ Scriptores hanc declarationem eidem traditam memorant, solasque Litteras indicant, quæ, antequam negotium decideretur, jussu Pontificis scri-*

*scripta ad eundem fuerunt per Carniliam, ubi idem Pontifex zelum ejus, quo mortis periculum contemnendum duxerat, maxime commendans, auctoritatibus Sanctorum Patrum, obligationem cujuscumque Christiani, nedum Episcoporum, & Parochorum, in ejusmodi necessitatibus inculcabat*. Hæc scripsit, qui eruditas Elucubrationes adnotavit ad Summam S. Antonini citato superius loco, col. 359. ejusque sententiam amplexus est etiam BENEDICTUS Pontifex XIV. putatque, Literas illas nequaquam transmissas fuisse.

XLII. Ut ut autem se ea res habuit, ex quintæ Provincialis Mediolanensis S. Caroli Synodi Titulo inscripto, *Cautio in Sacerdote ministrante*; alteroque, *Cautio in Sacerdote, qui ministravit*; ac altero itidem, *De Baptismo infanti peste laboranti, suspectove ministrando*, poterit quisque facile deprehendere, S. Carolum haud redactum voluisse onus Parochorum, reliquorumque curam animarum habentium ad Baptismi, & Pœnitentiæ ministrationem, sed etiam ad alia duo Sacramenta, Eucharistiæ scilicet, atque Extremæ Unctionis administranda protendisse. Verum, uti BENEDICTUS Pontifex notat num. VIII. id fortasse satis non esset ad evincendum, quod ea, quæ in ipsa citata Mediolanensi Synodo de duobus Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis statuta fuerunt, vim legis, auctoritatemque ubique terrarum obtinere debeant; Provincialis quippe Synodi auctoritas illius Provinciæ, in qua celebrata est, finibus circumscribitur; neque vero, quæ ipsi quandoque accedit Apostolica confirmatio, ejusdem auctoritatis fines ampliare censetur, ut idem Pontifex BENEDICTUS solide ostendit in eodem citato Opere, *De Synodo Diœcesana*, Lib. XIII. Capite III. num. V. Sed puto equidem, hoc intelligi, ubi Provincialis aliqua Synodus peculiarem Provinciæ disciplinam, & morem spectaret, non autem universalem veterum exemplis, testimoniisque, ac solida ratione innixam, quæ omnes tangit, ac afficit, qualis est illa, de qua in præsenti agimus; absurdumque videri posset, quod suis passim ratiunculis obtinere conantur Casuistæ, non posse id Synodum ipsam Provincialem consequi.

XLIII. Sed audiamus nunc Theologum insignem inclytæ Societatis Jesu alumnum Suarez, qui Quæstionem ipsam instituit Tomo IV. in III. Partem, S. Thomæ, Disputatione XXIV. Sectione III. ubi sub num. 17. ita habet: *Dico tertio, absolute teneri Parochum Viaticum ministrare infirmis tempore pestis, cum ordinario periculo contagii, quod in tali occasione esse solet; etiamsi in particularibus casibus excusari possit, si periculum multum augeatur, & proximi necessitas nimium diminuatur. Hæc conclusio est magis pia, & judicio meo valde necessaria ad bonum regimen animarum, ne facile tanto bono in illa necessitate priventur, eamque confirmat usus Ecclesiæ, nam omnes Parochi timorati hoc observant, etiam si intelligant, ægros esse dispositos per Sacramentum Confessionis. Episcopi etiam illos compellunt ad Eucharistiam administrandam, quod non esset justum, si ipsi ex vi officii non tenerentur. Populo item magnum esset scandalum, si Parochus subditos suos sine Viatico mori sineret. Signum ergo est ejusdem obligationis*. Itaque juxta Suarez doctrinam, uti observat Papa BENEDICTUS XIV. hæc veluti generalis regula est, Parochum, quamvis imbibendæ pestis periculum adsit, obstringi Sacratissimum Viaticum ad ægros deferre. Exceptio autem ab eodem proposita, juxta quam Parochus ab onere hujus Sacramenti ministrandi excusatur, ad eam facti speciem in praxi refertur, qua Parochus debet Pœnitentiæ Sacramentum compluribus eo indigentibus, & in proximo vitæ periculo constitutis ministrare; cumque interim aliquis jam confessus, sacro Viatico refici exoptet, verendum esset, ne tempus deficeret excipiendi Confessiones aliorum pœnitentiali expiatione indigentium, & in exitu vitæ versantium; vel etiam ad eum casum, quo Parochus solus reperiatur, nec alius adsit Sacerdos, cujus opera juvetur, immo nec alius quisquam Presbyter, qui, Parocho decedente, ad ejus vices supplendas subrogari valeat, ideoque Parochus ipse merito pertimescat, ne, si ambo Sacramenta, tam Pœnitentiæ, quam Sacri Viatici, omnibus ministraret, mortem vitare non posset, populumque, ut ajunt, sine Hostia, & Sacerdote relinqueret. Ita plane differit Suarez in propositæ exceptionis declarationem num. 19. *Exceptio autem in conclusione posita, per se clara est, potestque facile ex dictis circa præcedentem intelligi, & ad particularia applicari. Nam, quia Viaticum minus necessarium est, quam Confessio, facilius potest in particulari occurrere excusatio, si ad audiendas aliorum Confessiones necessarium sit alios sine Viatico dimittere; vel si Parochus sit solus, & nimium periclitetur ejus vita, si utrumque Sacramentum omnibus velit ministrare, & maxime, si in illius defectum non possit facile alius Sacerdos substitui. Et similes circumstantiæ in particulari expendendæ sunt; obligatio autem generalis negari nullo modo debet*.

XLIV. Differit subinde idem Suarez de Sacramento Extremæ Unctionis, num. 20. aitque, Parochos, reliquosque animarum Pastores obstringi ad hoc etiam Sacramentum ministrandum, dum pestis grassatur, quatenus tamen id præstare valeant absque morali vitæ periculo; quod nempe hujusmodi Sacramentum non sit omnino necessarium ad æternam salutem, cum prævia utplurimum habeat gemina illa Sacramenta, Pœnitentiæ scilicet, Sacrique Viatici, quibus Fidelium saluti, quantum necesse est, cumulate consulitur. Addit vero idem Auctor, omni ratione adlaborandum esse Parocho, ut sibi expeditior suppetat facultas Extremæ Unctionis peste infectis administrandæ; ideoque debere ipsum iis omnibus se se remediis, & cautelis instruere, quæ peritorum judicio, ad arcendum morale periculum imbibendæ pestis idonea existimantur; quibus quidem adhibitis, si aliqua adhuc de periculi dubitatione teneatur, non ideo ipsum levari onere Extremæ Unctionis peste laborantibus administrandæ, cum hæc potius dicenda sit nimium meticulosi animi affectio. Porro Sylvius in Supplemento, seu in Additionibus ad III. Partem S. Thomæ, Quæstione XXXII. Articulo III. Conclusione III. postquam dixit, se nolle damnare sententiam Auctorum affirmantium, licere Parocho abstinere ab administrandis duobus Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis peste laborantibus, qui paulo ante peccata sua Sacerdoti Sacramentaliter confessi sunt, modo absit periculum scandali; ita statim intrepide subdit: *Securior tamen, & verisimi-*

*lior est aliorum sententia, Parochum sub mortali peccato teneri administrare Sacramentum Eucharistiæ suis Parochianis peste, vel alio morbo contagioso infectis, etiam cum propria suæ vitæ periculo, nisi per aliquem alium id fiat, & nisi quædam circumstantiæ occurrant, propter quas merito possit excusari.* Progreditur inde Conclusione IV. ad Extremæ Unctionis Sacramentum, ibique etiam Suarezii doctrinæ se se conformat; subdens tamen, tum demum Parochum teneri, etiam cum evidenti vitæ periculo Extremam Unctionem parochiano suo peste laboranti ministrare, cum hic alia duo Sacramenta, Pœnitentiæ, & Sacri Viatici non susceperit.

XLV. Quæ hactenus attulimus, cum allegatorum gravium Doctorum auctoritati, quodque magis est, sanioris Theologiæ Principiis, quæ apud eosdem perlegi possunt, ac præsertim Sapientissimi BENEDICTI Papæ XIV. sententiæ innitantur, satis solidum fundamentum suppeditarunt, ut postulato proposito per Vicarium Apostolicum Juliæ Cæsareæ, nunc vulgo *Algieri*, circa onus Episcopis, aliisque animarum curam exercentibus incumbens residendi, & gregem sibi concreditum non deserendi, cum ipsum Deus immisso pestis flagello affligi permittit, nec non administrandi Sacramenta peste contactis, ab Apostolica Sede rescriberetur, Sacerdotes animarum curæ præpositos obligatione teneri ministrandi per se, vel per alios idoneos Sacerdotes, Christifidelibus peste correptis, non obstante contrahendæ pestis periculo, non solum duo illa Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta juxta veteres superius recensitas definitiones, sed & duo reliqua Sacri Viatici & Extremæ Unctionis. Cæterum, quod Vicarius ipse Apostolicus exhibuit postulatum, in causa quidem fuit, ut de duobus ipsis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis, præter Baptismum, & Pœnitentiam rescriberetur; sed eo potissimum animo ipse fuit, teste eodem BENEDICTO Papa XIV. citato loco num XI. ut edoceretur, quonam se modo gerere deberet quoad certas quasdam cautelas, quibus utebantur Sacerdotes in Sacramentis ministrandis, ne peste inficerentur. Quæ a Vicario Apostolico delatæ fuerunt cautelæ, eas ait laudatus Pontifex non fuisse ex physicis remediis petitas, quibus quidem, non modo potest, sed & debet uti Sacerdos, sed alterius generis, de quibus egregie differit, docetque non pauca scitu digna, quæ nos censuimus& hoc loco describere.

XLVI. Ergo quod spectat Baptismi administrationem, nihil plane est, quod non præviderit, cuique cumulate non prospexerit præfata quinta Mediolanensis S. Caroli Synodus Provinciali, cujus sanctionibus consentanee tradunt, tam qui antea, quam qui subsequentibus temporibus scripserunt. Illud pro regula receptum est, ut recens nati infantes, de quibus periculum esse videtur, ne statim intereant, illico Baptismalibus undis abluantur, prætermissis usitatis cæremoniis, & solitis ritibus; qui, si iidem baptizati superstites vivant, ab Ecclesia supplentur, omissa forma, & ablutione, uti adnotatum est supra in hoc nostro Rituali Romano, Tit. II. Cap. V. ubi videri & nostri Commentarii possunt. Idipsum plane servandum venit, cum baptizatur infans, qui ex matris utero prodiit peste infectus, seu qui morbi suspicionem secum affert, propterea quod ex matre jam peste infecta genitus fuerit: *Infans nuper natus peste laborans, aut eo nomine suspectus, quia a matre pestifero morbo affecta ortus est, quamprimum ob instans mortis periculum, a Sacerdote peste laborantium curam gerente infusionis ritu baptizabitur, aliis statis cæremoniis tunc non adhibitis &c. Postea si infans superstes erit, quamprimum ab omni suspicione liber erit, in Ecclesiam Parochialem suam Sacerdoti Parocho offeretur, qui ex Ecclesiæ instituto reliquas statas cæremonias ei adhibebit.* Sunt hæc ipsa verba prædictæ V. Mediolanensis Synodi, Titulo inscripto, *De Baptismo infanti peste laboranti, suspectove ministrando.* Præstat quoque in hanc rem illud commemorare, quod ipsemet S. Carolus scripsit ad Cardinalem Gabrielem Palæotum in quadam Epistola relata in Notis ad illius Vitam per Giussanum scriptam, Libro IV. Cap. VIII. lit. B. pag. 322. nimirum ob sævientis pestis calamitatem, adductum se fuisse, ut nonnihil deflecteret a veteri Ambrosianæ Ecclesiæ disciplina, juxta quam baptizandus infans Sacro Fonti immergebatur, permittendo, ut administraretur Baptismus, adhibito infusionis ritu: *Licet enim nunquam mori Borromæus timuit, tamen vivere etiam nunquam recusavit; immo in Epistola quadam ad Palæotum Episcopum Bononiensem affirmat, immutatum pro ea temporum calamitate aliquantulum Baptismi administrandi Ambrosianum ritum, & mersione infantis omissa, aqua infusa ablui recenter natos, tum primum consuevisse, ut aliquo modo pestis contrahendæ periculum præcaveretur.*

XLVII. Sequitur nunc juxta ordinem, ut de Pœnitentiæ Sacramento dicamus. Et quidem circa rationem, seu modum illud administrandi grassante peste, vel in Ecclesiis, cum viri, ac feminæ peccata sua Sacerdoti aperire cupiunt, vel in privatis domibus, cum necesse est eas ingredi ad excipiendam peste laborantium Confessionem, non est cur hic pluribus differamus; sufficit enim lectorem remittere ad citatam V. Mediolanensem Provincialem S. Caroli Synodum, cujus sanctiones una cum concordantium Scriptorum auctoritatibus retulit Pontas in suo Dictionario Casuum Conscientiæ, Tomo I. verbo, *Curatus*, Casu IV. & Muratorius in Tractatu, *De Peste*, Libro III. Cap. IV. pag. 355. & seq. quorum alter pag. 364. æquum censet, & in praxi, usuque servandum, quod complures Theologi docuerunt, licere nimirum Absolutionem impertiri peste infecto, quamvis nondum integram peccatorum Confessionem expleverit, quoties Confessarius probabiliter vereatur, ne & ipse pestilentem morbum contrahat, vel ex nimio fœtore, vel ex diuturniore mora cum ægrotante habenda. Docent hanc quidem sententiam inter alios Zambranus, Granadus, Layman, Coninchius, Hurtado, Turrianus, Suarez, & Diana, eisque adhæret Pasqualigus in Theoria, & Praxi jurium, obligationum, & privilegiorum eorum, qui in periculo, aut articulo mortis constituuntur, Quæstione CXLII. num. 3. & seq.

XLVIII. At sententiam hanc acriter oppugnat Marchinus in Tractatu, *De Peste*, Parte III. Cap. IV. num. 5. & seq. ea potissimum ratione nixus, quod Confessarius, qui integram pœnitentis Confessionem non audit, exploratum non habet ejusdem conscientiæ statum, neque dici potest proprio muneri satisfacere, est enim ipse animæ medicus; quapropter sicut corporeæ vi-

vitæ medicus suo certe deesset muneri, si ægrotanti pharmacum aliquod præscriberet, non explorata prius, ac probe cognita illius morbi natura, & statu, ita, ut inquit ille, affirmandum est, suo muneri plane deesse spiritualem animæ medicum, cum pœnitentem absolvit, non audita prius integra illius peccatorum Confessione, & satis habens aliqua tantum ex iis intellexisse. Addit insuper, agi hic de validitate Sacramenti ad æternam salutem necessarii, ideoque ex rei natura, & Pontificum Decretis oriri obligationem amplectendi eam sententiam, quæ tutum proponit, & requirit remedium. Ita disserit præcitatus Auctor cum aliis non paucis, qui quamvis pœnitentem ab integritate Confessionis aliquando excusari posse admittant, tunc scilicet, cum, si quod peculiare factum Confessario aperiat, grave aliquod damnum, aut sibi, aut alteri obventurum haud temere pertimescat; ipsum tamen Confessarium negant posse absque læthalis peccati noxa se se subtrahere ab onere audiendi integram Confessionem etiam peste contacti, qui integre confiteri cupit, quantumvis illi contrahendæ pestis periculum se objiciat, cum propriam ipse vitam in concreditarum sibi animamarum salutem cuilibet periculo exponere teneatur. Atque hæc est vera, & certa sententia, quam tenere Confessarius debet, ad eamque comprobandam faciunt, quæ vel nos late diximus supra Tomo I. in Commentariis ad Titulum III. qui inscriptus est, *De Sacramento Pœnitentiæ*, ubi plura ad hanc materiam spectantia invenies.

XLIX. Differendum superest de administratione duorum Sacramentorum, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, quæ quidem Fidelibus peste correptis eadem plane ratione ministranda esse, qua bene valentibus administrantur, exemplo suo docuit S. Carolus, ut in ejus Vita legitur, atque ita quoque cavit in memorato toties Provinciali V. Concilio Mediolanensi. Quod etiam perspicue deprehenditur ex duabus ejusdem Epistolis ad Ariminensem Episcopum datis, altera die XVIII. Julii, altera vero die V. Augusti anni MDLXXVII. quæ referuntur in Adnotationibus ad Vitam S. Caroli a Giussano conscriptam. Et quidem in priore Epistola ita legitur: *Scribis, isthic dictitatum, a me fuisse adbibitum cochlear, quo ægris sacra Altaris mysteria porrigerem. Hoc certum habe, id officium manibus semper meis præstitum fuisse, quibus etiam sacro Oleo morientes inunxi. Cur enim ab humana ope subsidium mutuarer, cum mihi Deum adfore certum sperarem. Fatendum tamen est, quædam mihi indicata remedia nunquam fuisse neglecta.* Secundæ vero Epistolæ hæc alia sunt verba: *Aliquorum metu inductus erat hic mos, pestilentiæ initio, ut argenteo cochleari infirmorum labiis Christi Corpus offerrent; sed in quodam congregato Theologorum cœtu sancitum est, ne id deinceps auderent; immo probibitus est Patenæ etiam porrigendæ usus, qui tamen primum retentus cum Sacerdotibus fuerat, mox deinde intermissus.* Cæterum in præcitata sua quinta Provinciali Synodo, Titulo inscripto, *Cautio in Sacerdote ministrante*, ita decretum fuit: *In omni Sacramento, multoque magis in Sanctissima Eucharistia ministranda, cavebit, ut evitandi periculi, vel suspicionis causa, nequid vel minimum, quod novum sit, ad ministrationis ritum introducat, neve instrumentum, aliudve quid simile, ad ministrationem, pro digitis, vel adeo in iis ipsis, adhibeat.*

L. At vero, quod hæc S. Caroli gesta heroicæ illius charitati accenseantur, nec Provinciali Synodo Mediolanensi Legis auctoritas extra Mediolanensis Provinciæ fines tribui possit, necesse fuit, inquit BENEDICTUS Papa XIV. citato loco num. XX. aliunde examen, ac definitionem repetere, ut postulatis Vicarii Apostolici Juliæ Cæsareæ responderetur. Itaque, ut idem Pontifex notavit, num. XX. & seqq. docent nonnulli, vel ipso pestis tempore, ac etiam urgente contrahendi morbi periculo, nihil plane deflectendum esse ab usitato ministrandæ Eucharistiæ ritu, ideoque Sacerdotem teneri eandem suismet manibus ægro ministrare; idque, non minus, ut vigens disciplina sarcta tecta servetur, quam ut omne arceatur inconveniens, quod posset facile contingere, quoties aliis, ac aliis modis Eucharistia ministraretur. Ita plane Bonacina, *De Sacramento Eucharistiæ*, Disputatione IV. Quæstione V. Puncto II. sub num. 9. Capisucchus in Quæstionibus Moralibus, Quæstione II. pag. 81. Escobar, Tomo III. Libro XX. Quæstione I. Problemate 98. Tamburinus in Methodo SS. Communionis, Cap. V. §. X. num. 21. Quarti ad Rubricas Missalis, Parte II. Tit. X. Sectione III. Dubio III. Difficultate III. La-Croix, Tomo II. Lib. VI. Parte I. num. 486.

LI. Mitiores alii sunt, qui perpendentes ex una parte obligationem, qua in mortis articulo constituti tenentur Sanctissimum Viaticum suscipere, ex alia vero onus, quod Sacerdoti incumbit, ut illud iis administret, optimum factu esse putant, omnem operam dare, ut facilior, quoad fieri potest, & expeditior evadat ministratio, atque ita omnis causandi, seque excusandi facultas adimatur iis, qui nimia contrahendi morbi formidine, omnem rationem comminiscuntur, qua onus administrandæ Eucharistiæ peste laborantibus a se removeant. Itaque hi tuentur, quoties iniri possit ratio, seu methodus haud indecens ministrandi peste contactis Sacrum Viaticum, absque eo, quod Sacerdos manibus ipse suis Sacramentum in os ægroti immittere cogatur, illius usum minime esse interdicendum. Atque hæc est opinio Bissi in sua Hierorgia, verbo, *Eucharistia*, pag. 408. Pasqualigi in Theoria, & praxi jurium, obligationum, & privilegiorum eorum, qui in periculo, aut articulo mortis constituuntur, Quæstione CCLXV. Gobatii Tractatu IV. Casu XXI. num. 433. & seq. Mancini in Tractatu visitandi infirmos, Parte VIII. Dubio XVIII. Gavanti in Enchiridio Episcoporum, verbo, *Pestis*, num. 7. Alii tandem huic ipsi sententiæ adhærentes, ac eorundem Doctorum, quos mox citavimus, vestigia sequentes, varios proponunt modos ministrandi Eucharistiam peste correptis, absque eo, quod Minister id propriis manibus præstet; ex quibus sane modis aliqui improbantur, veluti minus tuti, minusque decentes; nonnulli vero satis apti existimantur, congruentesque functioni peragendæ tempore pestis ab eo, qui Sacrum Viaticum ministraturus, timet, ne, nudis manibus illud ministrans, pestilenti morbo corripiatur.

LII. Primæ classi accensentur sequentes modi; inserendi nimirum Eucharistiam in panem domesticum, vel inter duas non consecratas particulas, extrema earum parte madefacta, ut si-bi

bi invicem adhæreant, commonefacto inde ægrotante, delitescere intra panem domesticum, vel inter particulas non consecratas Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Hanc alii methodum exhibent, aureo scilicet, vel argenteo forcipe Eucharistiam apprehendendi, aut eam collocandæ super extremitate oblongæ laminæ, quæ in semicirculi formam desinat, atque ita eandem exporrigendi ægroto, qui peste laborat. Est etiam, qui suggerat, ministrari posse Sacrum Viaticum manibus chirothecis indutis. Neque desunt, qui consentiant, ut, dum periculum pestis imminet, plures sacratæ Particulæ tradantur recte se habentibus, qui eas religiose servent, ac, ubi peste corripiantur, cum debita veneratione suscipiant. Improbantur itaque omnes recensiti modi, vel ob periculum gravis alicujus inconvenientis perfacile eventuri, quoties aliquo ex his modis Eucharistia ministretur; vel ob indecentiam, quæ alio aliquo ex illis in praxim deducto, nullatenus evitari posset. Classis secundæ modi hi recensentur, apponendi scilicet Sacramentum in mensula decenter parata, Sacerdote commonefaciente infirmum, ut eo vescatur, nec inde abscedente, quousque ægrotus Sacram Particulam sumpserit, ac deglutierit; qua in re exequenda, nonnulli addunt, posse ipsam Particulam immitti vasculo, in quo vini non consecrati, vel aquæ haustus contineatur, eaque ratione facilem æque, ac decentem modum haberi dicunt, ut Sacerdos non cogatur manibus ipse suis Sacramentum infirmi labiis admovere; atque hi sunt probati modi, uti verbis utar BENEDICTI Papæ XIV. num. xxv.

LIII. De duabus hisce classibus, tam scilicet de rejectis, improbatisque, quam de receptis, atque probatis modis administrandi sacram Eucharistiam infectis peste, congruenter ad ea, quæ huc usque adnotata sunt, disserunt Chapeaville in Tractatu, *De necessitate, & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis*, a Quæstione xxx. ad Quæstionem xxxv. & Sylvius in Additionibus ad Partem III. S. Thomæ, Quæstione xxx. Articulo III. Conclusione IV. pag. 589. & seq. In Gallia, sive in aliquibus istius Regni Diœcesibus Sacrum Viaticum peste infectis ministratur involutum charta, vel brevi lineo panno, qui ibi constituitur, unde possit ab ægrotante apprehendi, ut testatur Pontas loco citato. Fertur Præsul de Marchis Archiepiscopus Smyrnæ, ejusdem nempe Civitatis, quæ frequenti peste obsidetur, indulgere consuevisse, ut Eucharistia poneretur super mensulam, cui imposita fuisset albæ, mundæque chartæ plagula, quæ, suscepta ab ægro sacra Particula, statim igne combureretur. Et quidem Auctores proclives se se exhibent in eam opinionem, quæ admittit, ut Eucharistia in mundo, decentique loco deponatur, ex quo eam suscipiat, absumatque is, qui peste laborat; viderique possunt Leander, Parte II. Tractatu VII. *De Eucharistia*, Disputatione IV. Quæstione xx. Passerinus in Partem III. S. Thomæ, Quæstione LXII. num. 33. & 34. qui valde mirantur, Dianam Tomo II. Tractatu II. Resolutione 100. editionis coordinatæ, hunc quoque modum improbare; cum cæteroqui ipse alibi docuerit, si æger deglutire nequeat sacram Particulam, condendam eam esse in vasculo una cum aquæ, vel vini non consecrati haustu, ut ita eam æger facilius absorbere valeat. Siquidem in hac quoque facti specie contingit, quod is, qui sacro pabulo reficitur, illud e Sacerdotis manibus immediate non sumit; quod plane illud est, quo præfatus Auctor impellitur ad rejiciendos modos, quos cæteri in Eucharistia peste laborantibus ministranda adhibendos proposuerunt, atque probarunt.

LIV. Muratorius in Tractatu, *De Peste*, Lib. III. Cap. IV. pag. 366. & seq. valde proclivem se ostendit in aliquam idoneam, honestamque rationem, qua & ministretur pestilenti morbo laborantibus Eucharistia, & simul ministrantium indemnitati consulatur; scite animadvertens, haud oportere ex ritibus, qui secundis rebus, atque temporibus, religiose servantur, metiri, ac definire eos, qui luctuosissimorum temporum duræ necessitati possint congruere. Vult tamen, id omne moderandum, ac definiendum esse judicio Episcopi cujusque loci, nec integrum esse singulis Sacerdotibus eam, quam quisque maluerit, rationem seligere. Porro, ut ait BENEDICTUS Papa num. XXVI. congruenter ad hoc idem systema, post accuratum rei examen, rescriptum fuit postulato Vicarii Apostolici Juliæ Cæsareæ, advigilandum ipsi esse quammaxime, ut peste correptis Sacramenta ministrarentur; quo vero ad modum ministrandæ Eucharistiæ, si Sacerdotes deprehendisset alienos, atque abhorrentes a ministratione suis manibus peragenda, modum ipse statueret, audito Prudentum consilio, atque præ oculis habito decore in tanti Sacramenti administratione servando, ut quidquid eidem repugnans deprehenderet, omnino usurpari prohiberet. Neque enim facile visum est, a longe interroganti responsam reddere, quo certus modus, certaque ratio ineunda præscriberetur; ad hoc enim omnino fuisset opus ob oculos habere omnes circumstantias, easque præsertim, quæ possent regioni congruere, ac perspectos habere modos, qui, dum alias pestis ea in regione satis superque frequens grassaretur, in usum, & praxim fuerunt deducti.

LV. Suarez Tomo III. in Partem III. Sanctæ Thomæ, Disputatione LXXXII. Sectione III. quæstionem instituit, an omnino necesse sit, ut is, cui Eucharistia ministratur, alius sit ab eo, qui eam administrat; & consequenter, an liceat laico sibimet ipsi Sacramentum hoc ministrare, respondetque, licere id laico, quoties in extremam mortis necessitatem conjectum se sentiat, nullusque reperiri possit Sacerdos, qui ipsi Eucharistiam ministret. Quam in rem utitur exemplo Mariæ Scotorum Reginæ, quæ, antequam mortem subiret, *Sacramentum, quod apud se habebat, propriis manibus sumpsit, cum summa omnium laude; & quamvis fortasse habuerit amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiam sine illa pie, & sancte fecisset*. Cardinalis Bona, Martene, & Morinus, monumenta afferunt omni exceptione majora, ad evincendum, laicos juxta veterem Ecclesiæ disciplinam Dominici Corporis participes fieri consuevisse, accipiendo a Sacerdotibus Eucharisticum Panem, eumque suis manibus in proprium os inferendo; quod quamvis hoc tempore obsoleverit, haud tamen damnari mereretur Sacerdos, qui Sacro Viatico reficiendus, annuente Sacerdote ministrante, illud manibus susciperet, atque ad os suum ipse admoveret. Sed de hac disciplina jam late

late egit idem BENEDICTUS Papa XIV. in Opere, *De Canonizatione Sanctorum*, Lib. III. Cap. XXXVIII. num. 17. & in alio Opere, *De Sacrificio Missæ*, Sectione I. num. 345. & Sectione II. num. 153. Latinæ editionis.

LVI. Verum redeundo ad veterem usitatum morem, exploratum est, consuevisse viros in nudas manus Eucharistiam excipere, mulieres vero in album pannulum, de quo non nihil diximus nos supra Tomo I. in Commentariis ad Titulum IV. & Tomo II. Conciliorum ad Canonem CI. Concilii Trullani, ubi etiam notavimus, per plura sæcula laicos, qui Sacra Communione reficiebantur, in proprias manus excepisse Eucharistiam, suisque itidem manibus illam in os intulisse; feminas vero excepisse in prædictum pannulum album, eundemque subinde suis & ipsas manibus ad os transtulisse; ideoque, ut nonnulli ajunt, si nullo expresso præcepto cavetur, ut, dum laici sacræ Communionis participes fiunt, alia sit ministrantis, alia sit suscipientis persona; si pluribus labentibus sæculis Eucharistiam acceperunt laici, viri quidem in nudas manus, mulieres autem in album pannulum; si huic rei nil aliud objicitur, quam subsequutus contrarius usus; neque modo contenditur, ut, hoc sublato, mos ille vetustior universim redintegretur, sed tantummodo, ut certo, nec ita frequenti, casu, sævientis scilicet pestis, ad faciliorem, & expeditiorem reddendam ministrationem Sacri Viatici miseris moribundis exhibendi, remoto simul a Ministris, quantum fas est, oppetendæ mortis timore, ac periculo, possit Episcopus, adhibitis in consilium sapientibus Viris, modum aliquem, aptamque ejusmodi ministrationis rationem permittere, quamvis ei juncta esset implicita veluti facultas, ut is, qui Sacro Christi Corpore reficitur, suis ipse manibus Sacram Particulam apprehendat, atque in os suum inferat; magnis profecto animis opus est, ut tam æqua, tam proficua moderatio improbetur, ac rejiciatur, miseros ægrotos eo calamitatis adigendo, ut proximum incurrant periculum ex hac vita decedendi sine Viatico; quemadmodum animadvertit Pontas verbo, *Communio*, Casu XVIII. subditque etiam Clarissimus Muratorius citato superius loco.

LVII. Sed non omittendus hoc loco Cardinalis Cajetanus, qui in Commentario ad Caput XXVI. S. Matthæi, versu XXVI. ad illa verba, *Accipite, & comedite*, ita plane scribit: *Adverte hic, quod sicut Ecclesia laudabiliter pro reverentia Eucharistiæ, non utitur Eucharistiæ cibo, nisi jejuna, excepto extremæ ægritudinis articulo, licet Dominus inter cœnandum communicaverit Discipulos, ita laudabiliter pro reverentia Eucharistiæ abstinet ab isto modo manducandi*, Accipite, comedite, *ut non nisi sacris manibus tangatur Eucharistia. Verum ad imitationem Christi, communicare tali modo in articulo necessitatis, non esset inconveniens, sicut etiam non jejunos, ut dictum est, in articulo necessitatis communicamus. Esset autem necessitatis articulus, si tempore epidemiæ non haberetur Sacerdos, qui prope offerret Eucharistiam, & locando super præparato loco diceret communicaturis prope expectantibus, & adorantibus*, Accipite, comedite; *possent enim reverenter accipere, & comedere; sicut fecerunt Christi Discipuli, qui acceperunt a Jesu, non manu ad manum, sed ex mensa; cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non possent jungi. Crediderim ego, quod, sicut unum Calicem communem omnibus tradidit, ita in una patina panem in duodecim bucellas fractum manibus propriis tradiderit; & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolica traditione acceperit; ita quod sicut Calicem unus Discipulus dedit alii, ita patinam cum Pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successive porrexerint*. Hactenus Cardinalis Cajetanus Ordinis Prædicatorum, cujus tamen doctrinam sicut in aliis permultis quæstionibus, ita & in ista præsenti, acriter oppugnavit ejusdem Ordinis alumnus Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsæ in nostro Regno Neapolitano.

LVIII. Catharinus itaque Cajetano infensus, jam non dubitavit tamquam reum contemptus, & irreverentiæ erga Eucharistiam Cajetanum ipsum traducere, sic inquiens Lib. V. Annotationum contra Commentaria Cajetani editionis Lugdunensis anni MDXLIII. pag. 421. *Quod novum quoque modum ministrandi hoc Sacramentum Cajetanus tradiderit, videlicet per manus laicorum, & instrumenta inanimata, ob metum contagionis, & ut etiam ipsi peste laborantes propris manibus sibi ministrent, spectare ad contemptum tanti Sacramenti, non dubito. Præterquam enim quod est hæc nova, & singularis ejus traditio, adversatur etiam aliorum doctrinæ. Nam Petrus de Palude in IV. longe prudentius docet, in quacumque causa non licere laicis, nec sibi, nec aliis hujusmodi Sacramentum ministrare. Quanto minus hoc permitti debet peste laborantibus, qui plerumque mania corripiuntur, & quanto etiam minus per instrumenta inanimata*. Sed Catharinum excessisse in censura, tum quia non fideliter Cajetani sententiam retulerit, tum quia non admodum solide eam impugnaverit, egregie inter alios ostendit BENEDICTUS Papa loco citato. Cajetanus siquidem non concedit laicis tempore pestis tangere manibus Eucharistiam, sed illam a Sacerdote depositam in loco apto, admoto ore assumere; nec sumentes hoc modo, dicerentur proprie Ministri Eucharistiæ, sed cooperarentur ministrationi, ut sane omnes laici cooperantur, dum ore a Sacerdote suscipiunt Eucharistiam, ut scite notavit Gabriel Henaus in Tractatu, *De Eucharistia*, Disputatione XV. Sectione III. num. 45. qui licet pluribus confirmet, solum Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti, tempore tamen pestis, juxta Cajetani placitum, admittit, infirmis posse porrigi in Patena, vel alio mundo vase, ex quo, ore admoto, sumant; nec proinde concedit, in tali eventu, infirmum fore Ministrum Sacramenti. Paludanus vero in IV. Sententiarum, Distinctione XXIII. Quæstione I. nil habet contra sententiam Cajetani; solum enim docet in genere, Ministrum Eucharistiæ esse Sacerdotem, de quo nemo dubitat; de eventu vero pestis tacet omnino. Quod addit Catarinus de mania, non est ad rem; siqui enim sint laborantes peste, qui etiam mania correpti deprehendantur, cum digne, & reverenter, ob maniam, sumere non possint, neque a manibus Sacerdotis sumere debent. Cæterum pro sententia Cajetani tempore pestis, præter Auctores superius adductos, stant quoque Hieronymus Venerius, *De examine Episcoporum*, Lib. IV. Cap. XLVI. num. 47. Marchantius

tius in suo Horto Pastorum, Tractatu VI. Lectione III. Novatus, & alii.

LIX. Administrationem Eucharistici Sacramenti subsequitur demum Extremæ Unctionis ministratio. Et quod pertinet ad corporis partes sacro Oleo liniendas, cum jam constitutum sit, ut dum contagiosi morbi grassantur, ad evitandum contagionis periculum, sufficiat inungere organum illius sensus, qui patentior, sive inunctioni magis expositus se offert, proferendo interim Sacramenti formam sequenti ratione, *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum &c.* uti ostendit laudatus Pontifex, Libro VIII. *De Synodo Diœcesana*, Capite III. num. 4. & Lib. XIII. Cap. XIX. num. XXIX. discutiendum superest illud, an tempore grassantis pestis liceat Sacramentum ipsum ministrare, seu unctionem sensus peragere, adhibita oblonga virga, cujus extremæ parti alligatus sit, firmiterque adhæreat gossopii pugillus sacro imbutus Oleo, quo scilicet contingatur, & liniatur pars illa corporis, quæ sola inungitur, cum Sacramentum peste laboranti administratur. Et licere quidem hac ratione uti, seu methodo administrandæ Extremæ Unctionis, communiter affirmant Scriptores, atque Theologi allati a laudato Pontifice BENEDICTO XIV. citato Lib. XIII. Cap. XIX. num. XXX. ubi inter alios Sylvius in Additionibus ad Partem III. S. Thomæ, Quæstione XXXII. Articulo III. differens de Sacerdote Extremam Unctionem ministrante ei, qui peste laborat, postquam dixit, quod Sacerdos ministrans, *uti potest virga oblonga, vere tamen Oleo tincta, sic ut perficiatur Unctio &c.* ita statim subjicit: *Peracta autem Unctione, Virgam ejusmodi aut purgabit, aut in similem usum servabit, si aurea sit, vel argentea; vel inde comburet, si sit lignea*. Et ante Sylvium idem docuerat Chapeaville in Tractatu, *De necessitate, & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis*, Quæstione XXXIX. ubi concludit, quum sæviente peste Sacramentum Extremæ Unctionis hoc modo ministratur, nihil desiderari, quod ad substantiam pertineat, sive ex parte formæ, sive etiam ex iis, quæ præstanda sunt a Ministro, qui vere dicitur ungere, licet prædicta virga utatur, quomodo eum scribere affirmamus, qui ad literarum characteres efformandos calamo utitur.

LX. Notat hæc quidem BENEDICTUS Papa XIV. citato Lib. XIII. *De Synodo Diœcesana*, Cap. XIX. per totum, ubi agit de postulato proposito a Vicario Apostolico Juliæ Cæsareæ quoad onus ministranda Sacramenta Fidelibus peste infectis, dum ea grassatur, ac de modo ministrationis tunc temporis peragendæ. Sed cum ibidem citat quintam Provincialem Mediolanensem S. Caroli Synodum, quæ de eodem argumento tractavit, ac nonnulla etiam stabilivit, ejusque auctoritatem veluti regulam *vi directiva* pollentem valde commendet, laudabile plane puto, ac fere necessarium, ut Episcopi, Magistratusque etiam sæculares ad rite, recteque administrandam Rempublicam tempore pestis, mortalitatisve, ea, quantum fieri potest, Decreta sequantur, ac servent, quæ S. Carolus post Prudentum consilium una cum permultis Episcopis suæ Provinciæ statuit, quæque consentanea sunt veteri Ecclesiæ disciplinæ, ac Sanctorum Sacerdotum exemplis, qui operam suam, grassante peste, ea infectis impenderunt juxta probatos Ecclesiæ ritus, contempto prorsus mortis periculo, quod scirent, Christum Dominum apud Joannem a quovis Pastore Ecclesiæ, ac proinde inprimis ab Episcopo, tantam exigere charitatem, ut paratus sit animam ponere pro ovibus suis. Cujus exemplum illustre præbuit quidem Christus ipse Princeps Pastorum, Joannis Capite X. sic dicens: *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Et iterum: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*. De quo idem Joannes in sua prima Epistola, Capite III. idipsum confirmat: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*.

LXI. Antequam vero explicemus ritum in Processione tempore mortalitatis, & pestis servandum, juxta præscriptum hujus Ritualis Romani in hoc, & sequenti §. expressum, discutienda est Quæstio illa, an tempore pestis possint licite fieri Processiones? Ratio dubitandi ex una parte est, quia cum pestis sit morbus valde contagiosus, serpens ex uno in plures; cumque ad Processiones concurrat multitudo populi, in qua plures sunt peste infecti, paratur pluribus periculum infectionis, & mortis, qui alias incolumes evasissent, segregati ab aliorum consortio, ideo visum aliquibus fuit, prohibendas hujusmodi Processiones. Ex altera parte, cum Processiones sint medium efficax ad placandum Deum, & ad avertendam iram suam a nobis, uti supra diximus in Commentaris ad Caput I. visum fuit nonnullis licitum, & expediens eas tempore pestis celebrare. Instituit hanc Quæstionem eruditus Quarti in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione III. Circumstantia ultima, Quæsito III. ubi varia argumenta proponit, quibus utraque pars videtur reddi probabilis, tandemque mediam inter utramque refert opinionem, cui & adhæret.

LXII. Ergo prima opinio, quæ absolute negat, fieri posse Processiones peste grassante, probatur primo, quod cum nemini liceat sibi mortem inferre, nemini quoque licitum est se mortis periculo exponere, quale est concurrere ad hujusmodi Processiones. Secundo, quod tentantes Deum graviter peccant, ut probat S. Thomas in II. II. Quæstione XCVII. cum communi Theologorum assensu. Consistit autem tentatio Dei in hoc, quod quis, omissis mediis naturalibus, & consuetis, verbi gratia, ad procurandam sanitatem, petit illam miraculose a Deo, qui tamen vult, servari ordinem naturalem, & causas naturales adhiberi, quantum fieri potest. In casu autem nostro omittitur primum, & naturale medium vitandæ infectionis, quale esset vitare aliorum consortium, nam alias in Processione quilibet se immiscet cum multitudine ad eas conveniente, in qua non pauci quidem sunt pestilentia affecti. Objici hic possent exempla varia sedatæ, extinctæve pestilentiæ, virtute Sacrarum Processionum. Sed, ut ajunt, qui prædictam opinionem tenent, felix eventus pestis sedatæ non successit, nisi ex Processionibus indictis, ordinatisque a Viris Sanctis, qui peculiari Dei impulsu creduntur eas instituisse; quare non posse ajunt inde sumi regulam celebrandæ Processionis tempore pestis indiscriminatim, sed solum

lum quando admonentur Prælati Divino impulsu, tum vero potissimum, quod multo plura suppetant exempla auctæ, & dilatatæ pestis occasione Processionum; & etiam quia potest auxilium Dei implorari orationibus privatis, vel fusis communiter ad sonum Campanæ, a singulis tamen in domibus suis reclusis.

LXIII. Sententia altera, quæ docet, licitas esse Processiones tempore pestis celebrandas, validis quoque argumentis probari potest, quippe quæ nititur auctoritate Romani Ritualis, præsenti Capite inscripto, *Processio tempore mortalitatis, & pestis*, in qua præscriptæ sunt etiam Preces recitandæ. Neque enim Ecclesia proponeret, quod illicite esset exequendum; neque Prælati Sanctissimi, Summique Romani Pontifices, atque Episcopi etiam recentiores, qui easdem celebrarunt, ansam posteris suo exemplo præbuissent Processiones hujusmodi peragendi. Certe ad avertendam luem, quæ Romæ grassabatur, & ex qua obiit Pelagius Papa II. ordinasse Sanctum Gregorium Pelagii successorem initio Pontificatus publicas Processiones tam Cleri, quam Populi omnis ordinis, ac sexus, ut nempe per diversarum personarum varias classes, sigillatim ex diversis illis assignatis Ecclesiis procederent seorsum Clerici, viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, feminæ conjugatæ, Viduæ, pauperes, & infantes, tradit ipsemet Pontifex, Lib. xi. Epistola II. ubi ordinem etiam præscripsit septiformis hujus Litaniæ: *Letania Clericorum*, inquit, *exeat ab Ecclesia B. Joannis Batistæ. Letania virorum ab Ecclesia B. Martyris Marcelli. Letania Monachorum ab Ecclesia Martyrum Joannis & Pauli. Letania Ancillarum Dei ab Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani. Letania feminarum conjugatarum ab Ecclesia B. primi Martyris Stephani. Letania pauperum & infantium ab Ecclesia B. Martyris Cæciliæ.* Atque hæc facta inquit S. Pontifex in Ecclesia Sanctæ Sabinæ sub die iv. Cal. Septembris, Indictione vi.

LXIV. Aliud antiquum exemplum indictæ Processionis ad pestem profligandam, & quidem a S. Gallo Arvernensi Episcopo, suppeditat Gregorius Turonensis, Lib. iv. Historiæ Francorum, Cap. v. ubi sic habet: *Cum Beatus Quintianus ab hoc mundo migrasset, S. Gallus in ejus Cathedram, Rege opitulante, substitutus est. Hujus tempore cum lues illa, quam inguinariam vocant, per diversas regiones desæviret, & maxime tunc Arelatensem Provinciam depopularetur, S. Gallus non tantum pro se, quantum pro populo suo trepidus erat. Cumque diu, noctuque Dominum deprecaretur, ut vivens plebem suam vastari non cerneret, per visum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæsariem, quam vestem in similitudinem nivis candidæ offerebat, & ait ad eum*: Bene facis, Sacerdos, quod sic Dominum pro Populo tuo supplicas; exaudita est enim Oratio tua, & ecce eris cum Populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusque, te vivente, in regione ista ab hac grege deperiet, nunc autem ne timeas, post octo vero annos time. *Unde manifestum fuit, transactis his annis, eum a sæculo discessurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac consolatione agens, quod eum per Cælestem Nuntium confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, ut medio xl. psallendo, ad Basilicam B. Juliani Martyris ininere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi stadia cccxl. Tunc etiam in subita contemplatione, parietes, vel domorum, vel Ecclesiarum signari videbantur. Unde a rusticis hæc scriptio* Tau *vocabatur. Cum autem regiones alias lues illa consumeret, ad Civitatem Avernam, Sancti Galli intercedente oratione, non attigit. Unde huic non parvam censeo gratiam, qui hæc meruit, ut Pastor positus oves suas devorari, defendente Domino, non videret.* Hæc Turonensis.

LXV. Processionis institutæ tempore pestis celebre quoque est exemplum, quod legitur in Vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani ab Eustachio Presbytero scripta, apud Surium die vi. Aprilis: *Vos*, inquit, *qui reditum ejus memoria tenetis, non ignoratis magnam, ac diuturnam, antequam reverteretur, pestem extitisse, quæ quidem ita sæviebat, ut nisi hic a Deo electus, tanquam alter Phinees obstitisset, omne genus hominum, atque omnis ætas interiisset. Quomodo autem placatus est Deus? Supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit, a Sanctissima magna Ecclesia incipiens, usque ad Ædem sanctæ, & immaculatæ Dominæ nostræ, Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur. Dum igitur ad Christum Deum nostrum, quem ipsa Virgo de Spiritu Sancto concepit, fierent, pepercit ille populo, Angelumque cohibuit, qui Civitatem sine intermissione percutiebat. Imitatus est in hac re Vir admirabilis, qui cum propter populo enumerationem pestis debacchabaretur* (II. Regum, xxiv.) *dicebat ad Deum*: Ego peccavi, idem ego pœnas, isti quid peccaverunt? *Et postquam vidit Angelum in area Ornan Jebusæi, oravitque eum, immo vero Dominum, ne extenderet manum in Hierusalem, exauditus est. Quamobrem & Altare constituit in ipsa area, & Domino boves immolavit, & placatus est, & mox sævire desiit.* Tum vero mox subjicit: *Nonne magnus, ac mansuetus Euthychius offerens rationabile, & incruentum Sacrificium Deo, idem effecit. Neque enim aliter extentas manus demisisset, nisi populi salutem impetrasset.* Concludit tandem Auctor, aitque, ab eo die, usque ad Beati Viri vitæ finem, Christum Deum nostrum a populo provocatum iram cohibuisse; ac reditus qudem ipsius primum opus hoc fuisse, quo salutem omnibus communem impetravit. Adnotandum autem in ista narratione & illud, consuevisse vel olim, Sæculo nempe vi. quo claruit Eutychius, præter Supplicationes, precesque, Missam etiam pro vitanda peste, ac mortalitate celebrari, quæ peculiaris extat in fine Romani Missalis, inscribiturque, *Missa pro vitanda mortalitate*, in qua pro Epistola legitur id, quod Libro II. Regum Cap. xxiv. habetur, & ad quod respexit S. Eutychius in sua Oratione, quam in ea calamitate ad Deum habuit.

LXVI. Ad propulsandam quoque ingruentem luem, ex Concilii Constantiensis Decreto S. Roccho non modo honores Sanctis debitos, fuisse impensos, verum etiam solemni pompa ejus Imaginem, omni comitante populo, per Urbem delatam, eoque facto, pestem illam mox evanuisse, scribit Franciscus Diedo in ejusdem Sancti Vita apud Surium die xvi. Augusti. Inde vero inquit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum dicto die, morem invaluisse, ut ubique locorum ejus Imagines, Altaria, Sacella,

cella, ac denique Templa erecta fuerint, ac Paulæ præsertim, quæ mea Patria est in citeriori Calabria extat Templum, in quo etiam in majori S. Marci Processione die xxv. Aprilis celebrari Missam vidi. Porro quod in Constantiæ Civitate, ut supra dictum est, delata fuerit in Processione S. Rocchi Imago post ejus Canonizationem, non immerito observat Phebeus, & post eum Pagius in Vita Joannis Papæ XXIII. ubi recenset Concilium Constantiense Generale xvi. num. xxix. inde initium sumpsisse usum Imaginem Sancti noviter canonizati, omni comitante Populo, per Urbem deferri; immo inde Vexillorum usum in solemnibus Processionibus deferendorum, quamvis tunc id factum fuisse constet ad arcendam pestiferam luem, quæ per totam Constantiæ Urbem grassabatur, impetrata a Deo, S. Rocchi intercessione, non sine insigni miraculo, sanitate votis omnium expetita. Nec obstat, quod in Actis Constantiensis Concilii nulla ejus facti mentio sit; non minus enim eadem Acta silent de Canonizatione S. Birgittæ ibidem facta, quam tamen modo nemo in dubium revocat. Præter Franciscum Diedum, Petrum Pinum, & Claudium a Rota, Ludovicus Maldura Vitam ejus scripsit, & Krantzius in Metropoli Saxoniæ Lib. ix. Cap. xxv. fuse etiam de eo agit; qui omnes, si Raynaldo ad annum MCCCXXVII. num. 56. fides, honores ipsos Sanctis debitos a Concilio Constantiensi eidem fuisse exhibitos affirmant.

LXVII. His obiter dictis, referendum nunc censeo S.Caroli exemplum, qui veterem morem sequutus a Pontificibus Maximis, ab Episcopis, & ab universo Generali Concilio probatum, ut hactenus ostensum est, publicas & ipse pestis tempore, quæ Mediolani grassabatur, Supplicationes peculiari ritu celebrandas, ad eam propulsandam indixit, ut testatur ejus Vitæ Auctor Carolus a Basilica Petri Lib. iv. Cap. iv. Quoniam vero, inquit, Supplicationum gratia magnum esse conventum oportebat, verebantur maxime qui humano judicio ducebantur, ne pestifera contagio, morbusque magnopere augeretur, ideoque Magistratus rem minime probabant, neque tamen tanto imminente divinæ animadversionis periculo magnopere resistebant; & vero etiam rebus jam in summum pene periculum adductis, non valde periclitari ea in re Civitas videbatur. Carolus igitur in eo perstitit, ut ad Supplicationes conveniretur; tempus enim jam tandem videbatur, cum ab humanis consiliis, diligentiaque minime penderent; vim publicæ, ac conjunctæ precationis non ignorabat; populo præsertim afflicto, salutariterque commoto; simul exemplis majorum confirmabatur, tum domesticis, tum externis; nam & in simili causa S. Gregorium ita suasisse sciebat; & Civitatem Mediolanensem acceperat, cum olim triennio peste laborasset, neque liberationis spes ostenderetur, ad extremum omni multitudine conveniente, religioseque ter supplicatum ad statas Ecclesias eunte, subito mirabiliter liberatam; minus vero erat incommodi, quia feminæ, puerique, incautiora capita, domo prodire jam Edicto vetiti erant.

LXVIII. Ecce nunc peculiaris ritus, ac notatu quidem dignus, quem S. Antistes, in ea, quam indixit, Supplicatione servatum voluit, quemque idem ejus Vitæ Scriptor ita recenset Feria quarta cum Clerus, Populusque frequentissimus in Majorem Basilicam convenisset, ut ad S. Ambrosii supplicatum iretur, priusquam in viam se darent, Carolus Cineres, stata pœnitentiæ significatione, singulis imponebat; capita vero plerique, & ipsi quique Magistratus, lacrymantes submittebant. Ivit Carolus Cappa, ut appellant, funesta vestitus, cujus Caputio caput induerat; postremamque partem ex instituto prolixam, nemine sustinente, trahebat; nudis erat pedibus; funem collo, ut damnatis mos est, circumdederat; magnam Crucifixi Imaginem ferebat, quam fixis oculis progrediens, perpetuo intuebatur; omnino veluti reus sordidatus, supplex veniam pro suis charissimis filiis petebat; neque dubito, quin jam tum initio pro eorum salute vitam suam obtulerit, qui postea publice verbis, & factis declaravit, pro eis se se devovisse, ut illius boni Pastoris fungeretur officio, qui animam suam dat pro ovibus suis. Simili habitu fuerunt Canonici; immo plerique Sacri Viri, plurimi etiam laici, quum de eo, quod Carolus facturus erat, fama percrebuisset, nudis pedibus venerunt, cum funibus item collo aptatis, parvisque Crucibus, quas & ipsi manu tenebant.

LXIX. In Ambrosiana Basilica Concionem de suggestu habuit, in qua themate illo ex Jeremiæ proposito, *Quomodo sedet sola Civitas plena populo*, ex tanta, tamque repentina amplissimæ Civitatis mutatione, rerum humanarum inconstantiam, cælestiumque irarum vim ante oculos ponere, populumque ad errata, sceleraque sua deflenda, & calamitatem salutariter ferendam, tum vero vitæ rationes melius instituendas, incitare curabat. Ante sæpe ille quidem ad populum verba facere solitus fuerat, sed licet Religiosi Viri quandoque suasissent, suggestum conscenderat nunquam tamen, Concionemque habuerat ad Altare sedens; ac tali tempore fecit calamitatis, periculique magnitudo; tum pia, quæ animis omnium inerat, affectio, communisque dolor, qui propius, & clarius ex superiori loco leniendus erat, ut eo tunc ascenderet, ac ejusmodi loco postea pergeret semper concionari. Itaque tunc mœstissimo habitu dicens, Dei Spiritu inprimis incitante, Concionem, adeo commovit, ut omnes fere in fletum adduceret; & cum initio plerique separati, ab aliis tangendis caverent, postea nulla periculi habita ratione, confertim ad suggestum propius accedere, audiendi studio, conabantur.

LXX. Feria sexta ad S. Nazarium Litania fuit, ubi eodem modo ex illo Chaldæi Regis somnio, de procera, pulcherrimaque arbore, cujus copiosissimis fructibus, ramis, umbraque commodissime animalium genera omnia utebantur, quæ mox ita succidi, & dissipari jussa est, ut radices tantum manerent, populum suum ad vitia recognoscenda impulit, quibus in sua maxima opulentia servierat; ut ea ratione, quemadmodum par erat, improbata, nova jam, & utiliora sibi consilia proponeret, quibus a Deo veniam posset impetrare. Sabbato itum est ad celeberrimum B. Virginis Ecclesiam, apud aliam veterem S. Celso dicatam. Pia Sodalitia tunc ex instituto veteri, contra quam Gubernator olim jusserat, operta facie convenerunt. Illud etiam amplius factum, ut ex omnibus Ecclesiis, quæ commode potuerunt, Sacræ Reliquiæ elatæ cum lu-

luminibus portarentur, ad animos magis commovendos. Tunc quoque Clavum insigne Passionis Christi instrumentum, amplæ Cruci apte insertum portavit, summa Populi totius approbatione, religioneque; atque eo die occasione ex Clavo accepta, de clementissimi Domini erga mortales benignitate dixit; & propositis, quæ pro eis acerbissima perpessus est, ad Divinam misericordiam implorandam vehementer eosdem excitavit, & ad omnia bene speranda confirmavit. Ferrum sacrosanctum non statim ad locum suum referri, sed omnibus propositum esse, constituit, in Altari quadraginta horis venerandum, ut ad salutis suæ negotium procurandum tota Civitas eo spatio conveniens, proximo rei sanctissimæ aspectu vehementius afficeretur.

LXXI. Deinde, antequam reponeretur, aliam celebravit Litaniam, eumque longissima via tulit, cum universo itidem Clero, & Populo ad celebriora loca sex, quæ Pontium nomine præcipuas ante portas ex veteri Urbis situ, appellantur; mirumque fuit, Civitatem universam quasi contagii metu solutam, libenter, studioseque omnibus iis diebus ad Supplicationes convenire; quod ei tam feliciter evenit, ut in tanto hominum conventu, eoque sæpe repetito, cum etiam Cælum humidum esset, & grave, non modo nemo in ipsa via ceciderit, sed nihil acciderit omnino, ex quo auctum esse contagium appareret; quod magis mirum videatur, si cum illius Litaniæ eventu, quæ S. Gregorii Papæ I. suasu Romæ, ut supra tetigimus, habita est, conferatur; quæ quidem tum non una, unusve cœtus, sed septemplicis fuisse tradatur, unius tamen horæ spatio octoginta homines in ipsa via interierunt. Sed Deus perpetuo clemens, ex causis, quæ nobis ignotæ sunt, non eadem semper tamen utitur miserendi ratione. Divinarum autem Supplicationum finem Carolus minime faciens, præscripsit præterea Collegio Majoris Ecclesiæ, ut secunda quaque hebdomadæ Feria ad Ambrosianam Basilicam supplicatum iret, reliquo Clero universo, ut præter id, quod in Ecclesia sua facere quisque debebat, quotidie in certas partes distributus, una cum Populo veniret supplex ad Ecclesiam majorem.

LXXII. In Ecclesiis itidem externis ad eandem rationem precationes varias mandavit, ut in Urbe, & foris, mane, meridie, vespere; neque solum in Ecclesia, sed domi, vel in via, propter eos, qui inclusi erant, perpetua fere esset supplicatio; quæ quidem exercitationes jubebat, feminis a maribus separatis, ubi opus erat, haberi, feminasque semper velato capite convenire. Formulas etiam precationum ad eam rem, tum alias, tum in Missæ Sacro adhibendas edidit, quæ omnia singillatim persequi nolumus, ne cui forte narratio molesta sit, præsertim cum libellis tunc Caroli jussu editis contineantur. Hæc publice per Urbem fiebant, præter ea, quæ per religiosa virorum, feminarumque Collegia, partim ex Caroli præscripto, partim ex Antistitum religione, proprie, non solum in Ecclesiis palam, sed etiam privatim, pie, sancteque agebantur, ad Divinæ misericordiæ opem exposcendam. Alia S. Caroli gesta, occasione pestis, jam nos supra attulimus in Præfatione ad Rubricam præsentis Capitis x. Romani Ritualis, quod inscriptum est, *Processio tempore mortalitatis, & pestis*; sed longe plura videri possunt apud Guissanum, & alios Scriptores, qui de ejusdem Sancti Antistitis Vita, & rebus ab eo gestis scripsere.

LXXIII. Quamquam vero vel hoc postremum S. Caroli exemplum abunde, solideque nos doceat, licite fieri Processiones, Supplicationesve tempore pestis, aliis contrarium sentientibus, adhæreo nihilominus mediæ sententiæ, quæ ipsas quidem Processiones permittit, cum ea scilicet moderatione, quam exponit memoratus Quarti loco citato; ut scilicet permitti non debeant Processiones tempore pestis, nec censeri licitæ quomodolibet, & convocatis omnibus indiscriminatim, seu non adhibitis cautelis moraliter possibilibus ad obviandum periculis. Cæterum cum Sacræ Processiones secundum se licitæ sint, & valde utiles, etiam tempore pestis fieri possunt, servatis tamen nonnullis circumstantiis, quas Christiana prudentia dictat, & quarum aliquas idem Quarti proposuit his verbis: *Prima sit, ut non fiant hujusmodi Processiones, nisi evidens urgeat necessitas, quando experientia constat, humana remedia esse inutilia. Secunda, ut non convocentur confuse, & indiscriminatim omnes, exemplo S. Caroli, qui exclusit pueros, & mulieres. Tertia, ut convocati dividantur in plures turmas, exemplo S. Gregorii Magni, ut vitetur confusio. Quarta, ut procedant omnes servato ordine bino cum distantia adinvicem majori solita. Tandem, ut ante Processionem excitentur omnes ad pœnitentiam, & ad firmam in Deum fiduciam, exemplo dicti S. Caroli, qui omnium capita cineribus aspersit, & ipse fune ad collum alligato, Crucem bajulans, devotissime processit, atque similes cautelæ adhiberi poterunt.* Cæterum circumstantiis hactenus recensitis, unam adjungerem, ut nempe Processiones ipsæ tempore pestis indicantur quidem ab Episcopo, ad quem hujusmodi res pertinent, sed re prius cum Viris prudentibus, doctisque discussa, ac Magistratus sæcularis assensu, ad evitanda litigiorum pericula, ac scandala, quæ hisce occasionibus oriri solent.

## §. I.

Fiat, ut supra in Litaniis majoribus, & in Litaniarum Precibus dicatur bis, *A peste, & fame, Libera nos Domine*; & infra suo loco, *Ut a pestilentiæ flagello nos liberare digneris &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Extat in Sacerdotali Romano Venetiis impresso anno MDLXVII. Titulus, qui inscriptus est, *De Processione facienda in tempore pestis, & mortalitatis*, mandans, ut, *congregato Clero, & Populo ad Ecclesiam, cantetur Antiphona*, Oremus &c. *deinde cantetur Antiphona*, Exaudi nos Domine &c. *ut in quarta Feria Cinerum; qua cantata cum versu, &* Glo-

Gloria Patri &c. *& iterum repetita Antiphona, incipiatur Letania, & fiat Processio, sicut in Festo S. Marci notatum est*. Ex præscripto nostri §. in Litaniarum Precibus bis dicendum est, *A peste, & fame, Libera nos Domine*, quod enixæ Preces ad hoc fiant, & quod utplurimum pestem dira fames sequitur, ut probari permultis exemplis potest. Addi etiam & ea inter alias obsecrationes debet, *Ut a pestilentiæ flagello nos liberare digneris, Te rogamus audi nos*. Et merito quidem, quia Supplicatio potissimum fit ad avertendam pestem. Consuevisse olim fieri eam in Litaniis obsecrationem, quocumque tempore dicerentur, varii nos Rituales Codices docent, ac unus præsertim Ecclesiæ Turonensis annorum circiter CM. apud Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Ordine V. ubi in longa Litania, quæ post septem Psalmos Pœnitentiales ad ungendum sacro Oleo infirmum cantabatur, hæc inter alias legitur obsecratio: *Ut pestem, vel mortalitatem a nobis auferre digneris, te rogamus audi nos*. In antiqua etiam Litania apud eundem Scriptorem in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, pag. 633. editionis Lugdunensis anni MDCCVI. sic habetur: *Ut cladem, & pestilentiam de Terra nostra auferas, Domine Jesu, Te rogamus*. Afferri & aliæ possent, quas tamen supervacaneum est recensere; mirumque videri debet, quod in Litaniis, quibus utimur, obsecratio hujusmodi desideretur, tametsi aliquando fuerit præscripta.

## §. II.

In fine Litaniarum dicitur, *Pater noster &c. Et ne nos inducas &c.* Psalmus VI. *Domine, ne in furore tuo arguas me &c.* ℣. *Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.* ℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos.* ℣. *Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* ℟. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.* ℣. *Ora pro nobis Sancte Sebastiane* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

*Exaudi nos, Deus salutaris noster, & intercedente Beata, & gloriosa Dei Genitrice Maria semper Virgine, & Beato Sebastiano Martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum.*

Oratio.

*Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & animarum, & corporum medere languoribus, ut remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur.*

Oratio.

*Da nobis, quæsumus, Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam, mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, a te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum.*

# COMMENTARIUS.

I. JUxta Romani Sacerdotalis præscriptum, Processione ad Ecclesiam, ubi terminari debet, regressa, cantatur sequens Antiphona cum suo Psalmo, & quidem tota ante, & post: *Benedic anima mea Dominum, qui redimit de interitu vitam tuam, & replet in bonis desiderium tuum*. Sequitur Psalmus CII. *Benedic anima mea Dominum &c.* repetitaque prædicta Antiphona, dicitur sequens Responsorium: *Recordare Domine Testamenti tui, & dic Angelo percutienti: Cesset jam manus tua, ut non desoletur Terra, & ne perdas omnem animam viventem. Quiescat, Domine, ira tua a Populo tuo, & Civitate sancta tua, ut non desoletur &c. Gloria Patri &c.* Tum vero sequentes preces: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.* ℣. *Recordare, Domine, Testamenti tui, & dic Angelo percutienti.* ℟. *Cesset manus, & non desoletur Terra.* ℣. *Misit verbum suum, & sanavit eos.* ℟. *Et eripuit eos de interitu eorum.* ℣. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus.* ℟. *Et mirabilia ejus filiis hominum.* ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam Nominis tui libera nos.* ℣. *Ne perdas nos Deus cum iniquitatibus nostris.* ℟. *Neque in finem iratus reserves mala nostra.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Sequuntur mox septem Orationes, quarum prima eadem est, ac illa quæ primo loco in hoc nostro §. legitur, additis tamen in ipsa Oratione Sancto Petro Apostolo, ac Sancto Vincentio Confessore, in hunc modum: *Exaudi nos, Deus salutaris noster, & intercedentibus Beata Virgine Dei Genitrice Maria, Beato Petro Apostolo tuo, Beato Sebastiano Martyre tuo, ac B. Vincentio Confessore tuo, populum tuum &c.*

II. Porro in ipsa Oratione mentio fit primum intercessionis Deiparæ Virginis, quod illa potissimum valeat ad profligandam pestem, ut testantur Templa in ejus honorem erecta variis locis, ac præsertim Romæ, & Neapoli, ob Urbem, ac Regnum a peste servatum. Morem autem antiquum fuisse, ut ad pestem avertendam, ad Deiparam afflictorum consolatricem recurreretur, docet nos celebre exemplum S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, de quo antiquus ejus Vitæ Scriptor apud Surium die VI. Aprilis scribit, sævissimam pestem, quæ Constantinopoli grassabatur, sedatam fuisse, atque pla-

placatum Deum, qui eam immiserat, *Supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso Populo adhibuit, a sanctissima magna Ecclesia incipiens, usque ad Ædem sanctæ, & immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur*. Statimque subdit: *Dum igitur Supplicationes ad Christum Deum nostrum, quem ipsa Virgo de Spiritu Sancto concepit, fierent, pepercit ille Populo, Angelumque cobibuit, qui Civitatem sine intermissione percutiebat*. Sed supervacaneum est alia id genus referre, cum omnibus notum sit, quanta sit præ cæteris Sanctis Deiparæ apud Deum intercessio ad avertenda mala, quibus Dei iram provocamus ad ulciscendum.

III. Præter Deiparæ invocationem, fit & in prædicta nostra Oratione Sancti Sebastiani Martyris mentio, ob pestem ejus cultu sedatam Romæ, & in aliis nonnullis Italiæ Civitatibus anno DLXXX. Sancto Agathone Pontifice Maximo. Eo enim anno, ut in illius Vita scribit Anastasius, & ex eo Baronius ad ipsum annum, post Lunæ, Solisque ecclipsin, pestis ingens per tres continuos menses, Julium, Augustum, ac Septembrem, dire Urbem, & alias quasdam Civitates Italiæ invasit, atque vastavit. Tanta autem accessit multitudo percuntium, ut eodem feretro parentes cum liberis, fratres cum fratribus, ac sororibus efferrentur. Additque Paulus Diaconus Lib. VI. Historiæ Longobardorum, Cap. V. cujus locum etiam recenset Baronius, multis Romæ visibiliter apparuisse bonum & malum Angelum noctu per Civitatem pergere, & quoties ex jussu boni Angeli malus venabulo, quod in manu ferre videbatur, ostium alicujus domus percuteret, tot de eadem domo die sequenti interirent; tuncque per revelationem cuidam dictum esse, pestem non prius quieturam, quam in Basilica S. Petri ad Vincula poneretur Altare S. Sebastiani Martyris, eo vero facto, pestem protinus cessasse. Ita plane Paulus ipse Diaconus. Extat autem hactenus integrum ipsum Altare, necnon ejusdem S. Martyris Imago musivo opere expressa. Sed & ex hoc propagata ad posteros religio est, ut pestis tempore, voti causa Imago ejusdem S. Sebastiani diversis in locis pingi soleret, atque in ejus memoriam Altaria erigi, & Ecclesiæ fabricari, uti ad dictum annum notavit Baronius.

IV. Morem ipsum, quem laudat Boronius, erigendi Aras, ac Templa in S. Sebastiani honorem ad pestem propulsandam, probavit quidem Sacerdotale Brixiense, Distinctione VI. Cap. IV. ubi quærens, quid agendum a Parocho tempore pestis, inter alia num 7. ait: *Progrediente morbi calamitate, vota Sancto Sebastiano, per Populum fieri urgeat*. Probarunt & Sancti Antistites, piique locorum Magistratus, qui in dira apud ipsos grassante peste, ut ab ea liberarentur, ad intercessionem ejusdem S. Martyris confugerunt, ac præsertim S. Carolus, ejusque Civitas Mediolanensis, quæ dum lue vastaretur anno MDLXXVI. Deo, ejusque Martyri Sebastiano vovit, quem, & propter similia per eum quandoque impetrata, & quod matre Mediolanensi natus Mediolani quoque eruditus esset, sibi deprecatorem advocavit; vovitque, novam Martyri Ecclesiam, vetere diruta ædificare; conferre, unde Sacrum in ea fieri quotidie posset; diem Martyris festum, etiam cum diei antecedentis jejunio colere; Ecclesiam ipsam cum solemnibus donis quotannis in die Voti, hoc est, Idibus Octobris, & Festo item Martyris adire; Vas pretiosum offerre, quod ejusdem Martyris ossis decorum esset receptaculum; alia addidit, quæ hic explicare necesse non est. Carolus vero, ut Voto rite, decoreque solvendo quammaxime faveret, quibus diebus Populo conveniendum fuit, una cum Clero Ecclesia adita, Sacrisque apparate peractis, religiosissimam effecit celebritatem; atque anno post, cum Civitas ex diuturna afflictione recreata esset, ædificii forma probata, primum ex Ecclesiæ stato ritu lapidem posuit, uti rem narrat Carolus a Basilica Petri Lib. IV. Cap. V. Cæterum cum non omnia loca peste infecta capacia sint ad hujusmodi Vota facienda, atque exequenda, sat erit, si occasione pestis illud servetur, quod Rituale Romanum præscribit de Processione instituenda, ac Litaniis cantandis cum Precibus, & Orationibus in Capite præsenti notatis.

V. Omissis variis Orationibus, quas post Litanias, ac Preces dici mandat Sacerdotale Romanum, notandum hic censeo, quod idem subdit, ut nempe, *completis Orationibus, cantetur Missa contra pestem, ut in Missali cum Orationibus de Beata Virgine, de Sancto Sebastiano, & de Sancto Vincentio Confessore*. Supplicationibus, ad propulsandam pestem Constantinopoli grassantem, adjunxisse S. Eutychium Sacrificium Missæ, tradit ejus Vitæ Auctor jam alias memoratus, ubi etiam ait imitatum fuisse Sanctum Patriarcham in hac re Davidem Prophetam, qui, uti legitur Lib. II. Regum, Cap. XXIV. Altare constituit in Area Ornan Jebusæi, & Domino boves immolavit, & placatus est, & mors sævire desiit. Tum vero subdit: *Nonne magnus, ac mansuetus Eutychius efferens rationabile, & incruentum Sacrificium Deo, idem effecit? Neque enim aliter extentas manus demisisset, nisi Populi salutem impetrasset. Ab eo igitur die, usque ad Beati Viri Vitæ finem, Christus Deus noster a Populo provocatus iram cobibuit*. Extat hodieque in fine Romani Missalis post Missas votivas *Missa pro vitanda mortalitate*, cujus Missæ, ut ait Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XVII. num. 21. *dicitur Auctor Clemens VI. in Ligno Vitæ, Cap. V.* Porro quod in ipsa contra pestem Missa Romanum Sacerdotale mandet, ut una cum Oratione de Beata Virgine, & de Sancto Sebastiano, dicatur etiam Oratio *de Sancto Vincentio Confessore*, Ferrerio scilicet Ordinis Dominicani alumno, forte Albertus Castellanus, qui Sacerdotale ipsum ordinavit, & qui eundem Ordinem professus fuerat, ex sua peculiari devotione prædictæ Missæ dixit Sancti Vincentii Orationem inserendam; nisi dicere velimus, quod ejusdem Sancti intercessione, inter alia miracula, peste etiam correpti, sanati fuerint, uti legitur apud Surium in ejus Vita die V. Aprilis: *Apud Cæsaraugustam, inquit, vir quidam nomine Joannes Sanicus, peste exitialiter correptus, ita ut salus ejus desperaretur, bortatu illustris Viri Joannis Grassiæ, qui nunc est Majoricensis Episcopus, & Alphonsi Regis Aragonii Confessarius, multis cum lacrymis B. Vincentio votum nuncupavit, & illico curatus est*. Sed nec desunt alia exempla recentiora, quibus docemur, liberatos fuisse Populos a peste, Sancti Vincentii Ferrerii intercessione.

# CAPUT XI.

## *Preces dicendæ in Litaniis tempore Belli.*

I. Bellum Festus a belluis deducit, quod belluarum sit mutuo se laniatu conficere. Priscianus autem, & S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam de XLII. Mansionibus, per antiphrasin, Bellum dictum volunt, quod minime bonum sit, sicut *lucus* a Poetis dicitur, quod minime luceat, & *Parcæ*, quod minime parcant. Cassiodorus vero Lib. I. Variarum, Cap. XXX. existimat, a Belo, qui primus gladium produxit, denominatum Bellum. Quidquid sit de Belli ethimologia, Bellorum originem recte exposuit S. Nicolaus Papa I. in sua Epistola LXXI. ad Bulgaros neophytos, qui ipsum de quibusdam circa Bellum quæstionibus consuluerant, ubi ita Cap. XLVI. scripsit: *Bellorum, ac præliorum certamina, nec non omnium jurgiorum initia, diabolicæ fraudis arte sunt profecto reperta, & dilatandi Regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii delector, tantum his intendere, seu delectari convincitur.* Quam hæc sint horrenda primi nostri Parentis Adæ peccati pœna, egregie demonstrat S. Augustinus, Lib. XII. *De Civitate Dei*, Cap. XXI. & seq.

II. Mala ingentia, quæ ex Bello proveniunt, notiora sunt, quam explicare sit opus, uti recte notavit eruditus Quarti in Tractatu, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Sectione II. Puncto XIX. quod inscriptum est, *De Processione tempore Belli &c.* ubi inter alia recenset locum S. Ambrosii qui mala ipsa paucis quidem, sed gravibus verbis, explicuit in Epistolam Pauli primam ad Timotheum, Cap. II. *Bellum*, inquit, *nec pietatem servat, nec castitatem; videmus enim, Bello flagrante, Vrbes, & Templa diripi, Sacra omnia prophanari, Virgines violari, Sacerdotes capi, & fugari, omniaque rapinis, & cædibus misceri.* Fateri nihilominus cogimur, divinam bonitatem, uti nullius mali potest esse auctrix, ita omnibus malis bene uti: *Melius enim judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere*, uti recte docet S. Augustinus in suo Enchiridio. Hinc etiam ex Bellis licet sceleratissimis trahit nobis utilitates, ac illam potissimum, quam exponit Tertullianus in Libro, *De Anima*, Cap. XXX. *Jam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent, ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubique vita. Summum testimonium frequentiæ humanæ. Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non sustinet. Re vera lues, & fames, & Bella, & voragines Civitatum, pro remedio reputanda tamquam tonsura insolescentis generis humani.* Horrenda quidem tonsura, etenim pestilentia quandoque omnem terræ orbem pervagata est, & de decem hominibus abstulit novem; & non raro est fructus, ac sequela Belli, & ipsum Bellum facit non minores strages, & tamen mundus plenus hominibus perseverat.

III. Ergo vel ex hoc capite admiranda, & adoranda est Divinæ Majestatis providentia, ad quam respexit etiam S. Augustinus Lib. XXII. contra Faustum, ubi sic loquitur: *Bellum, quod gerendum, Deo auctore, suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, vel ad terendam, vel ad obterendam, vel ad subjungandam mortalium superbiam, quando nec illud, quod humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili Deo, sed nec Sanctis ejus obesse aliquid potest, quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamque paternam disciplinam, etiam prodesse invenitur.* Verum Divina Providentia est longe secretissima, de qua sic ibidem inquit memoratus Augustinus: *Quis hominum novit, cui prosit, aut obsit in pace regnare, vel servire, vel vacare, vel mori. In Bello autem, vel superare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? Cum hoc tamen constet, & cui prodest, non nisi per Divinum prodesse beneficium, & cui obest, non nisi per Divinum obesse judicium.* Eodem Bello Divina Providentia probos exercet, malos castigat, atque etiam per victoriam; hæc enim dum improbis conceditur, est horrenda Divinæ justitiæ pœna, uti notavit eruditissimus Lupus Tomo XI. Operum editionis Venetæ, in Dissertatione, *De antiqua disciplina Christianæ Militiæ*, Cap. II.

IV. At vero, cum multæ oriantur ex Bello calamitates, quas referre supervacaneum est, quum vel hoc præsenti Sæculo tota fere Europa illas noverit, expertaque fuerit, exemplo Majorum nostrorum, ac Patrum Ecclesiæ, ut tot malis, aliisque pene ex Bello manantibus innumeris occurratur, ante omnia recurrendum est ad Deum per Orationem, ac Preces, Supplicationesque, ut Bellum avertat. Quamquam vero ea sit Capitis hujus inscriptio, *Preces dicendæ in Litaniis tempore Belli*, nullamque Processionis habendæ eo tempore mentionem faciat, fieri illa nihilominus tunc temporis consuevit, ut varia exempla nos docent, ipsumque Romanum Sacerdotale Venetiis impressum anno Christi MLXVII, pag. 261. a tergo, Titulo inscripto, *De Processiane tempore Belli*. Quod quidem locum habet, tam in Bello, quo inter Christianos Principes, quam in eo, quod contra Turcas, & alios infideles, vel hæreticos agitur; in quo etiam & in Litaniis peculiaris obsecratio, & Psalmus, ac Preces, atque Orationes diversæ ab illis dicuntur, quæ pro Bello inter Principes Christianos præscriptæ habentur, uti ex sequentibus Paragraphis liquet.

V. Explicari satis nequit, quanto studio Romani Pontifices conati sint semper Bella inter Principes Christianos, ac dissidia gravissima inter eosdem exorta exstinguere, Apostolicis non modo Litteris, verum etiam Cardinalibus a latere, ut ajunt, ad ipsos directis; quin etiam non dedignati sunt ipsi eandem ob causam longa itinera suscipere, uti inter alios non semel fecit Paulus III. Pontifex Maximus, ut pacem inter Imperatorem Carolum V. & Franciscum I. Galliæ Regem procuraret: quod sciret ex Bellorum tumultu Turcas, atque hæreticos adversus Christianam Religionem, & Fidem Catholicam Bellum atrocius machinari, atque imperium suum & sectam latius dilatare. Extant in Bullario Romano variæ Summorum Pontificum Constitutiones, præsertim Innocentii Papæ XII. & Clementis Papæ XI. quibus pro pace inter ipsos Chri-

Christianos Principes dissidentes Jubileum indictum legitur, cum plena Indulgentia iis concessa, qui solemni Processioni, quam eam ob caussam instituebant, interfuissent. Constitutio Innocentii XII. data est die III. Decembris anni MDCXCV. incipitque, *In sublimi Sedis Apostolicæ fastigio &c.* Clementis autem XI. Constitutio data est die II. Decembris anni MDCCVI. ejusque initium est, *Ex eminenti*, ubi sic inter alia inquit: *Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex ea ligandi, atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui solemni Processioni, quam Feria quinta proximæ hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus, a Capella publica Palatii nostri Apostolici in Vaticano ad Basilicam Principis Apostolorum una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, ejusdem Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris, vel earum aliquam &c.*

## §. I.

Peractis omnibus, ut supra in Litaniis Majoribus, ad finem Litaniarum dicitur, *Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Psalmus XLV. *Deus noster, refugium, & virtus &c.* ℣. *Exurge, Domine, adjuva nos.* ℟. *Et libera nos propter Nomen tuum.* ℣. *Salvum fac populum tuum Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Arcum conteret, & confringet arma.* ℟. *Et scuta comburet igni.* ℣. *Mitte nobis, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Deus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.*

Oratio.

*Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.*

Oratio.

*Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum.*

## COMMENTARIUS.

I. Regula generalis pœnitentialium Processionum, uti ex superioribus Capitibus liquet, semper fuit, ut a Litaniis inciperentur, ad implorandam scilicet Sanctorum omnium intercessionem, ut a Belli malis liberemur. Psalmus dicendus post Litanias desumptus est ex Psalterio Davidis, estque in ordine quadragesimus quintus, qui, uti ad hunc locum observat Barrufaldus in suis ad hoc Rituale Romanum Commentariis, scriptus fuit in gratiarum actionem pro victoria Davidis ab inimicis suis, Deo auxiliante, reportata; secundum vero antiquiores Hieronymum, Augustinum, Basilium, aliosque intelligi debet de liberatione Ecclesiæ Christianæ a persecutionibus infidelium, uti in ipsum Psalmum notavit Bellarminus. In summa, uti post Bedam notavit in eundem Psalmum Cardinalis Thomasius, *Psalmus docet, nos spem nostram in illum debere ponere, qui solus potest de tribulationibus liberare.* Atque huc spectant quatuor vetustæ Orationes, quæ post Psalmum ipsum leguntur apud laudatum Thomasium in Libro, cui Titulus, *Psalterium cum Canticis.*

## §. II.

Si vero bellum est contra Turcas, & alios infideles, vel hæreticos, inter Preces Litaniarum bis dicatur, *Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos*; & addatur: *Ut Turcarum*, vel *hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus &c.* Et dicto, *Pater noster &c.* dicatur Psalmus LXXXVIII. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam &c.* ℣. *Salvos fac servos tuos.* ℟. *Deus meus sperantes in te.* ℣. *Esto nobis Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. Ho-

*Hostium nominis tui Domine elide superbiam.* ℟. *Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.* ℣. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* ℟. *Et Angelus Domini persequatur eos.* ℣. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* ℟. *Et in Regna, quæ Nomen tuum non invocaverunt.* ℣. *Mitte nobis, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.*

Oratio.

*Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.*

Oratio.

*Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura Regnorum: respice in auxilium Christianorum, ut Gentes Turcarum* (seu *hæreticorum*) *quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum nostrum &c. Exaudiat nos Dominus. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Quoniam non semper Bella, & arma sunt inter Principes Christianos, Catholicosque, ad fovendam innatam regnandi cupiditatem, absque eo quod a Principibus ipsis animadvertantur tot damna, quæ Populis, Urbibusque inferuntur, sed persæpe ipsa agantur ab Infidelibus, hæreticisve, & præcipue a Turcis, & contra Turcas, hinc est, quod Ecclesia peculiares Preces instituit, atque in hoc §. præscripsit, quibus ad reprimendos eorum conatus, atque ad nihilum redigendos, utamur, tam in Bello defensivo, quam offensivo, ut vocant. Quidquid autem aliter aliquando Lutherus scripserit, recte jam & illud docet Cardinalis Bellarminus, Lib. II. *De Laicis*, Cap. XVI. licere bellum gerere Christianis contra Turcas. Constat enim, Turcas nullo jure occupasse Regna Christianorum, & quotidie plura occupare velle. Constat quoque, eos extinguere cupere omnem Religionem, & dare omnem operam, ut homines ex Christianis fiant Mahumetani. Denique constat, & antiquos Pontifices, ut Urbanum II. Paschalem II. Eugenium III. & alios multos, necnon Generalia Concilia, ut Lateranense, Lugdunense, Viennense, & alia generale Bellum Mahumetanis indixisse; & S. Bernardum, aliosque Sanctos Viros concionibus publicis excitasse populos ad hoc bellum, & Sermonem miraculis confirmasse, ut idem Bernardus modeste indicat Lib. II. *De consideratione*.

II. At vero, ut explicemus causas, ob quas Lutherus senserit, non licere adversus Turcas bellare, prima est, quia voluntas Dei esse videtur, ut a Turca tanquam flagello quodam puniamur, neque liceat nobis Dei voluntati resistere. Quod autem ista sit voluntas Dei, probat in assertione Articuli XXXIV. in Bulla Leonis Papæ X. damnati, ab experientia, quæ docuit hactenus, nihil Christianis profuisse Bellum contra Turcas. Sed hæc prima causa nihil obstat, nam etsi voluntas Dei sit, ut peccata nostra per Turcam puniantur, non est tamen Dei voluntas, ut Turcæ minime resistamus. Id quod ex fine probatur; non enim Deus permittit, Turcam in nos sævire, ut pereamus, sed ut convertamur; tunc autem ad conversionem perducimur, cum Turcæ nos oppugnanti resistere conamur, resistendo laboramus, laborando nostram infirmitatem agnoscimus, atque inde ad Deum toto corde revertimur, & ejus auxilium imploramus. Itaque ex fine, quo Deus permittit, Turcam in nos sævire, sequitur manifeste, ipsum velle, ut Turcæ resistamus. Præterea ita flagellum Dei est Bellum Turcæ, sicut pestis, fames, hæresis, fomes peccati, & similia; nemo autem tam stultus est, qui adeo putet, non esse quærenda medicamenta contra pestem, neque terram colendam, ne moriamur fame, neque hæresi, & fomiti resistendum. Sed neque verum est, quod Lutherus dicit, experientiam docere, nihil nobis prodesse Bellum contra Turcas, nam ut omittam hic plurimas victorias de Turcis relatas, certe cum primum arma illata sunt in Terram Promissionis, felicissimo eventu Hierusalem a nostris recuperata fuit, & regnaverunt Christiani ibidem Principes annis LXXXVIII.

III. Causa altera, quam affert Lutherus, est, quia Ecclesiæ utilior est tribulatio, & persecutio, quam victoria, & tranquillitas. Unde in Sermone, *De Matrimonio*, reprehendit Ecclesiæ consuetudinem, quæ orat pro pace, & quiete, cum potius pro tribulationibus orandum esset. Sed respondet laudatus Cardinalis Bellarminus, tribulationem, & persecutionem, esse quidem utilem, sed periculosam, & ideo non expetendam, sed tolerandam, quum aliter fieri non potest. Unde in Evangelio Matthæi, Cap. VI. Versu XIII. jubemur a Christo Domino in Oratione Dominica & his verbis orare: *Et ne nos inducas in tentationem*. Et Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, Capite II. Versu II. jubet orare pro Regibus, ut quietum, & tranquillam vitam agamus. Quibus testimoniis inhærentes Patres, ac nominatim S. Augustinus, Lib. X. Confessionum, Capite XXVIII. ajunt, miserias tolerandas, non amandas, nec desiderandas, ac petendas. Cæterum, potissima causa, cur Lutherum inter alia sua paradoxa hoc etiam protulerit, non licere Christianis adversus Turcas bellare, fuisse videtur implacabile ejus odium adversus Pontificem; tanto enim odio illum aliquando persecutus est, ut plane optaret videre Turcam occupantem omnia Regna Christianorum, ut saltem eo modo Romani Pontificis nomen extingueretur.

IV. Sed omissa Lutheri rabie, præcipuus Ro-

Romanus Pontifex, qui Bellum adversus Mahumetanos pro recuperanda Terra Sancta instituit, fuit quidem Urbanus II.qui eam causam ad Clarum Montem in Galliis Concilium celebravit anno Christi MXCV. ut in eo indiceretur expeditio in Terram Sanctam, de qua nos alias fusius diximus, & in Commentariis ad Concilia Oecumenica, & in iis, quibus Romanum Pontificale illustravimus. Ergo Urbanus II. Pontifex, ut tradit etiam Baronius ad annum prædictum, quod sciret sæpe, a prædecessore suo Gregorio VII. esse tentatum, sed schismaticorum factionibus, variisque Bellis impeditum, denuo urgentibus Literis Alexii Imperatoris Constantinopolitani nuper in Placentino Concilio lectis, cujusmodi & plures alias eundem Alexium ad Urbanum scripsisse testatur Urspergensis in Chronico, noviter agere cœpit, ut a Fidelibus Christianis ferretur auxilium periclitanti Orientali Ecclesiæ, potissimum vero Hierosolymorum, a cujus Patriarcha Simeone, deferente Petro Eremita, Literas commiseratione dignas acceperat, quibus Christi Incunabula, atque Sepulchrum, cæteraque loca sancta ipsius memoria consecrata, ab infidelibus Turcis profanata, omnique genere contumeliarum affecta deplorabat. Iste enim, teste Willelmo Tyrio Archiepiscopo, qui eam, *De Bello Sacro*, historiam texuit, natione Gallus Patria Ambianensis, cum petiisset Hierosolymam, & Literas ad Urbanum Papam, & Christianos Principes accepisset, a Christo quoque per visum, dum oraret ad Sacrosanctum Templum Resurrectionis, tanti muneris legationem accepit, non autem per Epistolam de Cælo lapsam, ut plures sunt fabulati, & afflatus Divino Spiritu classicum potenter intonuit, cujus clangore ab universo pene Orbe Occidentali ad arma concursum est.

V. Attamen primarius Dux verbi, atque promotor tantæ molis operis Urbanus Pontifex extitit, qui in hoc ipso Claramontano Concilio plures ea de re conciones habuit, quarum unam recitat memoratus Tyrius, Lib. I. Capite XV. aliam Willelmus Nalmesburiensis, tertiaque ab illis plane diversa reperitur inter schedas Bibliothecæ Vaticanæ, ut idem Baronius narrat. Sed & qui aderant Ecclesiarum Prælatis, quod Tyrius testatur, & ex eisdem Sermonibus apparet, præcepit, ut ad propria reversi cum omni instantia, & debita solicitudine plebes suas ad idem hortarentur. Id vero ipsi impigre præstantes, adeo profecerunt, ut præ multitudine dantium nomina, opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel valetudo ponderi militari subeundo impar esse, manifestis indiciis videretur. Erat autem pro stipendio Indulgentia peccatorum proposita: atque, ut Petrus Diaconus scribit in Chronico Cassinensi, Lib. IV. Cap. XV. pro tessera militari signum Sanctissimæ Crucis super scapulam dexteram impressum vestibus. Et ut nihil ire volentibus objiceretur impedimenti, ante omnia placuit Decreto Synodali statuere, ut cuncta bona eorum, qui militarent, semper, & ubique essent in pace, &, ut vocabant, tregua, nempe ab omnimodis inquietationibus libera, quosque rediissent.

VI. Ut autem res difficillima hactenus intentata optatum consequeretur effectum, ad conciliandum cæleste Numen, placuit etiam Dei Genitricis precibus annitendum, quod probe sciretur, quæque ardua progressura feliciter, quibus B. Mariæ Virginis faveret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum Urbanus Papa eodem in Claramontano Concilio egit, ut Horariæ illæ Preces, & Laudes, quæ vulgo Officium Dei Genitricis appellari consueverunt, quæque apud Monachos Eremitas institutionis S. Petri Damiani frequentari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos, a quibus digne eidem Sanctissimæ Virgini persolvi deberent, ut ipsa apud Filium ageret, quo fidelis populus in tot, & tantis discriminibus subeundis ejus præsidio muniretur. Quod quidem tunc a Synodo indictum, & a Clericis pie susceptum, ad laicos etiam fuit, tam viros, quam feminas propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, ut experti sunt omnes, jugiterque experiuntur Fideles, illud ex animo frequentantes. Quin & easdem Preces Carthusianos divino monitu haud tunc pridem suscepisse dicendas, suique Ordinis eandem Dei Genitricem adscivisse Patronam, docet nos Auctor Vitæ S. Brunonis ipsorum Institutoris, apud Surium die VI. Octobris; in qua etiam & de præceptis in dicto Claramontano Concilio iisdem Precibus fit mentio. Porro ipse Bruno triennio retentus ab Urbano, vix ab eodem licentiam obtinuit optatam Eremum repetendi; qui tamen haud in Carthusiam rediit, ne ita Pontificem, celebrato Placentino Concilio, proficiscentem in Galliam sequeretur, sed in nostram Calabriam, ubi Carthusianum propagavit Institutum, nobileque erexit in Squillacensi regione Monasterium insigni plane liberalitate Rogerii Calabriæ, & Siciliæ Comitis.

VII. His obiter dictis, consuevisse posteriores Urbano Papa II. Romanos Pontifices, armis non modo, sed Processionibus, Precibusque ad Deum, ejusque Virginem Genitricem fusis adversus Turcas, hæreticosque pugnare, docet nos S. Pii Papæ V. exemplum, qui, ut scribit Auctor ejus Vitæ Gabutius Lib. II. Cap. III. ut a Dominico grege sibi commisso truculentam undique frementium luporum rabiem vigilantissimus Pastor arceret, atque propelleret, necessario sibi faciendum putavit, ut pacis bonum, cui perpetuo fuit intentor, bellicis præsidiis tueretur. Enimvero cum Rempublicam Christianam duorum acerrimorum hostium, Turcarum videlicet, & hæreticorum viribus continenter oppugnari, ac propemodum opprimi videret, immanem quidem illorum audaciam contundere, horum vero impietatis furorem extinguere, ab ipso sui Pontificatus initio cogitavit. Itaque per Epistolas occultis notis conscriptas, Commendono Legato mandavit, ut cum Cæsare, Germanisque Principibus diligenter ageret de sociali in communem hostem Turcam fœdere jungendo; quippequem intelligeret, maximos bellicos apparatus conficere, ut Christianos terra, marique impeteret, summo cum eorum detrimento; cumque de illius potentia constaret, Pius, uti Summum omnium Parentem decet, Principes ad tutandam rem christianam sanctissimi fœderis vinculo colligare decreverat, ut non solum imminentia proxime, sed multo post etiam futura pericula declinaret; ac præterea, se, quicquid posset, quamdiligentissime præstiturum pollicebatur, tam in faciendo sumptu, quam in Regum omnium, ac Principum auxilio procurando. Cæterum Principes omnes assiduis urgebat cohortationibus,

ut

ut sacrosanctam Belli societatem inirent, Cæsareamque Majestatem contra barbarum Tirannum pro Christiani Nominis gloria dimicantem juvare ne gravarentur.

VIII. Inter hæc autem indicto amplissimo Jubileo, ut hisce divinorum armorum opibus, præter alia pecuniaria subsidia, opitularetur Imperatori, pro more veterum Patrum, ad ea pietatis præsidia, quibus iræ cælestes a mortalibus avertuntur, confugiendum Pius existimavit, uti rem narrat his verbis ipsis Gabutius: *Itaque solemnes, ac publicas tridui Supplicationes decrevit, quæ non Romæ solum, sed per totum ferme Christianum Orbem haberentur, ad salutares pœnitentiæ fructus omnes excitavit, Apostolicam gratiam, & Indulgentiam amplissimam omnibus conferens, qui jejuniis, eleemosynis, & Orationibus piis intenti, ad Confessionisque, & Eucharistiæ Sacramenta accedentes, adversus Christianæ Fidei hostes victoriam Cæsari a Deo precarentur. Inciderunt hæc in æstivos dies, quibus maximi in Urbe calores esse solent. Supplitiones tamen illas ipsemet Pius coram honestavit. Nam a se diluculo facta re Divina in Æde Sancti Marci, inde primo die ad Lateranensem Basilicam, altero ad S. Mariæ Majoris, tertio ad Aræ Cæli Templum pedes processit.* Addit mox Auctor Vitæ, omnino tunc magnam opinionem fuisse, trecentis ab illinc annis, nullum extitisse Pontificem, qui majore frequentia, alacritate, ac pietate sacrum ejusmodi Supplicationum munus obiisset; illudque fuisse admirabile, quod cum tanta ad S. Joannis ædem prima Suplicatione confluxisset hominum multitudo, ut major convenire minime posse videretur, frequentior tamen apparuerit in secunda; quodque demum in tertia longe quam antea numerosior ad pie precandum turba undique collecta, rebusque divinis intenta conspiceretur, denique in eo celeberrimo comitatu, tantum pietatis studium excitasse Pontificem, ut in omnibus imaginem veræ Fidei, quam olim Apostolus in Romanis hominibus extulit laudibus, se intueri plerique tunc testarentur.

IX. Idipsum præstitit Pius cum Christianam classem adversus Turcas, de quibus ad Echinadas insulas omnium sæculorum maxime memorabilem victoriam reportavit, cum humanis, tum divinis præsidiis instruxit, rem narrante eodem Gabutio Lib. IV. Cap. II. & seq. & Breviario Romano Dominica I. Octobris in Officio SS. Rosarii B. Mariæ Virginis, his verbis: *Innumerabiles porro fructus ex hac tam salutari institutione in Christianam Rempublicam dimanarunt, inter quos victoria illa merito annumeratur, quam Sanctissimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Christiani Principes apud Echiandas insulas de Turcarum Tyranno potentissimo reportarunt. Nam cum illa ipsa die ea victoria relata sit, qua die Sanctissimi Rosarii Sodalitates per universam Orbem consuetas Supplicationes, statasque preces de more funderent, iis precibus haud immerito refertur accepta. Quod quidem cum etiam Gregorius Tertiusdecimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio Beatæ Virgini sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur, in Ecclesiis omnibus, in quipus Altare Rosarii foret, prima quaque Octobris Dominica Officium sub ritu duplici majori perpetuo celebrandum indixit; aliique Pontifices Rosarium recitantibus Indulgentias pene innumeras concessere.* Pergit Breviarium aliamque Supplicationem nostro hoc ævo celebratam, Clemente XI. Pontifice Maximo, cum ingenti victoria adversus Turcas a Christianis obtenta: *Nuper vero Clemens XI. animo reputans insignem pariter victoriam anno millesimo septingentesimo decimo sexto in Hungariæ Regno a Carolo VI. in Imperatorem Romanorum electo de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigisse, quo Festum Dedicationis S. Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo Sanctissimi Rosarii Confratres publicam, solemnemque Supplicationem in alma Urbe ingenti populi concursu, magnaque religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxilium Christianorum humiliter implorarent, eam ob rem victoriam illam, nec non liberatam paulo post eorundem Turcarum obsidione Corcyrensem Insulam, ejusdem B. Virginis patrocinio pie censuit adscribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper, & memoria extaret, & gratia, Sanctissimi Rosarii Festum eadem die, eodemque ritu celebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus Decimustertius in Breviario Romano novissime apponi jussit.*

X. Itaque præter Litanias, ac preces ex hujus nostri §. præscripto, dicendas in Bello adversus Turcas, & alios infideles, vel hæreticos, solitum fuit etiam sacram Processionem celebrare, in eaque Rosarium in honorem Deiparæ Virginis recitare. De Processione in Bello adversus hæreticos instituenda, ut aliquid dicamus, celebre extat ejus rei in ejusdem Sancti Pii Papæ V. exemplum Lib. II. Cap. VIII. ubi recensentur varia illius auxilia Galliarum Regi, Regnoque nefariis hæreticorum armis oppresso: *Quibus ipse in eam rem, & grandem pecuniam, & magnum equestrium, pedestriumque militum numerum auxilio misit. Atque his quidem patriis, & Christianis monitis, expeditisque subsidiis a magnanimo Pontifice profectis, & Rex, & Regina, & cæteri proinde Principes, Optimatesque Catholici egregie sublevati, & erecti in communi periculo, justoque Bello, celeriter arma sumenda constituerunt. Inde magna, ac celebris ad implorandam opem divinam ab Regio Sacello ad Ædem usque Cathedralem habita Supplicatio est.* Porro effectus Supplicationis fuit, quod ad Clarentiam amnem III. Idus Martii anno MDLXIX. Jarnacium inter & Castrum novum commisso prælio, in quo per horas quatuor acriter pugnatum est, hæreticorum exercitus cæsus, fugatusque est, pluribus eorum ducibus, primariisque ad CCCC. militibus occisis. Gaspar Colignius Admiralius, ejusque Frater Andelotus vulnerati fugam arripuere. Condensis vero Princeps quo utebatur equo suffosso cecidit, galeaque detracta, a Guisianis equitibus agnitus, cum pro redimenda vita aureorum nummum centum millia parcentibus offerret, ærea glande in fronte percussus interiit.

XI. At vero, ut ritum hujusmodi Supplicationum explicemus, juxta Romanum Sacerdotale Venetiis impressum anno MDLXVII. Capite inscripto, *De Processione tempore Belli*, completo circuitu Processionis, eaque in Ecclesiam in-

ingressa, cantanda primum est Antiphona, *Congregatæ sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, & ignoramus, quid agere debeamus, Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, Adjuva nos, ut non pereamus*. Sequitur Psalmus LXXVIII. *Deus venerunt Gentes &c.* qui idem est, ac ille in §. nostro præscriptus, deploratque calamitatem venturam, quæ accidit Hebræis sub Antiocho, & cæteris Regibus tempore Machabæorum, ut ad ipsum Psalmum notavit Bellarminus, & fuit pariter veluti Vaticinium calamitatum, quæ passura erat Ecclesia Christiana, & Catholica, ab infidelibus, hæreticisque. Cæterum licet Psalmus ipse imprecationibus variis infideles ipsos, atque hæreticos impetat, licite nihilominus, & jure adhibetur. Sicut enim in Bello justo licitum est hostibus insidias ponere, ac illos occidere, ita & per ipsum Psalmum, ac Preces licet imprecari eisdem mala, & calamitates; & ut præscribit hic noster §. bis inter Preces Litaniarum repetere, *Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris &c.* ac deinde etiam adjungere: *Ut Turcarum* (vel *hæreticorum*) *conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris &c.* Reliquæ tandem Preces post Psalmum, atque Orationes in §. nostro notatæ, eodem tendunt, ut nempe Ecclesiæ hostibus profligatis, Ecclesiæ tranquillitas donetur. Atque istæ quidem, aliæque id genus Orationes, a Deo utplurimum exauditæ fuerunt, præsertim quando Summus Pontifex Christi in Terris Vicarius, ac Reipublicæ Christianæ Caput, tamquam murus pro domo Dei, hostium superbiæ, feritatique se opposuit, uti pluribus probari posset exemplis, quæ in Romanorum Pontificum Vitis occurrunt, ac S. Pii præsertim Papæ V. de quo supra jam diximus.

XII. Ut tandem aliquid de Græcorum ritu dicamus, extat in eorum Euchologio, seu Rituali Caput inscriptum, *Officium in Barbarorum adventum, & Gentilium incursum*. Tum vero sequitur, *Canon supplex ad Sanctissimam Deiparam in rumore Belli*; ac deinde duæ prolixæ Orationes Macarii Philadelphiæ Episcopi in Barbarorum incursus, ex quibus varia argumenta desumi possunt ad habendum Sermonem ad populum ei calamitati obnoxium.

# CAPUT XII.

## *Processio in quacumque tribulatione.*

I. Tribulatio vocabulum est Ecclesiasticis Scriptoribus familiare, significatque oppressionem, afflictionem, anxietatem, quæ significationes tractæ videntur a tribulo instrumento rustico, quo frumenta olim terebantur, aut certe a tribulo herba, acutissimis spinis infesta, aut, ut alii malunt, a stimulo ferreo formæ tetragonæ, qui quamcumque in partem incubuerit, aculeum semper infestum protendit. Dividi plane potest in publicam, & privatam, & prior quidem, cum universitas, altera vero cum singulares homines illam patiuntur; utramque a Deo immitti, aut permitti, vel ad disciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum, vel ad probationem justorum, pluribus sacræ Scripturæ locis inter alios Patres probat S. Cyprianus in Libro ad Demetrianum; sed recte tamen monet S. Gregorius Nazianzenus, præstare quidem, ut tribulationes, calamitatesque, ob scelera potius infligi, quam ob probationem, existimemus. Ita ille plane docet in celebri sua Oratione, quam habuit in plagam grandinis ad Populum Nazianzenum, ut illum ad pœnitentiam, vitæque correctionem exhortaretur. Porro tribulationum utilitates peculiari Opusculo explicuit eximius nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter Bonsignorius Cacciaguerra, quem Fr. Daniel Cremonensis Sacri Palatii Apostolici Magister, anno MDLIX. xx. Junii, ubi facultatem ejus Opusculi imprimendi typographis dedit, hoc elogio insignivit: *Conceditur almæ Urbis typographis facultas imprimendi libellum de tribulationibus ferendis, pio admodum, & Christiano spiritu editum a Reverendo Domino Bonsignore Cacciaguerra Viro insigni animarum zelo, & charitate prædito*.

II. Quamquam vero ex repetitis Sacræ Scripturæ oraculis, ac Patrum testimoniis, æquanimiter perferendæ sint tribulationes, ex eisdem nihilominus passim docemur, ut, dum ipsis affligimur, ad Deum clamemus, eumque obtestemur, per Preces publicas, Supplicationesque, ut ab iis nos dignetur eripere, ac liberare. Ait enim in Psalmo xc. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Ex quibus verbis forte desumptus est ritus ille antiquus, ac fere communis, dictus, *Clamor pro tribulatione*, quem, ut tradit Martene, Lib. III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. vocabant quidem Majores nostri eo nomine nonnullas preces, aut imprecationes, quas Sacerdos inter sacrosancta Missarum Solemnia, post Dominicam Orationem, sanctam in manibus tenens Eucharistiam proferebat. Has preces comitabatur universalis Ecclesiæ luctus, quem in extinctione luminarium in Templis accendi solitorum, denudatione Altarium, aut cilicio, lugubrive, quo obvolvebatur, tegumento, Sacrarum Reliquiarum, aut Sanctarum Imaginum in terram depositione, Officio, & cantu submisso, aliisve hujusmodi tristitiæ argumentis palam faciebat. Quæ quidem omnia licet hodiernis ritibus assuetis videri possint insolita, olim tamen a Sanctioribus Viris summa cum religione frequentata fuerunt, ut pluribus exemplis ostendunt Martene loco citato, & Mabillonius in Præfatione ad Sæculum II. Benedictinum, num. 48. & alii.

III. Ergo, ut quæ supra innuimus, exemplis comprobemus, cum Basiliscus Tyrannus Synodum Chalcedonensem ab omnibus rejici imperasset, teste Theodoro Lectore, Lib. I. Historiæ, *Acacius semetipsum, & Cathedram, atque Altare nigris vestibus obtexit*. Siquid furti in Templis, Oratoriisve, in quibus Sanctorum Reliquiæ continebantur, accidisset, solebant antqui Patres Sanctos ipsos ad rei amissæ restitutionem, non tam Oratione, quam pia quadam violentia adigere; idque alii præstabant Altarium nudatione, ut S. Fructuosus Bracarensis Episcopus, qui ob prædia Monasterio suo ablata, *Sancta nudavit Altaria, & ciliciis induit ea*. Alii luminum ex-

extinctione, ut Christianus Æditus Floriacensis in Libro Miraculorum S. Benedicti, Cap. XXVI. ob armillas ab Ecclesia sublatas; & Leo Episcopus Agathensis, qui ob agrum quemdam ab hæretico homine subtractum Ecclesiæ S. Andreæ, *prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis, & psallentio ducit; mane autem facto, accedit ad lychnos, qui de camera Ecclesiæ dependebant, extendensque virgam, quam tenebat, effregit cunctos &c.* ut apud Gregorium Turonensem Episcopum, Lib. I. *De Gloria Martyrum*, Cap. LXXVI. legitur. Alii vel Reliquias Sacras, vel Sanctorum Imagines in terram, aut in spinas deponebant, teste Chronographo Senonensi, Lib. V. Cap. VII. Tomo III. Spicilegii Dacheriani: *Quum Dominus de Salmis res Ecclesiæ Senonensis diriperet, Monachi consilio Gilonis Episcopi Tullensis Imagines Redemptoris nostri, & etiam Beatissimi Simeonis Confessoris de locis suis ad terram super spinas deposuerunt.* Atque huc spectat exemplum insigne S. Eligii, qui, uti legitur, Lib. II. ejus Vitæ, Cap. XXX. instar comminantis, ad S. Columbam, cui Oratorium instruxerat, sic Orationem direxit: *Nisi cito ornamenta Tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem spinis allatis, faciam hanc januam ita obserari, ut nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie.*

IV. Ad morem quod attinet deponendi sacras Sanctorum Reliquias ad terram, celebre est & illud exemplum, quod legitur in Libro Miraculorum S. Aigulfi Martyris, num. 16. cujus in Pruvinensi Monasterio cum Clericus quidam tres furatus esset Calices, & inde Monachi calumniam paterentur, *sumto consilio super hoc, placuit omnibus, ut Corpus S. Aigulfi cum capsula ad terram deponeretur, & tandiu ibi jaceret, quousque sacrilegum Deus revelaret. Decreverunt etiam, ut post Orationem Dominicam in Missa, tres Psalmi cum tribus Orationibus cantarentur, ut Deus petitionem eorum per meritum S. Martyris exaudire dignaretur.* Probari posset antiquus hic mos innumeris pene exemplis, sicut & ille Sanctorum Imagines in aliqua tribulatione Ecclesiastica deponendi, prosternendive ad terram, & supponendi urticis, ac spinis. Sed hunc tandem morem, seu potius abusum detestabilem reprobavit Lugdunense II. Generale Concilium sub Gregorio Papa X. anno MCCLXXIV. celebratum, Cap. XVII. quod relatum est in Cap. *Si Canonici*, *De Officio Judicis Ordinarii*, in Sexto, quodque nos Tomo III. Commentariorum in Concilia Oecumenica suo loco explicuimus. Reprobavit autem Concilium, ac de cætero fieri districtius prohibuit *detestabilem abusum indevotionis illorum, qui Crucis, Beatæ Virginis, aliorumve Sanctorum Imagines, seu Statuas irreverenti ausu tractantes, eas in aggravationem cessationis hujusmodi prosternunt in terram, urticis, spinisque supponunt.*

V. Consuevisse apud Monachos fieri clamorem pro tribulatione, & quidem intra Solemnia Missarum, uti supra admonuimus, docent nos antiquæ Farfensis Monasterii Consuetudines, in quibus apud laudatum Martene, Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XVI. num. 31. ritus ille ita exponitur: *Hac ratione faciendus Ecclesiastici Ordinis clamor ad Dominum. Ad Missam principalem, jam dicta Oratione Dominica, Ministri Ecclesiæ cooperiant pavimentum ante Altare cilicio, & desuper ponant Crucifixum, & Textum Evangeliorum, & Corpora Sanctorum, & omnis Clerus in pavimento jaceat prostratus canendo Psalmum,* Ut quid Deus repulisti in finem, *sub silentio. Interim duo signa percutiantur ab Ecclesiæ Custodibus, solusque Sacerdos stet ante Dominicum Corpus, & Sanguinem noviter consecratum, & ante prædictas Reliquias Sanctorum, & alta voce incipiat hunc clamorem dicere:* Ostende nobis. Esto nobis Domine. Memento nostri Domine. Memor esto Congregationis. Exurge Domine. Domine exaudi orationem meam. In spiritu humilitatis, & animo contrito, ante Sanctum Altare tuum, & sacrosanctum Corpus, & Sanguinem tuum, Domine Jesu Redemptor mundi, accedimus, & de peccatis nostris, pro quibus juste affligimur, culpabiles ante te nos reddimus. Ad te, Domine Jesu venimus, ad te prostrati clamamus, quia viri iniqui, & superbi, suisque viribus confisi, undique super nos insurgunt. Terras hujus Sanctuarii tui, cæterarumque sibi subjectarum Ecclesiarum invadunt, deprædantur, & vastant, pauperesque tuos cultores earum in dolore, & fame, atque nuditate vivere faciunt; tormentis etiam, & gladiis occidunt. Nostras etiam res, unde vivere debemus in tuo sancto servitio, & quas beatæ Animæ tuæ huic loco pro salute sua reliquerunt, diripiunt, nobis etiam violenter auferunt. Ecclesia tua hæc, Domine, quam priscis temporibus fundasti, & sublimasti in honore Beatæ semper Virginis Mariæ, sedet in tristitia, non est, qui consoletur, & liberet eam, nisi tu Deus noster. Exurge igitur, Domine Jesu, in adjutorium nostrum; expugna impugnantes nos, frange etiam superbiam illorum, qui tuum locum, & nos affligunt. Tu scis, Domine, qui sunt illi, & nomina illorum, corpora quoque, & corda eorum, antequam nascerentur, tibi soli sunt cognita. Quapropter eos, Deus, sicut scis, justifica in virtute tua; fac eos cognoscere, prout tibi placet, malefacta, & libera nos in misericordia tua; ne despicias nos, Domine, clamantes ad te in afflictione; sed propter gloriam Nominis tui, & misericordiam, qua locum istum fundasti, & in honore Genitricis tuæ sublimasti, visita nos in pace, & erue nos a præsenti angustia. Amen. *Quo clamore facto, reportentur Reliquiæ suis locis, & dicat Sacerdos sub silentio Collectam:* Libera nos, quæsumus Domine.

VI. Alium clamoris pro tribulatione ritum subjiciunt eædem antiquæ Consuetudines memorati Monasterii Farfensis, quem nos hic etiam subjicere operæ pretium ducimus: *Cum surrexerint e Capitulo die Dominico, sonent signum, agant orationem, dein exeat Sacerdos cum Infantibus, & præparent se ad Missam. Tunc sonet signum denuo, quod majus est, duas vices, pro annunciatione Populi. Ad expletionem Evangelii dicatur,* Credo in unum Deum; *quo expleto, ascendat Armarius in pulpitum, & nunciet plebi malitiam persecutorum. Dein procedat alius Frater, & legat anathemata, vel maledicta, tam Novi, quam Veteris Testamenti, secundum utilitatem, ac jussionem a Sede Apostolica acceptam, & a vicinis Episcopis prohibitionem, maledictionem non emendantibus; benedictionem iis, qui se præparant ad emendationes; qua lecta extinguatur candela, pulsentur omnia signa, dimissos prosternant se omnes in terra, &* hos

*hos Psalmos decantent* : Domine, quid multiplicati sunt. Deus in adjutorium ; *vel istos duos adjungentes ad Deum* : Benedixisti. Fundamenta ; *vel quales habuerint constituti ex aliis. Cap.* Ostende nobis. Esto nobis. Exurge Domine. *Orationes*. Concede nos famulos tuos. Quæsumus Domine. Omnipotens sempiterne Deus mœstorum ; *vel, sicut diximus, decretas habuerint, surgentes cantent offerendam, perficiant Missam. Aliis diebus cotidianis agant ita. Mox ut surrexerint e Capitulo, veniant, & dicant quinque Psalmos pro defunctis, & tunc sonentur signa, & dejiciant se in humo, & dicant, sicut supra*. Atque his adde mss.Cluniacensis Monasterii, Atque Benignanas Consuetudines, Cap. XXVII. ubi de ipso pro tribulatione Clamore haec habentur: *Privatis diebus ita fit de tribulatione. Finita offerenda majoris Missæ, incipit Armarius Responsorium*, Deus, qui sedes, *vel aliud huic negotio congruum ; & dum cantatur, omnia signa pulsantur, ut possit comperiri, quia extra solitum hoc fit. Finito autem Responsorio sine Versu suo, continuo prostratus cantat totus Conventus hos tres Psalmos* : Domine, quid multiplicati sunt ; Deus noster refugium ; *&*, Ad te levavi ; *quos sequuntur hæc Capitula, præmisso*, Kyrie eleison, *&*, Pater noster. Post partum Virgo. Salvos fac servos tuos. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. *Deinde hæ Collectæ* : Concede nos famulos tuos. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna. Hostium nostrorum quæsumus Domine. *In XII. Lectionibus, & in Octavis eodem omnino modo fit, nisi quod Psalmi non cantantur postrate ; hoc autem tandiu fit, donec Dominus Abbas cessari præcipiat*.

VII. Neque vero omittendus hoc loco alius ritus, quem prædictæ Benignianæ Consuetudines de eadem re alibi statuerunt : *Cum aliquo vastante res Ecclesiæ, volunt inde ad Populum querimoniam facere, præcipitur, ut omnes populares die Dominica ad majorem Ecclesiam conveniant, & tunc cantatur Missa matutinalis ad Crucifixum. Finito Evangelio, quidam Fratrum ascendit pulpitum, & de Præceptis Divinis aliquantisper primum loquens, tandem manifestat eis tribulationem, suggerens eis, ut faciant eleemosynas, atque rogent Dominum, quatenus illum malefactorem pacatum eis reddat, & convertat de malo ad bonum. Adjungit quoque quædam humilia, & persuasoria dicens* : Scitis, quia si aufertur nobis nostra substantia, non possumus vivere ; rogate ergo, Fratres, Deum, & nos faciemus ad eum proclamationem: *His dictis, incipiatur in Choro Responsorium*, Aspice Domine ; *vel*, Congregati sunt ; *& omnia signa ter interim parumper pulsantur. Finito autem Responsorio, signisque dimissis, dicit Conventus hos tres Psalmos*, Domine, quid muliplicati sunt &c. *ut supra*. Aliter tandem imminentem a se tribulationem avertere tentabant Pomposiani Monachi. Quum enim Heribertus Ravennensis Episcopus cum armata manu eorum destruere cogitasset Cœnobium, ubi consilium illius ad S. Guidonis Abbatis aures pervenisset, teste Anonymo ejus Vitæ Scriptore, num. 12. apud Bollandum die XXXI. Martii, *se cum omnibus Monachis devotissime, contritoque corde in orationem dedit ; nam a parvo usque ad maximum, exutis solitis stamineis, induti sunt asperrimis vestibus, & ciliciis, cantantes cum Psalmographo*, Dum mihi molesti essent, induebar cilicio. *Per tres autem continuos dies, & noctes ita induti, discalceati, hordeaceo pane solummodo, & aqua contenti, acriter quotidie in Capitulo, sed sponte verberati sunt, nulla sede, nec in Ecclesia, nec in refectorio, nec alicubi, nisi terra, usi sunt*.

VIII. Spectant hactenus dicta ad eam tribulationem, quam Ecclesiæ, ac Cœnobia præsertim Monachorum, ob illatum illorum fundis, ac bonis damnum patiebantur. Verum, cum calamitatum series innumerabilis pene sit, quibus potest universa Terra affligi, singulisque velit occurrere pia Mater Ecclesia, hinc est, quod positis in Capitibus præcedentibus, nonnullis calamitatibus, quales sunt nimia siccitas, vel pluvia, tempestas, penuria, fames, mortalitas, pestis, atque effrenata belli ferocia, & pro illarum liberatione certis Precibus, Supplicationibusve præscriptis, atque assignatis, sub hoc uno præsenti Capite, quod inscripsit, *Processio in quacunque tribulatione*, cæteras omnes calamitates propulsare curavit, adhibitis scilicet Litaniis, certisque Precibus, atque Orationibus. Inter generales autem tribulationes, quibus humanum genus affligi solet, recenseri quidem potest Terræmotus, cui avertendo indici potest Processio, cum designatis Precibus Pœnitentialibus, juxta antiquum, & usitatum Ecclesiæ ritum, in historia Ecclesiastica, ac in Vitis Sanctorum frequenter memoratum, atque expressum. Certe Theodosius Junior Imperator, cum Constantinopolim a terræmotu maximo liberare Litaniis, & Supplicationibus ad Deum niteretur, gratiam obtinuit, Trisagio Cælitus accepto, uti nos docent Menologium Græcorum die XXIV. Septembris, & Nicephorus, Lib. XIV. Historiæ, Capite XLVI. *Cum Imperator Theodosius, & Proclus Patriarcha cum toto Populo in Terræmotu Litaniis, & Supplicationibus Divinam opem implorarent, repente puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus*, Kyrie eleison, *descendit puer, & voce magna Populum compellans, petit, ut Trisagion in hunc modum decantent*, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus, & immortalis, miserere nobis. *Quæ cum dixisset, animam Deo reddidit, & Terræmotus quievit*. Videsis, quæ de ipso Trisagio late nos diximus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXXXI. Trullanum. Porro in hujusmodi Processione cavendum omnino illud, ne fiat illa, dum scilicet terra in motu est, per vias, quibus habitantium domus, atque ædificia imminent, neque ad Ecclesiam, ne forte repetito terræmotu corruant, hominesque prius sepeliant, quam occidant, ut pluries contigit in variis nostræ Italiæ, atque aliarum Provinciarum Civitatibus, & locis permultis, quæ non opus est hic recensere.

IX. Præter terræmotum sunt & aliæ multæ calamitates, quibus universitates locorum obnoxiæ sunt, cumque longum esset singulis earum peculiares Preces, atque Orationes assignare, hinc optime factum est, ut generatim ad eas omnes propulsandas ritus institueretur, idest, *Processio in quacumque tribulatione* ; qui quidem ritus legitur etiam in Romano Sacerdotali Venetiis impresso anno MDLXVII. Capite inscripto, *De Processione facienda in tempore tribulationum quarumcumque*.

## §. I.

Servatis omnibus, ut supra in Litaniis majoribus, finitisque Litaniis, dicitur, *Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Psalmus XIX. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c.* vel Psalmus XC. *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* Quo finito, dicitur ℣. *Deus, refugium nostrum, & virtus.* ℟. *Adjutor in tribulationibus.* ℣. *Salvos fac servos tuos, Domine.* ℟. *Deus meus sperantes in te.* ℣. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* ℟. *Miserere nobis.* ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus.

*Ne despicias, Omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam Nominis tui tribulatis succurre placatus.*

Oratio.

*Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos, & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.*

Oratio.

*Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.*

Oratio.

*Tribulationem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam juste meremur, averte.* Oratio.

*Deus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, Auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Sacerdotale Romanum, cujus meminimus supra in fine Præfationis ad Capitis hujus Rubricam, in quo præscribitur ritus servandus in Processione facienda tempore quarumcumque tribulationum, mandat primum quidem, ut congregato Clero, & Populo in Ecclesia, post cantatam Antiphonam, *Oremus*, vel, *Exaudi nos Domine*, quarum alias mentionem fecimus, incipiatur ibidem Litania, sicut in Festo S. Marci; tum vero subdit, ut ad Ecclesiam regressa Processione, cantetur statim Antiphona, *Sustinuimus pacem, & non venit, Domine; quæsivimus bona, & ecce turbatio; cognovimus, Domine, peccata nostra, in æternum non obliviscaris nos Deus noster.* Dicta hac Antiphona, sequitur Psalmus XLV. *Deus noster, refugium, & virtus &c.* deinde Preces, & sex numero Orationes, sed omnino ab iis diversæ, quas hic §. noster præscribit; præscribit enim dicendum Psalmum XXV. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c.* vel Psalmum XC. *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* Porro in primo Psalmo, ut ad eum notavit Beda mysticum sensum exponens, *futurorum illuminatione Prophetæ completus, venire prospera sanctæ deprecatur Ecclesiæ, quæ illi per adventum Domini pro certo noverat esse ventura.* Possent & aliæ ad eundem Psalmum XIX. sicut & ad illum, *Qui habitat &c.* afferri aliorum Interpretum expositiones; sed sat erit monere, ideo præscribi memoratos Psalmos dicendos, quod ambo ad avertendam tribulationem spectant.

## CAPUT XIII.

### *Preces dicendæ in Processione pro gratiarum actione.*

I. Æquum est, ac necessarium omnino, ut accepto a Deo insigni aliquo beneficio ad bonum præsertim commune, & publicam utilitatem spectante, reddatur illi debita gratiarum actio, uti recte adnotavit Barrufaldus ad Capitis hujus Rubricam. Ingratos enim odit Deus, atque indigni fiunt, ut novas gratias accipiant; ut inter alios testatur S. Bernardus Sermone LII. in Cantica: *Ingratitudo*, inquit, *est ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Huc enim facit quod ait Ecclesiastes Cap. I. *Ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Quia scilicet flumina gratiarum, dum per illarum actiones ad Deum redire facimus, in nova dona, & beneficia ad nos refluunt; ut etiam docet S. Joannes Chrysostomus Homilia VIII. in Epistolam ad Colossenses: *Deus exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat; sed ut quicquid est lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus majoribus subsidiis.* Hinc frequenter Apostolus vel ad nostram utilitatem nobis gratiarum actionem commendat, ut in Epistola I. ad Thessalonicenses Cap. V. *In omnibus gratias agite.* Et in Epistola ad Colossenses Cap. III. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri*

*tri per ipsum*. Et in Epistola ad Ephesios Cap. v. *Gratias semper agentes pro omnibus in Nomine Domini Jesu Christi Deo & Patri*. Et ad Philippenses, Cap. iv. *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*.

II. Esse autem antiquum ritum, & quidem Veteri Testamento probatum, ut per piam, ac religiosam Processionem pro beneficiis acceptis Deo gratiæ agerentur, constat plane primo ex Cap. xv. Exodi, ubi etiam ante Legem cæremonialem datam, Israelitæ attoniti miraculo transitus maris rubri, quo Divina virtute ex Ægyptiorum persequentium manibus evaserant, cum gaudium animis cntinere non possent, ut scribit Philo Judæus in Libro, *De Vita Mosis*, solo Legis naturalis ductu, alternis choris virorum, ac mulierum, illinc Moyse Divino Spiritu præcinente, hinc Maria ejus sorore, in ipso litore, ad quod appulerunt, cum exultatione procedentes, ac tripudiantes, laudis hymnos, & gratiarum actiones Deo cecinerunt. Constat præterea ex Libro II. Regum, Cap. vi. & Lib. I. Paralipomenon, Cap. xiii. ubi Rex David post debellatos Philistæos, & occupatam Hierosolymam, duplicem uno anno instituit Processionem; unam, qua Arcam Domini e Cariathiarim in domum Obedemom Gethæi traduxit; alteram, qua ex domo Obedemom in Civitatem, & Tabernaculum honorifice paratum, idque cum omni genere sacrarum cæremoniarum hoc est, vario Psalmorum cantu, musicorum instrumentorum mirifico sonitu, Sacerdotum, & Levitarum singulari ordine, & ornatu, atque adeo ipso Rege religionis ergo ante Arcam saltante. Constat tandem, ut alia Veteris Testamenti exempla mittam, ex Libro II. Esdræ, Cap. xii. ubi Nehemias post solutam Captivitatem Babylonicam, & Hierosolymam reædificatam, dedicationem murorum ita perfecit, ut ab interiore Urbis parte, super muros ipsos duæ, quæ sibi mutuo tandem occurrerent, precantium, Deumque collaudantium classes procederent, murosque circuirent, & lustrarent, cum canticis, odis, & organis variis. Textus sacer vocat *choros duos laudantium, & euntium*, idest, procedentium. Quæ quidem Processiones, uti sunt simillimæ nostris, quæ nunc in Ecclesia Catholica celebrantur, ita non est dubium, quin typus ipsarum fuerint; *omnia enim in figura contingebant illis*, ut docet Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. x. versu 11.

III. Veterum Patrum exempla sequutus Sanctus Pius Papa V. post hæreticos a Carolo IX. in Gallia debellatos, ac victoriam ab ipsis reportatam, v. Non. Octobris anno MDLXIX. ubi de re bene gesta certior factus fuit, teste Gabutio in ejus Vita, Lib. II. Cap. ix. *quantas maximas potuit, Divinæ Majestati gratias egit, atque, ut idem ab omnibus efficeretur, publicas, ac solemnes per triduum ad tres Urbis Ecclesias Supplicationes indixit, quibus ipse pedes, & Clerus, Populusque Romanus interfuit, ac piis gaudiis voluit Urbem compleri. Mox Urbanis Magistratibus ob significationem grati animi, quo Populus Romanus Galliarum salutem, Catholicorumque bonum gratulabatur, in ludos, & munera magnos sumptus facere cogitantibus, id Pius fieri non probans, ejusmodi pecuniam pauperibus erogandam censuit*. Sane signa septem & viginti, hæreticis in eo prælio ablata, quæ Romam a Comite Sanctæfloræ missa, & a Paulo ejus fratre, qui in eo bello strenue se se gesserat in frequenti Romanorum Procerum comitatu oblata Pio Pontifici, is alacriter suscepta, in Lateranensi Templo, ubi diu pependerunt, magna cæremonia suspendi jussit, hisce verbis, quæ statim ipse dictavit ad gloriam Dei, perpetuamque rei memoriam incisis in marmore. PIUS V. PONT. MAX. *Signa de Caroli IX. Christianissimi Galliæ Regis perduellibus, iisdemque Ecclesiæ hostibus a Sfortia Comite Sanctæfloræ Pontificii auxiliarii exercitus Duce, capta, relataque in principe Ecclesiarum Basilica suspendit, & Omnipotenti Deo tantæ victoriæ Auctori dicavit. Anno M. D. LXX.*

IV. Quod Romæ Pius ob debellatos in Gallia hæreticos, Mediolani S. Carolus præstitit, ob liberatam a peste Civitatem, ac Diœcesim, uti rem narrat ejus Vitæ scriptor Carolus a Basiliça Petri, Lib. iv. Capite xi. his verbis: *Ad agendas publice de accepto maximo beneficio gratias, proximum S. Sebastiani festum diem anni M. D. LXXIIX. delegit, ut quem Patronum, imminente periculo, sibi Medialanenses advocaverant, eodem postea impetrata venia, ad gratias recte agendas uterentur adjutore, & quem initio afflicti oraverant, eidem in fine liberati gratos se se ostenderent. Itaque præter Supplicationes, quæ alioqui ad illius Ecclesiam habendæ erant, binas alias Carolus indixit. Itum est ad S. Ambrosii; deinde, ut initio periculi factum est, ad Urbis compita omnia*. Addit mox, fuisse ipsas Supplicationes celeberrimas, sanctissimasque, ob id quoque in primis, quod Sacras Reliquias omnes, quam maximo fieri potuit ornatu, Clerus universus ferre jussus est, cum vi luminum prope immensa, quæ non modo Clerus adhibuit, sed Populus quoque frequentissimus. Affuerunt Gubernator, Senatus, & Magistratus reliqui; omnesque publice, pieque gratias egerunt ex libello, cohortationeque, quam ad eam rem Carolus edi jusserat. Atque dum ad compita Ordines duceret, ad Cruces morabatur, quæ ibi pestis causa erectæ fuerant, & posita sacra re, quam ferebat, in mensa ibidem ad id decore constituta, rite precabatur, miraque pietate Clerus, & Populus in ea Supplicatione perseveravit usque ad noctem, cum mane cœpisset; via etenim ob longitudinem Urbis longissima est. Accessit maximus plurimorum tormentorum sonus honoris, & lætitiæ gratia ex Arce effectus, dum sacri Ordines ea Urbis parte transirent. Cum in Ecclesiam majorem reditum esset, Sanctissima Eucharistia prius per Ecclesiam omnibus Sacrorum Hominum choris comitantibus lata, in Altari proposita est, cum omnia maximo, gratissimoque sono, Hymnis, Psalmisque, cum turbarum etiam clangore personarent. Ibi Carolus quasi nihil adhuc fecisset, quadraginta horarum precationem ante Sanctissimam Eucharistiam instituit, in qua eadem patientia, qua antea sacro proposito Clavo, se se exercuit.

V. Ritum, quem pie, religioseque ea occasione S. Carolus Mediolani adhibuit, servandum inposterum ab Episcopis totius Provinciæ Mediolanensis, jussit quidem in Concilio Provinciali Mediolanensi V. Constitutionum Parte II. Capite inscripto, *Peste restincta, quæ præstanda*, ubi sic inquit: *Dei munere, beneficioque cum primum*

*mum pestilentiæ vis paulatim languescere incipit, in eo potissimum Episcopi cura versabitur, ut omni officii genere is Populum excitet, atque inflammet, non modo ad orationem, obsecrationem, & gratiarum actionem, sicut Apostolus monet, sed ad præcipua quædam Religionis Christianæ studia, atque adeo opera, quibus Divinum illud beneficium, ac singulare, pia, grataque memoria prosequatur perpetuo. Primo, ut omnes, & singuli ad gratiarum actionem instruat, ac paret, illud curabit, efficietque, ut peccata sancte confessi, certo religioso die sacram Communionem frequentissimi sumant. Deinde statam illam Orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religiosissime, ad quam cum Populus per vicinias Parochiales distinctus certis præfinitis horis conveniet, in omni illa horaria statione concionantis, vel brevissimo Sermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quæ sanctissima ob accepti beneficii memoriam præstare quisque debet. Postea vero Supplicationes triduanas indicet, quas solemni apparatu, & omni Religiosorum ordine, & frequentissimo universi Populi concursu, & præterea tertio scilicet earum die, sacra omni pompa Sanctarum Reliquiarum rite, religiose, recte, atque ordine celebrari studebit.* Pergit S. Antistes, aliaque mandat servanda ab iis, qui rite, pieque agere Deo gratias debent ob beneficium liberationis a pestilentia acceptum, quæ videri in eodem Concilio possunt.

VI. Ex dictis hactenus ritum addiscimus, quo pro acceptis beneficiis, quæcumque illa sint in Universitatem collata, Deo agi gratiæ debent, Sacramentali scilicet Confessione, perceptione Sacræ Eucharistiæ, Supplicationibus, eleemosynis, ac aliis piis operibus; absurdumque censeri debet, quod hodie frequenter fieri videmus, ut pro victoria exempli causa a Christiani nominis hostibus reportata, Supplicationum piarum loco, comœdiæ, & quidem aliquando etiam turpes repræsententur, aliaque lætitiæ signa exhibeantur a Christiana professione penitus aliena.

## §. I.

Initio Processionis cantatur Hymnus, *Te Deum laudamus &c.* Deinde poterunt Psalmi, qui sequuntur, prout tempus feret, Psalmus LXV. *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite &c.* Psalmus LXXX. *Exultate Deo adjutori nostro &c.* Psalmus XCV. *Cantate Domino canticum novum &c.* Psalmus XCIX. *Jubilate Deo omnis Terra, servite Domino &c.* Psalmus CII. *Benedic anima mea Domino, & omnia &c.* Psalmus CXVI. *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* Psalmus CXLVIII. *Laudate Dominum de Cælis &c.* cum duobus sequentibus. Canticum, *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Canticum. *Benedictus Dominus Deus Israel &c.*

# COMMENTARIUS.

I. INter Cantica, & Psalmos illud discrimen, ut observat Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Lib. I. Cap. XXXIII. plerumque agnoscimus, quod Canticum altiori voce decantetur, atque potissimum ad gratias Deo agendas pro insigni aliquo beneficio institutum sit. Itaque, *Te Deum laudamus*, inter Cantica, vel Hymnos merito annumeratur; atque in Chronico Idatio Mediolanensi Episcopo tributo refertur, illud a Sancto Ambrosio, & a S. Augustino, cum iste ab eo baptizaretur, compositum fuisse. Quod tamen falsum est, cum nullus plane ejus rei testis idoneus sit, neque in Sanctorum illorum Vitis, neque apud alicujus nominis Scriptores antiquos ulla ejusdem rei mentio fiat. Abbo Floriacensis Monachus S. Hilario adscribit, quidam mss. Libri S. Abundio. In Breviario ms. Montis Casini anni MLXXXVI. Hymnus Sisebuti Monachi Benedictini vocatur; verum Auctor iste æque, ac alter ignotus est. Quibusdam in Libris Niceti nomen præsefert, neque explicatur, num Episcopus Lugdunensis, vel Trevirensis fuerit, uti notat idem Grancolas loco citato, ubi etiam subdit, primos illius meminisse S. Benedictum in sua Regula, & Ferredium S. Cæsarii Arelatensis discipulum, atque Aurelianum in sua Regula. Quidquid autem sit de primo Auctore, de quo videri inter alios potest Sarnellius, Tomo X. Epistola LVII. est quidem Hymnus ipse plenus lætitiæ, & propterea in signum gaudii pro gratiis obtentis cantari solet ex antiquo Ecclesiæ instituto, ritu solemni, etiamsi illa die reticendus esset in Officio; quia scilicet ratio solemnitatis id postulat, ut Hymnus iste, seu Canticum in gratiarum actionem canatur, ut ad hunc §. Barrufaldus notavit.

II. Cantari utplurimum consuevit hic Hymnus ad agendas Deo gratias pro victoria a Christiani Nominis hostibus, hæreticisque reportata, eique mori inhærens Carolus IX. Galliæ Rex, qui cum in Metensium Urbe cum Regina matre, & aliis multis morabatur, ubi nocte diei XX. Martii MDLXIX. nuncium accepit de interfecto Ludovico Condæo, ejusque asseclis perduellibus superatis, *media fere nocte*, ut scribit Surius in Commentario brevi rerum in Orbe gestarum ad annum ipsum MDLXIX. *surgit e lecto, properat ad summam Ædem, alta voce coram primario Altari depromit Canticum*, Te Deum laudamus, *jubet Campanas omnes solemniter pulsari, cunctis ad rei novitatem obstupescentibus.* Subdit mox etiam Surius, diei sequentis hora tertia pomeridiana jussisse Regem, ut solo æquaretur Synagoga Calvinistarum ad Portam S. Barbaræ constructam; ac post etiam publico Edicto vetuisse, nequa sua exercitia in ea Urbe, atque iis locis hæretici haberent. Sane hac audita victoria Pius Papa V. qui varia ipsi Galliarum Regi, Regnoque nefariis hæreticorum armis oppresso auxilia præbuerat, ut in ejus Vita scribit Gabutius Lib. II. Cap. XVIII. *Deo rerum bene gestarum Auctori, quem ipse ob id assidue precabatur, ex intimis sensibus gratias agens, publicas Supplicationes, quibus ipse, & Clerus, Populusque Romanus frequens interfuit, statim decrevit, aliaque pia publicæ lætitiæ signa edi curavit.*

III. Cum ergo Processiones in gratiarum actionem lætæ dicantur, & non nisi lætitiæ signis peragi debeant cum solemni Supplicatione, Processioneve, præter Hymnum, *Te Deum laudamus*, ubi longa est via, per quam transit Processio, ex præscripto nostri hujus §. *dici poterunt Psalmi, qui sequuntur, prout tempus feret*, nempe primum Psalmus LXV. *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite &c.* Teste Beda, apertus est titulus Psalmi hujus, lætitiam Dominicæ Resurrectionis non solum Judeis, sed & Gentibus insinuans, contraque persuasionem Judæorum, qui se dicebant solos ad beatam vitam præ omnibus pertinere, Mater Ecclesia spem generalis resurrectionis, interpositis tribus diaplasmatibus, læta decantat. Primo ordine hortans universitatem, ut de Domini resurrectione congaudeat, quæ cunctis erat fidelibus æterna præmia præstitura: *Jubilate Deo omnis Terra*. Secundo ordine invitat omnes, ut veniant ad Dei opera consideranda, quatenus una credulitas jungat, quos unum præmium expectat. Tertio iterum monet Gentes, ut benedicant Dominum, qui nos diversis licet probet tribulationibus, ad requiem tamen suæ miserationis adducet: *Benedicite Gentes Deum nostrum*. Quarto ordine iterum invitat universitatem, ut commonita exemplo liberationis suæ, amplius confidat in Domino, benedicens eum, quoniam orationem ejus exaudire dignatus est: *Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum*.

IV. Quod Psalmos reliquos spectat, Psalmus LXXX. *Exultate Deo adjutori nostro*, reditum populi de Babylone prædicens, omnes ad gratiarum provocat actionem, ut ait Cardinalis Thomasius in sua ad ipsum Nota, ubi etiam affert locum Bedæ, qui ait, eo Psalmo admoneri Fideles, *ut per organa diversa musicorum personent laudes Domino pro perceptis sæpe beneficiis*. In Psalmo autem XCV. *Cantate Domino canticum novum*, ut idem Thomasius notavit, *ob reditum de Babylone, gratiarum actio celebratur*. Rursus Psalmus XCIX. *Jubilate Deo &c.* teste laudato Auctore, *tamquam reductos jam de Babylone, & in proprio habitantes solo, relaturos gratias Deo, Templum hortatur introire*. Psalmus CII. *Benedic anima mea Domino, & omnia &c.* felicitatem reversionis prædicat, agique Deo gratias imperat. Psalmus CXVI. *Laudate Dominum omnes Gentes*, non solum Judæos, sed etiam omnes Gentes ad laudandum convocat Dominum. Psalmus CXLVIII. uti notavit Beda, per paucarum commemorationem, omnes creaturas ad Dei laudes hortatur, rationales, & intellectuales per se; intellectu autem, vel sensu carentes, per illas utique, quæ opera Domini sapientissima consideratione collaudant. In Psalmo vero CXLIX. juxta adnotationem Cardinalis Thomasii, *reversi de Babylone gratias agere jubentur, quia obsistentes sibi finitimas Gentes, Deo adjuvante, devicerint*. In sequenti autem Psalmo CL. generalis adhortatio ad Hymnum, sive ad Deum laudandum continetur. Atque nonnulla ex his, quæ hactenus diximus, præbere intelligentiam possunt memoratis in hoc eodem §. Canticis, quæ læta quidem sunt, sicut & Psalmi prædicti, & iccirco jure, ac merito, in Processionibus pro gratiarum actione adhibenda.

## §. II.

Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris postulaverit, vel omnia, vel ex parte cantari possunt. Deinde in Ecclesia, ubi fit Statio, ante Altare dicuntur sequentes Versus, & Orationes. ℣. *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum*. ℟. *Et laudabilis, & gloriosus in sæcula*. ℣. *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu*. ℟. *Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula*. ℣. *Benedictus es, Domine, in firmamento Cæli*. ℟. *Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula*. ℣. *Benedic anima mea Domino*. ℟. *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oremus.

*Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas*.

Oratio.

*Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere*.

Oratio.

*Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auxilium: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum*.

## COMMENTARIUS.

I. PReces, & Orationes præscriptæ, spectant quidem & ipsæ ad Deum laudandum, eique gratias agendum pro beneficiis ab eo acceptis. Prima, & tertia Oratio extant in Missali Romano post Missam votivam de Sancta Trinitate, suntque illæ, quæ dicuntur initio istius Missæ, & post Communionem; secunda vero legitur in Missa de Spiritu Sancto. Porro post memoratam Missam de S. Trinitate, monet ipsum Missale Romanum, pro gratiarum actione dicendam Missam de Sancta Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de Sancta Maria, additis tribus Orationibus, nempe, *Deus cujus misericordiæ &c.* quæ est prima Oratio, tum vero Secreta, *Odorem*

rem Domine Sacrificii hujus &c. & Postcommunio, *Deus, qui neminem &c.* Cæterum in solemni Missa pro gratiarum actione, sive fuerit de Trinitate, sive de Spiritu Sancto, aut de B. Maria, sive etiam de die, additur primæ Orationi sub una conclusione Oratio pro Gratiarum actione, *Deus, cujus misericordiæ &c.* Ita Guyetus in sua Heortologia, Lib. IV. Cap. XXI. Quæstione XII. citans Missale novum recognitum, ut jam non sit amplius dubitandum, Gavantus licet contrarium doceat in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. XVII. num. 15. ubi etiam subjicit, Orationem ipsam pro gratiarum actione in Missis privatis non esse dicendam sub una conclusione.

## CAPUT XIV.

### *De Processione in translatione sacrarum Reliquiarum insignium.*

I. RELIQUIARUM vocabulum, uti exponit Macrus in suo Hierolexico, verbo, *Reliquiæ*, propriæ significat id, quod remanet, detracta majori parte. Hinc, quia principalior, ac nobilior hominis pars anima existit, corpus humanum reliquia dicitur, quia humi remanet, seu ejus pars. Jam, ut de ipsarum translatione, ejusque origine hic primum dicamus, ajunt aliqui Auctores, ante Sæculum Christi VII. nefas fuisse Occidentalibus, Sanctorum Corpora tangere, aut loco movere. Certe insignis est ea de re S. Gregorii Magni Epistola XXX. data ad Constantiam Augustam, Lib. III. Indictione XII. quæ, *propter eam, quam in honore Sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificabat Ecclesiam, Caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de Corpore ipsius transmitti ad se petierat.* Respondet Gregorius, id sibi non licere, relatis variis prodigiis ad Tumulos SS. Petri, & Pauli, ac Laurentii factis adversus eos, qui humum eorum Sepulchris contiguam effoderant. Tum subdit: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de Corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Corpora Sanctorum ponitur, quod levatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum Corpora deferantur.* Et infra: *In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum Corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit, pro qua re de Græcorum consuetudine, qui Ossa Sanctorum levare se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.*

II. Hinc patet, in Gregorii Pontificatu, labente scilicet Sæculo VI. nefas fuisse in Occidente Sanctorum Corpora contingere, aut e Tumulis levare, sed Reliquiarum loco, brandea fuisse transmissa. De brandeis, seu linteis ejuscemodi legendus Gregorius Turonensis Episcopus, tum in Libro I. *De Miraculis S. Martini*, Capite XI. tum in Lib. I. *De Gloria Martyrum*, Cap. XXVIII. qui rursus Cap. XLVII. Reliquias SS. Gervasii & Protasii, idest, *linteamina*, seu *pallulas* eorum sanguine intinctas a S. Martino in Galliam asportatas asserit. Et Lib. II. Capite XXXIV. & XXXV. Reliquias S. Juliani vocat *fimbrias pallæ, quæ sanctum tegit Tumulum*, a se detractas; & *parumper ceræ* a Sepulchro sublatum, Cap. XL. & XLIV. Item Reliquias S. Martini appellat *ampullam olei* ab S. Aredio e S. Martini Sepulchro ablatam in Libro, *De gloria Confessorum*, Cap. IX. Item *uvam de vite, quam Sanctus plantaverat*, Cap. X. Id genus Reliquias ad Templorum Dedicationes adhibebant illius temporis Homines, qui Sanctorum membra distrahere, sive huc, illucque circumferre, optimo consilio non sustinebant. Atque hæc est disciplina, quæ in Occidente Sæculo VI. ut dictum est, in usu fuit, duravitque usque ad principium sequentis Sæculi VII. uti variis, conspicuisque posset exemplis probari.

III. Quod vero per Sæculum VII. Sanctorum Corpora e Tumulis levari, transferrique cœperint, varia item exempla nos docent. Quippe S. Audoenus Rotomagensis Episcopus S. Marculfi Abbatis Nantensis, S. Eligius Noviemagensis Episcopus S. Quintini, Ansbertus itidem Rotomagensis Antistes Audoeni decessoris sui, Episcopus quidam S. Amandi Episcopi, Ansoaldus Pictavorum Episcopus Sancti Leodegarii Episcopi & Martyris, Sexburga Eliensis Abbatissa S. Ethildritæ Abbatissæ, Eadbertus Lindisfarnensis Episcopus Cuthberti decessoris sui, & alii aliorum Corpora solemni ritu levaverunt, uti videre est apud Surium, & apud Bollandianos in laudatorum Sanctorum Vitis. Sed nec tamen eo animo id actitabatur, ut membra hinc inde distraherentur, sed ut transferrentur in locum decentiorem. Sane S. Audoenus, qui Sancti Marculfi Caput auferre volebat, a consilio suo Divinitus revocatus est; & S. Hildefonsus S. Leocadiæ dumtaxat veli partem cultro præcidit. In Gestis quoque Regum Francorum, quæ ante annos DCCCCL. scripta sunt, Capite XLV. & in Gestis Dagoberti, Cap. LII. Chlodoveus, qui anno DCXL. regnavit apud Francos, *brachium S. Dionysii Martyris abscidisse, instigante diabolo*, dicitur; *& per idem tempus concidisse Regnum Francorum casibus pestiferis.*

IV. Observat hæc quidem eruditissimus Mabillonius in Præfatione ad Sæculum II. Benedictinum, Observatione VII. num. 42. subditque mox sequenti Observatione VIII. num. 43. fatendum esse nihilominus, varias ante Sæculum VII. Elevationes, ut vocant, translationesque Sanctorum celebratas fuisse, cum in Oriente, tum in Occidente. Teste S. Hieronymo in Libro adversus Vigilantium, *Constantinus Imperator Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim. Arcadius Ossa Beati Samuelis de Judæa transtulit in Thraciam.* Et Pulcheria Augusta Sanctorum XL. Martyrum Reliquias e ruderibus eduxisse legitur apud Sozomenum in Libro IX. Cap. II. & Nicephorum Callistum in Libro XIV. Cap. X. qui Nicephorus Stephani Protomartyris, Zachariæ Prophetæ, aliorumque SS. Reliquias translatas commemorat in ejusdem Libri IX. Cap. IX. X. & XI. Denique *post Consulatum Basilii anno XX. Corpus S. An-*

*S. Antonii Eremitæ repertum, cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Basilica S. Joannis Baptistæ honorifice collocatur*, ut Victor Turonensis in Chronico ait. Neque id in Occidente inauditum, nam S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus Sanctorum Gervasii & Protasii Reliquias loco movit, ut in ejus Vita legitur; atque ut alia exempla prætaream, Perpetuus Turonensis S. Martini, Gregorius Lingonicus Sancti Benigni Martyris, Palladius Santonicus Sancti Eutropii Episcopi, Ebregisilus Agrippinensis S. Mallosi Martyris, Monulfus Trajectensis Sancti Arvatii ejusdem Sedis Antistitis, Germanus Parisiorum Episcopus S. Ursini Biturigum Episcopi, & alii aliorum Corpora e Tumulis sustulerunt, & convenientiori loco recondiderunt; ut inter alios tradit memoratus toties S. Gregorius Turonensis, Libro I. *De gloria Martyrum*, Capite LI. LVI. & LXIII. &, *De gloria Confessorum*, Cap. LXXII. & LXXX.

V. Ista ignorare jam non poterat S. Gregorius Magnus; sed quia in detrimentum Religionis id nonuunquam fieri adverterunt Ecclesiæ Pastores, parcius ejusmodi Translationes Pontificatu S. Gregorii peragebant, & mos antea inductus jam in desuetudinem abierat, qui, Gregorio mortuo, revocari, & frequentari cœpit. Cur enim, quæso, ut recte observat laudatus Mabillonius loco citato, Corpora Sanctorum Pontificum haud ignobilium Germani utriusque Antissiodorensis, & Parisiaci, Remigii Remensis; cur S. Gregorii Magni, S. Albani Martyris, aliorumque Sanctorum Corpora in primariis Tumulis ad Sæculum usque octavum jacuerunt, nisi quia tum temporis Translationes fere insusitatæ erant. Quid vero Ecclesiæ Pastores impulerit, ut transferendarum Reliquiarum morem abrogaverint, conjicimus ex Sancto Augustino in Libro, *De Opere Monachorum*, Cap. VIII. ubi redarguit personatos quosdam, ac fictos Monachos, *qui circumeuntes Provincias, membra Martyrum, si tamen Martyrum membra, venditabant*. Quæ Theodosio Imperatori sanciendæ hujusce Legis, quæ est ultima Codicis Theodosiani, *De Sepulchro violato*, fuit occasio: *Humatum corpus nemo ad alium locum transferat, nemo mercetur*, ut Acherius in Guibertum Abbatem Lib. I. Cap. IV. *De pignoribus Sanctorum*, adnotavit. Quod postea Patres Concilii Moguntiacensis, Cap. I. anno DCCCXIII. iteraverunt: *Certe si Sanctorum Corpora*, inquit Guibertus eodem loco, *sua juxta naturæ debitum loca, idest, Sepulchra servassent, hujusmodi, quos recensui, errores* nimirum Sanctarum Reliquiarum nundinationes, ac falsificationes, *cessassent. Per hoc enim, quod e Tumulis eruuntur, membratim huc illucque feruntur; & cum pietatis obtentus occasio circumlationis extiterit, ad hoc, subeunte nequitia, detorqueri cœpta est intentionis rectitudo, ut pene quæ simpliciter fieri consueverant, corrumperet universa cupido*. Deinde, relata Gregorii Magni auctoritate superius adducta, subinfert: *Dicat quisque quod sentit; securus plane ego inferam, non Deo, non Sanctis ipsis unquam fuisse placitum, ut eorum cujuspiam debuerit reserari Sepulchrum, aut dirimi per frustra corpusculum*.

VI. Pergit Mabillonius, aitque Observatione IX. num. 44. quod tametsi per septimum Sæculum Sanctorum Corpora fequenter loca moveri cœperunt, nefas tamen erat sacra ipsa Corpora membratim distrahere; nec illa ita e Tumulis levabantur, ut Sacris Altaribus, uti nunc fit, sublimi loco imponerentur. Sane modus, quem antiquiores Patres in recondendis, colendisve Sanctorum Reliquiis observabant, ex sequentibus exemplis percipi potest. Eusebius Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XV. refert Smyrnensis Ecclesiæ Epistolam ad Ecclesias Ponti de Polycarpi Episcopi Martyrio scriptam, in qua quidam dicuntur suggessisse Nicetæ Hærodis Patri, ut Proconsulem adiret, moneretque, *ne Cadaver illius donaret, ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Porro cum Centurio pertinaciam Judæorum animadverteret, Corpus in medio collocatum, ut moris est*, concremavit; *atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quò etiam in loco, si fieri poterit*, inquiunt Smyrnenses, *convenientibus concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui defuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos*. Legi in hunc locum potest eruditissimi Valesii Adnotatio, ubi ex eodem Eusebio in Sermone II. *De Resurrectione*, observat, fuisse & alium morem subsequutis temporibus, ut singuli Fidelium Reliquias Martyrum quascumque nancisci poterant, domi honorifice servarent: *Huc etiam*, inquit, *referendus est mos Ægyptiorum, qui Martyrum Corpora non humabant, sed domi lectulis repositas servabant, ut refert Athanasius in Vita S. Antonii*.

VII. Verum probata fuit illa disciplina, ut ipsa Sanctorum Martyrum Corpora in Cœmeteriis passim humarentur, colerenturque, uti constat ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Germanum Episcopum, in qua Emilianum Præfectum inducit ita sibi comminantem: *Nullatenus licebit vobis, nec quibuscumque aliis, Conventus agere, aut ea, quæ vocantur Cœmeteria, adire*; sicut idem Eusebius Lib. VII. Cap. XI. commemorat; qui rursus Lib. IX. Cap. II. meminit interdicti, quo Maximinus Imperator Christianos a Conventibus, qui in Cœmeteriis fieri solebant, arcere aggressus est. Corpora XL. Martyrum, qui, regnante Licinio, passi sunt, Eusebia Diaconissa sepelivit in Oratorio subterraneo, & in duabus Pixidibus argenteis collocavit, teste Sozomeno Lib. VIII. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. II. Atque hic omnino audiendus S. Gregorius Turonensis Episcopus Lib. I. *De Miraculis Martyrum*, Cap. XXVIII. de S. Petri Tumulo agens in hunc modum: *Sepultus est in Templo, quod vocabatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum valde mirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quatuor in Altari, quæ sunt simul centum, præter illas, quæ Ciborum Sepulchri sustentant. Hoc enim Sepulchrum sub Altari collocatum valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super Sepulchrum, & sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur Oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentane pensatum jacet intrinsecus; deinde vigilans, ac jejunans, devotissime deprecatur, ut devotioni suæ* vir-

*virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! Si fides hominis praevaluerit, a Tumulo palliolum elevatum, ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam pensaverat, ponderet; & tunc scit qui levaverit, cum ejus gratia sumpsisse quod petiit. Multi enim & claves aureas ad reserandos cancellos beati Sepulchri faciunt, quas ferentes, pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra praestat.* En quales Reliquias Majores nostri inquirebant.

VIII. Hunc locum paulo fusius retuli, quod rei, quam tractamus, illustrandae aptissimus videatur. Nec abs re erit referre hic Adnotationem laudati Valesii in citatum Sozomenum, Lib. IX. Cap. II. ubi sic inquit: *Duplex erat foramen super Martyrum Reliquias; alterum exterius in Altari, vel in pavimento, sub quo conditae erant Reliquiae; alterum interius in Capsa, seu Arca, qua Reliquiae claudebantur. Per haec autem foramina, quae e regione sibi invicem respondebant, Christiani solebant demittere velamina, ut Sanctorum Reliquias contingerent, quae pro magna benedictione accipiebant.* Praeterea ex recensito Gregorii Turonensis loco colligimus, Sanctorum Corpora antiquitus, vel sub Altari, vel subtus Apsidem recondi solita esse. Docet id quidem S. Ambrosius in Epistola sua LXXXV. ad Marcellinam sororem, ubi agit de Reliquiis SS. Gervasii, & Protasii, sic inquiens: *Succedant victimae triumphales in locum, ubi Christus Hostia est; sed ille super Altare, qui pro omnibus passus est, isti sub Altari, qui illius redempti sunt Passione. Hunc ergo locum praedestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit.* Super Sanctorum Reliquias, quae intra Apsidem recondebantur, erigebantur Ciboria, seu turritae aediculae, quatuor columnis innixae, columba aurea decoratae, uti memoratus toties Gregorius Turonensis Episcopus Tumulum S. Dionysii in Lib. I. *De gloria Martyrum*, Cap. LXXII. depingit. Qualia fere Ciboria Altaribus imponebantur, de quibus Chronographus Centulensis Libro III. Cap. III. haec habet: *Super illa tria Altaria habentur tria Ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronae, singulae per singula ex auro, gemmisque paratae cum aureis Cruciculis, aliisque ornamentis.*

IX. Recte autem hic illud monet Mabillonius citato loco, Observatione X. num. 45. quod non tamen ipsa Sanctorum Corpora in superna Ciborii parte collocabantur, ut quidam existimant; sed cum in terram recondita essent, eorum Tumuli turritis illis aediculis exornabantur, eo fere modo, quo antiqui Basilicas super Sanctorum Sepulchra aedificabant. Teste Paulo Diacono Warnefridi filio, Lib. III. *De Gestis Longobardorum*, Cap. XXXV. *Guntramnus Rex Ciborium solidum ex auro mirae magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad Sepulchrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra Corpus B. Marcelli Martyris, quod in Civitate Cavallono situm est, poni fecit.* Ejusmodi Ciboria, seu turritas aediculas etiam *Fredas* appellabant, uti addiscimus ex Henrico Monacho, qui in Libro, *De Miraculis S. Germani Antissiodorensis*, Capite XXVII. scribit, Chlotarium Chlodovei M. filium, *super adorandam Beatissimi Germani Memoriam per manus S. Desiderii ejusdem tunc Urbis Episcopi, regalibus expensis Fredam composuisse.* Aliis nominibus, *Lectos, Lecticas, Tumbas, Mausolea*, aediculas illas designabant, quarum tectum *repa*, seu *crepa* dicebatur. Denique Gregorius Turonensis in Libro, *De Gloria Confessorum*, Capite XCVI. S. Albini membra *intra vitream Apsidem* conclusa fuisse docet. De praedictis autem vocibus siquis plura scire desiderat, eas legere potest uberius explicatas apud eruditissimum Dufresne in suo celeberrimo Opere, quod inscriptum est, *Mediae, & infimae Latinitatis Glossarium*.

X. Ergo exposito hactenus ritu veteres Christiani Sanctorum Corpora venerabantur; & licet Saeculo VII. e Tumulis levarentur, tamen etiam tunc humo recondebantur, more haud dissimili, quo S. Amandi Corpus paucis post obitum annis e Sepulchro levatum, iterum Saeculo IX. cum moveret Lotharius Aedituus, *urnam Sepulchri, non, ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, itaut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset.* Ergo in primaria illa elevatione Corpus *in profundioribus* repositum fuerat. S. Ethildritae itidem *in urnam marmoream* sextodecimo anno ab obitu illatum sub terra collocatum est. S. Eligius Noviomagensis Episcopus, testante S. Audoeno in ejus Vita, Lib. II. Cap. VI. S. Quintini Corpus a se inventum *summa cum diligentia citra Altare transposuit, tumbam denique ex auro, argentoqae, & gemmis miro opere desuper fabricavit.* Item, ut legitur Cap. VII. S. Piatonis Corpus, *sicut Martyrem decuit, eleganter composuit, atque Mausoleum urbane desuper fabricavit.* Paulo aliter S. Cuthberti translationem factam Venerabilis Beda in ejus Vita commemorat. Fratres Lindisfarnenses involutum novo amictu Corpus, novaque in theca reconditum *supra pavimentum Sanctuarii posuerunt. Eadberti vero successoris Corpus in Sepulchro Benedicti Patris Cuthberti ponentes, apposuerunt desuper arcam, in qua incorrupta ejusdem Patris membra locaverunt.*

XI. Saeculo VIII. S. Germani Parisiensis Episcopi Corpus, cujus Translatio, spectante Pippino Rege, facta dicitur, *depositum est in fossam sibi praeparatam.* Beati Joannis Baptistae, ut putant, Caput in Ciborio una cum quibusdam SS. Innocentium Reliquiis conclusum fuisse legitur in Chronico Malleacensi. Ad quem modum S. Emmeramni Episcopi Corpus *in Ciborio quadrato auro tecto, & gemmis redimito, octo columnis innixo* sustentabatur, cum quo inclusi erant Evangeliorum Libri, sicut Arnolfus in Libro de Miraculis ejusdem, Cap. V. refert. Est & hujusce ritus insigne monumentum in Chronico Fonnanellensi, Cap. XIII. de turricula, in qua Capsa Reliquiarum S. Georgii collocata est, quam describit hoc modo testis oculatus: *Est formae quadratae, ex quatuor videlicet angulis ab imo adsurgens, & ita omne opus paulatim minuendo in latitudine, in summo angustum redditur, ut pyramidem in altitudine reddat, uniusque mali parvi conclusione solidetur. Habet quoque in medio sui solariolum, in quo Codex ille Evangelicus cum Capsa illa servabatur, cui desuper aptatum est laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plus minusque trium.*

XII. Qualiter Saeculo IX. Reliquiae Sancto-

ctorum adservarentur, discimus tum ex Walafrido Strabone, tum ex Lupo Abbate Ferrariensi, quorum primus in Libro, *De Miraculis S.Galli*, Cap.II. rem ita describit: Boso Constantiensis Ecclesiæ Præsul *sumens loculum, in quo sanctum Corpus erat, posuit super terram inter parietem, & Altare, & desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit*. Lupus vero in Libro, *De Vita S.* Wigberti, Capite xxv. agens de Reliquiis ejusdem Sancti Monasterio Herolfesfelt concessis, *a reliquis*, inquit, *Dei Servis illic exceptum, magnifice primo loco est in Ecclesia conditum; atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias, Germaniamque cæterorum Sanctorum visuntur, auro, & argento, necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit*. Lotharius Elnonensis Æditũus *urnam Sepulchri* S. Amandi, *non, ut antea fuerat in profundioribus posuit, sed in superioribus, itaut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset*. Afferri & alia possent hujus disciplinæ testimonia antiqua, sed illud præsertim admonendum hic censeo, etiam per ipsum Sæculum nonum pleraque Sanctorum Corpora in subterraneis locis quievisse, ut ex Adreraldo in Libro, *De Miraculis S. Benedicti*, Cap. xxxiv. & ex aliis locis manifestum est. Quin etiam Sæculo xi. adhuc eam consuetudinem viguisse, apparet quidem ex Libro 1. *De Miraculis S. Agili*, Capite vii. Nam *tempore Roberti Abbatis quædam Emelina nomine perturbatione spiritus immundi vexata, in pavimentum sacratum, quo continetur sub terræ latibulo gleba hujus Sanctissimi Viri, recubuisse*, ibique sanata fuisse dicitur. Et S. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi narrat, post quinquennium ab Sancti Viri obitu datam fuisse Monachis ab Apostolica Sede licentiam, non, ut Corpus levarent, sed *ut supra venerabile Corpus ejus Altare construerent*. Subditque mox: *Azo quidam Frater silvam petiit, quatenus modicam Capsam faceret, quæ S. Confessoris ossa, & pulverem tantummodo capere potuisset*.

XIII. Thecarum tandem aurearum, & argentearum usus cum Reliquiis Sanctorum in eisdem inclusis, Sanctorumque Corporum distractiones abierunt in morem. Qua de re Guibertus Novigenti Abbas, propter abusus inde enatos, graviter, ac vehementer conqueritur, tametsi jam Principatu Ludovici Pii Augusti in Monasterio Centulensi erant *Capsæ Reliquiarum auratæ, & argenteæ, vel eburneæ triginta*, teste Hariulfo in Chronico, Lib. iii. Cap. iii. & S. Hugo Rotomagensis Episcopus dimisit inter alia Cœnobio Fontanellensi, *Capsam auro, & gemmis decoratam, continentem pignora diversorum Sanctorum*, ut in Fontanellensi Chronico legitur, Cap. viii. quæ tamen pignora non alia fuisse, quam brandea, Mabillonius citato superius loco, Observatione x. num. 47. in fine suspicatur. Late de hujusmodi Reliquiarum Capsis diximus nos Tomo ii. nostrorum Commentariorum ad Concilia Oecumenica, in Commentario ad Canonem lxii. Concilii iv. Generalis Lateranensis, quod ab Innocentio Papa III. celebratum fuit anno MCCXV. In eo autem Commentario plura scitu digna inveniet Lector, quæ iis unita, quæ in præsenti scribimus, rem Reliquiariam quammaxime illustrant. Sed non tamen omittendum censeo, quod pluribus docet Thomassinus, Parte 1. Veteris, ac Novæ Ecclesiæ disciplinæ, Lib. II. Capite lviii. num. iv. & v. sive in Oriente, sive in Occidente vulgo gestari consuevisse Sacras Reliquias a Christifidelibus collo appensas.

XIV. Sed ut ea potissimum explicemus, quæ pertinent ad præsens Romani Ritualis Caput, quod inscriptum est, *De Processione Sacrarum Reliquiarum insignium*; sciendum plane est, quod alias notavit Martene, Lib. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite xvi. num. 6. & seqq. hujuscemodi Processionum causas plurimas extitisse. Nam primo cum Nortmanni feroces quondam Populi omnia ferro, flammisque ubique vastarent, & Servorum Dei maxime Monasteria, Monachi sibi nihil consultius esse existimabant, quam ut ablatis secum Sanctorum pignoribus, propriæ saluti fuga providerent. Hinc variæ Sæculo præsertim ix. Sanctorum Translationes in Vitis Sanctorum, & in Historia Ecclesiastica occurrunt, quæ tamen proprie Processiones dici non possunt, sed fugæ. Dignum enim, justumque judicabant, ut in ea fuga Reliquias Sanctorum secum deferrent, ne illas atroci barbarorum, impiorumque hominum injuriæ exponerent, & ut in sua ipsorum afflictione solatium haberent Sanctorum scilicet societatem juxta illud Maronis.

*Solatium est miseris socios habere Penates*.

XV. Secundo, antiquus fuit veterum præsertim Monachorum usus, ut cum bonorum suorum aliquod dispendium paterentur, sanctarum Reliquiarum Processiones adversus hostes domesticos facerent, quibus Sanctorum Monasterii sui Patronorum Corpora sistebant, ut eorum præsentia territi, ab ausu temerario, bonorumque Ecclesiasticorum direptione non solum cessarent, sed & subita restitutione, illata Monachis detrimenta cito citius resarcirent. Ita Sæculo Christi x. cum Bobienses S. Columbani Monachi aliquas bonorum suorum jacturas a Sæculi Principibus, sed maxime a Guidone Placentiæ Urbis Episcopo, & Reinerio, aliisque paterentur, Gerlannus Bobiensis Abbas hoc ab Hugone Italiæ Rege consilium accepit, *ut Corpus B.Columbani caute de Tumulo levaret, & quando ipse colloquium cum suis Principibus ageret Papiæ, deferret, ut videntes ipsum sacratissimum Corpus propter suas res illuc delatum esse, vel sic ab illarum rapacitate cessaret*. Quod & factum est, ut discimus ex Libro Miraculorum S. Columbani, Cap. viii. Eodem Sæculo, cum vineas Floriacensis Monasterii in Suburbio Aurelianensi sitas invasisset Arnulphus Episcopus Urbis ejusdem, Oiboldus Floriacensis Abbas, ut scribit Aimonus, Lib. 1. Miraculorum Sancti Benedicti, Cap. xix. *cum senioribus habito consilio, deliberavit, ut sumptis Sanctorum Pignoribus, imminente vindemia, ad locum cum aliquibus e Fratribus fructus earum collecturus properaret, ut quia eidem Viro armatorum obniti difficile erat, cum ipse multis sæculari potentia præditis, Regibus quoque persæpe restitisse comprobetur, saltem hac arte obviam iretur*. Quod delatis SS. Mauri, atque Frongentii Corporibus, Monachis Floriacensibus pro voto cessit.

XVI. Tertio, non sufficientibus Monasterii redditibus ad reparanda collapsa Monachorum ædificia, Sanctorum Patronorum Reliquias per lo-

loca varia deferebant, ut ex Fidelium oblationibus haberent, unde Monasterii sui ruinas resarcirent. Plurima hujus praxis exempla nobis suppeditat Liber Miraculorum S. Marculfi Abbatis; nam cum anno MCI. Andreas Corbeniaci Præpositus (Cella hæc erat Monasterio S. Remigii subjecta) multis cladibus vastatum cerneret Cœnobium, & ex prædonum direptione ad extremas redactum angustias; non habentibus Monachis unde proprium sibi victum sufficerent, animadvertens aliunde, sibi non patere levaminis aditum, Abbati, & Fratribus S. Remigii hoc sui cordis aperuit consilium, dicens sæpius, ut, *quoties tam sævissima tribulatione aliqua prægravabatur Ecclesia, ibidem commorantes suarum circumferrent lispana Reliquiarum, quatenus ex donariis, & oblationibus Fidelium, suæ repararent necessitatis incommodum. Nam eodem tempore nobiles Clericos S. Quintini Martyris id actitare constabat; & ante sex annos conflagrata gloriosi Martini Turonensis Basilica, Corpus B. Brictii, sicut ipsi perspexerant, procul a suis finibus pro hoc ipso negotio delatum extiterat; quapropter nihil sibi competentibus videri adstruebat, quam ut similiter de Corpore S. Marculfi fieret; si Domnus Abbas, & cæteri non obsisterent, confidere se per Dei misericordiam non defuturos, qui tunc pretiosi thesauri portantibus gemmam officiosa liberalitate manum auxilii porrigerent.* Addit mox, quod his auditis, qui sanioris erant consilii, causa fraternæ compassionis petioni ejus acquieverunt.

XVII. Hic locus tria nobis suggerit exempla, quorum meminit citato loco Martene, num 10. unum Monachorum S. Quintini, alterum Canonicorum S. Martini Turonensis, tertium Monachorum S. Marculfi, qui, *ut ex oblationibus Fidelium suæ repararent necessitatis incommoda*, Sanctorum Reliquias varia per loca circumtulerunt. Aliud in Monachis S. Vedasti Attrebatensis idem Miraculorum S. Marculfi Liber, num. 9. exhibet: *At Præpositus, cujus erat omnia illa disponere, recordatus, ante quindecim annos pro reparatione suæ Ecclesiæ Feretrum B. Vedasti cum Reliquiis Remis usque delatum, ac in B. Remigii Archimonasterio seria liberalitate susceptum, Civitatem Attrebatensem adiit, Episcopum convenit, quia cum ejus favore Corpus B. Marculfi post biduum illuc afferre cuperet, intimavit &c.* Idem videre est in Libro Miraculorum S. Amandi, Auctore Gisleberto Monacho, cujus cum Elmonense Monasterium anno MLXVI. conflagrasset, *hujus habitationis restituendæ gratia, Fratres cum Abbate ipsius loci, ex Consulto Marchionis Terræ, atque Episcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, Feretrum, quo Corpusculum Venerandi Patris recubabat, per Galliam detulerunt.* Additque mox: *Excessimus sane Monasterio* VII. *Idus Junii, repedavimus in idem sub die* IV. *Nonas Julii.* Eadem arte usi sunt aliquandiu post Benedectini Remenses S. Theodorici ad perficiendam incœptam Ecclesiæ porticum, nimirum anno Dominicæ Incarnationis MCII. teste Adalgiso in Libro Miraculorum S. Theodorici, Cap. XVI. *Induximus animo*, inquit, *porticum nobis necessarium ante valvas Ecclesiæ hujus construere, quæ cum plurima ex parte nostris impensis assurgeret, sed consummari negligeretur, privatim deliberavit Sacrista noster, ut loculus aptaretur pretiosis SS. Reliquiis, qui circumcirca deferretur, quatenus devota Fidelium oblatione cœptum opus perficeretur &c.*

XVIII. Circa idem tempus Joffridus Abbas Croylandensis Monasterii ex incendio ruinas reparare cupiens, teste Petro Blesensi in Continuatione Historiæ Ingulfi, ad annum MCIX. *impetravit a Venerabilibus Archiepiscopis Cantuariensi, & Eboracensi, & aliis Episcopis Anglicanis eorum Suffraganeis indulgentiam tertiæ partis pœnitentiæ pro commissis injunctæ cuilibet suorum Monasterii benefactori, & operis Ecclesiæ suæ adjutori gratiose concessam, videlicet in septimana, si trium dierum abstinentia alicui pro suis peccatis puniendis imponeretur unius diei pœnitentia, per dictam Indulgentiam relaxabatur; si duo dies pœnitentiæ alicui a Penitentiario injungerentur, alter eorum condonabatur. Impetrata itaque hac Indulgentia, suæ novæ Ecclesiæ fundamentum aperiens, transmisit in totam Angliam, & in terras contiguas transmarinas prædictæ Indulgentiæ testimoniales litteras, supplicans universis Christifidelibus ad operis sui adjutorium, suum impendere charitativum beneficium, & concedens cuilibet adjuvanti ante Deum reciprocum prætactæ Indulgentiæ suffragium. Ad istud vero negotium strenue procurandum, direxit cum Sanctorum Reliquiis ad Australes plagas in Flandriam, & in Franciam de suis commonachis Venerbiles Viros Fratres Agelmerum, & Nigellum; ad partes Boreales, & in Scotiam Fratres Fulconem, & Ogerum; ad Daciam, & Norvagiam Fratres Suetmannum & juniorem* Wulfinum; *& ad Valliam, Cornubiam, & Hiberniam Fratres Augustinum, & Osbernum, omnes suos commonachos.*

XIX. Circumferri per omnes Provincias fecit Petrus Abbas Cellensis, ut constat ex ejus Epistola XVIII. Libri I. & Epistola V. Libri IV. Reliquias Beati Aigulfi, cujus Ecclesia incensa fuerat, ut Sanctus ipse mendicaret quodammodo stipem idoneam, qua Ecclesia instauraretur. Et, ut alia exempla omittam, quæ frequenter occurrunt in Ecclesiastica Historia, & in Vitis Sanctorum, latissime effusæ huic consuetudini Sæculo XI. XII. XIII. Willelmus Parisiensis calamo suo patrocinatus est adversus mordaciores aliquos Censores, qui causabantur, in remittenda, ut tunc fiebat, ut vel ex superius dictis liquet, parte tertia pœnitentiæ iis, qui pecuniæ aliquid ad reparanda Ecclesiarum, Monasteriorumve ædificia conferrent, quamvis non ultra oboli, aut ovi pretium conferrent, fraudari Deum media plus parte justi pretii; vendi Indulgentias, & quidem vili pretio; denique unius oboli largitores æquari iis, qui grandibus donis Ecclesiam prosequerentur. Legendus plane memoratus Auctor, *De Sacramento Ordinis*, Cap. XIII. & quæ eandem in rem notavit Thomassinus, Parte III. Veteris, & Novæ Ecclesiæ Disciplinæ, Lib. I. Cap. LXXIV. num. VI. & VII. ubi etiam scite observat, in Concilio Parisiensi anni MCCXII. Parte I. Cap. VIII. prohibitum fuisse, Quæstores admitti, sive Collectores, vel Quæstores simul, & Concionatores, sive Sanctorum aliqua perferrent secum pignora, sive nulla: *Sive Reliquias portent, sive sine his accedant*; nisi scilicet justa niterentur causa, litterasque haberent Episcopi Diœcesani: *Nisi ex juxta causa, & cum litteris Diœcesani.*

XX. An-

XX. Ante memoratam Parisiensem Synodum Pictaviensis Synodus habita anno MC. Can. XII. statuerat jam, *ut Sanctorum Reliquias causa pecuniæ, & quæstus circumferentes, ad prædicationem non admittantur*. Refellit abusum antiquum nebulonum quorundam, qui ad captandum pecuniam, Sanctorum Reliquias etiam commentitias circumferebant, quos merito carpsit S. Augustinus, in Libro, *De Opere Monachorum*, Cap. VIII. ac deinde S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, itemque inter alias Moguntina Synodus, Can. 51. ubi statuit, *ut deinceps Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine Consilio Principis, vel Episcoporum, & Sanctæ Synodi licentia*. Monachos ipsos huic sanciendo Canoni præbuisse occasionem notat ad ipsum Canonem Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universalis, ubi etiam Amolonis Lugdunensis Archiepiscopi testimonium recenset, qui in Epistola ad Theodboldum Lingonensem approbat, quod prudenter egerit circa Reliquias, quas duo Monachi Roma falso, ut videtur, detulerant, aitque: *Religiose fecistis, ut istiusmodi Reliquias, quarum nulla extaret auctoritas, & ipsum quoque vocabulum ignoratum, nec ullo modo recipiendas judicaretis, nec penitus contemnendas*. Tum monet, *ut secreto in loco apto, & mundo sepeliantur*; ac deinde refert factum S. Martini ex Sulpitio in ejus Vita, Cap. VIII. & subdit hæc verba notatu digna. Postquam enim in fraudulentas, & commentitias, ac marsupiorum emunctrices ejusmodi Religionis actiones invectus est, sic habet: *Sunt etiam quidam, qui turpis lucri gratia, non solum ista non prohibent, nec errantem populum ad sinceram, & purum Religionis observantiam instituunt, sed etiam instigant ad talia sectanda, eosque tanquam religiosos prædicant, & suis adulationibus supplantant; tantum, ut ex eorum votis, atque donariis, vel marsupia repleant, vel epulis, ac potationibus vacent*.

XXI. Quarto, usus etiam antiquus fuit, ut Sacræ Sanctorum Reliquiæ ex vicinis Civitatibus ad Concilia deferrentur, ut ipsorum scilicet præsentia, & vires acciperet zelus Episcopalis, & malignorum consilia retunderentur. Ita Sæculo X. in Carofense Concilium S. Juliani Reliquias delatas fuisse, perhibet Letaldus Monachus Mitiacensis in Historia ab eo hac de re scripta, num. 2. & Sæculo insequenti in Aireyense Concilium *plurima Sanctorum Corpora* fuisse asportata, & in his Corpus S. Bercharii, addiscimus plane ex Libro Miraculorum ejusdem Sancti. Ad Concilium apud Castrum, quod Ansa dicitur, ubi Sanctus Odilo Cluniacensis Abbas cum multis aliis interfuit, deportatum fuisse Corpus S. Hugonis Æduensis Monachi, docet Anonymus ejus Vitæ Scriptor, num. 27. & 28. Sæculo V. Benedictino pag. 104. Testatur Glaber Rodulphus, Lib. IV. Historiæ, Capite V. ineunte Sæculo XI. *cœpisse in Aquitaniæ partibus ab Episcopis, & Abbatibus, cæterisque Viris Sacræ Religionis devotis ex universa plebe coadunari Conciliorum Conventus, ad quos etiam multa delata sunt Corpora Sanctorum, atque innumerabiles Sanctorum Apophoretæ Reliquiarum*. Apophoreta vas erat, in quo Sacræ Sanctorum Reliquiæ deferebantur, ut docet Mamotrectus ad Legendam SS. Vitalis & Agricolæ: *Apophoreta vas*, inquit, *a ferendo poma, vel aliquid aliud dicta, vel vasa consecrata, in quibus Beatus Ambrosius portabat Reliquias*. Quidquid sit de ea voce, transiit plane in canonicam disciplinam mos ipse antiquus, cui inhærens Concilium Salegunstadiense anni MXXII. Capite inscripto, *Quomodo initianda sit Synodus*, mandat quidem, ut *Sella ponatur in medio, & super eam Sacræ Reliquiæ*. Hinc in Rhemensi Synodo sub Leone Papa IX. S. Remigii Corpus ante omnium conspectum super Altari expositum fuit. Cæterum, perYetustum fuisse hunc ritum, & quidem Sæculo IV. servatum, ut Concilia coram Sanctorum Reliquiis celebrarentur, testem habemus S. Siricium Papam, qui in Synodali Epistola ad Episcopos Africanos ita scribit: *Cum in unum plurimi Fratres convenissemus ad S. Apostoli Petri Reliquias, per quem & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium &c. Datum Romæ in Concilio Episcoporum octoginta sub die viij. Idus Januarii, post Consulatum Arcadii Augusti, & Bautonis Clarissimorum Consulum*. Vide quæ de hoc ritu scripsimus nos Tomo I. Commentariorum ad Concilia Oecumenica, in Prolegomenis, Cap. XX.

XXII. Quinto, delatas fuisse vel olim Sacras Reliquias in Processionibus Ecclesiasticis ad avertenda varia iræ Dei flagella, antiquissima exempla, & veterum Scriptorum testimonia frequenter testantur. Certe quum anno millesimo nonnulla in Cælo portenta apparuissent, ex communi Ragenardi Resbacensis Abbatis, & Ermingardis Jottrensis Abbatissæ consilio, prævio jejunio, *determinata die convenerunt Processiones Resbaccensis, & Jottrensis Monasterii in locum, qui ob insignia virtutis Dei ex tunc Crux Sancti Agili meruit appellari*, delatis illo ex utroque Monasterio Sanctorum Reliquiis, quemadmodum testatur Scriptor Miraculorum S. Agili Abbatis, num. 3. & 5. Ita adversus grassantem pestem Corpus S. Mauri Martyris processionaliter olim detulerunt Benedictini Monachi Floriacenses, teste Tortario in Libro Miraculorum S. Benedicti, Cap. XX. Idem remedium tanquam præsentissimum in eundem morbum adhibuerunt Deovenses Monachi, S. Bercharii Reliquias in afflictis pestilentia locis circumferentes, ex Libro Miraculorum S. Bercharii, num. 28. & Fontanellenses S. Wlframni Corpore Rothomagum delato, ex Libro Miraculorum dicti S. Wlframni, num. 14. Similiter cum locustæ universas segetes corroderent, Piscarienses Monachi cunctos Monasterii agros cum Capsa S. Clementis circumgirantes, imminentem sibi famis pestilentiam sedabant, uti videre est Tomo V. Spicilegii Dacheriani, Libro III. pag. 481. Idem pro obtinenda, aut coercenda pluvia remedium usurpatum, permultis posset ostendi exemplis, legique potest memoratus Liber Miraculorum S. Bercharii, num. 30. aliique Scriptores notati a Martene recitato superius loco, num. 13. ubi etiam, ex Vita S. Præcordii apud Bollandianos die 1. Februarii, docet, ad servandam pacem, S. Præcordii Corpus Corbeja in Ambianos fuisse aliquando translatum.

XXIII. Sexto denique, Episcopi ipsi ad excitandam Fidelium erga Sanctos locorum Tutelares devotionem, aliquando hujusmodi Processiones, cum Sacris scilicet Sanctorum ipsorum Reliquiis injungebant. Atque ita anno MCCXXVII. Philippus Episcopus Meldensis S. Fiacrii Reliquias *in Pratis subtus Villam dicti S. Fiacrii deferri* jus-

jussit; concessis Indulgentiis Fidelibus eo convenientibus; statuitque, ut quotannis in Festo Sanctissimæ Trinitatis, Caput gloriosissimi Confessoris *ad locum memoratum processionaliter deferatur*, Fidelibus ad solemnitatem confluentibus *quadraginta dies de injunctis pœnitentiis, peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensam patrum, & matrum sine manuum injectione, misericorditer relaxans*, quemadmodum legitur in Literis hac de re ejusdem Philippi citatis ad Vitam S. Fiacrii, num. 15. Sunt hodieque in usu hujusmodi Processiones multis in locis, in quibus deferri solent Sanctorum Patronorum Reliquiæ, celebrisque est illa, quæ Neapoli quotannis celebratur Sabbato primo mensis Maji, in qua defertur Sanguis Sancti Januarii Episcopi, ac Martyris, præcipui Neapolis, ejusque Regni Patroni. Alias id genus Processiones referre supervacaneum est; variæ enim Ecclesiæ suos usus particulares habent longa consuetudine, ac suorum Præsidum auctoritate probatos.

XXIV. Jam vero circa hujusmodi Processiones, Translationesve sacrarum Reliquiarum plura scitu hic digna adnotanda censemus, quæ ex antiquis veterum Scriptorum testimoniis, atque Ecclesiæ disciplina etiam docet idem Martene citato Libro v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. xvi. num. 16. & seqq. Primo itaque, requisita fuit ad eas celebrandas Processiones Episcoporum, & Prælatorum licentia, ut patet ex Reinerio in Libro Miraculorum S. Gisleni, num. 2. ex Gisleberto in Libro Miraculorum S. Amandi, num. 2. ex Vita S. Humberti, num. 11. ex Historia Translationis S. Marcelli apud Bollandum die xvi. Januarii; idque ex variorum Conciliorum Decretis, ac præsertim ex Capite LI. Concilii Moguntini, quod celebratum fuit anno DCCCXIII. ubi ita statuit: *Deinceps vero Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine consilio Principis, vel Episcoporum, & Sanctæ Synodi licentia*. Notat ad hunc Canonem Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universalis, ei sanciendo locum dedisse nebulonum quorundam, Sanctorum Reliquias utplurimum commentitias circumferentium usum impium, quem carpsit S. Augustinus in Libro, *De Opere Monachorum*, Cap. viii. quorum nonnulli huic fraudi turpiter incubuerunt, ut S. Gregorius Magnus non semel conquestus est. Sed de his vide quæ diximus supra num. xx.

XXV. Secundo præmissum fuisse hujusmodi Processioni, Translationive Reliquiarum, jejunium, constat ex Fulcuino in Libro Miraculorum S. Ursmari, num. 7. & ex Libro Miraculorum Sancti Agili, itemque ex Actis aliorum Sanctorum, quæ passim occurrunt apud eruditos Socios Bollandianos, & Laurentium Surium, qui varias recensent hujusmodi Translationes Sacrarum Reliquiarum, quibus præmissum fuit jejunium. Forte desumptus hic ritus est ex dedicatione Ecclesiæ, quæ peragi consuevit cum sacra Reliquiarum Processione, & in qua pridie celebrari debet jejunium ab Episcopo dedicante, atque ab iis, qui addicti sunt servitio ejusdem Ecclesiæ juxta ritum a Romano Pontificali præscriptum, quem nos jam late explicuimus in nostris ad ipsum Pontificale Commentariis, ubi de Ecclesiæ dedicatione egimus, quemque religiose observavimus, & in nostræ S. Hieronymi Charitatis Ecclesiæ dedicatione, & in solemni Sacrarum Reliquiarum Translatione, quam infra in Appendice hujus Capitis describendam ad perpetuam rei memoriam censuimus.

XXVI. Tertio, Sacras Reliquias in earum Processione a præcipuis, & *senioribus Congregationis Fratribus* delatas fuisse, colligimus plane ex Libro Miraculorum S. Wandregesili, Capite vii. & quidem *Sacerdotibus* ex Libro i. Miraculorum S. Richarii, num. 12. & 13. suis Sacerdotalibus ornamentis indutis. Corpus vero S. Filiberti *Sacerdotum, Levitarum, simul ac Monachorum humeris elevatum*, & delatum dicitur in ejus Translationis historia, num. 2. Atque hic fuit ritus a nobis servatus in solemnissima Reliquiarum ducentorum & supra Corporum Sanctorum Martyrum Translatione ad nostram S. Hieronymi Charitatis Ecclesiam, quam descripsimus Tomo II. Commentariorum ad Partem II. Romani Pontificalis in Appendice II. ad Titulum xix. Feretrum enim, in quo aliqua ipsarum Reliquiarum quantitas reposita fuerat, sustinebant, comportabantque aperto capite quatuor nostri Oratorii Patres e senioribus, qui sacras Confessiones in eadem Ecclesia excipiunt, iisdem quibus Missam celebrant pretiosis aureisque Sacerdotalibus vestibus induti. Id enim præscribit in suo Concilio Provinciali Mediolanensi iv. Sanctus Carolus, ubi agit de solemni Processione, qua Sacræ Sanctorum Reliquiæ transferuntur, ut nempe Arca *portetur a Sacerdotibus, qui dignores sint, & in toto Clero, & in ea Ecclesia, ad quam Translatio fit; illique vicissim, prout Episcopus jusserit, id onus subeant, sacris vestibus induti, tum capite aperto*.

XXVII. Quarto, cum ipsæ Processiones ante aliquod Monasterium, aut Ecclesiam pertransirent, aut accederent, Sacris Sanctorum Reliquiis tam Clerici, quam Monachi certatim procedebant obviam, ejusque disciplinæ plurima nobis occurrunt exempla in Actis Sanctorum, ac præcipue in citato Libro Miraculorum S. Wandregisili, cujus Corpus, quum una cum Reliquiis S. Ansberti in Ecclesiam Sancti Petri Quentavico vicinam anno DCCCLVIII. deferretur, *venerunt eis obviam plebes innumeræ Clericorum cum Sacris Evangeliis, Crucibusque, ac cereis, seu cum reliquo apparatu Ecclesiarum; qui ad terram se se projicientes, gaudioque præ nimio flentes, exceperunt illa beatissima Corpora cum laudibus hymnorum; cœperuntque ante illa ire psallendo, donec præfatam introeuntes Ecclesiam, a senioribus hujus Congregationis Fratribus, qui ipsa beatissima Sanctorum membra propriis humeris gestabant, super Altare Apostoli S. Petri ponerentur*. Ita cum Sancti Leodegarii Corpus Pictavos transferretur, ut in ejusdem Vita legitur, Sæculo II. Benedictino, *per itineris loca cœperant undique sponte dextra lævaque concurrere ex Monasteriis, viculis, ac villis, turbæ Monachorum, ac Clericorum per publicum cum Crucibus, accensisque cereis, & suavitatum odoribus obviam procedentes*. Vide Librum II. Miraculorum, seu delationem Sancti Marculfi, num. 6. & 7. & Librum Miraculorum S. Wulframni, num. 14.

XXVIII. Quinto, cum Sacræ Reliquiæ aliqua pernoctarent in Ecclesia, nusquam absque tuta Monachorum psallentium, & orantium custodia dimittebantur, quod videre est in Libro Miraculorum S. Columbani, Cap. xi. Demorantes

tes autem aliquandiu aliquo in loco Sacras ipsas Raliquias vicinæ visitabant Ecclesiæ, quod colligimus ex historia delationis S. Marculfi, num. 16. cujus Corpus quum in Ecclesia Sancti Joannis Peronæ aliquantis diebus servatum fuisset, *S. Fursei principalis Clerus* (Urbis) *cum Corpore ejusdem Patroni sui S. Fursei, multitudine comitante, affuit, ac in introitu Ecclesiæ non sine religiosissima deliberationis consilio psallentes*, Veni Creator Spiritus, *& finito subjunxerunt hymnum*, Te Deum laudamus &c. Pari modo Monachi Montis S. Quintini, ut in citata historia num. 17. habetur, *nudis pedibus cum obsecratione Letaniæ venientes, prostrati solo coram S. Marculfi feretro orationem fuderunt, ac plurimum lætati in Domino xenia nostris ex charitatis debito, & intimæ dilectionis munificentia obtulerunt &c.*

XXIX. Sexto, recedentem Processionem, ii, apud quos Sacræ Sanctorum Reliquiæ pernoctarant, seu aliquandiu remanserant, Monachi, sive Clerici solemnissime prosequebantur, uti videre est apud Aimoinum Lib. II. *De Miraculis S. Benedicti*, Cap. xv. ubi de Processione Sanctarum Reliquiarum adversus perfidos invasores bonorum Patriacensis Cœnobii Floriacensi subjecti, sic habet: *Cumque iter agendo Sanctarum vectores Reliquiarum Cluniacum Cœnobium devenissent, inibi nocte quieverunt; in crastinum vero cæpti itineris callem capturi a Fratribus ejusdem Cænobii cum magno Processionis apparatu ducebantur*. Vide Librum Miraculorum S. Marculfi, num. 9. Tandem ut alia quædam Præfationi Capitis hujus adjungam, in hisce Processianibus publica ad Populum de præsenti necessitate Concio nonnunquam habebatur; quod colligere licet ex Libro Miraculorum Sancti Agili Abbatis Resbacensis, & ex Translatione S. Sindulfi, & Helenæ, atque ex historia delationis S. Marculfi, num. 7. & ex Libro Miraculorum S. Wlframni, num. 14. Varii alii ritus in ipsis Processionibus servati olim, ac juxta recentiorem disciplinam servandi, explicabuntur in Commentario ad sequentem §.

XXX. At vero nonnulla adhuc restant, quæ omnino in hac Præfatione adnotemus. Ac primum quidem, cum Caput præsens inscriptum sit, *De Processione in Translatione sacrarum Reliquiarum insignium*, explicandum, quænam dicantur Reliquiæ insignes, notabilesve. Et quidem, uti legitur initio Breviarii Romani, Sacra Rituum Congregatio *insignes Reliquias declaravit esse Caput, Brachium. Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus sit Martyr, modo sit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata*. Quod Decretum ita exponit Guyetus in Heortologia Lib. I. Cap. IX. Quæstione II. *Notabiles censentur, non tantum insigniores illæ, quas memorat præfatum Congregationis Decretum, nempe Caput, Brachium, Crus &c. item pars illa, in qua passus est Martyr; sed etiam quæcumque alia pars, quæ vel integrum per se est ipsa Corporis membrum, licet aliqui modicum, ut digitus, costa, &c. vel certe grandioris membri pars non modica, puta Capitis, Brachii &c. denique quæcumque pars in Corpore vivo notabilis est, ea itidem in demortuo censeri debet, & e contra. Quare vix sunt notabiles unquam Reliquiæ illæ, quæ in parvulis orbibus inclusæ, a privatis hominibus pie omnino ac religiose e collo gestantur*. Pergit Auctor, aitque, pro exiguis haberi debere pulverem, ac cineres, nisi & ipsi acervum faciant. Vestes vero, sudaria, pannos, & quamcumque aliam Sanctorum supellectilem, licet forte habita molis, seu quantitatis ratione, in notabilium Reliquiarum sæpe numero reponantur, quantum tamen observare potuit, non esse usu receptum, ut earum rerum intuitu, præcise de Sanctis, ad quos pertinent, Divinum celebrari Officium, *nisi forte sint ipsa instrumenta martyrii, vel insignis miraculi, puta Lapides S. Stephani, Craticula S. Laurentii, Sudaria, & Semicinctia S. Pauli, & similia, quæ omnino pro notabilibus, & vero etiam pro insignibus haberi debent*.

XXXI. Alterum est, ut in solemni Processione Sacræ Reliquiæ insignes transferantur, requiri omnino, ut sint approbatæ, sive usu, & continua jam inde a priscis temporibus traditione, ut in iis Sanctis, qui cum aliquo in loco obierint, eorum Corpora integra, aut maxima pars ibidem deposita, in Tumulis, aut in Capsis deinceps servata fuere; sive legitimis instrumentis, Episcopi videlicet, & aliorum, ad quos spectat, ut fit in asportatione, receptione, translatione, reconditione, & quavis alia Ossium, aut quorumque Sacrorum Pignorum attrectatione, ut inter alios docet idem Guyetus loco citato. Qui etiam sequenti Quæstione III. scite admonet, cavendum, ne Reliquiæ ullæ ad venerationem publice exponantur, transferanturve, adeoque multo amplius ne de iis Divinum celebretur Officium, quin prius vindicatæ, ac legitimo testimonio probatæ fuerint. Et quidem si de novo inventæ sunt, ipsius Romani Pontificis Maximi auctoritate approbari debere, statuit Concilium Generale IV. Lateranense anni MCCXV. Can. LXII. relato in Capite, *Cum de eo, De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*. Quæ tamen approbatio non sic accipienda est, ut ad Summum Pontificem pertineat declarare, quod tales Reliquiæ talis sint Sancti; sed quod Sanctus ille, cujus esse asseruntur, vere Sanctus sit, quod decernere solius esse Romani Pontificis, jam Alexandri Papæ III. Constitutione definitum fuerat, occasione hominis cujusdam, quem licet in ebrietate occisum, quidam nihilominus quasi Sanctum venerabantur. Quo pertinet item exemplum illud, quod refert Optatus Milevitanus Libro I. adversus Parmenianum, Lucillæ cujusdam potentis, ac factiosæ feminæ a Cæciliano Carthaginensi Archidiacono repræhensæ, quod os hominis mortui, & si Martyris, nondum tamen vindicati, ante Eucharistiæ sumtionem ori admoveret, cultuque etiam superstitioso afficeret; itemque celebris historia, quam narrat Severus Sulpitius in Vita S. Martini Capite VIII. de tumulo latronis cujusdam, quem quasi Martyris, vulgi errore in honore habitum ipse S. Martinus detecta fraude abstulit. Ex quibus videas, quam opportune cautum sit, ne Reliquiæ novæ, seu ullius Sancti, nisi quem probe constet, vindicatum, seu canonizatum fuisse, palam ad venerationem exponantur. Quæ autem legitima sit Sanctorum Canonizatio, ac ejus origo, abunde jam explicuimus in Commentariis ad Cæremoniale S. R. E. ab Augustino Patritio concinnatum, & a Marcello Corcyrensi Archiepiscopo publici juris factum, Tomo I. Tit. VI.

XXXII. Quod si Reliquiæ inventæ de novo ejus

ejus fuerint, qui jam pridem Sanctorum Catalogo adscriptus habeatur, poterunt illæ quidem exponi, transferrique solemni Processione, absque nova Romani Pontificis auctoritate, non tamen nisi prius eas recognoscente, & approbante Episcopo, ex Decreto Concilii Tridentini, Sessione xxv. *De invocatione veneratione, & Reliquiis Sanctorum &c.* ubi inter alia statuit, *nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, quod simulatque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis Viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil, inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.* Certe si veterem Ecclesiæ disciplinam spectemus, qualiter in primis auctoritate Primatis Episcopi, subtilissimaque inquisitione adhibita, quibus cultus Sanctorum Martyrum exhibendus esset, diligentissime tractaretur, etiam sæviente persecutionis tempestate, docet S. Augustinus in Breviario Collationum diei III. Cap. XIII. de Actis Martyrum delatis ad Mensurium Episcopum Carthaginensem temporibus Diocletiani Imperatoris. Sed & ab eodem Augustino in Libro, *De Opere Monachorum*, Cap. XXVIII. notati sunt pariter circulatores quidam Monachi qui quæstus causa Reliquias nonnullas distraherent, quas Martyrum esse prædicabant.

XXXIII. Hujusmodi abusibus jam varia remedia antiqui Patres, ac Synodi conati sunt adhibere. Quam accurate, eodem ferme tempore, quo claruit Augustinus, providerint Episcopi Africani, ut non nisi certis, & exploratis Sanctorum Reliquiis Memoriæ consecrarentur, neve inanibus superstitionibus, & revelationibus plebs ignara deciperetur, docet Canon XIV. Concilii V. Carthaginensis habiti anno CCCXCVIII. Rursus nequa fraus in ipsis Reliquiis irreperet, in variis Conciliis, ac præsertim in Cæsaraugustano II. anni DXCII. Can. II. statutum fuit, ut sacrosanctæ Reliquiæ, quæ inventæ essent in Ecclesiis hæreticorum, aut aliquam falsitatis suspicionem afferrent, *Pontificibus præsentatæ igne probentur*. Varia id genus exempla occurrunt frequenter in Ecclesiastica Historia, & in Vitis Sanctorum, quæ non opus est hic recensere. Quanta insuper cura fuerit Romanorum Pontificum, nequid de his, quod inexploratum esset, admitteretur, celebre exemplum habemus in S. Gregorio Magno Papa I. Lib. III. Epistola XXX. Indictione XII. ubi quosdam Monachos Græcos carpit, qui Romæ nocturno silentio juxta Ecclesiam S. Pauli, Corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent, in Græciam tanquam Sanctorum Reliquias portaturi. Longo etiam post S. Gregorium tempore extiterunt varii nebulones, impostoresque, Reliquiarum nundinatores, qualis inter alios fuit nebulo quidam omnium nequissimus, cujus historiam ex Glabro Cluniacensi Monacho, Lib. IV. Capite II. refert Baronius ad annum MXXVI. ubi etiam scite notat citans Apostolum in Epistola II. ad Corinthios, Cap. XI. & in Epistola II. ad Timotheum, Cap. VI. fuisse quidem & Apostolorum temporibus falsos Fratres, & illos plures numero, qui quæstum pietatem putarent.

XXXIV. Rursus, cum inter sacras Reliquias computari soleant Sanctorum scripta proprio eorum charactere exarata, sæpe jam & illud contigit, ut ipsum Sanctorum characterem perfidi homines falsificarent, literasque eisdem tribuerent, quas illi nunquam scripsere. Hujusmodi plane est Epistola illa, quam, ut putabat, ad deprimendum Presbyteros Oratorii S. Hieronymi Charitatis, confinxit hoc nostro Sæculo Jacobus Laderchius, falsoque supposuit S. Philippo Nerio, quamque in gratiam ejus Dominicus Ursaya suæ rudi, indigestæque moli, farraginique Disceptationum Ecclesiasticarum, importune, inepte, perperamque inseruit, Tomo III. Parte II. Disceptatione III. pag. 299. postquam scilicet præcedenti pagina Declarationem descripsit, quam noster P. Joannes Marangonus a Laderchio, ejusque asseclis deceptus, atque ad tollendam vexationem, ad Librum suum fecit, cui Titulus, *Vita del Servo di Dio il P. Buonsignore Cacciaguerra &c.* Romæ MDCCXII. quamque deinde, re melius perpensa, amplissimis verbis, perspicuisque retractavit in Libro, quem inscripsit, *Acta S. Victorini*, in Ratione Operis pag. XV. Porro Laderchius multis imponere conatus est, Epistolam ipsam ab Ursaya descriptam, missam Romam ad suos fuisse tanquam pretiosam Reliquiam a Patribus Oblatis Mediolanensibus, qui tamen, ut etiam alias scripsi, rite, legitimeque de ea re interrogati ab Archiepiscopo suo, ac S. R. E. Cardinale Cajetano Stampa, iterum, iterumque contestati sunt, numquam prædictam Epistolam apud ipsos fuisse, nullamque prorsus ejusdem memoriam in Domus suæ Tabulariis, Sacrarumque Reliquiarum indicibus invenisse. Extant apud nos memorati Cardinalis Stampæ, Patrumque Oblatorum literæ, quas opportunius in alio nostro Opere describemus, quod est de origine, progressu, ac statu Oratorii S. Hieronymi Charitatis, ac de Viris illustribus, qui in eo claruerunt. Mirum autem videri non debet, si se nostris adversum Laderchius ostenderit, cum idem non veritus sit impia audacia Venerabiles Dei Servos carpere, nempe S. R. E. Cardinalem Thomasium, atque Romanum ipsum Pontificem Maximum Innocentium XI. quorum primum Jansenistam dixit, alterum vero a Jansenistis hallucinatum, uti videre est apud Auctorem Defensionis Cardinalis Thomasii, ejusque Operum, & in Libro, quem ipse Laderchius Venetiis edidit anno MDCCXXXIV. tituloque insignivit, *I congressi d'oggidì*, pag. 64. & 65.

XXXV. Tanta autem fuit Laderchii inscitia in ea confingenda Epistola, ut vel ipsa suam facile, aperteque falsitatem prodat. Supponit impostor, rogatum a Bavariæ Duce S. Carolum, ut duos e suis Presbyteris Bavariam mitteret, scripsisse ad Philippum, ut illos Romæ procuraret, eosque a Philippo inventos, promisisse ei quidem, se Bavariam profecturos, postea vero minime promissis stetisse, eamque ob causam querenti, ac Philippum objurganti, respondisse Philippum, Sacerdotes, qui Bavariam ire spoponderant, esse Capellanos Caritatis, cum quibus nullam se habere communicationem ait. Atque hac Capellanorum denominatione putabat La-

Laderchius, ejusque asseclæ nostros Patres Oratorii S. Hieronymi Charitatis deprimere; cum alias ipsi Capellani, quorum meminit pseudophilippus in ea Epistola, potuerint esse Sacerdotes exteri, qui quotidie ad satisfaciendum Missarum oneribus, in nostra Ecclesia celebrant. Cæterum, cum data dicatur Epistola ipsa anno MDLXXXI. eoque anno, sicut & duobus sequentibus, Philippus in nostra Domo Charitatis adhuc maneret, ibidem cibum, somnumque caperet, Sacrum faceret, Confessiones exciperet, Sermones ad Fratres haberet, aliaque ageret pietatis opera, & mirabilia patraret, nescio plane, ut recte affirmare potuerit, se nullam tunc temporis cum nostris communicationem habuisse. Forte putavit Laderchius, fuisse tunc omnes nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyteros dira excommunicatione perculsos, sicut & censuit nostrum Persianum Rosam una cum Philippo Sodalitii Sanctissimæ Trinitatis Fundatorem, ejusque directorem, & a Confessionibus, latinæ linguæ ignarum fuisse? Quid quod in ea Epistola pseudophilippus cognomento *Nerio*, se subscribit, cum alias in cæteris literis suis verus Philippus se semper *Neri* suscripserit? Quid quod observato a Viris peritis Epistolæ charactere, constanter iidem affirmarint nobis, eum non esse characterem Philippi? Quid quod, ut alia multa de falsitate, imposturaque ejusdem Epistostolæ omittam, cujus alibi longam confutationem suscepi, ille modus loquendi alienus est prorsus a modestia, & humilitate Philippi, & ab ejus insigni amore, quo, & dum apud nostros mansit, & dum præcepto adactus Pontificio ad Vallicellam perrexit, quoad vixit, & postquam migravit in Cælum, Domum nostram, & Oratorium prosequutus est? Atque hæc quidem amore veritatis dixi, nam alias ea Capellanorum denominatio minime injuriosa est, uti vel iis notum est, qui aliquam habent Sacrorum Canonum, Ecclesiasticæque veteris, atque novæ etiam Disciplinæ notitiam.

XXXVI. Sed ut ad ea redeamus, quæ ad Rubricam, materiamque præsentis hujus Capitis spectant, operæ tandem pretium duxi ad calcem hujus nostræ Præfationis ad ipsum Caput describere, quæ Sanctus Carolus in suo Mediolanensi IV. Provinciali Concilio, Parte I. Constitutionum de Translatione Sacrarum Reliquiarum statuit, ut nimirum inde ritus desumi possit in ipsis Translationibus peragendis servandus. Sic autem ait.

Sacras porro Reliquias de uno ad alium locum transferri ne liceat sine justa, ac legitima causa, & facultate scriptis ab Episcopo permissa.

Sicut Sacrarum Reliquiarum translationis memoriam festa solemnive celebritate fieri, religiose jam fere ab initio usque nascentis Ecclesiæ consuetudine institutum, perpetua Ecclesiæ consuetudine sancte retentum est, ita si quando Sanctorum Corpora, membrave, aut Sacras Reliquias Episcopi judicio insignes transferri contigerit, vel ab uno Oppido, Urbeve ad aliam Ecclesiam, id ritu solemni, religiosoque cultu præstari oportet.

Itaque hæc decernimus.

Primum, aliquot ante diebus, si opus fuerit, aut certe omnino pridie illius diei, quo Sacræ Reliquiæ transferendæ sunt, ab Episcopo, aliove, ubi adhiberi potest, Ecclesiastica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accurate, diligenterque recognoscantur, testibus aliis Sacerdotibus gravioribus adhibitis.

Quæ recognitio fiat, ut supra, diligenter conquisito omni monumentorum genere.

Recognitæ ubi sunt, ordine componantur, tum in Arca duabus saltem, ac diversis clavibus, quarum altera ab Episcopo, aut ab eo, quam ipse maluerit, asserventur, inclusæque signo Episcopali obsignentur.

Dies Translationis tum in loco, unde transferuntur, tum etiam quibus locis transeundum est, per Parochos, Episcopi jussu, Dominico die, vel festo proxime præcedenti annuncietur.

Idemque illis locis jubeatur coli, mane saltem, ut dies festus.

Significetur etiam proximis ante diebus frequenti sono Campanarum illius Ecclesiæ, ad quam Translatio facienda est.

Pridie vero Translationis, vespere significatio celebritatis detur solemni Campanarum omnium utriusque loci sono.

Eo die jejunium a Clero Ecclesiæ, ad quam transferendæ sunt, servetur; noctuque item Arca cum Sacris Reliquiis, si commode potest, super Altari Ecclesiæ, unde transferendæ sunt; si vero non potest, alio decenti loco collocata, & adhibitis præterea ad earum venerationem sex saltem luminibus, ab eodem Clero, & aliis item Ecclesiasticis Hominibus, quibus Episcopus id jusserit, Vigiliæ fiant; statoque tempore Nocturna itidem rite de Sanctis decantentur, quorum Reliquiæ transferuntur.

Mane quo die transferuntur, Processio solemnis, Psalmis, Hymnis, & Canticis, omnique prece agatur, ad Ecclesiam, in quam Translatio fit; ubi iterum illis recognitis, de eorum Vita, deque Historia Sanctarum Reliquiarum olim eo loco reconditarum, de causis item Translationis ab Episcopo, vel ab alio ejus jussu Sermo apposite habeatur, nisi commodius censuerit Episcopus postea habendum inter Missarum Solemnia. Deinde adhibita primum illis thurificatione, Clero, & Populo ostendantur, ab illoque iisdem debitus cultus, & veneratio tribuatur.

Transferantur autem inclusæ in Arca, pro earum ratione, proque ritu Ecclesiæ decenter ornata, & Umbella præterea abhibita, ut Episcopus censuerit.

Arca vero humeris portetur a Sacerdotibus, qui dignores sint, & in toto Clero, & in ea Ecclesia, ad quam Translatio fit; illique vicissim, prout Episcopus jusserit, id onus subeant sacris vestibus induti, tum capite aperto; præeant vero duo Acoluthi semper thurificantes.

Clerici præterea aliquot Superpelliceo amicti, qui capite item aperto sint, lumina deferant hinc inde congruo numero, & ordine accensa; hæcque præter cereos, quos accensos reliquus etiam Clerus, & Populus, laicorumque hominum Sodalitates, & cæteri earum Arcam pie prosequentes, pro sua pietate manibus gestarint.

Verum, si Episcopus in loco adest, ipse quoque cum Sacerdotibus, qui in Cathedrali Ecclesia Sacerdotali dignitate præditi sint, Canonicatumve Sacerdotalem habentes, digniores sunt, humeros sacræ Arcæ portandæ subjiciant; idque saltem paululum, tum initio, tum in fine Processionis.

Cum vero Arcam non portat, eam proxime subsequatur, reliquo omni Clero præeunte.

Vasculo, quod ab uno ferri possit, reconditæ Sa-

Sacræ Reliquiæ, ab Sacerdote item portentur, qui dignior est, cæteris etiam servatis, supra mox præscriptis.

Ubi ad Ecclesiam ventum est, in qua collocandæ, recondendæve sunt, per Episcopum, aut per alium Sacerdotem ejus jussu Missarum Solemnia celebrentur de Sanctis, quorum Translatio facta est, idque solemni ritu, nisi horæ tarditas impediat.

Peractis Missarum Solemnibus, certo loco bene septo, & clauso, ut ne Populus propius accedat, in Altari exponantur, ubi per illum diem sint, accensis saltem sex luminibus, & adhibitis ad custodiam duobus Sacerdotibus, vel uno saltem, alioque Clerico in Sacris Ordinibus constituto. Quorum Sacerdotum cura sit Sacras Reliquias custodire, & eorum Arcam, aut loculos, precatoriis Fidelium coronis, quæ porrigentur, religiose tangere.

Confecto Translationis die, sub occasum solis, constituto loco ab Episcopo, vel alio, quem miserit, cum thurificatione, Psalmis, Hymnis, Canticis, Antiphonisve recondantur.

Translationis tabulæ, publice a Notario confectæ, in Librum in Sacristia illius Ecclesiæ asservandum referantur; tum rei gestæ literæ in ære, vel marmore incisæ, in eo Reliquiarum loco ad perpetuitatem collocentur.

Corpora Sanctorum, Sacrave Membra, aut insignes Sacræ Reliquiæ, cum aliunde e loco longe remoto transferuntur, si vel navigio, vel curru vehuntur, illius locus, parsve, ubi pro vectione collocantur, pie ornetur, una etiam, vel duabus, pluribusve lampadibus accensis.

Si ad vectionem jumentum adhibetur, decenter item sternatur.

Quacumque illis transferendis iter fit, per Urbes, sive per Oppida, obviam solemniter procedatur; itaut Psalmis, Hymnis, & Canticis, illas, cum Clerus universus sacris vestibus indutus religiose excipiat, tum Populus item, luminum numero, portarum, & viarum publicarum apparatu, religioso ornatu, piæque venerationis studio, & spiritualis lætitiæ significatione.

Dies Translationis in Urbe, Oppidove, aut saltem in Ecclesia, in qua collocantur, ut Episcopus jusserit, anniversario Canonicarum Horarum Officio de Sanctis celebretur, quorum Sacra Corpora, Reliquiæve, ejusdem Episcopi judicio transferuntur.

Quod Officium ut solemniter cumulate præstetur, id prospiciatur, ut dies, quo celebritas Translationis agenda est, in Feriam certam cadat, quæ Sanctorum, quorum Reliquiæ translatæ sunt, cultui dicari possit, universe, vel in ea saltem Ecclesia.

## §. I.

Ecclesia, & viæ, per quas transeundum est, quam fieri potest, decentius ornentur, Sacerdotes, & Ministri vestibus induti albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, exposcunt; & cum luminaribus accensis omnes procedant, decantantes Litanias cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur, & Hymnum, *Te Deum &c.* & Psalmum, *Laudate Dominum de Cælis*, cum duobus sequentibus, & alios Psalmos, & Hymnos de Proprio, vel de Communi eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

## COMMENTARIUS.

I. Quod primum ait hic noster §. ut in translatione Sanctarum Reliquiarum, *Ecclesia, & viæ, per quas transeundum est, quam fieri potest, decentius ornentur*, intelligendum est quidem, ubi fiat solemnis translatio, non vero privata, habita ratione ad causam, quæ, uti dictum superius fuit in Præfatione ad Capitis hujus Rubricam, esse multiplex potest. Ornanda autem est Ecclesia, prout videbitur illius Rectori, vel illi, cui præcipua hujusmodi translationis cura incumbit. Viæ vero juxta pietatem, devotionemque Fidelium, quorum industria erit, trophæa, & insignia Sancti illius, de quo fit translatio, exponere, necnon symbola eidem congruentia, uti notat ad hunc §. Barrufaldus, qui etiam, postquam retulit solemnem translationem factam Ferrariæ anno MDCCXII. Corporis B. Joannis de Tussignano Episcopi Ferrariensis, ita deinde subjicit: *Occasione hujusmodi translationum æquum videtur, & congruum evulgare, & publici juris facere Acta mirabilia ejusdem Sancti, cujus Corporis, vel Reliquiarum fit translatio. Hoc præstari poterit, vel per Imagines typis impressas, vel per Libros saltem compendiose scriptos, vel per eloquentes Oratorum voces, qui inter Missarum Solemnia Panegyricos promant de laudibus ejusdem Sancti, aut in ipsa die translationis, aut per Triduum, seu per Octavarium, juxta vires illorum, quorum impensis actio ista solemnis habetur. Nec deerit huic solemnitati præsentia, & interventus Principis illius Civitatis, & multo magis Episcopi, & Magistratuum, totiusque Cleri loci illius, ut hoc pacto cultus erga Deum, & Sanctum illum magis, ac magis augeatur, ad quem finem celebrari solent hujusmodi translationes. Quæ, si solemniter fieri nequeant ob Ministrorum, seu aliarum rerum penuriam, laudabilius ducerem, si omitterentur.*

II. Ad alteram quod attinet nostri §. partem, nihil plane in ea dicitur, quod servatum non fuerit in antiquis Reliquiarum Sanctorum translationibus a Majoribus nostris magna cum pompa celebratis, & quidem cum solemni Cleri, ac Populi Processione, cum cereis, thuribulis, Crucibus, Litaniis, Psalmis, Hymnis, ac illo etiam, qui incipit, *Te Deum laudamus*, cujus idem noster §. meminit. Constant hi plane ritus ex historia inventionis, translationisque Reliquiarum S. Celsi Confessoris factæ ab Egberto Trevirorum Archiepiscopo, ac descriptæ a Theodorico Monacho, qui claruit anno MV. apud Su-

Surium die XXIII. Februarii, ubi sic inquit: *Processionem instituit cum Crucibus, cereis, thuribulis, omnique Ecclesiastico apparatu, & lacrymis infusus ad B. Eucharii Ædem accessit, commendansque se, votumque suum Beatissimis Confessoribus, tremebundus adiit locum, toto interim Collegio altissimis vocibus Deum collaudante, in quo S. Celsi Reliquiæ asservabantur. Ibi prius fusis ad Deum precibus, Sarcophagum, ablato sigillo, jussit aperiri. Eo aperto, tanti miri odoris vis, & copia erupit, ut omnes illic præsentes in Paradisi delitiis se versari existimarent. Porro autem Egbertus Episcopus e Sarcophago reverenter extulit ossa candida, posuitque ea in munda sindone, cantans cum omni Clero,* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Id enim illi loco erat congruentissimum. Quis vero pro dignitate explicare queat, quos illic lacrymarum imbres ab oculis præsentium expresserit lætitia spiritualis, quando etiam ipse Pontifex a lacrymis abstinere non potuit. Audiebantur autem etiam commixtim vulgi voces hoc solum crebro iterantes,* Kyrie eleison, *&,* Gloria tibi Domine. *Deinde impositis in Arcam sacris Reliquiis, a Viris piis Arca in Ædem S. Eucharii summa reverentia importata est. Ubi autem ad Monasterium illud ventum est, ipse Reverendissimus Præsul Egbertus alta voce incboavit Canticum,* Te Deum laudamus, *cæteris ad finem usque cum illo id prosequentibus. Simul autem ardebant lampades, Campanæ crepitabant, a thuribulis incensorum aromatum fundebantur ardores, & suffitus, ut nulli esset ambiguum, in tam jucunda Processione, Angelorum pariter, atque hominum concentus summæ Divinitati in odorem suavitatis offerri.* Subdit mox etiam Theodoricus, celebrasse post Processionem S. Episcopum Missarum Solemnia, recitatoque Evangelio, Concionem habuisse ad Populum, eique exposuisse, ut repertæ essent memoratæ Sancti Celsi Reliquiæ.

III. Ritum esse antiquum, ut Hymnus ipse, *Te Deum laudamus*, in Translationibus, Processionibusve Sacrarum Reliquiarum decantaretur, ex aliorum Sanctorum Actis, atque Translationibus addiscimus, & ex illa inter alias Sancti Germani Episcopi Parisiensis facta Parisios non sine solemni Processione, & ingentibus miraculis, quam ex antiquis monumentis recenset Gretserus, Lib. I. *De Sacris Processionibus*, Cap. XII. his verbis: *Clerici magna cum voce Deum laudantes, singultu interdum quatiente psallebant. Populi autem nunc præ immenso gaudio lacrymas fundentes, nunc vero præ cordis jubilo exultantes, innumeras Deo gratias referebant. Nec uberior mæstitiæ fletus in transmigratione, quam lætitiæ extitit in reversione. Prælatus itaque Antistes* (erat hic Ebroinus) *aliique ad boc delecti Sacerdotes, nobilesque Viri sanctissimum ejus Corpus propriis humeris vicissim gestantes, reliquis omnibus ante & post Feretrum cum laudibus, & Hymnis tripudiantibus, bajulantiumque vestes attingere festinantibus, ad propriam deportaverunt Ecclesiam; cumque ad primam Monasterii portam pervenissent, cœperunt Hymnum,* Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, *Cælo resonante, ante ipsum decantare.* Sic ille; dictum vero fuisse aliquando non modo Canticum, *Te Deum laudamus*, verum etiam Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, a Choro concinente, dum Episcopus, facta Processione ad Ecclesiam, ubi Sacræ Reliquiæ asservari deberent, novæ thecæ cum literis, & testimoniis illas imponeret, addiscimus ex Translatione S. Bertiliæ Virginis facta anno Christi MCCXXVIII. apud Bollandum die III. Januarii: *Demum omnia fideliter colligens, & pannis sericis circumligans, & involvens, omni Choro,* Te Deum laudamus, *&*, Veni Creator Spiritus, *concinente, in vase novo, quod ad boc specialiter præparatum fuerat, interclusit, faciens illud per quemdam aurifabrum subtiliter, & firmiter sigillari, intromittens literas suas proprio sigillo munitas, in quibus tota rei series continetur, & nomina Prælatorum, qui cum eo affuerunt, subnotantur.*

IV. Una cum Hymnis, & Canticis, Psalmos præsertim cantari consuevisse in ista sacra, ac publica Reliquiarum Translatione, multis probari potest exemplis, quæ passim occurrunt apud Surium, & Bollandianos, sed illo præsertim, quod refert Sozomenus, Lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XVIII. de Reliquiis S. Martyris Babylæ, quæ cum a Juliano Apostata ex Daphne ejectæ essent, quod vicinum Apollinis Oraculum mutum reddidissent, solemni Processione a Christianis Antiochiam illatæ fuerunt: *Christiani*, inquit, *in unum congregati loculum scilicet quadraginta stadia in Urbem trahunt, ubi jam Martyr in loco, qui ab eo nomen accepit, repositus jacet. Ferunt, eo tempore viros & mulieres, juvenes & virgines, senes & pueros, mutua ipsorum cobortatione incitatos, per totum iter Psalmos cantasse. Qui quamvis simularent, se, quod labores itineris levarent, cecinisse, tamen canebant revera ardenti studio, & propensa erga pietatem voluntate incensi, propterea quod Imperator aliter omnino, atque ipsi, de Deo sentiebat. Psalmos autem ordiebantur hi, qui eos canere accurate norunt; multitudo autem simul voces fudit cum concentu, huncque versum addidit*, ex Psalmo scilicet XCVI. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris*. Meminit ejusdem Processionis Socrates, Lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XVI. & ante ipsum S. Joannes Chrysostomus Oratione contra Gentiles. Porro prædictus Psalmi versus referebatur ad exagitandam impietatem Apostatæ Juliani; nam alias constat ex recitato Sozomeni testimonio, multos alios decantatos fuisse Psalmos, qui utique ad Deum laudandum, & ad Servi sui Babylæ virtutem heroicam exaltandam referebantur.

V. Constat & illud quoque ex Actis Sanctorum, permultis cereis, luminibusque translatas vel olim fuisse eorum Reliquias, & quidem, ut dictum est, solemni Processione, & aliquando etiam non sine miraculo ultro accensis, uti contigit Reliquiis S. Benedicti in Processione delatis, teste antiquo Miraculorum ejus Auctore, Lib. III. Cap. V. num. 15. apud Bollandianos die XXI. Martii. Sed & de B. Pippino Duce, & Majore Domus Regum Austrasiæ Nivellæ in Brabantia, qui obiit anno DCXLVI. in Commentario prævio ad ejus Vitam §. V. num. 51. apud eosdem Bollandianos die XXI. Februarii, inter alia habetur, cereos per XXX. M. P. vento minime fuisse extinctos, dum illius Sacræ Reliquiæ transferrentur: *Cum veneranda ejus ossa de tumulo, ubi dudum reposita erant, levarentur, ut ad*

*ad Civitatem Nivellensem, locum videlicet ejus reverentiæ competentiorem transferrentur, cum copiosis id actum cereis, sicut decuit, ardentibus. Cumque de Landis usque Nivellam Populus fidelis per tantum terræ spatium venerandas Reliquias cum luminaribus prosequeretur, & aura esset multum ventosa, ne unus quidem cereorum vi extinctus ventorum esse perhibetur, quousque perventum est ad locum optatum.* Similia id genus miracula, atque exempla, quibus docemur, cereos permultos accensos a Clero, ac Populo gestatos fuisse in solemni Translatione, Processioneve Sacrarum Reliquiarum, occurrunt frequenter in Ecclesiastica Historia, & in SS. Vitis.

VI. Occursum præterea antiquitus cum solemni pariter Processione Sacris Reliquiis, cum transferrentur, certum quoque est, atque exploratum. De Reliquiis S. Liborii Cenomanensis Episcopi hæc in ejus Actis leguntur apud Surium die XXIII. Julii: *Contigit, ut ad Civitatem Carnotensem satis amplam, & populosam devenirent. Cujus Vrbis Episcopus Bernuinus nomine jam tunc ætate simul, & moribus valde maturus, collectis ex more Presbyteris, eo tempore Synodum in Vrbe celebrabat. Cui cum nuntiatum esset, qualiter, & quo ordine assumptum Cenomanis Corpus præfati Confessoris ei jam Vrbi appropinquaret, statim cum omni illo Sacro Sacerdotum Collegio, totoque Clero suo, & Populo, processit in ejus occursum, atque cum Hymnis, & Canticis spiritualibus illud devotissime extra Vrbem longe progressus excepit; jussitque, ut deferretur per viam, quæ ducit extra muros Civitatis ad Oratorium, in quo S. Carauni Membra requiescunt. Cumque catervatim sequente grandi multitudine ad memoratum locum duceretur, sonantibus signis per totam Vrbem, & Populo excelsa ad Deum voce proclamante, ut tantam sibi gratam esse devotionem Dominus declararet, multa ibidem per Liborium fieri signa concessit.* Atque hic observa alium ritum, qui hodieque servatur, ut nempe Campanæ Ecclesiarum, per quas transit sacra Reliquiarum Processio, sono festivo pulsentur. Qui quidem ritus non modo variis antiquis exemplis probatur, verum etiam in variis Synodis, Ritualibusque fuit præscriptus.

VII. Rursus, quum eædem S. Liborii Reliquiæ Paderbonæ appropinquarent, ut citata superius Acta testantur, *Clerus omnis cum universis Ecclesiastici cultus ornamentis processit obviam, sequente Populo, qui de longinquis venerat, vel ex eodem Oppido, & vicinis locis illuc ad audienda Missarum Solemnia in tanta festivitate fuerat congregatus. Cumque sibi non parvo ab Oppido intervallo uterque Populus sequentium videlicet Venerabile Corpus, atque excipientium obviasset, hi qui occurrerunt, ter cuncti simul solo prostrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cumque Clerus in Hymnis, & Confessionibus Deum benediceret, & spiritualium Carminum melodiam Sanctorum laudi propriam concineret, Populus vero,* Kyrie eleison, *ingeminaret, cum ineffabili jubilo, erectis ad Deum mentibus singulorum, nihil ejus laude dulcius videbatur; ita ut in hujus Vita exilio similitudinem quamdam beatitudinis, quæ in Patria est, & speratur, prægustasse viderentur, de qua dicitur:* Beati qui habitant in Domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. *Quem illis tantum divinæ laudis amorem ejus meritis credimus inspiratum, in cujus tunc exequiarum honorem fuerant congregati; quoniam & ipsius sola in Cælis beatitudo, vita, & gloria, non nisi laus Dei est, in cujus charitate perfecta ad tantum ipse sanctitatis culmen ascendit.* Tum vero sic Acta ipsa concludunt: *Itaque cum sensim magis ac magis in altum sublatæ Populi voces attollerentur, etiam circumquaque gaudentium, psallentium, Deo gratias agentium, & jubilantium illi in voce exultationis per totam viciniam sonitus intonaret, cum tali honore sacraissimum Corpus in Ecclesiam delatum, & in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est.*

VIII. Varios ritus ex recitato huc usque testimonio addiscimus, ac illum præsertim, quod in prædicta Translatione *Clerus omnis cum universis Ecclesiastici cultus ornamentis processit*, sacris scilicet indutus vestibus; id quod etiam nos docent variæ antiquæ id genus Translationes; etenim quod Clerus aliquando Stolis, & Albis indutus interfuerit Sacrarum Reliquiarum Translationi, testantur quidem Acta S. Marcelli Papæ, Lib. II. Cap. II. apud Bollandum die XVI. Januarii. Quidquid sit de antiquo ritu, præscribit quidem noster §. *ut Sacerdotes, & Ministri vestibus induti albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, exposcunt, & cum luminaribus accensis omnes procedant &c.* Quod ait de vestibus albi, rubeique coloris adhibendis a Sacerdotibus, & Ministris, puto equidem ad eos referri, qui Feretrum Sacrarum Reliquiarum gestant, & ad precipuum Celebrantem, ejusque laterales Ministros, qui cum Pluvialibus solent in ista Processione incedere; nam alias reliquus Clerus cum Superpelliceo, quod est Ecclesiasticum Clericorum indumentum, procedit. Quod vero ait de colore albo, vel rubeo, hi plane sunt duo colores, qui adhiberi possunt in Processione, & Translatione alicujus sacræ Reliquiæ; si enim Reliquia alicujus Martyris sit, rubeus, si vero aliorum Sanctorum, quicumque ii sint, albus color adhiberi debet.

# APPENDIX

*In qua solemnis Reliquiarum ducentorum & supra Corporum SS. Martyrum translatio ad Ecclesiam S. Hieronymi Charitatis, earumque depositio in Ara maxima ejusdem Ecclesiæ describitur, jam alias edita a nobis Tomo II. Commentariorum in Partem alteram Romani Pontificalis pag. 326. & seq.*

QUum non omnes habeant ad manus nostrum Opus Commentariorum in Romanum Pontificale, ubi solemnem translationem Sacrarum Reliquiarum descripsimus loco citato, operæ pretium duxi, ipsam in hac Appendice referre. Ergo, quum viginti fere ab hinc

hinc annis, XVIII. Kal. Aprilis anni MDCCXXXVII. duabus horis post mediam noctem, repentino, acerboque incendio arderent, ac ruerent ædes, in quibus Summi Pontificis, ejusque Cardinalis Vicarii auctoritate, ducentorum & eo amplius Sanctorum Martyrum ossa, consueta vitrea vascula, eorum sanguine aspersa, atque aliæ id genus exuviæ, e variis Sacris Urbis Cœmeteriis erutæ, Christianis pro Sedis Apostolicæ in Sanctos Martyres obsequio distribuendæ servabantur, non sine Dei consilio contigit, ut earum Custodibus Marco Antonio Buldetho Canonico S. Mariæ trans Tyberim, & P. Joanne Marangono nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbytero in summa temporis illius angustia ab ædibus ipsis abeuntibus, sacer ipse, ac pretiosus Sanctorum Martyrum thesaurus, conflagratis jam ædibus, ac pene deletis, sub earum ruina jaceret. Quum autem non pauci cujusvis generis homines, ut fieri solet, restinguendo igni, servandisque ab incendio aliorum domibus præsto fuerint, eædemque præstantissimæ Sanctorum Reliquiæ expositæ undique veluti projectæ viderentur, e re sua putarunt Custodes diligentissimi, ut cæteris rebus suis neglectis, nulla interposita mora, quibus potuerunt rationibus, ac solicitudinibus, ossa ipsa, vitreas ampullas ac cineres colligerent, & ab igne, qui adhuc serpebat, utcumque servarent.

Jam vero cum ex Custodibus alter, nimirum P. Joannes Marangonus plures annos fuerit ex Presbyteris nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis, unaque cum primo Custode Buldetho habitaret (qui tandem, eo vita functo, & factus Marangonus unicus Custos ad nostrum Oratorium reversus, in eo obiit die V. Februarii anni MDCCLIII.) cum Cardinali Vicario egit, ad Oratorium nostrum, quæ colligi potuerunt, Sanctorum Martyrum ossa, ampullas vitreas, Cineres deferri, ibique in Capsis obsignandis decenter deponi. Ergo Ossibus semiustis Arcæ duæ magnæ impletæ, ad nostras ædes delatæ, signisque Cardinalis Vicarii consignatæ, ibidem juxta primum S. Philippi Nerii Oratorium deposita sunt. Plaustra vero undecim Sacrorum Cinerum, qui pulveri, arenæ, aliisque ruinarum, atque incendiorum reliquiis immixti erant, ad S. Hieronymi Ecclesiam perlata sunt, atque seorsum in sepulchro, quod est prope Templi portam maximam, & juxta Sacellum S. Petro Apostolo dicatum, quidquid id fuit, situm est.

Nondum sesquiannus exierat, cum Joannes Antonius Guadagnius S.R.E. Cardinalis, & Clementis XII. Pontificis Maximi, cujus sororis filius est, in Urbe Vicarius pretiosissimam hanc supellectilem donare constituit prædictæ S. Hieronymi Charitatis Ecclesiæ. Nam cum fama sit, eam ædem IV. Christi Sæculo S. Paulæ Matronæ Romanæ habitationem fuisse, & hinc S. Hieronymum blasphemi in SS. Martyrum Reliquias Vigilantii hæretici oppugnatorem, sanctorumque Cœmeteriorum cultorem, quibuslibet Dominicis, & festis diebus ad ea ventitasse, ac in eadem etiam æde aliquando habitasse, non pauci Scriptores testentur, voluit Eminentissimus Cardinalis Vicarius, ut SS. Martyrum hujusmodi spolia donerentur, ubi eorum eximius Cultor, ac propugnator inhabitavit. At testatus est idem præstantissimus Cardinalis Vicarius suis litteris, sigillo suo munitis, sanctum hunc thesaurum eo etiam consilio Ecclesiæ S. Hieronymi Charitatis donasse, quod jam inde a ducentis, & eo amplius annis in eadem Domo S. Philippus Nerius triginta tres annos commoratus, ubi Congregationem Oratorii instituit, Sanctorum & ipse Martyrum cultor egregius, ad eorum veneranda Cœmeteria frequenter pergere, ibidemque pernoctare consueverit.

Quocirca Illustris Archiconfraternitas, quæ Domui S. Hieronymi Charitatis præest, de collato sibi tam pretiosarum Reliquiarum thesauro gaudens, auctoritate Georgii Spinulæ S.R.E. Cardinalis amplissimi, qui ejusdem Archiconfraternitatis, ac Domus, & Patrum, Oratoriique S. Hieronymi Charitatis Patronus erat, locum eisdem pro dignitate, ac rerum sanctitate decrevit; pompaque solemni hæc veteris Christiani, atque invicti animi spolia poblice efferenda, ac ducenda existimavit. Itaqua primum ad ea collocanda excavatus est locus sub Ara maxima, quæ ad Rentios olim, nunc ad Strotios Principes Viros, eorumque hæredes pertinet. Locus autem factus est longus, latus, atque profundus, quantum alta, longa, & lata est mensa omnis ejusdem Aræ principis; qua occasione & ipsa mensa ligustico, aliisque selectissimis marmoribus, æreisque itidem auratis cælaturis optimo artificio ornata est. Tum ad res magnifice, ac splendide per triumphum in solemni Processione efferendas, extructa est lignea moles aureis, sericeisque ornamentis egregie ex omni vel minima parte ornata; in cujus vertice labarum, coronæ, palmæ, aliæque veteris Christiani roboris significationes erant appositæ; ejusque rationis, & figuræ moles ipsa lignea erat, ut quatuor eandem commode, ac decentissime efferre, ac portare super humeris possent.

His apprime, eleganterque constitutis, pompæ pro dignitate ducendæ statuta est dies post Idus Septembris. Idibus autem locus perpetuo servandis Sanctorum nostrorum ossibus, & Urna, quæ cum non minima ipsorum Sacrorum Ossium parte in solemni Processione efferenda erat, me admonente, lustrali Aqua, statisque in Pontificali Romano precibus per Bernardum Pizzellam Episcopum Constantiensem, ac Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Canonicum ante meridiem initiata est. Post Vesperas venit ad nostram Sancti Hieronymi Charitatis Domum Antonius Maria Pallavicinus Archiepiscopus Neupactensis Ordinis S. Spiritus Generalis Præceptor, & Magister, dictæque Domus Charitatis Prælatus, cui Cardinalis Vicarius Sacrorum Ossium sub Ara maxima ponendorum, obsignandorumque auctoritatem contulerat. Affuere & Joannes Maria Bensonius Patritius Venetus, ac Fossæclodiæ Episcopus, iidemque diligentissimi Custodes superius memorati Marcus Antonius Buldethus, & noster P. Joannes Marangonus.

Hi, quod non facile, & commode omnia tum ob quantitatem, tum ob ponderis gravitatem efferri publice possent, actis quibusdam precibus, Psalmosque interea nostris Patribus Oratorii Charitatis recitantibus, eorum partem maximam e Cubiculo superiori, quod olim habitatio triginta tres annos fuit S. Philippi Nerii, in quo servabantur, in Templum rem comportantibus Patribus transtulerunt, & sub Ara maxima obductis signis collocarunt; quæque superfuerunt Reliquiæ solemni pompa postero die publice

blice ducendæ, in Capsula positæ sunt holoserico, atque aureo ornamento pie, eleganterque contecta, quamque consuetis impressam signis, ex proximo Sacello, quod, uti dictum est, per XXXIII. annos S. Philippi cubiculum fuit, paulo post Josephus Benedictinus senior ex Patribus, Superpelliceo, ac Stola pretiosa rubei coloris indutus, Psalmos, & preces, dum iidem Patres ardentes cereos ferentes canerent, in Oratorium sericeis, aureisque consuetis ornamentis auctum detulit, & super Altare locavit.

Acta sunt hæc ante occasum solis; inclinata vero jam die, inceptæ sunt ibidem sacræ Vigiliæ, ac preces. Ab Officio, quod vocant *Sanctorum plurimorum Martyrum*, orditum est, recitatæque sunt a Patribus Matutinæ Horæ; quoniam quod spectat ad Hymnum, *Te Deum laudamus*, & Laudes, cantu, quem vocant Gregorianum, persolutæ fuerunt. Inde autem ex Patribus duo, quibus singulis duabus horis duo alii sufficiebantur, adfuerunt Superpelliceo induti, qui tum Psalmorum recitatione, tum tacita oratione perpetuo tota nocte Vigilias celebrarunt, orationibus ante ipsas Sacras Reliquias, coram quibus varii cerei ardebant, instantes usque ad vigesimam secundam sequentis diei horam, quo tempore sic ducta quidem est solemnis pompa, atque sacra Processio.

Procedebant primum Apparitores nobilissimæ Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis longa veste cærulea indutis cum consuetis baculis; hinc bini, circiter quinquaginta nostri Oratorii Fratres cum candelis ardentibus, quorum postremus cum consueto pallio, & bireto erat P. Bernardus Gentilis Septempedanus, sive Sancti Severini in Piceno Patritius, is, qui ex Patribus eidem Oratorio ab annis duodecim præfectus fuerat. Tum Crux argentea Ecclesiæ Sancti Hieronimi Charitatis, quam gestabat Frater nostri Oratorii laicus Superpelliceo indutus cum hinc inde duobus Clericis, qui Superpelliceis pariter induti duo candelabra argentea gestabant cum cereis accensis. Crucem sequebatur Familia Archiconfraternitatis, pecuniarum nimirum exactores, rationum, & actorum Magistri, Sollicitatores, Causidici, Medici, Carcerum Cappellani, aliique cum candelis ardentibus, quos item cum ardentibus intorticiis sequebantur triginta circiter Illustrissimi Deputati Charitatis, qui tacita oratione, ac precibus, gravi, & venerando incessu, mirum quantum significabant, quam in puellas, viduas, pupillos, peccatrices ad Deum conversas, carceribus detentos, aliosque hujusmodi generis pauperes, exercent pietatem, non a sola humanæ fraternitatis consideratione proficisci, sed vere Christianam esse, atque ab eo uno proficisci, qui spiritualis pietatis officia in primis coli, in iisque Sanctorum Martyrum cultum optimum esse decrevit.

Charitatis Deputatos, ut moris est in nostris Processionibus Ecclesiasticis, consequebatur Clerus cum consuetis Superpelliceis, atque intorticiis ardentibus. Omnium primi erant Clerici Collegii Anglorum. Cum enim eidem Collegio cum Oratorio nostro S. Hieronymi Charitatis vicinitas sit, consuetudo, & magnus usus, voluerunt Patres Societatis Jesu, qui illud administrant, Alumnos omnes in solemnem nostram Processionem venire, Sanctisque Martyribus honorem per eos impertiri. Anglos Clericos prosequebantur Presbyteri multi Sæculares una cum nostris Patribus, bini tamen, & illi quidem a dextris, qui Gregoriano cantu Hymnum, *Sanctorum meritis inclyta gaudia &c.* canentes vicissim cum musicis, a quibus sequebantur, omnia laudibus summi Dei, Sanctorumque Martyrum referta esse, contendebant. Tum sex Illustrissimi Præsules Sodalitii Charitatis, & tandem Carolus Albertus Guidobonus Cavalchinus tunc Philippensium Archiepiscopus, nunc S. R. E. Cardinalis, qui in medio Diaconi, & Subdiaconi, Pontificiis insignibus Mitra, & Pluviali aureo ornatus, postquam triplici ductu Sanctorum Martyrum Reliquias Feretro inclusas honoravit, pompam veluti Sacerdotii jure, atque auctoritate ducturus videbatur.

Sacrum Feretrum humeris sustinebant, comportabantque aperto capite quatuor nostri Oratorii Patres, e senioribus, qui Sacras Confessiones in eadem Ecclesia excipiunt, iisdem, quibus Missa celebratur, pretiosis, aureisque Sacerdotalibus vestibus induti, fuique ego unus ex illis. Quatuor item Episcopi Pontificiis itidem aureis Mitra, ac Pluviali vestiti ad molis angulos procedebant, qui, dum extremam, ac pendentem sericei ornamenti partem ferebant, manibus rem totam veluti sustentare videbantur. Hi erant Nicolaus Xaverius Sancta-Maria Episcopus Cyrenensis, Bernardus Pizzella Episcopus Constantiensis, Ludovicus Antonius Cremonus Valdina Episcopus Hermopolitanus, & Josephus Maria Bensonius Episcopus Fossæclodiæ. Erant etiam duodecim ex eodem Anglorum Collegio Alumni Superpelliceis ornati cum ardentibus intorticeis, qui, dum gravitate non juvenili, animique devotione Sanctorum Martyrum pietatis, ac sanctitatis cultores esse contendebant, eorum venerandarum exuviarum, stipatores se esse quoque significabant.

Cum purpurea veste sequebatur Feretrum Sacrum Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Georgius Spinula Sodalitii Charitatis Patronus Rocchetto, & Cappa indutus, stipatusque Helvetiorum cohorte ex Prætorianis Pontificiis militibus, quorum usus non solum fuit in submovendo hinc inde frequentissimo Populo, sed ornamenti etiam, & dignitatis. Cardinalis autem Spinula, quem sequebantur triginta circiter Illustrissimi Præsules, qui Romanam Curiam, atque Aulam administrant, quique omnes ardentibus intorticiis solemnem pompam exornabant, consueta animi sui pietate, ordinis dignitate, atque Patroni auctoritate, solemni pompæ præfuisse est visus, manu etiam & ipse tunc intorticium accensum gestans.

Ornatæ erant viæ, splendebantque fenestræ aulæis, sericeisque ornamentis, multusque, ac frequens cum esset Populus, sonantibus nostræ, vicinarumque Ecclesiarum Campanis festivo sonitu, ducta est solemnis pompa a nostro Oratorio S. Hieronymi Charitatis, quod quidem est ad anticam portam Domus. Post S. Catharinæ Templum aliquantulum deflectendo, per viam Juliam itum est ad Fontem, quem *Mascharonem* vocant; tum perreximus Forum Farnesianum, unde per quatuor ejus angulos recta venimus ad nostram S. Hieronymi Templum, quod sericeis damascenis aureisque ad consuetum Romanum ingenium ornamentis eleganter nitebat, musicorumque, & organorum concentu personabat.

bat. Capsula super Ara maxima deposita, appositum est thus, Sanctisque Reliquiis per memoratum superius Archiepiscopum Philippensem Albertum Guidobonum Cavalchinum oblatum est. Ipso autem præcinente, suavissimis symphoniacis concentibus, cantatus est Hymnus, *Te Deum laudamus*, & hinc ab eodem Archiepiscopo Oratio communis plurimorum Martyrum recitata est; tandemque ipse cum cæteris Episcopis, & Administris recessit.

Verum Religiosissimus Cardinalis Spinula Archiconfraternitatis Patronus cum Archiepiscopo Neupactensi Antonio Maria Pallavicino, aliisque Præsulibus ad Altare accessit, captamque e mensa Capsulam deposuit in pulvinari, quod prope excavatum adornatum locum erat. Signa, quæ die superiori obducta fuerant, resignari jussit, locumque aperiri, & ibidem nostri Joannis Marangoni, atque Hippoliti Ferretti sacrarum Cæremoniarum Magistri adjutricibus manibus, quæ in solemni Processione ductæ fuerant, Sanctorum Martyrum exuvias cum reliquis Ossibus, ac Cineribus superiori die positis collocavit. Tum marmorea tabula cooperto loco, in quatuor angulorum ferreis lamellis liquatum est plumbum, obductumque est signum, quod ad Pallavicinum Neupactensem Archiepiscopum pertinebat.

Quamquam autem quotidiana sit in nostra Ecclesia S. Hieronymi Charitatis plenaria peccatorum Indulgentia, nihilominus ad augendam in Sanctorum Martyrum Ossa, ac Cineres devotionem, & cultum, sanctæ memoriæ Clemens Papa XII. Pontifex Maximus iis, qui in solemnem Processionem irent, plenariam itidem quarumcunque statutarum pœnarum remissionem indulsit. Cæterum ad totius hujus solemnis cæremoniæ memoriam conspectissimo Templi S. Hieronymi loco Epigraphe vel tunc temporis parata fuit, quæ tamen in aliam mutata est, quæ etiam novam ipsius Templi in novam formam redacti dedicationem contineret, extatque a latere januæ, quæ ad Sacrarium, quod vulgo Sacristiam appellant, ducit, estque hujusmodi.

TEMPLUM HOC CLARISSIMUM OLIM S. PAULÆ MATRONÆ ROM.
DOMICILIUM. S. HIERONYMI ECCLESIÆ DOCTORIS MAXIMI HO
SPITIUM. AC DIUTURNUM S. PHILIPPI NERII DIVERSORIUM
UNA CUM ARA MAXIMA IN HONOREM S. DOCTORIS EIUSDEM
ERECTA (SUB QUA PRÆTER SS: PRIMITIVI ET VITALIS)
RELIQUIAS EIUS TABULA INCLUSAS. ALIORUM PLUSQUAM
DUCENTORUM ITIDEM MARTYRUM CORPORA REQUIESCUNT
ILLMUS ET RMUS D. CAROLUS ALBERTUS GUIDOBONUS
CAVALCHINI ARCHIEPUS PHILIPPENSIS RITU SOLENNI
CONSECRAVIT III. KAL. OCTOBRIS ANNI MDCCXXXVIII.
HUJUS VERO CONSECRATIONIS ANNIVERSARIUM FESTUM CELE
BRARI IN POSTERUM STATUIT. DOMINICA TERTIA CUJUSLIBET
MENSIS SEPTEMBRIS. QUA DIE XPI FIDELIBUS ILLUD DEVOTE
VISITANTIBUS PRÆTER PLENARIAM QUOTIDIANAM. ALIASQUE
PLURIMAS SUMMORUM PONTIFICUM BENEFICENTIA ATTRIBUTAS
INDULGENTIAS. ALIAM XL. DIERUM IN FORMA ECCLESIÆ
CONSUETA PERPETUO DURATURAM CONCESSIT
ARCHICONFRATERNITAS CHARITATIS
NE REI MEMORIA EXCIDERET MONUMENTUM PONI CURAVIT.

Porro monumentum novæ hujus consecrationis, nostræ scilicet Ecclesiæ a Fantino Rentio in aliam formam redactæ datum a laudato Carolo Alberto Guidobono Cavalchini tunc Archiepiscopo Philippensi nunc S. R. E. Cardinali est hujusmodi: *Anno Domini* MDCCXXXVIII. *die xxviij. mensis Septembris Dominica xxviij. post Pentecosten, Ego Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini Archiepiscopus Philippensis consecravi Ecclesiam, & Altare hoc in honorem S. Hieronymi Presbyteri Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris, & Reliquias SS. Vitalis, & Primitivi Martyrum (quorum Corpora in uno, eodemque in Cæmeterio Saturnini Via Salaria clauso, tabula marmorea eorum nominibus insculptis, ac vase vitreo sanguine resperso, obsignata comperta fuerunt) in eo inclusi, & singulis Christifidelibus, bodie unum annum, & in die anniversaria consecrationis hujusmodi, quam ex tunc in Dominicam tertiam post Kalendas Septembris perpetuo transtuli, ipsam visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.*

Quod tandem jam olim, & Ara maxima anno MCCCCXCII. & Ecclesia ipsa MCCCCCVIII. rite fuerint consecratæ, constat plane ex antiquis literis in charta pergamena scriptis, quæ extant in Archivo nostræ Domus, Tomo v. cui Titulus, *Chiesa*, ubi quod Altaris consecrationem spectat sic legitur: *MCCCCXCII. die 26. Septembris Ego Leonardus Episcopus Sidoniensis consecravi Altare hoc in honorem S. Hieronymi, & Reliquias de Capite S. Andreæ, & de costa S. Laurentii, & Ossa plurimorum Martyrum in eo inclusi; singulis Christifidelibus hodie unum annum, & in die unniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus* XL. *dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedens.* Quod vero Ecclesiæ, ac Altaris etiam consecrationem attinet, in alio chartula ita habetur: *Anno MCCCCCVIII. Ego Jacobus Episcopus Marsicanus consecravi Ecclesiam, & Altare hoc in honorem S. Hieronymi, & Reliquias de Capite S. Andreæ, & de costa S. Laurentii, & Ossa plurimorum Martyrum in eo inclusi, singulis Christifidelibus hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedens.* Cæterum, tum Sacrarum Reliquiarum Translatio, tum nova Ecclesiæ consecratio a Cavalchino celebrata, utraque plane facta fuit solemni pompa, & magnificentia admirabili, curante nostro P. Agapito Zuccheri Carboniensi, qui tunc erat, Ecclesiæ, Sacrariique Præfectus, Viro diligentissimo, ac decoris nostræ Domus S. Hieronymi Charitatis apprime studioso.

DE

# DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO

## TITULUS X.

I. EXorcizare, ex quo verbo dicti sunt Exorcismus, & Exorcista, docente S. Augustino in Libro, *De Vita beata*, Disputatione secundæ diei, nihil aliud est, quam per Divina spiritum immundum abjurando expellere. Exorcismus autem ex S. Isidoro, Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite xx. *est sermo increpationis contra immundum spiritum in energumenis, sive catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & inveterata malitia, vel excursio violenta fugatur.* Exorcistæ tandem, ut inquit Stephanus Eduensis Episcopus, *De Sacramento Altaris*, Capite III. *sic vocati sunt a potestate adjurandi, quia in Fide Sanctissimæ Trinitatis, dæmones expellunt de corporibus obsessis*. Cæterum, ut vis hujus vocis exorcizare, atque ejus licitus usus facile intelligatur, operæ pretium duco de adjuratione hic primum quædam describere, quæ post Silvestrum in Summa, verbo, *Adjuratio*, & alios, adnotavit eruditissimus Paulus Maria Cardi in celebri Commentario ad hunc Titulum Ritualis Romani, *De exorcizandis obsessis a dæmonio*, num. 2. & seqq.

II. Adjuratio itaque, ut colligitur ex Sancto Thoma II. II. Quæstione xc. Articulo I. est sub divini Nominis obtestatione, vel invocatione, quempiam urgere ad aliquid faciendum, vel ab aliquo desistendum. Per hæc verba, *sub Divini Nominis invocatione*, intelligitur sive implicita, sive expressa invocatio. Hæc secunda est, cum apertissime Nomen Divinum usurpatur; prima vero cum interponuntur Sancti, Sanctorumque merita, vel res aliquæ sacræ. Porro duplex est adjuratio, alia solemnis, quæ fit ex forma ab Ecclesia instituta, & a Ministris ad id consecratis, de qua potissimum hic loquemur; alia privata, quæ a quibuslibet privatis hominibus exerceri potest. Similiter duplex est adjurandi modus ex eodem Angelico Doctore loco citato, Articulo II. *Unus per modum deprecationis, vel inductionis, ob reverentiam alicujus Sacri, alius per modum compulsionis*. Exempla primi modi habemus in Epistola S. Pauli ad Romanos, Cap. XII. Versu I. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam &c.* & in usu Ecclesiæ, quæ in Litaniis, & Orationibus contestatur Deum, ut per merita Christi, & Sanctorum ad postulata concedenda moveatur. Exemplum secundi modi habemus apud eundem Apostolum in Epistola II. ad Timotheum, Cap.x. Versu I. *Per adventum ipsius*, nempe Christi, *& Regnum ejus, prædica verbum &c.* Modus deprecativus adhiberi potest erga sibi subditos, & non subditos, dæmonibus exceptis; modus vero imperativus, seu compulsionis, adhiberi, nisi erga sibi subditos, nequit.

III. Quovis modo fiat adjuratio, tres a Doctoribus requiruntur conditiones, sicut in juramento, ut licita sit. Prima est veritas, quæ necessaria est ex parte rei contestatæ, hoc est, per veram rem sacram, non falsam; tum ex parte adjurantis, ut scilicet procedat ex vero animo adjurandi; tum ex parte causæ motivæ ad adjurationem, ne videlicet adjuratio fiat causa ficta, & falsa. Secunda conditio, est justitia, ut nempe res postulata justa sit, & honesta. Tertia tandem, est judicium, ut scilicet adjuratio debita consideratione fiat. His conditionibus positis, licitum est adjurare primo Deum; quod constat tum ex usu Ecclesiæ, tum ex Sacris Literis, in quibus legitur, Moysen, & alios adjurasse Deum propter semetipsum, propter Abraham, & alios Justos. Hæc tamen adjuratio potius obsecratio est dicenda. Secundo, licet adjurare Angelos Sanctos, necnon Beatos Homines, sed solum tamen propter Deum, modo scilicet deprecativo, ut Ecclesiæ consuetudo est, quæ petit a Deipara, ut per Filium suum, ejusve Nativitatem, aut Mortem, vel boni aliquid nobis impetret, vel sua intercessione mali quidpiam avertat, aut impediat.

IV. Rursus, adjurari etiam dæmones possunt, non tamen deprecativo modo, quia, ut inquit S. Thomas II. II. Quæstione xc. Articulo II. ille modus adjurandi *videtur ad quandam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti*. Quod antea docuerat Sanctus Augustinus Lib.x. *De Civitate Dei*, Capite XXII. sic inquiens: *Vera pietate homines aeream potestatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando*. Idque fundatur in illo Apostoli dicto Epistolæ I. ad Corinthios, Cap. x. v.20. *Nolo enim vos socios fieri dæmoniorum*. Solum itaque adjurari dæmones licite possunt modo imperativo, qui est per compulsionem, ut prosequitur S. Thomas, scilicet *per virtutem Divini Nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter secundum potestatem divinam datam a Christo*, secundum illud Lucæ, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Advertit autem ibidem S. Doctor, non esse licitum dæmones adjurare etiam imperativo modo, sive per compulsionem *ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam, nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione Divina aliqui Sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione utantur*. Unde scite circa hoc scripserat Origenes Homilia XVI. in Numeros: *Non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonum; neque vult, ut, siquid volumus discere, discamus a dæmonibus; melius est enim ignorare, quam a dæmonibus discere*.

V. Potest demum irrationalis creatura adjurari, juxta regulam tamen, quam idem Angelicus Doctor tradit loco laudato, Articulo III. his verbis: *Adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem creaturam, potest intelligi dupliciter; uno modo, ut adjuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se; & sic vanum esset irrationalem creaturam adjurare. Alio*

*modo, ut referatur ad eum, a quo irrationalis creatura agitur, & movetur, & sic dupliciter adjuratur irrationalis creatura. Uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directæ, quod pertinet ad eos, qui divina invocatione miracula faciunt. Alio modo per modum compulsionis, quæ referatur ad diabolum, qui in nocumentum nostrum utitur irrationabilibus creaturis, & talis est modus in Ecclesiæ Exorcismis, per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationabilibus creaturis.* Sed de hujusmodi Exorcismis fuse jam nos diximus supra in Commentario ad Titulum VIII., *De Benedictionibus*, Capite II. quod inscriptum est, *Ordo ad faciendam Aquam benedictam.*

VI. Quod nostram rem spectat, ex antiquissimo plane Ecclesiæ ritu, exorcizantur, adjuranturque obsessi a dæmonio; non illi scilicet, qui exterius tantum a dæmonio vexantur, cum multi Sancti homines externam diaboli vexationem sint passi, nec tamen obsessi dicendi sint; sed omnes illi, qui a dæmonio interius possidentur, variisque nominibus in sacra Scriptura, & Conciliis appellantur, ut scite notat memoratus Cardi citato loco, num. XVIII. Vocantur autem hujusmodi a dæmonio obsessi, I. *Dæmoniaci* prout sunt constituti sub dæmonis potestate. II. *Arreptitii*, quatenus a dæmone arrepti sunt. III. *Pythonici*, seu *Pythones*, quando in corpore malum spiritum habent divinantem. IV. *Lunatici*, quatenus dumtaxat in punctis, vel crescentis, vel decrescentis Lunæ divexantur. V. *Vexati*, propter tormenta, quibus a dæmone afficiuntur. VI. *Maleficiati, Facturati, Maliati*, quando a dæmonio per maleficia, cooperantibus maleficiis, sunt, obsessi. VII. *Fascinati*, quando vexati ad aliquid cogi videntur. VIII. *habentes infirmitatis spiritum*, ob varias infirmitates a dæmone causatas. IX. & quidem frequentius nuncupantur Græco vocabulo *Energumeni*, quia interius laborant per vexationem dæmonis interius obsidentis, & animam laborare facientis; procedit enim illud vocabulum ab *ergon*, quod est labor, & *mene*, quod est defectus, ut ait S. Bonaventura in Secundum Sententiarum, Disputatione VIII. Parte II. Articulo II. Quæstione VI. & S. Thomas Parte III. Questione LXXI. Articulo II. ad I. ubi diserte docet, *Energumenos dici quasi interius laborantes, ex intrinseca diaboli operatione.*

VII. Dari autem homines a dæmonio obsessos, certissimum est ex Sacra Scriptura, tum in Veteri, tum in Novo Testamento. In Veteri quidem, nam Saul a malo spiritu, nempe dæmone fuit vere obsessus, ut communis fert Patrum, & Interpretum sententia. In Novo autem multa extant hujusmodi obsessorum a dæmonio exempla; tum vero præsertim Matthæi Capite VIII. versu XXVIII. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis &c.* Et versu XXXI. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Item Cap. IX. versu XXXII. legitur, Christo oblatum fuisse *hominem mutum dæmonium habentem.* Et Cap. XVII. versu XIV. & XVII. *Accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Et paulo post: *Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Præterea Marci Cap. I. versu XXIII. dicitur, *quod erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo*, a quo eum Christus liberavit. Et ibidem versu XXXII. *Afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes.* Lucæ quoque Cap. XI. versu XIV. *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Et Actorum Cap. XVI. dicitur, mulierem habuisse spiritum pythonem, quem S. Paulus ab illa ejecit. Et ut alia loca omittam, Cap. XIX. versu XIII. asseritur, plures fuisse, qui habebant spiritus malos.

VIII. Jam non desunt increduli, qui tantum admittunt obsessos illos, de quibus in Scripturis Sanctis fit mentio. Verum si credunt, tempore Christi, & Apostolorum hos extitisse, fateri etiam debent & illos, qui sequioribus sæculis extiterunt. Ut enim ex Divinis Oraculis habetur, data fuit a Christo Domino ampla potestas Apostolis, atque Discipulis, & eorum successoribus ejiciendi dæmones ab humanis corporibus. Sic enim legitur Matthæi Cap. X. versu I. *Et convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos &c.* Datam fuisse hanc potestatem, ut futuris temporibus argumento esset ad probandam Christianæ Fidei veritatem, constat ex Evangelio Marci, Cap. ultimo, versu XVII. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient.* Præscriptum quoque fuisse a Christo Domino jejunium, atque orationem ad expellendos dæmones ab obsessis, perspicue liquet ex Evangelio Matthæi, Cap. XXVII. versu XIV. ubi Christus ipse sic inquit: *Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in Oratione, & jejunio.* Quæ sane omnia inter alios Sanctos, qui energumenos exorcizarunt, eosque a dæmonio liberarunt, complexus est S. Antonius Abbas, referente in ejus Vita S. Athanasio, his verbis: *Precibus enim, jejuniis, fideque in Domino, illico ipsi cadunt*, dæmones nempe. Ex quibus apertissime constat, etiam longe post Christum, Apostolosque, dæmones humana corpora invasisse. Id quod exemplis quoque recentioribus probari posset, cum non paucos nostro hoc Sæculo vere energumenos noverimus, tametsi multos fictitios, ac præsertim feminas.

IX. Quomodo autem possit dæmon obsidere homines, postquam Christus per suam passionem, & mortem ipsum diabolum vicit, juxta illud Joannis Cap. XII. *Nunc judicium est Mundi, nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras*, explicat S. Thomas in III. Sententiarum Distinctione XIX. Quæstione I. Artic. II. his verbis: *Dicendum quod potestas dæmonis in duobus consistit, scilicet in impugnando, & detinendo devictos. Ex eo autem quod quis impugnatur, nondum servus factus est, sed ex eo quod victus est*, ut patet 2. Petri 2. *devicerat autem diabolus totum humanum genus in primis parentibus, & eis dominabatur, dum eos ad hoc secundum suum votum deduxerat, ut nullus Paradisi januam introiret; devincit autem unumquemque singulariter, dum eum ad peccatum inclinat, quia qui facit peccatum, servus est peccati. Potestatem igitur diaboli, qua victos detinet, Christus per Passionem ex toto amovit, quantum ad sufficientiam, licet non quantum ad efficientiam, nisi in illis, qui vim Passionis suscipiunt per Fidem, Charitatem, & Sacramenta, & per hoc dicitur dominium diaboli evacuasse. Sed potestatem, qua* im-

*impugnat, non ex tota evacuavit, sed debilitavit, dum ipsum hostem vicit, & hominibus auxilia multa ad resistendum tribuit, sicut Sacramenta, gratiam abundantiorem, & alia hujusmodi*. Hoc posterius optime explicatum invenitur apud S. Gregorium Nyssenum Oratione in diem Nativitatis Christi, ubi sic inter alia inquit; *Quemadmodum cum serpentes interficiuntur, non continuo reliquas partes una cum capite mori videmus, sed cum interierit caput, illæ tamen adhuc vitam retinent, nec vitali privantur motu; sic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cum esset admodum fera, quippe quæ singulis hominum ætatibus excreverat, qui multiplex ejus caput, idest vim illam malorum inventricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, ut interfectæ feræ motum posteris ad exercitationis occasiones relinqueret*. Hinc stat optime, quod Christus per suam Passionem homines a potestate diaboli liberaverit, & quod etiam nunc eos vexet, atque obsideat, cum dæmonis potestas circa impugnationem non in totum evacuata fuerit, sed tantum debilitata, ut idem memoratus Cardi notavit citato loco, num. XXI.

X. Quare hac impugnandi facultate dire utitur ad homines vexandos, maxime vero obsessos, tam circa corpus, quam circa animam, ubi scilicet ita Deus permiserit, ut Sancti Patres passim testantur, inter quos S. Augustinus Lib. II. Contra adversarium Legis Cap. XII. sic ait: *Videte sane, quod probare voluerit, humanorum corporum vitia, non ad Deum auctorem, sed potius ad diabolum pertinere, quia Dominus ait in Evangelio de muliere, quam sanam fecit, quod eam satanas alligaverat decem & octo annos, propter quod erat incurva, nec se erigere poterat; quasi satanas cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab Omnipotente acceperit potestatem. Nam quid aliud non solum in Libro Tobiæ, sed magis in Evangelio declaratum est, ubi spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc ipsis benignus ille Salvator petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet; rem necessariam docere nos volens, ut scilicet noverimus, multo minus, eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscumque potuerunt*. Quod idem etiam docet de magis, ac maleficis, Lib. III. *De Trinitate*, Capite VII. sic inquiens: *Unde intelligi datur, nec ipsos quidem transgressores angelos, & aereas potestates in imam istam caliginem, tamquam in sui generis carcerem, ob illius sublimis æthereæ puritatis habitationem detrusas, per quas magicæ artes possunt valere aliquid, nisi data desuper potestate*.

XI. Si quis hic roget, quare Deus permittat angelos malos, sive dæmones suam in homines, licet ad mensuram, malignitatem exercere, dicam sane, id omnino latere, certumque unum illud esse, nunquam Deum id permittere, nisi justissime; ut recte docet S. Augustinus in Libro XVIII. *De Civitate Dei*, Cap. XVIII. his verbis: *Firmissime credendum est, Omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam, quia & ipsa Angelica creatura est, licet proprio sit vitio maligna, nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla*. Et Lib. II. Contra adversarium Legis, Cap. XII. *Hanc autem potestatem Deus bonus occulta nobis justitia dare potest, injuste non potest*. Idem docet, ut alios S. Patres omittam, S. Gregorius Lib. II. Moralium, Cap. X. *Satanæ voluntas*, inquit, *semper iniqua est, sed nunquam potestas injusta, quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem; quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus non nisi juste permittit*. Cæterum, licet judicia Dei sint occulta, & assignari certa ratio non possit, cur nempe Deus sinat, Christianos homines aliquando a dæmonibus obsideri, ac divexari, varias nihilominus causas ejus Divinæ permissionis late recenset & quidem ex Sanctis Patribus, ac Sacris Scripturis post Gersonem laudatus toties Cardius loco citato, num. XLVIII. & pluribus sequentibus.

XII. Ut autem aliquas ejus rei causas hoc loco recenseam, prima esse potest peccantium purgatio, ut loquitur Joannes Gerson, *De erroribus circa artem magicam*, dicto II. Nam excommunicati dabantur ab initio Ecclesiæ satanæ ipsi corporaliter vexandi, ut spiritus salvus fieret, teste Apostolo in Epistola I. ad Corinthios, Cap. V. versu V. Secunda, gloriæ Dei manifestatio, quæ potest esse causa talis vexationis, sicut in cæco nato, & in legione dæmonum, quæ in porcos intravit, & submersit, non ad porcorum punitionem, sed ad potentiæ Christi manifestationem, uti idem Gerson notavit. Tertia, Fidelium probatio, & exercitatio, ut manifestum fuit, ait Gerson loco citato, in Job, Antonio, & Paulo, cui, ut legitur in secunda ejus Epistola ad Corinthios, Cap. XII. versu VII. *datus est Angelus satanæ*. Sicut enim necesse est, secundum eundem Apostolum in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XI. versu XIX. hæreses fieri, ut qui probati sunt, manifesti fiant, ita fiunt ad hoc illusiones similes miraculis, quemadmodum perspicue habetur in Deuteronomio, Cap. XIII. *Tentat*, inquit, *vos Dominus, si ex toto corde diligatis eum*. Hanc causam suo ævo magnum locum habuisse, tradit ibidem Gerson; confirmarique ea causa potest ex S. Augustino, qui Libro III. *De Trinitate*, Capite VII. quærens, quare Deus magis Ægyptiis mira facere permisit, inter alias hanc assignat rationem, *ad exercendam, probandam, manifestandamque justorum patientiam*. Similia legere est apud alios Patres, inter quos S. Joannes Chrysostomus Homilia XLI. in Acta Apostolorum, ubi loquitur de Energumenis, *Illi quidem*, ait, *ex his, quæ graviter ferunt, duplex lucrum reportant. Unum quidem, quod humiliores, & modestiores fiunt; alterum, quod pœnas sic suorum peccatorum dantes, puri ad Dominum migrant*. Et S. Basilius, ut alios omittam, in Homilia, *Quod Deus non sit Auctor malorum*, diserte ait, Sapientissimum, providentissimumque rerum humanarum dispensatorem, diaboli uti *ad nostram exercitationem malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem*.

XIII. Forte causa præcipua, cur Deus homines sinat a dæmoniis possideri, sunt peccata, quæ ab illis patrantur, & quidem non solum læthalia, verum etiam illa, quæ levia dicuntur; itemque non modo propria, sive gravia, sive levia, verum & aliquando aliena, ac præsertim parentum, ut late ex Patrum testimoniis, ac permul-

multis exemplis probat laudatus Cardinum. LII. & pluribus sequentibus. Sed aliis omissis, nonnulla exempla referam, quibus docemur, frequentius puniri filios dæmoniaca vexatione ob maledictionem illis a parentibus suis illatam, ut nempe discant mulieres præsertim, quæ tam facile filios suos subiratæ maledictis insequuntur, ab hac adeo frequenti passione, & pernicioso utrisque abusu omnino se cohiberet. Tradit S. Antoninus, Parte II. Historiæ, Tit. x. Cap. XII. Sanctum Zenobium Episcopum Florentinum, a vexatione dæmonis, oratione sua liberasse quemdam puerum, *nam cum ipsum febribus urentem, mater quadraginta vicibus in nocte vocitata ab eo, potasset, & iterum potum peteret, attediata mater potum obtulit, cum ira dicens*, Bibe in nomine diaboli, *& ex hinc dæmon illum invasit*. Teste Auctore Vitæ B. Ambrosii Sansedonii apud Bollandianos die XX. Martii, *cum quadam mulier comederet cum filia sua .... quæ ei indebite respondebat, maledixit ei mater sua*, scilicet *filiæ, quam statim post maledictionem maligni spiritus invaserunt*; quæ tamen postea ad Sepulchrum Beati liberata fuit. His adde exemplum, quod legitur in Vita S. Romani Monachi, Lib. II. Cap. II. apud eosdem Bollandianos die XXI. Maji: Cuidam filio matri injurio *mater dicit: mala quæ mihi fili inconsulta impietate ingeris, super caput tuum redintegrentur. Talia intulit, atque illico filius potioris criminis, & majoris insolentiæ fomitem incurrens, dæmoniacæ possessionis est in hunc modum traditus excidio &c.* Quod parentum in filios maledictio frequenter exaudiatur a divina justitia, & horrendos pariat effectus, pluribus possit demonstrari exemplis, viderique de ea re potest Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ in S. Gregorii VII. Pontificis Septimum Romanum Concilium, Cap. inscripto, *Exponitur Sacerdotalis maledictio*, pag. 160. & seq.

XIV. Parvulos tandem tum sancto Baptismo insignitos, tum adhuc illo carentes, a dæmoniis non raro obsideri, atque etiam occidi, testis est S. Hieronymus in Epistola ad Paulam de dormitione Blesillæ, ubi sic inquit: *Quid causæ est, ut sæpe bimuli, trimulique, & ubera materna lactentes a dæmonio corripiantur? Judicia enim Domini abyssus multa, & o profundum divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Loquendo vero de parvulis Baptismi Fonte renatis, specialiter tres assignat rationes S. Augustinus, quare Deus permittat, hos a dæmone vexari, & obsideri. Prima est, ut exinde cognoscamus vitæ hujus infelicitates, & ad desiderium æternorum accendamur. Sic enim inquit Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. XXII. *Contra milleformes dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit? Quandoquidem nequis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas.* Aliam S. Doctor innuit causam ibidem Lib. XXI. Cap. XIV. videlicet commutationem in meliorem vitam: *Nonnulli*, inquit, *& incursus spirituum malignorum aliquando patiuntur, quæ quidem passio absit, ut eis obsit, si hanc vitam in illa ætate, etiam ipsa passione ingravescente, ac animam de corpore excludente finierint.* Tertiam denique causam agnoscit idem Sanctus Augustinus Libro VI. Contra Julianum, Capite X. nempe pœnam peccati originalis: *An non agnoscis*, ait, *etiam hoc ad illud grave jugum pertinere, quod est super filiis Adæ, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium? In hoc autem Sæculo a die ortus, usque in diem obitus, etiam ipsos*, infantes, *sub eodem gravi jugo contineri, quandoquidem etiam baptizati parvuli inter alia mala vitæ hujus, nonnunquam & istos dæmonum patiuntur incursus*. Tribus hisce causis quartam addit memoratus Cardius citato loco, num. LXXXXI. ex Sancto Auxentio Presbytero, & Archimandrita, qui, uti legitur in ejus Vita, Cap. IV. die XIV. Februarii apud Bollandianos, & Surium, cum quædam mulier adduxisset ad eum *infantem circiter trium annorum, qui possedebatur a dæmone ... cæpit dicere iis, qui aderant: Ne existimetis, hunc puerum peccasse, & vexari ab immundo; sed hoc propter nos contigit, & propter nostram conversionem.*

## §. I.

Sacerdos, sive quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea, qua par est, pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet, qui non sua, sed Divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

## COMMENTARIUS.

I. CErtum illud profecto est, duplex fuisse in primitiva Ecclesia Exorcistarum genus, quidam enim vim habebant dæmones ejiciendi ex gratia gratis data, & absque ulla ordinatione. Alii vero erant Exorcistæ per ordinationem, qui potestatem suæ ordinationis virtute habebant dæmones ab energumenorum corporibus expellendi. Referri ad primos potest Christi Oraculum in Evangelio Marci, Capite ultimo sic ajentis: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nobis, super ægros manus imponent, & bene habebunt &c.* itemque dictum antiquissimi Auctoris Apostolicarum Constitutionum, Lib. VIII. Cap. XXVII. *Exorcista non fit ordinatione. Certare enim pro præmio Exorcistæ, liberæ voluntatis est, ac Dei gratia per Christum, & adventum Spiritus Sancti.* His concinit S. Joannes Chrysostomus Homilia XXIX. in primam Apostoli Epistolam ad Corinthios, ubi consueta olim in Baptismo donari charismata laudat, atque adjungit: *Quoniam Apostoli hoc quoque primum signum acceperant, Fideles quique hoc accipiebant, nempe linguarum; & non*

*& non hoc solum, sed etiam multa alia; nam & mortuos multi excitabant, & dæmones expellebant, & plura alia faciebant miracula, quin etiam multa alia habebant charismata, alii pauciora, alii plura*. Quod ipsum manifeste longe ante S. Joannem Chrysostomum testatus est Tertullianus in suo Apologetico, Cap. XXIII. *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet, jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso*. Ejusmodi dæmonum adjurationes, atque ejectiones ait esse quotidianas, eo quod omnis illa mendax, & ficta Paganorum divinitas subsit quibuslibet Christianis. Plura habet istiusmodi loca, ex quibus docemur, consuevisse primis Sæculis Christianos exorcizare obsessos a dæmonio, & illos ab illorum corporibus expulisse.

II. Duravit hæc quidem forma usque ad Synodum Laodicenam anno Christi CCCXIV, habitam, Canone XXVI. *Quod hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint*. Canonem hunc intellexit quidem Balsamon, non de Energumenorum, sed de Catechumenorum Exorcismis, atque Scrutiniis loqui; sed cum ista non per quemvis Clericum, longe minus per laicum, verum per solos Sacerdotes agi solemniter in Ecclesia sanxerit traditio ipsa Apostolica, ideo nulla veri species suadet, tantæ disciplinæ prævaricationem tunc fuisse in Occidentali Ecclesia grassatam. Sane, postquam avita in adjurandis dæmoniis gratia cœpit vacillare, Exorcismos componere, & ad ipsos ex totius Christianitatis, seu Sanctorum Communionis persona dicendos, consecrare, aut deputare Exorcistas Clericos cœpit Ecclesia; & quod dudum per infallibilem potestatem dederat, jam per fallibiles preces a Divina Clementia supplicare. Latina quidem consecravit, Græca Ecclesia dumtaxat deputavit Exorcistas; utraque vero opus istud exorcizandi rigide laicis interdixit. Quod eos Africana Ecclesia ad imponendas Energumenis manus rite ordinaverit, consecraritque, liquet ex Synodo IV. Carthaginensi habita anno CCCXCVIII. Can. VII. *Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu Libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive Baptizatum, sive Catechumenum*. Græci nullum habent, nec unquam habuerunt minorem Ordinem, nisi solum Lectoratum, ideoque apud ipsos manum istam soli semper imposuerunt Sacerdotes; laudati enim Laodiceni Canonis verba, *qui non sunt ab Episcopis ordinati*, in Græco sermone nequaquam consecrationem important, sed solum deputationem, uti Lupus notavit, in Tomo IX. Operum editionis Venetæ in Scholiis ad Librum Tertulliani, *De Præscriptionibus adversus hæreticos*, Cap. XLI. pag. 348. ubi etiam ait, hanc formam dudum fuisse servatam in Romana Ecclesia, probatque ex Epistola Innocentii Papæ I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, Cap. VI.

III. Quidquid autem sit de hac opinione, quod nostram præsentem rem spectat, asserit quidem inter alios Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica, & Morali, Libro II. *De Sacramento Ordinis*, Articulo IV. §. III. *Optimum interdum fore illam Exorcistatus functionem, qua* scilicet energumeni exorcizantur, *non a Presbyteris, multo minus ab Episcopis, sed ab Exorcistis junioribus, ab adolescentulis ad hoc officium ordinatis, ac morum innocentia, & sapientia huic ministerio paribus exerceri, ad majorem dæmonis contemptum, & confusionem*. Longe liberius loquitur Nicolaus Aletensis Episcopus in Instructionibus Ritualis suæ Diœcesis ubi de instructione circa Exorcismos hæc habet: *Certe maxime convenit, solos deputari Exorcistas ad hoc munus exequendum, non Presbyteros, non Episcopos, vel eos, qui majori fulgent in Ecclesia, sive potestate, sive ordine; sic enim & superbia diaboli labefactatur magis, & Exorcistarum Ordo a sui muneris administratione non vacabit, & non perinvitus ab obsesso corpore aufugiet dæmon, cui nullus erit suspicioni locus, si se ab hominibus aut coli, aut honorari non videt, se non expelli per Ecclesiæ Optimates, Sacerdotes, & Episcopos, sed sola eorum potestate, qui in Ecclesiastica Hierarchia infimum locum tenent*. Hæc Aletensis Episcopus, cujus verba Gallico sermone descripta Latine reddidit Paulus Maria Cardius in Commentario, *De exorcizandis obsessis a dæmonio*, Documento I. num. III. Verum Christianus Lupus, Tomo IX. Operum editionis Venetæ in Scholiis ad citatum Librum Tertulliani, *De præscriptionibus*, Capite XLI. ita verba ipsa Episcopi Aletensis descripsit: *Expediret, ut Energumenorum Exorcismi deinceps non fierent per Presbyteros, sed per minores Clericos Exorcistas. Quia, dum per Presbyterum fiunt, nimius honor impenditur diabolo*.

IV. At vero recte docent memorati Auctores Lupus, & Cardius, convenientius per Sacerdotem, quam per inferiores Clericos fieri Exorcismos super vexatos a dæmone, quia scilicet Sacerdotes majorem habent ex vi characteris Sacerdotalis dignitatem, potestatem, & imperium super dæmones; quique ministerio suo exactius satisfacere possunt, utendo nempe Stola, dicendo, *Dominus vobiscum*, cum super energumenos Evangelium legunt, Missam prius celebrando, aliaque peragendo, quæ a nostro Rituali Romano præscribuntur, ut infra suis locis videbimus. Atque hæc est communis, & antiqua Ecclesiæ praxis, ut soli Sacerdotes obsessos a dæmonio exorcizent. De Orientali Ecclesia testem habemus eruditissimum Jacobum Goar in Notis ad Euchologium, sive Rituale Græcorum, ubi exponit Orationem in Deputati, & Ceroferarii ordinatione his verbis: *Exorcistæ apud Græcos ex antiqua traditione sunt soli Sacerdotes*. Tum vero paulo inferius: *Ordinatus*, scilicet apud eosdem Græcos, *Lector sacris Altaris foribus adstat, cereum Evangelio legendo præfert, Scripturam quoque sacram legit, atque Energumenis ex Pontificis commissione, quæ nunc tantum Sacerdotibus demandatur, manus posset imponere*. Non imponit, sed posset imponere, ut scite observat Lupus loco citato, ubi etiam laudati Goar opinioni adhæret, ajentis, hunc esse sensum Canonis XXVI. Concilii Laodiceni, cui concinit memoratus Innocentius Papa I. in citata Epistola ad Decentium, Cap. VI. ubi sic inquit: *De his baptizatis, qui postea a dæmonio corripiuntur, quæsivit dilectio tua, si a Presbytero, vel Diacono possint, aut debeant consignari? Quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi*

*nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei, vel a Presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus Energumenus ad Episcopum deducatur, cum si talis casus ei iu itinere acciderit, perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facile possit?*

V. Energumenos exorcizare erat tunc quidem a minoribus Clericis adeo alienum, ut plures Italorum Episcopi censuerint, privative ad se solos spectare, & sine suo singulari mandato non posse ab aliis id fieri, nec quidem a Presbyteris, uti non obscure innuit S. Ambrosius in Libro I. *De Officiis*, Capite XLIV. sic inquiens: *Alius*, Clericus, *Psalmo gratior*, *alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu solicitior, alius Sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratia.* Loquitur sane de pleno universi Cleri Corpore, ideoque & de Presbyteris. Quod etiam S. Bernardus, ac S. Norbertus summi Gallicanæ Ecclesiæ Presbyteri Energumenos exorcizaverint, eorum Vitæ nos docent. Sub Innocentii III. Pontificatu quædam prope Genuam Civitas fuit plena Energumenis ob enormes in Deiparam Virginem blasphemias. Quod ipsos quidam e Cisterciensi Ordine Abbas exorcizaverit, atque purgaverit, testatur Rogerius Hovedenus in sua Historia; viderique innumera id genus exempla possunt apud Surium, Bollandianos, & alios Scriptores, ubi Sanctorum Presbyterorum Vitas recensent.

VI. Eodem teste Lupo, ipsi primitivæ Ecclesiæ Episcopi istam facultatem non solum suis delegabant Presbyteris, sed & ipsi exercebant; id plane demonstrat antiqua, & Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Liturgia. Etenim post solemnem Sermonem Episcopus solemnes Orationes, atque manus impositiones dabat super Energumenos, Pœnitentes, & Catechumenos; & primæ non erant aliud, quam Exorcismi, & omnino fiebant per ipsum Episcopum. Id passim ostendunt Sanctorum Episcoporum Vitæ, & Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, inter quos Nicephorus, Libro VII. Capite VI. de S. Antimo Nicomediensi Archiepiscopo scribit, quod singularem exorcizandi virtutem habuerit, atque ita offenso Imperatori Diocletiano occasionem dederit movendæ adversus Christianos crudelissimæ persecutionis. Et de Tetradio Viro Proconsulari, & adhuc gentili, quod S. Martinum Turonensem Episcopum ad suum Energumenum famulum exorcizandum permoverit, scribit in ejusdem S. Martini Vita Severus Sulpitius, Capite XVI. atque adjungit: *Martinus, imposita manu puero, immundum ab eo spiritum ejecit. Quo viso, Tetradius in Dominum Jesum credidit, statimque post Catechumenus factus, nec multo post baptizatus est; semperque Martinum salutis suæ Authorem miro coluit affectu.* Subdit deinde etiam Sulpitius, Martinum roganti istud officium Tetradio fuisse reluctatum, tandemque compulsum consensisse; non quod ipsum Exorcismum, sed quod gentilis hominis domus ingressum judicaret Episcopo non convenire. Hinc adjungit, a spontaneo Martino alios plures fuisse exorcizatos, ac liberatos. Sed notanda sunt demum ea S. Martini ad dæmonem verba, & acta: *Sed cum dentibus diabolus fremeret, bianteque ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit:* Si habes, *inquit*, aliquid potestatis, hoc devora. *Tum vero ac si candens ferrum faucibus accepisset, longe eductis dentibus digitos Beati Viri vitabat attingere.* Istud fuit Sancti Martini charisma, ideoque ab hodiernis non imitandum.

VII. Hisce exemplis addi & illud potest, quod de S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi scribit in ejus Vita Paulinus Presbyter: *Cum in domo clarissimi quodam viri Decentis maneret, filius ipsius Pansophius nomine, admodum parvulus, cum spiritu immundo laboraret, frequenti oratione, & impositione manus ipsius Sacerdotis sanatus est.* Et infra: *Multos etiam diebus illis, Ambrosio imponente manus, ac imperante, a spiritibus immundis vidimus esse purgatos.* Etiam S. Agericum, Virdunensem Episcopum, quod Energumenum exorcizarit, & sacro Oleo unxerit, & tamen ab eo malignum spiritum non potuerit ejicere, scribit Gregorius Turonensis, Lib. I. Historiæ Francorum, Cap. XLIV. Afferri possent & in hanc rem varia Conciliorum Decreta, & Sanctorum Antistitum exempla, quæ tamen, ut scite idem Lupus observat, jam minime facta sunt ad honorandum diabolum, sed potius ad magis, magisque terrendum. Quis enim ambigat, Presbyterum, ac præsertim Episcopum magis timeri a diabolo, quam simplicem Clericum? Errat itaque memoratus supra Aletensis Episcopus, & qui eam sententiam tenent, expedire nimirum, ut Energumenorum Exorcismi deinceps non fierent per Presbyteros, sed per Minores Clericos Exorcistas, ob eam scilicet falsam, erroneam, contrariamque veteri, sanctiori, probatæque Ecclesiæ disciplinæ: *Quia dum per Presbyteros fiunt, nimius honor impenditur diabolo.*

VIII. Illud vero recte admodum & ex nostro §. cautum est, *ut Sacerdos, sive quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea, qua par est, pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debeat, qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter, & humiliter exequatur.* Ergo in exorcizante pietas requiritur, quæ quidem dupliciter usurpari potest, ut eam usurpat S. Augustinus, Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. I. nempe, & quatenus cultus Dei est, & quatenus opus misericordiæ est erga proximum: *Pietas*, inquit, *proprie Dei cultus intelligi solet... more autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur.* Utroque modo Exorcistam pietate suffultum esse convenit, exhibendo scilicet in suo ministerio honorem Deo debitum; & opere suo misericordiam erga vexatum impendendo. Prudentiam autem, *quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet, quid tenendum, quidve rejiciendum sit*, ut tradit Sanctus Bernardus Sermone LXXII. *De diversis*, acquiret utique Exorcista, si Ritualis Romani, & Patrum, ac Synodorum præcepta, Sanctorumque exempla, quæ in his Commentariis referemus, atque explicabimus, discet, observabitque. Quantum demum necessaria sit vitæ integritas in Exorcista, jam satis docuit Ecclesia in Romano Pontificali, ubi in allocutione sua Episcopus ad Exorcistas, sic inter alia inquit: *Studete,*

*ut,*

*ut, sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite post officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis multimodam eorum nequitiam superabitis.*

IX. Quum autem Exorcistarum potestas, non sua ipsorum, sed Divina virtute nitatur, ut noster §. ait inhærens variis Evangelii locis, merito mox subdit, Exorcistam ab omni rerum humanarum cupiditate alienum, debere tam pium opus exorcizandi constanter, & humiliter exequi. Vitandam esse ab Exorcista avaritiam, expresse præcepit Christus Dominus suis Apostolis, eorumque successoribus, quibus postquam dixit Matthæi Capite VII, versu VIII. *Dæmones ejicite*, ita statim addit: *Gratis accepistis, gratis date*. Id plane religiose observatum fuisse primis Christi Sæculis, testatur Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, Cap. XXXVII. *Quis autem vos*, ait, *ab illis occultis, & usquequaque vastantibus mentes, & valetudines vestras hostibus raperet? a dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus*. Et successive etiam a Sanctis Viris observatum legimus, ut ex eorum Vitis addiscere licet, præsertim vero ex Vita S. Hilarionis a S. Hieronymo scripta, in qua legimus, quod quidam Orionus nomine, qui e legione dæmonum possessus erat, cum ab ipso Hilarione liberatus esset, *non post multum temporis cum uxore, & liberis venit ad Monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus*: Non legisti, *inquit*, quid Giezi, quid Simon passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur. *Cumque Orionus flens diceret*, Accipe, & da pauperibus, *respondit*: Tu melius potes tua distribuere... Noli contristari fili, quod facio pro me, & pro te facio; si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.

X. Itaque pro Exorcismis mercedem, donave exigere, accipereve, est simonia, de qua Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia XLI. in Acta Apostolorum, agens de filiis Scevæ adhuc in Judaismo infidelibus, & tamen per invocatum Domini Nomen dæmonia exorcizantibus, sic habet: *Vide impietatem potentissimam. Judæi cum adhuc manerent in impietate, per ipsum negotiari voluerunt, atque sic omnia faciebant ad vanam gloriam, & lucrum*. Lucri causa obambulare esse dicit Judaicorum Exorcistarum morem pessimum, & antiquum. Sed ab hoc more alieni semper fuere Christiani Sancti Exorcistæ, nam præter exempla superius adducta, in Vita S. Hipatii Abbatis, Cap. III. die XVII. Junii habemus, quod cum liberasset quemdam Urbicium nomine a præstigiis dæmonum, mercedem, quam obtulerant, non acceptarit. In Vita quoque S. Deodati Episcopi Nolani eadem die XVII. Junii narratur, hunc Sanctum filiam Valentiniani Imperatoris a dæmone liberasse, & munera rejecisse: *Restituta itaque puella saluti, voluit Imperator Sanctum Deodatum suis ditare divitiis, quas constanti ipse respuit animo, latiores se asserens habere thesauros*. His itaque exemplis, Patrum doctrinæ, ac præsertim Evangelii Oraculis inhæsit S. Carolus, ubi in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia, vel Sacramenta communiter pertinent*, sic inter alia statuit: *In hoc exorcizandi munere, ejus occasione, non modo quæstum fugiat, sed ne doni, aut muneris quidquam, vel minimum capiat Exorcista*.

XI. Constantia quoque, & humilitas necessariæ sunt in Exorcista, cum enim maxima versutia diabolus præditus sit, omnes vias tentat, ut Exorcistam tædio afficiat, obstinate permanendo in corpore obsessi; quare qui constantis, & intrepidi animi virtutem habere desperat, non vincit, sed vincitur potius a diabolo pertinaci. Insignis constantiæ exempla habemus quidem in Sanctis Viris permultis, qui in Energumenis liberandis multum frequenter temporis insumpsere. Testes sunt quidem ejus rei S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, Palladius in Lausiaca, Cap. XXVIII. Metaphrastes in Sancto Auxentio, Georgius Monachus in Theodoro Siceota, Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, & Surius, atque Bollandiani in Vitis Sanctorum passim. Humilitas autem, cum virtus sit ex diametro opposita diabolo, qui pater est superbiæ, propterea contra eundem magnam habet virtutem, vocaturque a S. Bernardo Sermone LXXXV. flagellum diaboli. S. Carolus citato loco Concilii IV. Mediolanensis, postquam dixit, ut Exorcista in hujus muneris functione graviter, pie, & religiose inprimis se gerat, & ut pridie illius diei, quo alicui Exorcismum adhibere inceperit, se jejunio, atque oratione præparare studeat, ita statim subjicit: *Tum confessus, conscientia ab omni culpa, pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor potestatis, quam a Domino accepit expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat*. Cæterum non solum Exorcistæ convenit humilitas in eo adjurationis actu, sed etiam est necessaria illi post dæmonis expulsionem, uti colligitur ex Evangelio Lucæ, Capite x. ubi cum Christus vidisset Discipulos gaudentes de sua supra dæmones potestate, atque victoria, & dicentes versu XVII. *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo*, reprehendit eos, dicens versu XX. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis &c.* Atque hinc est, quod S. Antonius, referente in ejus Vita S. Athanasio, ajebat, quod, *neque ejectione dæmonum est gloriandum, neque eum, qui dæmones expellit, solum admirari, neque eum, qui idem nequit, aspernari debemus*. Sed notanda præsertim quæ & statim subjicit: *Signa enim facere non nostrum, sed Domini Servatoris opus est. Ideo dixit Discipulis*: In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in Cælis.

XII. Exorcistam tandem, ut ait noster §. *maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum*. Sane maturæ ætatis illi esse Exorcistæ præsertim deberent, qui mulieres exorcizant; quicumque autem ii sint, decet quammaxime, quinimo necessarium est, ut non solum officio, sed etiam morum gravitate sint reverendi, pietate scilicet, prudentia, vitæ integritate, constantia, & humilitate, uti jam late superius diximus, & docent passim Rituales Codices, ac Synodi multæ, tum Provinciales, tum Diœcesanæ, quarum loca describere, supervacanei in hac re esset laboris.

§. II.

## §. II.

Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis Auctoribus, & ex usu noscere studeat, tum hæc pauca magis necessaria diligenter observet.

## COMMENTARIUS.

I. Ne Exorcista in varios incidat errores, atque ne in judicando de maleficiis cæcutiat, ac se ipsum, obsessosque in foveam præcipitet, præter morales virtutes, quibus esse ille præditus debet, quasque nos in superiori Commentario explicuimus, necesse est quoque, ut artem hanc exorcizandi *ex probatis Auctoribus, & ex usu noscere studeat*, ut ait hic noster §. Cui plane inhæret S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia &c.* ubi inter alia ad Exorcistas, exorcizandique rationem spectantia, sic inquit: *Ne aliis vero Exorcismis, precibus, ritibusque ad id munus utatur, nisi ad Libri Episcopi judicio comprobati rationem præscriptam; cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.* Extant sane varii Exorcismorum Libelli a privatis hominibus confecti, quorum etiam nonnulli a Sacra Indicis Congregatione prohibiti fuerunt; quique iccirco vitandi sunt, ac nullo modo adhibendi. Sed neque omnes Exorcismi, qui in Vitis Sanctorum occurrunt, adhibendi, cum nonnulli etiam ex ipsis admirandi potius, quam imitandi sint, uti non semel monitum a nobis in nostris hisce Commentariis perspicies.

## §. III.

In primis ne facile credat, aliquem a dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia, & occulta patefacere, vires supra ætatis, seu conditionis naturam ostendere, & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

## COMMENTARIUS.

I. Sanctus Philippus Nerius, cujus virtus multum eluxit in effugandis spiritibus immundis, dicere tamen solitus erat, ut inter alios testatur in ejus Vita Hieronymus Bernabeus apud Bollandianos die XXVI. Maji, *in hac re haud facile credendum esse, quandoquidem inusitati quidem effectus sæpe non ex dæmone, sed ex morbis malancholicis, capitis debilitate, aliisque hujusmodi proveniunt; in feminis vero ex vehementi phantasmatum impressione, aliisque tum animi, tum corporis ægritudinibus non raro etiam ex malignitate, qua se se ob varias causas a dæmone obsessas simulant.* Additque mox, *quod has ob causas Vir Sanctus suos in spiritu filios admonebat, in hac re ne facile crederent.* Sane longe ante S. Philippum hujusmodi imaginarios, falsosque dæmoniacos agnoverunt Patres Concilii Trullani anni DCXCII. celebrati, qui contra eos sic statuerunt Canone LX. *Eos, qui se a dæmone correptos simulant, & morum improbitatem, eorum figuram, & habitum simulate præseferunt, visum est omnimodo puniri, & hujusmodi afflictionibus, laboribusque eos subjici oportere, quibus ii, qui vere a dæmone correpti sunt, ut a dæmonis operatione liberentur, jure subjiciuntur.* Plura scitu digna jam diximus nos in Commentario ad hunc Canonem nostro II. Tomo Commentariorum in Concilia Oecumenica pag. 156. & seq. viderique etiam potest eruditus Paulus Maria Cardi in Commentariis ad Ritualis Romani Documenta, de exorcizandis obsessis a dæmonio, Documento III. num. III. ubi late pœnas recenset, afflictiones, atque labores, quibus subjiciebantur olim veri energumeni, ad majorem recitati Canonis Trullani intelligentiam. Regulas quasdam ad dignoscendos veros energumenos, tradit quidem hic noster §. ubi edicit, *signa obsidentis dæmonis esse, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere.* Hoc plane signum, sicut & alia duo a Rituali Romano in hoc §. adducta, certa sunt, & evidentia. Sed intelligi tamen primum debet de homine rudi, & ignotæ linguæ prorsus ignaro, nec sufficit, ut unum, vel alterum verbum proferat, *sed loqui pluribus verbis, vel loquentem*, plura utique verba, *intelligere* debet, ut idem noster §. docet. Energumenos peregrinis linguis loqui solitos ait Sanctus Hieronymus in S. Hilarione. Turonensis de miraculis S. Martini Lib. I. Cap. II. Einhardus Abbas de translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri Lib. III. Cap. XIII. apud Surium, itemque S. Antoninus Parte III. Tit. XXIII. Cap. XIV. §. & alibi. Celebre, ac recens ejus rei exemplum habemus in Vita S. Philipppi Nerii Auctore Baccio Lib. III. Cap. X. num. 2. *Puella*, inquit, *Catharina nomine, deducta fuerat a suis e Campania Romam, ut Philippi beneficio a dæmone liberaretur. Hæc namque & Latino pariter & Græco loquebatur sermone, non secus ac si multos annos in Gymnasiis versata fuisset, cum tamen litterarum esset plane rudis, nec eas, ut ajunt, vel a limine salutasset; tantoque præterea pollebat robore, ut multi simul fortesque viri feminam coercere vix possent. Dæmonis itidem opera sæpissime percipiebat, qua hora Philippus ad se adjuvandam mitteret, inquiens:* Presbyter ille nunc mittit hominem, ut me per vim ad se deducat; *at-*

*atque illico fugam arripiebat, & in abditissima domus loca recondebat se se &c.*

II. In hoc exemplo tria simul evidentia signa veri energumeni, quæ noster §. recenset, habemus, quia scilicet puella rudis, imbellisque *ignota lingua* locuta est; *distantia, & occulta* patefecit; *& vires supra ætatis, & conditionis naturam* ostendit. Frequens est in Sacra Historia, & in Sanctorum Vitis hujusmodi signa legere, dum de obsessis sermo occurrit, verum quod de secundo signo ait noster §. intelligendum est de rebus occultis, sed externis, & opere consummatis, sive externo aliquo signo indicatis; nam occulta interna, ut sunt occultæ cordis cogitationes, dæmon cognoscere nequit, sicut nec Angeli boni; hoc enim solius Dei est proprium, uti ex Sacris Paginis constat, præsertim vero ex Lib. III. Regum Cap. VIII. versu XXXIX. ubi dicitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Ex Ecclesiastico, Capite XXIV. versu XVIII. *Abyssum, & cor hominum investigavit*. Ex Psalmo XLIII. versu XXII. *Ipse enim novit abscondita cordis*. Et ex aliis locis compluribus, quibus inter alios concinunt Sanctus Augustinus, & S. Hieronymus, quorum primus Sermone CCXXXIV. de Tempore loquens de Jobo, *Colebat*, inquit, *Deum, faciebat eleemosynas, & quo corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus noverat*. Alter vero in Psalmum XVI. versu II. *Ea*, inquit, *quæ cogitatione volvuntur, minime diabolo cognita sunt*.

III. Porro præter memorata hactenus signa, sunt & alia, quæ, ut ait idem noster §. *cum plurima concurrunt, majora sunt indicia*. Duplicis generis sunt hujusmodi signa; alia nempe certa, & evidentia, quæ provenire non possunt a causa naturali humana, sed necesse est, ut proveniant a causa superiori, puta a dæmone; alia conjecturalia, seu probabilia, ut sunt ea, quæ sumuntur ab effectu, qui sæpius, vel utplurimum procedit a dæmone, tamquam a causa; aliquando tamen provenire possunt a causa naturali. Hæc signa collegit diligentissime Candidus Brognolus in Manuali Exorcistarum, Parte I. Cap. II. Articulo V. fusiusque explicuit Cardius in explicatione hujus nostri §. pag. 128. & seq.

## §. IV.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum, aut alterum Exorcismum, interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore; ut sciat etiam, ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

## COMMENTARIUS.

I. Cum plura obsidentis diaboli signa, quæ mere probabilia, & æquivoca sunt, Exorcismi adminiculo certa, & evidentia evadere queant, statuit iccirco hic noster §. ut Exorcista, *post unum, aut alterum Exorcismum interroget obsessum &c.* Sed hic tamen illud monendum, quod aliud est interrogare dæmonem, ad quænam verba magis crucietur, aliud obsessum ipsum interrogare. Hoc secundum in hoc §. admittitur, non vero primum, nam ut docet S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæstione XC. Articulo II. esset illicitum dæmones adjurare etiam imperativo modo, sive per compulsionem *ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam, nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur*. Quod quidem longe ante S. Thomam, ut jam alias notavi, docuerat inter alios Patres Origenes Homilia XVI. in Librum Numerorum, ubi sic inquit: *Non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonum, neque vult, ut siquid volumus discere, discamus a dæmonibus; melius est enim ignorare, quam a dæmonibus discere*.

II. Ergo, ut ait noster §. interrogare Exorcista debet obsessum, *ut sciat etiam, ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat*. Dæmones conturbari, torqueri, uri Exorcismis, Patres Ecclesiæ passim docent. Tertullianus in Apologetico adversus Gentes diserte ait, dæmones dolentes exorcizari, sic inquiens Cap. XXIII. *At quin omnis hæc nostra in illis dominatio, & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia expectant, Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur Servis Dei, & Christi. Ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes*. Tertulliano adjungimus S. Cyprianum, qui in Libro ad Demetrianum post medium: *O si audire eos velles, & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes, voce humana, & potestate divina, flagella, & verbera sentientes, venturum Judicem confitentur*. Et in Epistola LXXVI. ad Magnum sub finem, eandem rem ita confirmat: *Quod hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis, & fraudis exerceat*.

III. Dæmones insuper magis per quædam verba, quam per alia torqueri, constat sane ex antiqua Ecclesiæ praxi, nam, ut notat Micrologus in Lib. *De Ecclesiasticis Observationibus* Cap. VII. *secundum Romanam auctoritatem, nullam Orationem*, Per eum, qui venturus est, *concludimus, nisi sit Exorcismus, in quo diabolus per Divinum Judicium, ut a creatura Dei discedat, exorcizatur, sive adjuratur*. Et rationem ejus reddit Cæsarius Heisterbachius Lib. V. Cap. X. sic inquiens: *Sentiunt, & timent dæmones pœnam sibi præparatam; hinc est, quod om-*

*omnes Exorcismi, qui ad illorum nequitiam enervandam fiunt, per ignem, & extremum Judicium concluduntur*. Si ergo Ecclesia potius Exorcismos concludit, *Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem*, quam per alia verba, ut magis dæmonis vires infringat, fatendum plane erit, diabolum magis ad quædam verba, ac præsertim ad ea mox recitata, quam ad alia conturbari, ac torqueri. Advertendum est tamen, quod & alias notavit Cardius, Exorcistam non nimis in hoc fidere debere, cum dæmon vaferrimus ostendere possit, se graviſſime torqueri, cum aliqua sacra verba proferuntur, & non ad alia forte efficaciora, & tamen haud sic esse. Cautus itaque esse debet Exorcista, innumerabiles enim sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, uti docent passim Sancti Patres, iisque inhærens nostrum Rituale Romanum in sequentibus paragraphis, præsertim vero infra §. IX. & X.

## §. V.

Advertat, quibus artibus, & deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum; solent enim utplurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus.

## COMMENTARIUS.

I. Diaboli fraudes, versutiæque jam omnibus notæ sunt, ideoque sapientissime docuit S. Antonius Abbas, referente in ejus Vita S. Athanasio, multis precibus, atque exercitatione opus esse, *ut, accepto quis Spiritus dono discernendi spiritus, horum naturas nosse possit*; eamque mox rationem subjicit: *Multi enim illorum sunt doli, multæ insidiæ, quas parant*. Hoc est unum ex præcipuis dæmonum studiis, fallere hominem: *Fallunt autem etiam studio fallendi, & invida voluntate, qua hominum errore lætantur*. Verba sunt Sancti Augustini in suo Libro, *De divinatione dæmonum*, Cap. VI. Non semper tamen fallit diabolus; nam, ut ait Auctor Operis imperfecti Homilia XIX. in Matthæum, interdum verum dicit: *Concessum est autem diabolo & interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si autem nunquam diceret verum, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus*. Cæterum in vero, quod interdum profert, finem semper habet fallendi, ut pariter observavit S. Augustinus, *De diversis Quæstionibus*, ad Simplicianum, Quæstione III. dicens: *Miscent tamen isti fallacias, & verum, quod nosse potuerint, non docendi magis, quam decipiendi fine, prænunciant*. Hinc cum veritatem loquitur, non fide dignus est veterator ille, ut loquitur Sanctus Athanasius in Oratione I. contra Arianos. Quod & exemplo suo nos docuit Christus Dominus, dum silentium posuit dæmoni verum clamanti: *Scio, qui sis Sanctus Dei*; statim namque *comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce*; ut refert S. Marcus in suo Evangelio, Cap. I. versu XXIV. & XXV. Ad quæ respiciens laudatus toties S. Antonius Abbas apud memoratum Sanctum Athanasium, sic inquit: *Dominus, quamvis dæmones vera loquerentur, vere enim dixerunt* Tu es filius Dei; *tamen jussit obmutescere, fierique silentium, nequando veritati quid vitii de suo adspergant, atque nos consuefaciat a talibus aures nunquam non avertere, etiamsi vera loqui videantur*. Quibus consentit Victor Antiochenus, qui super eadem Evangelii verba sic habet: *Salutare quoque documentum per hoc nobis tradidit, ne videlicet ullam unquam dæmonibus fidem habeamus, etiamsi vera se dicturos profiteantur*. Idem pariter tradidit Euthymius Zigabenus in ipsum Evangelii S. Marci locum: *Docuit nos*, inquit, *ne dæmonibus unquam credamus; etiam vera dicentibus*. Et rationem supra assignatam adducit: *Cum enim ament mendacium, sintque nobis inimiciſſimi, nunquam vera loquuntur, nisi ad fallendum, veritate, quasi esca quadam, utantur*.

II. An autem dæmoni fides adhibenda sit, cum a Deo, aut ab Ecclesia ad veritatem dicendam se compelli dicat, affirmat Hadrianus Lyræus in Trisagio Mariano, Lib. I. Quod tamen negat Ludovicus Bail in quodam suo Opusculo a se indicato Tomo II. Summæ Conciliorum, ubi de primo Parisiensi Concilio agit, quod sub Gregorio Papa IV. anno DCCCXXIX. celebratum fuit. Refert & hanc sententiam Cardius in suo ad hunc nostrum §. Commentario, ubi inter alia recenset Decretum Facultatis Parisiensis in Comitiis Ordinariis Sorbonæ die II. Januarii, & iterum die II. Martii anni MDCXXIII. editum, quo damnatus fuit Liber, cui Titulus, *Vera, & memorabilis historia de tribus Energumenis &c.* Motiva autem Censuræ, & damnationis revocantur in Actis Facultatis ad quatuor Capita, quorum primum, & secundum, quæ ad rem nostram propius spectant, sunt. Primum: *Quod vellet Auctor, & condemnat dæmonem, si certis rationibus, quas profert, se sacramento obstrinxerit, non posse fallere, eique fidem esse adhibendam. Quod omnibus dolis, & deceptionibus viam sternit*. Secundum est: *Si hoc præstito juramento assereret dæmon, se tamquam Ministrum Dei accepisse provinciam enunciandi aliqua ad Dei gloriam, & fidelium institutionem, ei auscultandum, & obediendum esset. Quod aliquo pacto idolatriam sapit*. Subscribit quidem huic sententiæ Cardius, tum ob ejus motiva, tum ob Patres superius relatos; subditque mox etiam, id obiter ab Exorcistis notandum, illicitum nempe esse exigere a dæmone juramentum, tametsi olim exactum illud fuerit ab Exorcistis antiquis, ac etiam a recentioribus, qui proinde cavendi sunt, etiamsi aliquando id actum a Sanctis Viris sit, potiſſimum enim observare Exorcistæ debent, quæ Rituale nostrum eisdem præscribit, sæpe enim vidi multa in exorcizandis obsessis ab Exorcistis committi, quæ vel ipsis nostri Ritualis Romani regulis adversabantur, quia scilicet, vel ipsum nunquam legerunt, vel minime prorsus intelligebant.

## §. VI.

Aliquando, postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet, se omnino esse liberatum; sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis.

## COMMENTARIUS.

I. IDem, quod hic noster §. docet etiam, & quidem iisdem plane verbis Sacerdotale Romanum, Parte III. in Instructione Exorcistæ, Cap. VIII. comprobatumque habetur pluribus exemplis, quæ in Sanctorum Vitis leguntur, ac præsertim in S. Norberti Vita, Cap. XIII. apud Bollandianos die VI. Junii, ubi inter alia narratur, quod cum quidam pervasus a dæmone adductus fuit ad Sanctum Virum, quem cum Norbertus diligenter esset intuitus, cœpit hominem signare, & exorcizare, donec quiesceret. Quod videntes, qui adstabant, gavisi sunt valde, gratias agentes Deo, sed ille, *Non est*, inquit, *ut vos putatis, quia nunquam spiritus iste nequam recessit, sed latitat ex divinæ virtutis timore, ut non expellatur, sed nobis recedentibus acrius hunc miserum valeat cruciare.* In Vita quoque S. Cunegundis Virginis apud eosdem Bollandianos die XXIV. Julii legitur, quod quædam puella decimum annum agens a dæmone obsessa in Cœnobium Sanctimonialium, & ad Sepulchrum S. Cunegundis adducta est: *Cognatis autem, & necessariis Sanctam Dei Cunegundim pro illa, & ejus liberatione suppliciter obsecrantibus, liberata est tam pro suo, quam amicorum, & assistentium judicio, nulla obsessionis, & vexationis dæmoniacæ perferens signa. Verum a Monasterio ad hospitium deducta, dæmon, qui fallaciter se ad tempus occuluerat, mordacius illam excruciare cœpit.* Quæ postea a Sancta ei apparente sanata fuit, ut ibidem legitur.

II. Hinc recte admonet noster §. cessare ab Exorcismis non debere Exorcistam, *donec viderit signa liberationis*. Signa infallibilia hujusmodi liberationis nulla plane sunt, quia nimirum dæmon, licet plura signa egressus sui spondeat Exorcistæ, sæpe nihilominus fidem fallit, & in obsesso latet. Cæterum signa probabilia, quibus egressus manifestetur, in primis sunt ipsius spiritus obsidentis confessio, qualis illa fuit, de qua scribit S. Marcus in suo Evangelio, Capite I. versu XXIV. *Et clamavit dicens: Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene! Venisti ante tempus perdere nos*. Secundo in terram collisio, & dejectio, ac si Energumenus mortuus videatur, ut accidit illi, de quo apud eundem Marcum, Cap. IX. versu XXV. dicitur: *Exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est, sicut mortuus; ita ut multi dicerent, quia mortuus est*. Tertio ingentes clamores, aut ejulatus, vel belluarum voces, ut legitur Capite VIII. Actuum Apostolorum versu VII. *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant*. Plura alia id genus signa occurrunt in Vitis Sanctorum, quæ tamen, uti dixi, infallibilia minime sunt, uti variis etiam exemplis probari posset, quibus docemur, etiam datis signis liberationis, latitasse diabolum in homine obsesso. Sed de his alias.

III. An vero recte peti a dæmone possit signum exitus sui a corpore obsessi, respondet quidem Brognolus in Manuali Exorcistarum, Parte III. Cap. IV. supervacaneum esse hujusmodi signum a dæmone petere, quia scilicet dæmon est mendax, & pater mendacii, potestque, ac sæpe etiam solet lampadem longe distantem extinguere, vitrum frangere, Campanam pulsare, absque eo, quod ab Energumeni corpore egrediatur. Verum, uti observat Cardius, Brognoli opinioni, ejusque rationibus obstat usus Ecclesiæ, & Rituale nostrum Romanum, quod apertissime indicat infra §. XXIV. in Exorcismo posito ante Evangelia legenda super obsessum, signa liberationis peti recte posse a dæmone: *Præcipio tibi*, in quit Exorcismus, *quicumque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis &c. dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo &c.* Supponit itaque Exorcismus, quod, licet dæmon sit mendax, & fallax, raro tamen ita contingit, quando in signi petitione servatur modus ab Ecclesia præscriptus. Nam signum hoc petitur, non ut conducens ad expulsionem, sed ut expulsio in Nomine Christi sequuta, nobis manifestetur. Credendum namque est, quod Christus reliquit Ecclesiæ suæ potestatem ad expellendum dæmones a corporibus obsessis, non qualemcumque, sed manifestam, & consequenter ad postulandum, exigendumque signum, quo expulsio ipsa nobis innotescat. Et quamvis dæmon sit pater mendacii, quotiescumque tamen cogitur virtute Divina per Exorcismos Ecclesiæ, fallere nequit.

## §. VII.

Aliquando etiam dæmones ponunt quæcumque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat Exorcismis, vel conantur persuadere, infirmitatem esse naturalem. Interdum in medio Exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur.

## COMMENTARIUS.

I. MOnet idipsum Sacerdotale Romanum citato superius loco, sic inquiens: *Aliqui dæmones ponunt omnia impedimenta, quæ possunt, infirmo, ut se non faciat conjurare. Quidam conantur persuadere, quod sunt infirmitates naturales, & quod ista res est* una

*una trupha . Aliqui in medio conjurationis faciunt dormire infirmum, & ostendunt ei aliquam visionem Crucifixi, vel aliorum Sanctorum, subtrahendo se, ut stent secreti, & ostendant infirmum liberatum.* Sed, ut singula explicemus, sicuti quandoque infirmitas naturalis ab aliquibus judicatur supernaturalis, nempe quod sit invasio dæmonis; ita aliquando evenire potest, ut affectio vere dæmoniaca, videri possit infirmitas naturalis. In primo casu est illusio ægri sic volentis, fingentisve; in secundo vero est illusio dæmonis sic conantis, ut Exorcismorum remedio non succurratur patienti. Hoc itaque est unum ex impedimentis in §. nostro allatis, ex quibus induci potest obsessus ad non se Exorcismis subjiciendum. Verum, ut recte advertit Barrufaldus ad hunc nostrum §. peritus Exorcista hoc, & alia hujusmodi impedimenta, deceptionesque diaboli caute advertere debet; & regula generalis est, ut Præceptum tacitum ab ipso fiat supposito Energumeno, ut se manifestet; & velit, nolit, ad Exorcismos accedet, tanta est Exorcistæ in dæmonem potestas.

II. Porro unam esse ex præcipuis dæmonis astutiis, ut conetur persuadere Energumeno, infirmitatem suam esse naturalem, addiscimus ex Evangelio Matthæi, Capite XVII. ubi narratur, quod quidam Energumeni parens, accessit ad Christum genibus provolutus ante eum, dicens: *Domine, miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur.* Super quæ verba apposite Sanctus Petrus Chrysologus Sermone LII. de dæmoniaco surdo, & muto, sic inquit: *Aut humanæ naturæ, aut cælestis elementi dæmon, quod suæ artis fuerat, voluit videri, aptans Lunæ cursibus hominis passiones. Vexabat corpus lunaribus incrementis, ut esse Lunæ crederent, quod erat diaboli criminis, & furoris.* Loquitur & de hujusmodi dæmonis astutia antiquus Auctor Homiliarum, quæ S. Clementi tribuuntur, Homilia IX. num. 12. editionis Cotelerii, sic dicens: *Itaque per latentes in eorum animabus dæmones, datur illis*, scilicet obsessis, *intelligi, se non a dæmone vexari, sed a corporis morbo, exempli gratia, vel ab acri materia, vel a bile, vel a pituita, vel a nimio sanguine, vel ab inflammata cerebri membrana, vel ab alio quopiam.* Similia his docent plures Ecclesiæ Patres, ac Interpretes recitati superius loci ex Evangelio Sancti Matthæi, in quem etiam, ut alios omittam, Paschasius Rathbertus, Lib. VIII. super relata Evangelii verba illud notat, eum errorem spargi consuevisse a dæmone in vulgus: *Notandum*, ait, *quod Evangelista eum etiam juxta patris vocem, & æstimationem vulgi Lunaticum vocat, non quod a Luna aliquid pateretur molestiæ, qui spiritu vexabatur immundo, sed quia callidus hostis sic suis operabatur ludibriis in homine, juxta Lunæ cursum, ut ab ea pati æstimaretur a populo, quatenus per hoc Dei creatura, quæ bona creata est, atque hominibus perutilis, & necessaria, infirmaretur, ejusque infamiam ad Creatoris injuriam retorqueret.* Plura occurrunt in Vitis Sanctorum exempla huc spectantia, ac illud præsertim, quod legitur in Vita S.Stanislai Episcopi Cracoviensis apud Bollandianos die VII. Maji ubi inter alia refertur, quod intercessione ejusdem Sancti fuit liberatus *Energumenus a dæmone continuos cruciatus, molestias, dolores immensos, maxime vero increscente, & decrescente Luna, passus.*

III. Facilius Medicos hoc decipi errore, quam alios testatur idem Paschasius citato loco, sic subdens: *Unde de talibus loquuntur Medici quodcumque volunt, qui nec eos immundum habere spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem propter humorem cerebri in Lunæ cursu vitiatum, quia & Luna humidam habet naturam.* Sane sicut culpæ læthalis rei sunt Medici, qui, ut lucrum captent, vel ipsos dæmoniacos, veluti morbis corporalibus affectos curant, ita & Sacri Homines, qui pene omnes morbos naturales ad supernaturales referunt, obsessosque a dæmoniis judicant, qui aliquo naturali morbo affecti sunt. Jam nonnihil de hac re diximus nos supra in Commentario ad §. III. ubi etiam exemplum S.Philippi Nerii attulimus, quod refert in ejus Vita Bernabeus, quodque iterum describere hoc loco censemus juxta narrationem Antonii Gallonii in ejusdem Sancti Vita, ubi ad annum MDLXX. pag. 124. editionis Romanæ anni MDC. ita scribit: *Diligenter examinabat Philippus, quæ ab iis, qui pro energumenis habebantur, fieri cernebat; nec facile inducebatur ad credendum, quemquam a dæmonio vexari. Hinc quæ ejus rei fidem facere poterant, ad naturalia ferme principia referebat, utpote ad naturales ex atra bile morbos, ad uteri affectus, aut certe cerebri decrementum.*

IV. Alia demum dæmonum astutia in nostro §. notata, est quidem & illa, *quod interdum in medio Exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur.* Jam non desunt exempla, quibus probetur quod docet noster §. sacris visionibus scilicet, & somniis quandoque a dæmone vexari Energumenum, necnon imaginariis apparitionibus, per quas fit, ut æger sola Divina somniando, videatur Deo dilectus, & ab obsidente diabolo liberatus. Ista vexatio, ut ad ipsum §. notat Barrufaldus, eodem modo, quo aliæ, manifestari potest, si Exorcismi, & Præcepta fiant, quorum imperio parere dæmon tenetur.

## §. VIII.

Aliqui ostendunt factum maleficium, & a quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ Ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur.

## COMMENTARIUS.

I. Concinit & huic nostro §. quod jam olim admonuit Romanum Sacerdotale, Parte III. Cap. VIII. ubi sic inquit: *Aliqui, dæmones scilicet, ostendunt maleficium factum super ipsum, & authores maleficii, & modum ad illud dissipandum. Sed sit cautus Exor-*

*Exorcista, ne faciat aliquam superstitionem*. Porro dupliciter homines vexantur a dæmone, seu obsidentur, vel immediate per ipsum, vel mediante maleficio, quod nihil aliud est, quam facultas, qua quis ope dæmonis alteri damnum parat. Teste S. Bonaventura in Libri IV. Sententiarum Distinctionem XXIV. Quæstione II. in Corpore, non defuerunt, qui dicerent, *quod maleficium nihil erat in mundo, nec alicujus vis, nisi in sola æstimatione hominum, qui multos naturales defectus attribuunt maleficiis dæmonum propter defectum Fidei*. Verum hanc opinionem egregie idem S. Doctor confutat, ita statim subjiciens: *Sed ista positio derogat Juri, & derogat opinioni vulgi, &, quod majus est, experimento & ideo non habet stabilitatem*. Atque hæc est sententia, quam etiam docuerat S. Thomas ibidem, Quæstione I. Articulo III. in Corpore, quamque sequuti sunt omnes Theologi, novissime vero eruditus Cardius in suo ad hunc nostrum §. Commentario, ubi late exponit recitatam S. Bonaventuræ doctrinam.

II. Ergo contraria opinio derogat Juri, & quidem in primis Divino, quod prohibet ad magos, & veneficos accedere. Si enim non darentur hujusmodi homines, qui maleficiis auxilio dæmonis in aliorum hominum perniciem uterentur, jam frustra diceretur Levitici, Capite XIX. versu XXXI. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini*. Et Capite XX. versu VI. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui*. Et Deuteronomii Cap. XVIII. versu X. & XII. *Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscietur, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones consulat...., omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu suo*. Adversari præterea eam opinionem Juri Canonico, & Civili, constat ex pœnis, quas utrumque Jus ipsum statuit adversus maleficos. Præter excommunicationem in variis Conciliis inflictam, ex Concilio Ancyrano, Can. XXIII. maleficia exercentes pœnitere per quinquennium debent; quinimo ex Concilio Illiberritano Can. VI. maleficus occidens aliquem maleficio, neque in fine vitæ recipi ad communionem poterat. Nunc vero Innocentius Papa VIII. in Constitutione I. quæ incipit, *Summis*, statuit, hujusmodi maleficos esse puniendos per Inquisitores; & Gregorius XV. Constitutione XLVI. quæ incipit, *Omnipotentis*, decrevit quidem, si ex maleficio sequatur mors, maleficum Curiæ sæculari tradendum; si vero mors non sequatur, sed vel infirmitas, vel divortium, vel impotentia generandi, vel damnum in frugibus, vel aliis rebus, muro perpetuo in Carcere Sancti Officii esse claudendum maleficum. Jure tandem civili sortilegi, & multo magis magiæ superstitiosæ rei pœnam non modo publicationis bonorum, sed & ultimi supplicii etiam aliquando per ignem inferendi incurrunt, ex Lege, *Nullus* III. & Lege, *Nemo* V. Cod. *De maleficis*.

III. Derogat secundo contraria illa opinio *opinioni vulgi*, idest, communi, *& experimento*, quod innumeris exemplis comprobari posset, ex quibus docemur, non modo dari maleficos, sed triplex etiam maleficii genus, nempe *Somnificum*, seu *Soporiferum*, *Amatorium*, *Hostile*. Primum est, cum magi, vel sortilegi, & sagæ aliqua potione, malo carmine, & certis ritibus soporant, ut interea ope dæmonis aliquod damnum homini afferatur. Secundum est illud, quo aliquis in amorem impudicum sui, vel alterius incendit, & ad parendum libidini inflectit. Tertium est, cum magus, aut sortilegus bonis animi, aut corporis, vel fortunæ damnum infert. Varias quæstiones de hujusmodi maleficiis legere est apud Theologos passim, nonnulla vera selecta exempla apud Cardium loco citato, ex quibus liquido constat, dari maleficos, & memoratum triplex maleficii genus, Soporiferum scilicet, Amatorium, & Hostile.

IV. His ergo omissis, ut ad nostrum §. redeam, spectat hic quidem ad ipsos Energumenos, seu a diabolo obsessos, quorum *aliqui ostendunt factum maleficium, & a quibus sit factum, & modum ad ipsum dissipandum &c.* Sed notandum tamen hoc loco primum, nequaquam maleficiato licere, si sui compos est, de proximo suo judicare in particulari, quod ei maleficium fecerit, etiamsi aliqua indicia haberet; facile enim tentaretur a diabolo, ut pro vindicta aliquod malum cogitaret, & tale judicium ejus liberationi obesset. Judicare potius hoc unum debet, ejus malum a dæmone excitari, permittente Deo; imo si vexatus certo etiam personam maleficam noverit, nihil adhuc de hoc curare debet, quia si perfecte contra dæmonem munitus fuerit, maleficus nihil amplius mali poterit ei inferre; & Ecclesiæ auctoritas potestatem habet ad omne maleficium dissolvendum. Hinc recte admonet noster §. cavendum esse Energumeno, seu maleficiato, ut maleficium illi illatum dissipetur, ad magos, vel sagas potius confugere, quam ad Ecclesiæ Ministros. Id enim nunquam licere, & grave peccatum esse, Sacræ Paginæ passim docent, ac illa præsertim Sacræ Scripturæ loca, quæ supra num. II. hujus Commentarii descripsimus; in quibus cum gravissima interminatione prohibet Deus, maleficos, vel etiam cujuscumque generis divinos, seu ariolos, cujuscumque commodi, vel necessitatis causa, consulere. Rationem vero addit Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Capite X. dicens: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*. Et in II. Epistola ad eosdem Corinthios, Cap. VI. *Quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial?* Quæ sententiæ docent, omnem prorsus societatem homini cum diabolo conjurato humani generis hoste interdictam, illicitam, & fugiendam ab eo esse omnino.

V. Peccant itaque non modo malefici ipsi, & quicumque alii artes magicas exercent, quemadmodum inter alios solide ostendit Estius in Libri II. Sententiarum Distinctionem VII. verum etiam, ut idem Auctor demonstrat in Libri IV. Distinctionem XXXIV. §. VI. quicumque maleficos, divinos, ariolos, aruspices, incantatores, & quidquid est hujus generis, consulunt, sive ad inferenda nocumenta, sive ad eadem avertenda, vel depellenda, sive ad consequenda beneficia. Hoc enim qui faciunt, eo modo per hominem contrahunt societatem cum dæmone, quomodo fit, ut homo cum homine per Epistolam, vel nuncium, vel interpretem societatem ineat. Non enim interest, quoad hoc peccati genus, utrumne immediate per se, an vero mediate per hominem magum, quis cum dæmone consocietur, cum sit utrobique vera cum dæmone

ne

ne societas, quæ etsi pejor sit, cæteris paribus, immediata, quam mediata, utrumque tamen suo genere valde grave est, & horrendum, & execrabile peccatum, utpote Religioni contrarium, & ad apostasiam, idest, ad defectionem a Deo ad diabolum divini honoris æmulum pertinens, id quod plenius laudatus Estius demonstrat, ac alii etiam Theologi in citatam Distinctionem VII. Libri II. Sententiarum.

VI. Ex quibus patet, in quanto salutis suæ discrimine versentur, qui cum reprobo Saul, uti legitur Lib. I. Regum, Cap. XXVIII. & cum impio Ochozia, uti Lib. IV. Regum, Cap. I. habetur, sive de rebus occultis, sive de futuris eventibus, diaboli ministros consulunt. Quo in numero sunt haud dubie, qui pro rebus amissis, aut ablatis, ad maleficos homines accedunt, & qui maleficia maleficiis pellunt, aut pelli procurant, ut & illi, qui fortunam suam, ut loquuntur, manibus ad inspectandum datis, explorant, & qui numeros ludi sortis, quem *lotto* appellant, malis artibus accipere, aut dare procurant. De toto hoc genere apud Gratianum in Capite, *Non observetis*, Causa XXVI. Quæstione VII. legitur ad hunc modum: *Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, & interrogant, sciant se Fidem Christianam, & Baptismum prævaricasse, & ut paganum, & apostatam, & Dei inimicum iram Dei graviter in æternum incurrisse, nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur.* Item in Quæstione V. ex Ancyrani Concilii Canone XXIII. sic legitur: *Qui divinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, vel in domos suas bujusmodi homines introducunt, exquirentes aliquod arte magica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos*. Rursus apud eundem Gratianum Quæstione proxime citata per complures Canones sub gravissimis pœnis anathematis, atque aliis, prohibetur tam Clericis, quam Laicis, ne damnatas artes exercentibus ullo modo credant, aut eos consulant. Peccati vero gravitatem ostendit Sanctus Augustinus Lib. II. *De Doctrina Christiana*, Cap. XXXIII. & in Expositione Psalmi LVII.

VII. Circa hactenus dicta nunc nobis refutanda est falsa quorundam opinio, qui ajunt, non esse illicitum, siquis ad tollendum maleficium, vel ad consequendum quodcumque beneficium, utatur opera malefici, seu divini, seu incantatoris, dummodo sua is sponte paratus sit ad tale quid præstandum; idest, si consulat eum non rogando, neque inducendo eum, ut faciat, sed malo ejus in suum commodum utendo, si lubens faciat. Quam opinionem probari putant a simili, quia licet pecuniam ad usuram accipere ab eo, qui ad usuram dare paratus est. Licet quoque jusjurandum suscipere ab eo, quem scimus per falsos Deos juraturum. Item licet uti opera mali Sacerdotis in recipiendis Sacramentis, quem tamen non dubitamus in eorum administratione graviter peccare. Licet etiam uti mercenariis Verbi Divini Ministris, idest, iis, qui vel quæstum, vel inanem gloriam in ejus ministerio principaliter spectant, de quibus Apostolus in Epistola ad Philippenses Cap. I. versu XVIII. ita inquit: *Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Ex quibus, ut inquiunt, consequi videtur, quod similiter incantatoris, magique, sagæve parata ad malum voluntate uti liceat ad utilitatem nostram, & nominatim ad maleficium dissipandum.

VIII. Verum hæc opinio quamvis Auctores suos habeat Aurelium in Libri IV. Sententiarum Distinctionem XXXIV. & Angelum in Summa, verbo, *Superstitio*, sine dubio tamen falsa est, & erronea; uti ex Scripturis, & Sacris Canonibus supracitatis clarissime patet, ubi generaliter agitur de iis, qui maleficos, ac divinos consulunt, sive inducendo involuntarios, sive interrogando voluntarios; præsertim cum id genus homines plerumque sint ad hoc opus voluntarii, tum propter quæstum, quem inde percipiunt, tum quod diabolo se addixerunt; id quod Sacrorum Canonum Auctores ita generaliter loquentes, minime ignoraverunt. Cæterum ad argumentum contrariæ opinionis superius objectum facilis est responsio; nempe quæ pro similibus allata sunt, non esse similia. Ut enim scite notat Estius citato superius loco §. VII. ubi falsam opinionem confutat, sunt quædam opera ita mala, ut recte fieri nequeant; alia vero sunt, quæ, & male, & bene fieri possunt; in quo genere sunt, jurare, mutuum dare, Sacramenta administrare, Verbum Dei prædicare. Hæc enim cum per se bona sint, male fiunt, si juret quis per falsos Deos, si mutuum det cum pacto recipiendi aliquid ultra sortem, si quodcumque opus per se bonum prava intentione corrumpat. In priori autem genere est maleficium, & divinatio, & horum consultatio, atque omnino quæcumque societas cum dæmone, ut quam per se malam jam esse ostendimus. Licet ergo, ubi justa est necessitas, aut utilitas, id ab alio petere, atque in id consentire, quod ab eo recte fieri potest, nempe, ut juret, aut mutuum det &c. tametsi sciamus, eum id non recte facturum. Non licet autem petere, vel consentire, ut id faciat aliquis, quod ab eo recte fieri nequit, etiamsi sit ad id faciendum paratissimus, cujusmodi sunt effectus maleficiorum, & prædictio futurorum, quia secundum Apostolum in Epistola I. ad Romanos, Capite I. *digni sunt morte non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

IX. Sed ut quæ diximus aliquo etiam roboremus exemplo, memorabile est illud, quod refert S. Gregorius Lib. I. Dialogorum, Cap. X. de quadam muliere energumena, *quam propinqui sui carnaliter amantes, & amando persequentes, ad obtinendum salutis remedium, maleficis tradiderunt, ut ejus animam funditus extinguerent, cujus carni magicis artibus ad tempus prodesse conarentur. Ducta est itaque ad fluvium, atque in aquam immersa, ibique diutius incantationibus agere malefici moliebantur, ut is, qui eam invaserat, diabolus exiret, sed miro omnipotenti Dei judicio, dum arte perversa unus ab ea repellitur, in eam subito legio intravit. Cœpit ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus, clamoribusque perstrepere, quot spiritibus tenebatur*. Hæc postea ad Martyris S. Sebastiani Reliquias liberata est. Cæterum ut videas, non solum majus malum evenire posse homini ipsi a dæmone obsesso, verum etiam interdum illi, qui maleficum adit, ut maleficiatum a maleficio liberet, ecce & hic aliud exemplum, quod legitur in Vita Sancti Joannis Gualberti,

Par-

Parte v. Miraculorum ejus, apud Bollandianos ad diem XII. mensis Julii: *Ex oppido Lancisa, quod in Arni superioris Valle situm est, quemdam non infimo loco natum, captum a dæmonio venisse ad hoc S. Mariæ Monasterium, multis comitantibus, vidimus. Forte tunc quidam, cui Zanobio nomen erat, supervenit.... qui quidem affinium hujus invasi a dæmone precibus compulsus, quemdam necromantem virum malignum, & dolis plenum, Nepum nomine, ob consilia inquirenda ab ipso, quid in hoc homine agendum esset, adiverat. Cui, quia ea, quæ nefaria sunt, agere tentaverat, diabolica videlicet potius, quam Divina, inquirere auxilia, mirum, stupendumque malum accidit in vespere. Nam dum uno in loco, in hospitali conscenderent ambo, ipse scilicet a dæmone invasus, illic brevi intervallo dato.... se se paululum dans quieti, caput inter genua posuit, at paulo post experrectus*, Deo gratias, *inquit*, convalui. *E contra Zanobius ille, qui Nepum adiverat, ab eodem correptus dæmone, insanire, bacchari, furere cœpit.*

X. Sunt tamen ejus opinionis nonnulli, licere quidem ad maleficum confugere, vel ipsum cogere, ut maleficium tollat, quando probabiliter creditur, illum sine maleficio, modo aliquo licito id facere posse, sive quandocumque non adest moralis certitudo, quod utatur modo illicito. Tenet & hanc sententiam inter alios Cardius ad hunc nostrum §. num. XLI. ea nixus ratione, *quia sic confugiens utitur jure suo, & inducit magum ad id, quod facere tenetur, & sine peccato, si velit, potest facere*. Advertit tamen sequenti num. XLII. cum Natali Alexandro in Theologia Dogmatica, & Morali, *De Decalogo*, Articulo XIV. Regula XXVI. quod ille, qui confugit ad talem maleficum, debet expresse protestari, se nihil commune cum diabolo habere velle, nolleque ejus opera sanitatem consequi, & omni pacto renunciare. Cum ergo is, qui maleficii auctor esse creditur, compellitur, aut rogatur, ut maleficium tollat, aut ipse, aut alius ad sanandum maleficiatum paratus occurrit, ab eo quærendum est, quo remedio sit usurus. Si dicere nolit, non est utendum ejus opera, quia hoc ipso satis indicat, se usurum remedio illicito; si vero indicet, remedium consideret, qui petit, si satis prudens, & doctus est, an sit licitum, nec ne. Si non est idoneus judex, peritiores interroget; si dubitet, an sit remedium naturale, adeat medicos; si dubitet, an sit remedium Divinum, quærat a Theologis. Si sacrum remedium esse dicant, qui sanitatem ægroto ex maleficio pollicentur, respondeat, satius esse, ut a Sacerdote applicetur, si re vera sacrum sit, & ab Ecclesia approbatum. Si dicant, non profuturum, nisi ipsi adhibuerint, indicium est, adhibituros ex pacto convento. Illud itaque Christianus repudiet, ac rejiciat.

XI. Ita plane docet laudatus Natalis Alexander, sed recte subjungit memoratus Cardius num. XLIII. semper tamen utilius, ac securius esse, uti remediis ab Ecclesia præscriptis, Ecclesiasticisque Ministris, ut ait hic noster §. & docet Canon, *Si per sortiarias*, Causa XXXIII. Quæstione I. qui loquens de conjugatis maleficio affectis, hæc pro eorum salute remedia præscribit: *Hortandi sunt*, ait, *quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis Domino satisfaciant, & per Exorcismos, ac cætera Ecclesiastica medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus, Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent*. Quod pari ratione de aliis maleficiis dicendum est. Utilitatem porro hujus moniti experta fuit inter alias, *quædam nobilis generis mulier, cujus filium cum possideret dæmon, aliis nonnullis mediis frustra tentatis, adhibuit ipsa omnium vanissimum, magicas scilicet incantationes, quas etiam frustra experta mater, & facti pœnitens, ad Sepulchrum S. Eneconis obtinuit facillime quod per humanas, vel diabolicas artes frustra quæsierat.*. Uti legitur in Vita prædicti S. Abbatis Cap. VII. penes Bollandianos ad diem I. mensis Junii.

## §. IX.

Quandoque diabolus infirmum quiescere, & suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur.

## COMMENTARIUS.

I. Alludit plane ad hunc nostrum §. Liber Sacerdotalis, Parte III. Cap. VIII. ubi ait, non mirandum, *si diabolus in susceptione Sacramenti Eucharistiæ per dæmoniacum non conturbetur, quia postquam intravit, paulatim despicit, & non timet Sancta, imo loquitur mysteria Fidei Sanctæ, & confitetur Divinam Majestatem*. Atque hæc est quidem alia diaboli fraus obsessum in suis puris naturalibus relinquere, & animum illius inducere ad pia opera, & quod majus est, ad suscipiendam Eucharistiam, ut sic Exorcistæ appareat energumenus ab omni diaboli infestatione liber, si prompte, & ex corde accedit ad rem tantæ dignitatis, & sanctitatis, ut recte exponit ad hunc Romani Ritualis §. Barrufaldus, num. 41. Sed tamen fateri cogimur, conari frequenter dæmones, ne energumeni ad Sacram Communionem accedant. Certe in Vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani apud Bollandianos die VI. Aprilis legitur, quamdam puellam a dæmone arreptam non potuisse Eucharistiam percipere, sed cum illa accipienda erat, magno timore, & tremore corripi, exclamare, ac tristari consuevisse. Varia id genus exempla occurrunt passim in Vitis Sanctorum, legiturque in Constitutione Innocentii Papæ III. qua Sanctorum Catalogo adscripsit S. Homobonum Cremonensem anno MCXCVIII., quod, *dum quædam mulier dæmoniaca ad Sepulchrum ejus deducta fuisset, Eucharistiam abhorruit, nec recepit, quæ & meritis ejusdem Sancti liberata est.*

II. Di-

II. Dignum porro notatu in hac re exemplum est illud, quod narratur in Vita S. Udalrici, Capite IV. die IV. Julii, apud citatos Bollandianos: *Cum quidam immundo spiritu possessus adduceretur, ut præ ejus ereptione ad januam divinæ misericordiæ pulsaret, Jesu Christi famulus*, Udalricus scilicet, *exoratur. Victus itaque tam supplicantium prece, quam miseri hominis vexatione, Salvatori nostro vivificatricem Passionis suæ Hostiam pro illo immolaturus ad Altare accessit, perceptaque Sacrosancta Communione, arreptitium, ut & ipse salutare Sacramentum sumeret, adduci præcepit. Sed sævissimus inimicus, tanta fortitudine, ne adduceretur, reniti cœpit, ut illum tam Viri præsentiam, quam Sacram Hostiam exhorrere patenter intelligeres*. Atque hinc nunc nota admirandum factum, non vero imitandum: *Sed ore illius vi aperto, dandi Eucharistiam locum dedit; qua data, de manibus se tenentium erupit infelix homo cum terribili insania; sed dum coactus subsisteret, superna gratia largiente, & B. Udalrici oratione suffragante, inimicus fugatur*. Porro quod Energumenis, tum apud Orientales, tum apud Occidentales Eucharistia non concederetur olim, nisi in ultima vitæ periodo; sed multis ab hinc Sæculis in utraque Ecclesia, Græca scilicet, ac Latina, iis dispensetur, qui fruuntur lucidis intervallis, ostendit plane inter alios eruditos Theologos Gaspar Jueninus in suo celebri Opere *De Sacramentis*, Dissertatione IV. Quæstione VI. Cap. II. Videsis quæ de Communione Energumenorum dicemus nos infra in nostro ad §. XIII. Commentario.

## §. X.

Denique innumerabiles sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

## COMMENTARIUS.

I. INnumerabiles esse artes, fraudesque diaboli ad hominem decipiendum, fatentur passim Sancti Ecclesiæ Patres. Ut itaque circa has magis magisque cautus reddatur Exorcista, necesse plane est, ut sciat, quid possit diabolus facere, sed ut easdem plene valeat advertere insidias, atque omnino confringere, necesse est quidem, ut ipse Exorcista Deum exoret, juxta monitum S. Antonii Abbatis, qui, ut in ejus Vita S. Athanasius refert, ita ad rem inquit: *Multis precibus, atque exercitatione est opus, ut accepto quis Spiritus dono discernendi spiritus, horum naturas nosse possit*. Et mox: *Multi enim illorum sunt doli, multæ insidiæ*. Sed de his jam alibi diximus, dicemusque inferius, ubi se se nobis præbebit occasio.

## §. XI.

Quare memor, Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium, Matthæi XVII. hæc duo potissimum remedia ad impetrandum Divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

## COMMENTARIUS.

I. ENergumenus ille apud Matthæum, Capite XVII. cujus meminit hic noster §. fuit quidam Lunaticus, cujus genitor accessit ad Jesum, *genibus provolutus ante eum dicens: Domine, miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam; & obtuli eum Discipulis tuis, & non potuerunt curare eum*. Tum paucis interjectis, ait Evangelista, quod *increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora*. Pergit Evangelista, & ait, quod cum accessissent deinde Discipuli ad Jesum secreto, & ei dixissent, *Quare nos non potuimus ejicere illum?* responderit inter alia Jesus: *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*. Quibus ex verbis orta est inter Interpretes Quæstio, num scilicet Christus Dominus istud Oraculum de quibusdam dæmoniis protulerit, an vero de omnibus. Et quidem, quod Christi dictum intelligendum sit de omnibus omnino dæmoniis, non obscure innuit S. Hieronymus, qui ita locum illum exponit: *Dum docet, quomodo nequissimus dæmon possit expelli, omnes instituit ad vitam*. Ubi de omnibus indiscriminatim loqui videtur S. Doctor, sicut & alii Ecclesiæ Patres, inter quos Auctor Operis impefecti Homilia LVIII. in recitatum Matthæi locum expressius loquitur, dum ait, quod *universum dæmonum genus, non Lunaticorum solummodo intellexerit*. Cui consonat Euthymius in Commentariis ad IV. Evangelia, Cap. XXXV. inquiens: *Genus dæmoniorum omnium non alio modo egreditur, nisi per orationem, & jejunium*. Et Victor Antiochenus ad Caput IX. Marci: *Per duo hæc*, ait, *asserit Dominus, omne dæmoniorum genus profligari posse*.

II. Sed non desunt Expositores, qui ajunt, Christum Dominum per illa verba, *Hoc genus dæmoniorum &c.* intellexisse quædam dæmonia cæteris sæviora. Hujus plane opinionis est inter alios S. Leo Magnus in Sermone II. *De jejunio septimi mensis*, Cap. II. ubi sic ait: *In agone certaminis Christiani utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam sævissimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus, nullis Exorcizantium fugantur imperiis, sola jejunorum, & ora-*

*orationum virtute pellantur, dicente Domino.* Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio & oratione. *Grata ergo est Deo, & terribilis diabolo, jejunantis oratio &c.* Huic interpretationi consentire videtur & hic noster §. dum ait, *genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*. Siquis autem hic roget, quodnam sit hoc genus dæmoniorum, quod per orationem, & jejunium ejiciatur, docet Maldonatus in laudatum Evangelii S. Matthæi locum, num. 21. & dicit, debere intelligi dæmoniorum illorum genus, qui diu hominem possederint, ac si difficilius sit inveteratos, quam recentes curare morbos; nam per longam, & imperturbatam mansionem fiunt dæmonia ista obstinatissima, & ferocissima.

III. Quidquid autem de hisce interpetationibus sit, recte subdit noster §. mandatque Exorcistæ, *ut hæc duo potissimum remedia*, jejunium nempe, & orationem, *ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi*. Id expresse passim Sancti Patres recitato superius Christi Oraculo edocti tradiderunt; inter quos S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De summo bono*, Cap. XLIV. sic habet: *Jejunia fortia tela sunt adversus tentamenta dæmoniorum, cito enim per abstinentiam devincuntur. Unde etiam Dominus, & Salvator noster eorum incursus jejuniis, & orationibus præmonet superare, dicens: Hoc genus &c.* Neque vero his officit *paucorum quorundam, qui citra jejunium dæmonia ejecerunt, exemplum*; nam respondet Victor Antiochenus ad Caput IX. Evangelii Sancti Marci, ubi eam sibi objectionem proposuit, quod, *etsi de uno forsan, aut altero malignos dæmones increpante, aut profligante vere istud asseri queat, attamen dæmonum vim patientes... citra jejunium ab ea insania quandoque liberari, quodamodo impossibile est*. Cui consonat Auctor Operis imperfecti in Homilia LVIII. in Matthæum, sic inquiens: *Nec mihi ea, quæ rara sunt, dicas, quod scilicet absque jejunio ejecti dæmones aliquando fuerint; si enim unus, aut alter sic expulit, impossibile tamen est, si quis id patitur, & in deliciis vivit, ab hoc furore liberari. Hujusmodi enim morbo laborantibus jejunio maxime opus est*. Qui Auctor aliam sibi difficultatem proponens, sic eam ad nostram rem solvit: *Sed si fide opus est, inquiens, cur jejunare opus est? Quia una cum fide non parvas vires affert jejunium*.

IV. Siquis vero hic iterum quærat, quisnam orare, ac jejunare debeat, is ne qui exorcizat, an vero obsessus qui exorcizatur? Sunt enim qui putant, Christum loco citato significare voluisse, eum a quo dæmon pellendus est, jejunare debere, alii Exorcistam, & alii tandem utrumque. Huic postremæ sententiæ suffragatur quidem hic noster §. ubi ait, mandatque Exorcistæ, *ut hæc duo potissimum remedia*, orationem scilicet, & jejunium, *ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quod ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios, curet adhiberi*. Non tantum itaque Exorcista se munire jejunio debet, sed etiam ipse Energumenus, uti expresse Christi dictum exponit Euthymius citato superius loco his verbis: *Genus dæmoniorum omnium non alio modo egreditur, nisi per orationem, & jejunium, non solum ejus qui sanat, sed ejus etiam qui patitur*. Sane quod admonendus sit obsessus, *si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet*, expresse edicit nostrum hoc Rituale Romanum infra §. XIII. Quod vero præsentem hunc §. spectat, mandat is quidem, ut Exorcista ad liberandum Energumenum, orationem, ac jejunium, tum per se, tum per alios curet adhiberi, præsertim vero per ejusdem propinquos, exemplo S. Irenes Virginis, quæ, uti legitur in ejus Vita, Cap. V. apud Bollandianos die XXVIII. Julii, omnibus suis Monialibus rigorosum præcepit jejunium, ut suam discipulam a dæmonis vexatione liberaret. Atque huc facit, quod legitur de obsessa a dæmonio liberata a S. Auxentio in ejusdem Vita, Capite II. apud eosdem Bollandianos die XIV. Februarii: *Cum itaque una hebdomada jussisset puellam cum parentibus precatione armatis, & jejunio, & ipsam sanam restituisset, dimisit eos in pace*.

V. Cæterum puto equidem, Christum Dominum per ea verba, Matthæi XVII. *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*, loquutum potissimum fuisse de oratione, ac jejunio adhibendo per Exorcistam. Docet enim suos, quemadmodum genus ipsum dæmoniorum ejicere debeant, cum ipsi id facere nequivissent, dicentes ibidem versu XVIII. *Quare nos non potuimus ejicere illum*? Hinc Sacerdotale Brixiense in Regulis Exorcistarum, Distinctione X. Capite XXVII. num. I. triduanum jejunium præscribit Sacerdoti ad se præparandum huic ministerio, eo quia cum callidissimo, & potentissimo hoste initurus est prælium. At vero S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Constitutionum Parte II. Capite inscripto, *Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta communiter pertinent*, totum jejunium Exorcistæ ad diem unum restringit, sic inquiens: *Pridie illius diei, quo alicui Exorcismum adhibere incœperit, se jejunio, & oratione præparare studeat*. Idem monitum legere est quoque in multis aliis variorum Episcoporum Synodis Provincialibus, & Diœcesanis.

## §. XII.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum, & honestum locum seorsum a multitudine, perductus Energumenus exorcizetur; sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta causa, in domo privata exorcizari poterit.

## COMMENTARIUS.

I. VEtus, ac probata est Patrum disciplina, ut Energumeni exorcizandi ad Ecclesiam ducerentur, ejusque testem habemus S. Joannem Chrysostomum, qui Homilia III. *De incomprehensibili Dei natura*, versus finem ita inquit: *Agitatos quoque... Diaconus tem-*

*tempore illo*, nempe Sacrificii, *adducit*, *& jubet caput inclinare*. *Cum eos una cum Fratribus orare non liceat*, *adducit eos*, *ut tu miseratus*, *& quia tam acerbe vexantur*, *& quia vocem reddere nequeunt*, *tua facultate ad eorum utaris defensionem*, *& auxilium*. Veteri quidem disciplinæ inhæsit S. Carolus, ubi citato superius loco Concilii IV. Provincialis Mediolanensis sic inter alia statuit: *Ne in ædibus laicalibus*, *locisve privatis*, *sed in Ecclesia*, *loco aperto*, *& conspicuo*, *neque in omni quavis Ecclesia*, *sed in iis solum*, *quas certas Episcopus statuerit*. His plane concinunt variarum Ecclesiarum Concilia, ac Ritualia, præsertim vero Sacerdotale Romanum, Parte III. Capite IX. ubi ait, *ut si persona dæmoniaca*, *vel maleficiata est sana*, *ducatur ad Ecclesiam*, *quia ibi facilius obtinebitur victoria*. Atque hæc est disciplina, quam adeo observandam præcipit Ecclesia Romana, ut nec etiam Moniales in Monasteriis, sed in Ecclesiis exorcizandas velit, si sint a dæmone obsessæ. Decretum Sacræ Congregationis eam in rem refert Lezana, Tomo II. verbo, *Clausura*, num. 28. & ex eo Cardius ad hunc nostrum §. num. 1. *Monialis nulla energumena infra Monasterii septa a quocumque Presbytero Sæculari*, *vel Regulari*, *etiam Confessario exorcizetur*, *sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem Monasterii*, *obtenta prius a Sacra Congregatione licentia*, *ea de causa deducatur*, *vel transferatur*. *In translatione autem hujusmodi*, *sicut & in actu exorcizationis*, *honestæ personæ consanguineæ*, *vel aliæ mulieres provectæ ætatis*, *& probæ conversationis energumenam comitentur*. *Exorcista sit ad actum hujusmodi ab Ordinario approbatus*. *Exorcizatio minori quo poterit fiat strepitu*. *Ecclesiæ janua eo usque occlusa remaneat*, *quousque Exorcizatione completa*, *ad Monasterium energumena reducatur*. *Cæterum*, *tam in reditu*, *quam in accessu ad Ecclesiam*, *& ad Monasterium respective*, *recte*, *& sine diverticulo tendatur*.

II. Standum huic Decreto non esse, contendit quidem Sebastianus a S. Joachim, Auctor Tractatus, *De Adjuratione*, in Theologia Moralium Salmanticensium, cujus tamen rationes, & argumenta confutavit laudatus Cardius, num. 11. & seqq. Sed relictis Monialibus, notandum est nobis, quod ait noster §. nempe perductum energumenum ad Ecclesiam, *seorsim a multitudine* exorcizandum esse. Si veterem disciplinam spectemus, varia quidem hanc in rem illa antiquitus fuit. S. Chrysostomi ævo exorcizari consuevisse energumenum in Ecclesia, colligitur ex ejus verbis supra relatis; ibi enim loquitur de efficacia Orationis communis tempore Sacrificii. Quod idem colligitur ex S. Prospero, sive ex antiquo Auctore Libri, *De Prædictionibus*, *& Promissionibus*, Parte IV. Cap. VI. ubi narrat, puellam in Ecclesia coram mulitudine fuisse a dæmone liberatam. Sed hæc disciplina, alicubi saltem, variata etiam antiquitus fuit, uti nos docet S. Martini exemplum, de quo Severus Sulpitius in Dialogo ejus Vitæ, Cap. VI. ita scribit: *Si quando exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset .... admotis energumenis*, *cæteros jubebat abscedere*, *ac foribus obseratis*, *in medio Ecclesiæ*, *cilicio circumtectus*, *cinere respersus*, *solo stratus orabat &c.* Quod exemplum sequutus est B. Ambrosius Sansedonius, ut legitur in ejus Vita penes Bollandianos die XX. Martii. Cum enim ad eum accessisset energumenus, *percontatus est Vir Dei*, *an Populus adhuc in Ecclesia esset*. *Postquam jussu Fratrum Populus de Ecclesia recessit*, *intra Sacristiam dæmoniacus introductus est &c.* Afferri & aliæ exempla possunt, quibus inhærens S. Carolus memorato superius Provincialis Mediolanensis Concilii loco, ita statuit: *Neque in conspectu multitudinis*, *non remotis tamen arbitris*, *sed præsentibus Viris honestis*, *atque ætate gravibus*, *in iisque uno saltem*, *vel duobus Ecclesiasticis*.

III. Idipsum præscribunt variæ Synodi, ac Rituales variarum Ecclesiarum Codices, rationesque hujus disciplinæ, quam & hic noster §. statuit, variæ sunt. Nam primo dæmones valde cupiunt numerum adstantium habere, ut multa vana, & plura mendacia, ac subtiles deceptiones ipsis spectatoribus infundant, ac quædam etiam superstitiosa, sub prætextu devotionis, & pietatis persuadeant. Secundo, ut occulta crimina in proximorum injuriam revelent, ut sæpe facere consueverunt, uti varia exempla nos docent, præsertim illud, quod extat in Vita S. Norberti Archiepiscopi Magdeburgensis, & Fundatoris Ordinis Præmonstratensis, Capite XI. apud memoratos toties Bollandianos die VI. Junii, ubi narratur, quod cum adductus fuisset energumenus ad S. Virum, cumque *circumstarent*, *& Clerus*, *& Populus*, *alii ob curiositatem*, *alii propter pietatem*, *pessimus dæmon per os invasi hominis*, *multorum pessimam vitam*, *& adulteria*, *& fornicationes cœpit detegere*, *& quidquid Confessione tectum non erat*, *malitioso ejus ore detegebatur*. *Hæc audientes cœperunt omnes hac illacque diffugere*, *paucis cum Patre Norberto remanentibus*. Tertio tandem conantur dæmones ipsi pravas cogitationes excitare, fingunt se quosdam de adstantibus metuere tanquam Sanctos, ut vanæ gloriæ peccatum incurrant. Quæ omnia vitanda sunt ab Exorcista, qui pati non debet, ut coram multitudine Exorcizatio peragatur, ne & se periculo inanis gloriæ, quam cavere penitus debet, exponat.

IV. Hinc minime adhærendum est Hieronymi Menghi opinioni, qui in Libro, quem inscripsit, *Flagellum dæmonum*, Documento IV. adstantium multitudinem admittendam ait. Quamvis enim, ut ipse asserit, Christus præsente turba dæmoniacos sanaret, & idem fecerint plures Sancti Viri, tamen, ut recte notat accuratus Cardius ad hunc nostrum §. num. X. Christus impedire poterat per suam virtutem prædicta incommoda, nec in ipsum inanis gloriæ spiritus cadere poterat, & Sancti poterant ob uberem gratiam a Deo acceptam. Quare nostro Rituali omnino obtemperandum est, & S. Caroli monito superius descripto. Cæterum quod in nostro §. subjicitur, ut, si exorcizandus fuerit *ægrotus*, *vel persona nobilis*, *vel alia honesta de causa*, *in domo privata exorcizari possit*. Atque his quidem concinit Sacerdotale Romanum loco citato, ubi postquam dixit, ut, *si persona dæmoniaca*, *vel maleficiata est sana*, *ducatur ad Ecclesiam*, *quia ibi facilius obtinebitur victoria*, ita statim subdit: *Et si fuerit infirma*, *vel multum debilis*, *conjuretur in domo*. Porro ubi exorcizatio domi fiat, si scilicet exorcizandus nobilis sit, vel infirmus, curare debet Exorcista, ut in aliquo domus Oratorio, si extet, vel saltem ante

ante Imaginem Christi Domini, ac Beatissimæ Virginis munere suo fungatur, ut ex Sacerdotali Brixiensi tradit ad hunc nostrum §. Barrufaldus, n.52. cui & alii Rituales Codices concinunt.

## §. XIII.

Admoneatur obsessus, si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet, & Sacra Confessione, & Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat; & dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei.

## COMMENTARIUS.

I. ORationem, atque jejunium, duo potissimum esse remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, jam diximus supra in Commentario ad §. XI. Sed quum in ipso Commentario actum potissimum fuerit de oratione, ac jejunio ab Exorcista adhibendis, jure ac merito statuit nunc primum præsens §. ut *admoneatur obsessus, si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet*. Et ratio potissima est illa, quam docet Christus Dominus in Evangelio Matthæi, Cap. XVII. quia scilicet hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium. Quum vero de ipsis remediis etiam respectu obsessi nonnihil ibidem dixerimus, ideo ad alia in hoc §. contenta explicanda descendimus. Mandat ergo, ut itidem admoneatur obsessus, *ut Sacra Confessione, & Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat*. Et quidem quod Confessionem spectat, mandat quidem S. Carolus in citato toties Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Exorcistæ, *energumenis Exorcismum ne adhibere incipiat, nisi illi primum confessi sint; ad hocque eos cohortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata diligenti conscientiæ discussione confiteantur*.

II. Porro, quum peccata utplurimum sint causa, ob quam Deus hominem puniat dæmonis obsessione, uti late in Præfatione ad Rubricam hujus Tituli diximus, ut remota causa removeatur effectus, recte admodum statutum fuit, ut obsessus Sacra Confessione se muniat; ut scilicet a diabolo obsidente se liberet, uti complures eo remedio se liberarunt. Certe in Vita S. Guilielmi Eremitæ, Parte II. Cap. VII. apud Bollandianos die X. Februarii legitur, *quod puella a septennio, peccatorum suorum nexibus exigentibus, tradita dæmonio immundissimo fuerat, quæ audiens B. Guilielmi proferri miracula, illuc ex longinquis partibus, non tam advenerat, quam accurrerat, & sperans de salute fiducialiter, coram sacro Tumulo se se contulit procaciter. Sed re vera eam malignus spiritus compede cujusdam incæstuosi criminis illaqueaverat, & simul cum eo vasculum illud introierat, ideo absque collega nequaquam exiturum decreverat. Cæterum miserabilis utriusque hospita peccatum suum Confessori suo pandere proposuerat; nam ad hoc forte dæmon ipsius laborabat; sed Dei virtus, qui salvat sperantes in se, illum coegit, ita quod, audientibus universis dixit*: Sumat de suo delicto pœnitentiam, & ego sine mora recedam. *Quo audito, universi, qui aderant, ex Dei misericordia dictum esse cognoverunt, & ad pœnitentiam accipiendam de suis mulierem criminibus vix tandem aliquando efficaciter adduxerunt. Et o mira Confessionis virtus! O mira confitentis salus! nam subito per sanguinis vomitum cum fœtore intolerabili, & clamore horribili immundum emisit spiritum*. Varios obsessos liberatos virtute Sacramenti Pœnitentiæ, docent aliorum Sanctorum Vitæ, ac illa præsertim S. Ubaldi Eugubini Episcopi, Cap. IV. apud Bollandianos die XVI. Maji.

III. Multum quidem valere ad energumenorum liberationem, Eucharisticam Communionem, pluribus probari potest exemplis. In historia miraculorum SS. Justi & Clementis Confessorum die V. Junii penes eosdem Bollandianos narratur, *quod quædam Virgo Politiana cum a spiritu nequissimo modis omnibus torqueretur, cumque coram Sanctorum Confessorum Reliquiis aliquandiu cum matre, & propinquis aliquot stetisset ... in die Pentecostes, sumpta Eucharistia, spiritus nequam ab ea statim discessit*. Sed pluribus exemplis omissis, quanta sit virtus Eucharisticæ Communionis ad pellendos, fugandosque dæmones, passim Sancti Ecclesiæ Patres docuerunt, præsertim vero S. Joannes Chrysostomus, qui in Homilia ad Neophytos ita inquit: *Cum te egredientem post Convivium Dominicum viderit inimicus, post cælestes Epulas tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deserit omni vento velocior, nec appropinquare contendit, & cum Cruentam linguam tuam de longe ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit; & cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit*. His concinit S. Petrus Damianus Lib. IV. Epistola XXI. ad nepotem suum sic scribens: *Videat occultus hostis labia tua Christi Cruore rubentia, quæ territus perhorrescat, & mox in tenebrarum suarum latibula pavescendo diffugiat*. Quibus verbis alludit Damianus ad Eucharistiæ Communionem etiam sub vini specie, quæ adhuc suo ævo in usu erat.

IV. Sed hoc obiter dicto, quod varia fuerit olim Ecclesiæ disciplina circa energumenorum Communionem, jam supra explicuimus in Commentario ad §. IX. Quod multis ab hinc Sæculis in utraque Ecclesia energumenis, qui scilicet lucidis intervallis fruuntur, Eucharistia consueverit dispensari, probat inter alios Juenínus, *De Sacramentis*, Dissertatione IV. Quæstione VI. Cap. II. Atque id, est quod ait noster §. obsessum scilicet communicandum, *si mente valet*, & etiam *sæpius ad arbitrium Sacerdotis*. Quod si mente non valeat, attendendum est illud, quod docet Acto Episcopus Vercellensis in suo Opusculo, quod *Capitulare* inscribitur, Tomo I. Spicilegii Dacheriani: *Nulli liceat porrigere*

*gere Corpus, vel Sanguinem Domini nostri Jesu Christi energumenis, donec in eadem passione sunt, nisi forte discrimen mortis incurrerint*. Potissimum vero advertendæ sunt regulæ, quas tradit S. Thomas pro amentibus circa susceptionem Eucharistiæ, Parte III. Quæstione LXXX. Articulo IX. de quibus diximus nos Tomo I. hujus Operis Tit. IV. Cap. I. in Commentario ad §. X.

V. Admonendum præterea ait hic noster §. a dæmone obsessum, ut, *dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate*. Fide opus esse, ac fiducia in Deum, tum ex parte obsessi, tum etiam ex parte Exorcistæ, satis nos docuit Christus Dominus in Evangelio Matthæi, Cap. XVII. ubi refertur liberatio Lunatici energumeni, quem Christi Discipuli ob suam, parentumque Lunatici incredulitatem, curare minime potuerant: *Accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens*: Domine, miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam; & obtuli eum Discipulis tuis, & non potuerunt curare illum. *Respondens autem Jesus ait*: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. *Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt Discipuli ad Jesum secreto, & dixerunt*: Quare nos non potuimus ejicere illum? *Dixit illis Jesus; Propter incredulitatem vestram*. Fide itaque opus est ad pellendos dæmones a corpore obsessi. Nam ut inquit in Libro, *De Idolorum vanitate*, S. Cyprianus, *dæmones vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat*. Adeo autem Fides, ac fiducia in Deum necessaria est in hoc ministerio, ut nedum in Exorcista, ac patiente, parentibusque illius, verum in adstantibus requiratur. Quod manifestum fit ex Vita nostri S. Philippi Nerii, ubi legitur, quamdam nobilissimam feminam solemni ritu Romæ adjuratam in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem, haud liberari potuisse, ob unius etiam adstantis incredulitatem: *Scitote*, palam dixit Philippus his qui aderant, *miseram hanc ob unius adstantium incredulitatem nunc liberari non potuisse*.

VI. Denique admonendus est energumenus, *ut, cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei*. Celebre est hac in re exemplum Job, qui percussus a Satana *ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus*, uti legitur in ejus Libro, Cap. VII. ajebat: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Quod exemplum valde commendavit S. Jacobus Apostolus, in Epistola sua, Cap. V. *Exemplum*, inquit, *accipite, Fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in Nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & fidem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator*. Sed nec omittendum, quod prius Cap. I. jam dixerat: *Omne gaudium existimate Fratres mei cum in tentationes varias incideritis; scientes, quod probatio Fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*. De bono patientiæ legendus est aureus S. Cypriani Liber, ut inde Exorcista argumenta sumat ad consolandum obsessum, & ut nihil diffidat de auxilio Dei, qui, ut idem Apostolus inquit in citato Cap. I. *dat omnibus affluenter*.

## §. XIV.

Habeat præ manibus, vel in conspectu Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, & coopertæ, ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacræ indigne tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum.

## COMMENTARIUS.

I. Nihil plane & in Ecclesiastica Historia, & in Vitis Sanctorum, & apud Patres Ecclesiæ tam frequentius occurrit, quam ligno Crucis tum transeunte, tum permanente, multoque magis Crucifixi Imagine fugari dæmones. Quod autem ait hic noster §. de Sanctorum Reliquiis ad pectus, vel ad caput obsessi admovendis, multis veteribus exemplis comprobari potest, ex quibus docemur, quanta sit ipsarum Reliquiarum, si capiti, pectorive obsessi admoveantur, ad expellendos dæmones, virtus. Narrat Victor Papa III. Lib. II. Dialogorum, qui extant Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum, quod quidam adolescens a dæmone correptus, intercessione Sancti Mauri Abbatis in Monte Cassino liberatus est, *cujus Reliquias Fratres, qui cum eodem obsesso in Ecclesia remanserant, super pectus ejus magna cum devotione, ac spe posuerunt*. Sed quid opus est hujusmodi exemplis, quæ innumera pene afferri possent, sicut & Patrum testimonia, qui passim virtutem ipsam Sanctarum Reliquiarum recensent, ac prædicant. S. Joannes Chrysostomus in Sermone, *De virtutibus, & vitiis*, postquam dixit, quod *Pauli vestes morbos fuderunt, Petri umbræ mortem fugarunt*, statim subdit: *Sanctorum Martyrum Cinis improbos dæmones expulit*. Quod quidem de Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii Reliquiis, ut alios omittam, testatus est S. Ambrosius, Lib. X. Epistola XXII. editionis PP. Benedictinorum S. Mauri, quæ est de inventione Corporum istorum Sanctorum, sic scribens: *Cognovistis, imo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos*. Cavendum porro Exorcistæ, ut recte monet hic idem noster §. *ne res sacræ*, quas scilicet capiti, pectorive obsessi admovet, *indigne tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria*.

II. Potissimum vero Exorcistæ illud cavendum, quod & noster §. mox subjicit, *ne Sanctis-*

ctissima Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori admoveatur, ob irreverentiæ periculum. Quod quidem monitum omnino servandum est, Ritualique ita præcipienti obtemperandum; tametsi exempla non desint admotæ Eucharistiæ capiti obsessi; quæ tamen nequaquam sunt imitanda, tametsi a Sanctis Viris illa fuerint aliquando probata. Certe in Vita Sancti Bernardi Abbatis Lib. II. Cap. III. Auctore Guillelmo Abbate, legitur ad diem xx. Augusti, ipsum S. Bernardum in expulsione dæmonis a quadam muliere Eucharistiam capiti illius imposuisse: *Expleta*, inquit, *Oratione Dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem Calicis Sacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur*: Adest, inique spiritus, Judex tuus, Adest summa Potestas. Jam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passus est. *Nunc* inquit, *Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hoc illud Corpus, quod de Corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus Discipulis ascendit. In hujus ergo Majestatis terribili potestate, tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. *Cumque eam invitus deserens, & manere ultro non valens, atrocius affligeret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens; rediens Pater Sanctus ad Altare, fractionem Hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in Populum pacem Ministro dedit, & confestim pax, & salus integra reddita est mulieri*.

III. Rursus Capite x. idem Auctor Vitæ Sancti Bernardi narrat, hominem a dæmone vexatum, adductum fuisse ad Sanctum Abbatem, qui, quum eum vidisset, *vehementer indignans antiqui hostis malitiam, tantum sibi in Christianum hominem usurpasse, vocans duos e Fratribus, ante sanctum Altare jussit hominem deportari, ibique superposito capiti ejus Vasculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti virtute, a læsione Christiani jubet dæmonem prohiberi. Factum est, ut præcepit, & miserum hominem post tantos cruciatus Fides perfecta perfecte reddidit sanitati*. A qua tamen praxi, ut jam superius dixi, & scite notat ad hunc §. Cardius, num. LVI. ab hodiernis Exorcistis abstinendum omnino est, tum ob præscriptum Ritualis nostri, tum quia ab ipsis forte non adeo facile arceri potest *irreverentiæ periculum*, quod S. Bernardus, qui eum ritum adhibuit imponendæ Eucharistiæ capiti obsessi, non metuebat.

## §. XV.

Exorcista ne evagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, & occultis ad suum munus non pertinentibus; sed jubeat, immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere; neque ei credatur, si dæmon simularet, se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

## COMMENTARIUS.

I. CErta est illa Proverbiorum sententia Capite x. expressa: *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est*. Et Cap. XIII. *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*. Hinc recte cautum est ex nostro §. *ne Exorcista evagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus &c.* Si enim dæmon cognoscat Exorcistæ verbositatem, novas occasiones loquendi suppeditabit, & sic distrahet illum a munere suo recte fungendo, & consequenter dominium illius habebit, ut ad hunc §. notavit Barrufaldus num. 63. qui etiam ait, si id fiat, desperatam rem esse, vincere diabolum, quemadmodum Hevam in Paradiso vicit colloquio, & dialogismo. Porro quod in ipsis supervacaneis, vel curiosis interrogationibus, quæ ab Exorcista fiunt ad obsessum, semper fit aliquid peccatum, quamvis a mortali excuset imperfectio actus, scilicet quando etsi actus sit perfecte humanus, non tamen perfecte habet rationem actus socialis cum dæmone, docet inter alios Theologos Cardinalis Cajetanus in Secundam Secundæ, Quæstione xc. Articulo I. relatus ibidem a docto Sylvio.

II. Sed ut melius hæc doctrina intelligatur, ut scite ad hunc nostrum §. notavit Cardius, num. I. tenendum est in primis, peccare mortaliter qui longos, & inutiles sermones cum dæmone obsidente habet, quia jam hoc esset cum eo amicitiam inire, quum tantum cum amicis ita familiariter agamus. Secundo læthaliter peccare, qui hanc, vel illam rem a dæmonio, media interrogatione, addiscere vult; etenim hoc est beneficium aliquod ab eo expectare, quod certe superstitiosum est. Tertio, si adsit periculum quod dæmon occulta delicta prodat, quia graviter tenemur infamiam proximi vitare. Quarto, si quis ea interroget non coactive, sed deprecative, quia hoc esset discipulus ejus fieri, & humiliter illi subjici, quod illicitum est. Deinde tenendum est, quod si coactive, & imperative hanc, vel illam rem vanam, & inutilem a dæmone interroget, tantum committere peccatum veniale curiositatis; sed notandum tamen primo, quod hos communes actus exercere possumus cum diabolo, vel tamquam cum hoste, vel tamquam cum socio, sed non hoste. Primo modo nullum est peccatum, quia sic agimus contra eum, compellendo, vel Exorcismis, vel divina virtute, ut ab obsessis exeat. Secundo modo, quandoque est mortale, quandoque est veniale peccatum; est mortale, si cum eo amicitiam inimus, aut actum perfecte socialem habemus; est vero tantum veniale, quando actum imperfecte socialem cum eo gerimus. Notandum secundo, quod actus socialis cum dæmone & potest esse perfectus, & imperfectus; actus socialis perfectus est, uti voluntaria dæmonis confabulatione, servitio, doctrina, & similibus, quia hæc sunt munera propria socialis vitæ. Actus

Actus vero socialis imperfectus est, siquis ex levitate, aut curiositate, non credens se in hoc Divinam Majestatem offendere, cum dæmone casu occurrente in assumpto corpore, vel arreptitio, per modum transeuntis, loquitur, inquirit curiosa, exigit aliquid vanum ab eo fieri, puta movere lapidem &c. In his enim actibus, licet sit perfecta ratio humani actus, non tamen est perfecta ratio socialis. Atque hæc est explicatio prædictæ doctrinæ, quam ex Cajetano desumptam loco citato Cardius notavit.

III. Cavendum præterea ex nostro §. Exorcistæ, ne obsessum interroget *præsertim de rebus futuris, & occultis ad suum munus non pertinentibus*. Quomodo occulta possit dæmon cognoscere, late exponit laudatus Cardius in Documentum III. Ritualis Romani, num. VIII. & pluribus sequentibus; per conjecturas scilicet, & per indicia cognoscere potest nostras cogitationes, uti docet S. Hieronymus in Matthæum, Cap. XV. *Non debemus*, inquit, *opinari, dæmonem occulta cordis rimari, sed ex corporis habitu, & gestibus æstimare, quid versemur intrinsecus*. Cui concinunt S. Augustinus, & Cassianus, quorum primus, *De divinatione dæmonum*, Cap. V. sic habet: *Dæmones aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum cogitationes conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt*. Cassianus vero Collatione VII. Cap. XV. ita rem ipsam paulo latius explicat: *Nulli dubium est, quod possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes; idest ex nostris dispositionibus, aut verbis, ac studiis, in quæ propensius conspexerint nos inclinari. Cæterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes, quas ingerunt, utrum susceptæ, vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, idest, per illum interiorem motum in medullis, ut ita dicam, latitantem, sed ex motibus, atque indiciis exterioris hominis deprehendunt*.

IV. Quomodo vero cognoscere dæmon possit futura, pluribus exponit idem laudatus Cardius ad hunc nostrum §. num. XVIII. & seqq. itemque Theologi passim in Libri II. Sententiarum Distinctionem VII. & ibi præsertim Estius §. XIV. & seq. sed quicquid sit de hisce Scholasticis Quæstionibus, cavere omnino debet Exorcista, ne de occultis, & quæ ad munus suum non pertinent, obsessum interroget, peccaretque iccirco, si exempli causa de numeris ludi sortis, quem vulgo *lotto* appellant, interrogaret, sive de aliis futuris rebus a munere suo alienis, ac illis præsertim, quarum revelatio alicui forte noceret. Recte autem subdit noster §. monetque Exorcistam, *ut jubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere*; exemplo Christi Domini, qui, ut legitur in Evangelio Lucæ, Cap. IV. dæmoni dicenti, *Sine quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei*; silentium imposuit, licet veritatem fateretur: *Et increpavit illum Jesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo*. Cui concinit quod & legitur in Marci Evangelio Cap. I. versu XXV. *Comminatus est, ei dicens, Obmutesce*. Et iterum versu XXXIV. *Non sinebat ea loqui*. In quem locum opportune ita scribit Victor Antiochenus: *Nos per hoc docere volens*, Christus nempe, *ne ullum omnino testimonium a dæmonibus recipiamus*. Atque hanc praxim sequuti sunt Sancti Exorcistæ, inter quos S. Lentius Episcopus Brundusii, uti in ejus Vita legitur Cap. III. die XI. Januarii apud Bollandianos, cuidam energumeno ipsi adducto statim dixit: *Obmutesce spiritus diaboli*, & deinde eum liberavit. Cæterum appellatur diabolus *spiritus immundus*, immundus scilicet a suis moribus, ac depravatis affectibus, quia delectatur rebus obscænis, turpique immunditia; sua enim nequitia cælestem puritatem amisit, & fœda malitia illaqueatus est, ita ut omnium malorum spurcitia repletus sit, uti inter alios docet ad hunc §. Barrufaldus num. 64. in fine, ubi etiam testimonium Victoris Antiocheni refert in Evangelium Marci, ubi sic inquit: *Dicitur hic spiritus immundus, cum propter obstinatam in impietate mentem, fædamque a Deo defectionem; tum maxime quod obscænis, flagitiosisque operibus mirifice oblectatur*.

V. Ad interrogationes autem quod spectat, si quas fieri oporteat, debent & ipsæ esse de rebus ad expulsionem dæmonis conducentibus, quum solum ad hunc effectum data sit Ecclesiæ spiritualis potestas exorcizandi, expellendique dæmones, & consequenter etiam ad media, quæ ad hunc finem conducunt. Unde Abulensis in Caput X. Evangelii Matthæi, Quæstione LX. ait: *Potestas data Apostolis, non fuit absoluta, itaut possent quidquid vellent super dæmones, sed solum, ut possent eos ejicere*. Quænam vero sint interrogationes necessariæ, vel utiles, dicemus mox infra in Commentario ad §. XVI. Ea enim hic enarramus, quæ in præsenti §. XV. continentur, quale & illud tandem est, quod *neque ei credatur, si dæmon simularet, se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum*. Quod suadere conetur dæmon homini obsesso esse se Angelum bonum, sive animam alicujus Sancti, vel ut hunc errorem inducat, contra quem nos admonet Apostolus in Epistola II. ad Corinthios, Cap. XI. versu XIV. dicens: *Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis*; vel ut patiens non credat, se esse a dæmonio vexatum, sicque sui liberationem negligat, notavit ad hunc nostrum §. Cardius, num. XXXIII. Porro quod *frequenter dæmones simulant, se esse animas mortuorum*, docet S. Thomas, Parte I. Quæstione CXVII. Articulo IV. ad II. Et revera, Parte XIV. miraculorum S. Joannis Gualberti apud Bollandianos die XII. Julii inter alia legitur, quod quædam mulier fuit obsessa, *& dæmon, qui eam invaserat, utplurimum solent, se cujusdam Liguris, cui nomen Baltramo, animam fuisse, fatebatur*. Multa id genus exempla legere est quidem in Ecclesiastica Historia, & in Vitis Sanctorum; vigetque multis in locis apud imperitum vulgum hic error, ut credat, animas præsertim occisorum esse illos malignos spiritus, a quibus sæpe homines obsidentur.

VI. Pervetustum autem esse hunc errorem, testatur inter alios Tertullianus, qui Sæculo II. claruit, in Libro, *De Anima*, Cap. LVII. sic inquiens: *Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, cum in Exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis affirmet, interdum gladiatorem, vel bestiarium,*

sicut

*sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne facile credamus, animas universas ad inferos redigi, ut & judicii, & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon, postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus, id, quod in vero est, invitus confitetur.* Viguit & idem hic error Sæculo IV. quo claruit S. Joannes Chrysostomus, qui etiam multis locis eum confodere conatus est, præsertim vero Homilia XXIX. in Caput VIII. Matthæi, & in Concione II. de Lazaro, ubi sic ait: *Hic malum quemdam morbum cupio vestris animis eximere. Sunt enim plerique simplices, qui putant, animas violenta morte decedentium fieri dæmones. Hoc autem non fit, non fit inquam, istud. Non enim animæ violenta morte decedentium fiunt dæmones, sed animæ potius in peccatis viventium, non quod mutetur illarum substantia, sed quod voluntas dæmonum pravitatem imitetur.* Et post pauca addit: *Verum non sunt ista vera, non sunt, inquam. Quid igitur est, quod dæmones dicunt?* Monachi illius sum anima. *Sane propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt; decipiunt enim auditores.* Hunc errorem late impugnat, ut alios antiquos, recentioresque omittam, S. Pater tum hic, tum in Homilia superius citata.

VII. Rationem hujus non infrequentis dæmonis mendacii tradit ibidem laudatus Sanctus Doctor Joannes Chrysostomus his verbis: *At cujus rei gratia diabolus istam perversam opinionem invexit? Conatus est Martyrum defodere, & obruere gloriam. Etenim cum illi morte violenta decesserint, cupiens pravam de illis gignere suspicionem, hoc fecit; verum quod voluit, non potuit. Perseverant enim Martyres proprium obtinentes splendorem. Quin aliud multo crudelius perpetravit, maleficis, ipsisque inservientibus per has opiniones persuasis, ut tenera multorum adolescentium corpora trucidarent, sperantes futurum, ut fiant dæmones, rursusque ipsis inservirent. Verum non sunt ista vera &c.* Alia ratio fuit plane ad inducendam, propagandamque hæresim, quam deinde docuit Tertullianus, ex quo orti sunt Tertullianistæ; de qua Sanctus Augustinus in Libro, *De Hæresibus ad Quodvultdeum*, Hæresi LXXXVI. ita scribit: *Dicit etiam ipse*, Tertullianus nempe, *animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti.* Similem aliam rationem reddit inter alios Theologos Angelicus Doctor Sanctus Thomas, Parte I. Quæstione CXVII. Articulo IV. ad II. nempe, *ad confirmandum Gentilium errorem, qui hoc credebant*.

## §. XVI.

Necessariæ vero interrogationes sunt, ut de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, & aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus, & ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, & circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum, sed potius humiliter, & enixe Deum pro eo precentur.

## COMMENTARIUS.

I. Errat plane Barrufaldus, ubi in suo ad hunc §. Commentario, num. 68. asserere non veretur, quod *interrogatio de numero, tempore, & causa*, obsidentium scilicet dæmonum homines, *tanquam fallax rejicitur in praxi ab optimis Exorcistis, quia qui unus est, potest fingere, se esse multiplicem; imo si de causa ingressus loquatur, omittenda est, ad mala, quæ inde sequerentur, evitanda, quæ non pauca sunt, nec credenda, quia dæmones falsa veris semper involvunt, ex D. Cypriano, Tractatu iv.* De Idolorum vanitate. *Atque ideo quamvis Rituale necessarias ducat has interrogationes, & non omittendas, attamen quia praxis in contrarium docet, possunt omitti, quia pessimos fructus gignunt.* Idem quod Barrufaldus asserit etiam Candidus Brognolus in Manuali Exorcistarum, Parte I. Articulo V. Quæstione III. quem tamen egregie confutat Cardius in suo ad hunc præsentem §. Commentario.

II. Sed ut videas, quam turpiter hallucinati sint prædicti Auctores, Brognolus, ac Barrufaldus, quod primam interrogationem spectat in nostro §. præscriptam *de numero obsidentium spirituum*, nititur ea quidem Christi Domini exemplo, qui, uti legitur Marci Capite V. versu IX. in regione Gerasenorum dæmoniacum ferocissimum a legione dæmonum curaturus, *interrogabat eum. Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Super quæ verba ita scribit Victor Antiochenus: *Quamvis Dominus dæmonum, qui in homine habitabant, multitudinem non ignoraret, attamen quod illi, qui spectaculo huic aderant, unum tantum hominem cernerent, unamque solam vocem haurirent, ne ipse multos esse dicere compellatur, sed ipsimet dæmones palam id profiteantur, propterea, quod sibi nomen est? interrogat.* Sane ut suam potestatem in dæmones magis magisque Christus manifestaret, postquam audivit, esse legionem dæmonum in corpore obsessi, eis imperavit, quasi unus esset, propter imbecillitatem ipsorum, ut observat Euthymus Zigabenus in ejusdem Marci Evangelium, Cap. XI. Cæterum ipsa de numero obsidentium dæmonum interrogatio facienda obsesso ab Exorcista, ad hoc conducere plane poterit, ut cognito dæmonum numero, virtus Nominis Christi efficaciter appareat, sicque hæc interrogatio ad majorem Dei gloriam, ejusque SS. Filii Nominis cedat, ut ad hunc §. notavit Cardius, num. 111.

III. Altera interrogatio, quæ est *de nomine spirituum obsidentium*, nititur & ipsa citato superius, explicatoque Marci loco, ac etiam Lucæ Capite VIII. ubi idem miraculum recensetur, dæmoniaci scilicet liberati, quem Christus interrogavit: *Quod tibi nomen est?* Ad quæ verba ita inquit Beda, Lib. III. super Lucam: *Non velut inscius nomen inquirit, sed ut confessa coram peste, quam furens tolerabat, virtus curantis gra-*

*gratior emicaret*. Sic & ejus Ministri de ipso obsidentium spirituum nomine, per quod pestis, & potestas, atque malitia ipsius manifestatur, interrogare poterunt, ut virtus ipsa Dei curantis gratior emicet, atque resplendeat. Quod profecto valde cedit in honorem Dei, nostræque Christianæ Religionis, ut ad rem Lactantius advertit, Lib. II. *Divinarum Institutionum*, Capite xv. his verbis: *Dei Cultores metuunt*, dæmones nempe, *cujus Nomine adjurati, de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmones se se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, quæ in Templis adorantur, & quod plerumque coram Cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium Religionis, sed honoris sui, quia nec Deo, per quem adjurantur, nec Justis quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, & ardere, & jam jamque exire proclamant. Tantum habet Dei cognitio, ac justitia potestatis*. Sed & Venerabilis Bedæ tempore viguisse hanc consuetudinem apud Exorcistas, interrogandi de nomine dæmonum homines obsidentium, docet idem Doctor citato superius loco: *Sed & nostri*, inquit, *temporis Sacerdotes, qui per Exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valent curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus pertulerint, confitendo patenter exponant, & nomen dæmonis, quo se censeri dixerit*.

IV. Advertendum hic autem illud, quod, sicut nomina Sanctorum Angelorum, sunt nomina officii, non naturæ, ut docet S. Gregorius Magnus, Homilia xxxii. in Evangelia, ita quoque angelorum malorum nomina, nomina sunt non naturæ, sed officii. Sed nihilominus illud notandum, quod licet ea sit aliquorum Theologorum sententia, ut dæmones alii aliis vitiis præsint, ad quæ peculiariter homines tentent, ipsa tamen opinio minime aliis placet, variisque rationibus oppugnatur, quæ videri possunt apud doctissimum Estium in Libri secundi Sententiarum Distinctionem sextam, §. xvi. ubi etiam ad contrariæ opinionis argumenta a Patribus desumpta solide pleneque respondit. Cæterum varia dæmonum nomina, quæ in Divinis Scripturis habentur cum eorum literali interpretatione ad majorem Exorcistarum eruditionem ex Dictionario Sacræ Scripturæ a doctissimo Augustino Calmet composito recenset explicatque eruditus, ac laudatus toties Cardius in citato Commentario, num. viii. & sequentibus.

V. His ergo omissis, tertia interrogatio præscripta in nostro §. est *de tempore, quo ingressi sunt*, dæmones scilicet in hominis corpus. Atque hæc similiter interrogatio Exemplo Christi probatur, qui, ut habetur in Evangelio Marci, Cap. ix. versu xx. cum ipsi oblatus fuisset quidam habens spiritum mutum, patrem ejus interrogavit: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* At ille ait: *Ab infantia*. Esse vero antiquum ritum, ut de ea re obsessus ipse ab Exorcista interrogaretur, addiscimus plane ex Vita II. S. Parthenii Lampsaci Episcopo, qui claruit Sæculo vi. Cap. iv. apud Bollandianos die vii. Februarii. In ea siquidem Vita inter alia narratur, quod antequam S. Episcopus energumenum liberaret, obsidentem dæmonem interrogavit: *Est ne longum tempus, ex quo in eo inhabitas? Dixit dæmon: A pueritia*. Porro, ut notat Cardius, num. xx. hæc interrogatio necessaria est, ut sciat Exorcista, quæ media adhibere debeat ad disponendum vexatos, qui difficilioris sunt curationis, si a multo tempore sint obsessi, non quidem ex parte virtutis Sanctissimi Nominis Jesu, Exorcismorumque Ecclesiæ, sed ex parte ipsius energumeni.

VI. Quarta interrogatio in nostro §. expressa, est *de causa*, ob quam dæmon hominem, qui exorcizatur, obsederit. Varias id genus causas enarravimus jam nos in Præfatione ad Tituli hujus Rubricam, num. xi. & pluribus sequentibus. Fuisse autem antiquum ritum, ut Exorcistæ de hujusmodi causis interrogarent, non obscure innuit Tertullianus in Libro, *De spectaculis*, Cap. xxvi. ubi inter alia sic ait: *Exemplum accidit Domino teste ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in Exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi. Constanter, & justissime quidem, inquit, feci, in meo eam inveni*: Quod eam praxim interrogandi dæmonem de causa sui in hominis corpus ingressus sequuti sint Sancti Viri Exorcistæ, docet nos Vita S. Domnoli Episcopi Cenomanensis, qui claruit medio Sæculo vi. Cap. II. ubi legitur, quod cum adducti essent ad eum duo dæmoniaci, *sciscitabatur ex eis S. Antistes, cur id ipsis accidisset &c.* Similia exempla occurrunt frequenter in Vitis Sanctorum. Necessariam autem esse hanc interrogationem, tradunt communiter Doctores, ut nempe causa cognita, possit eadem tolli, & consequenter etiam effectus; & si sit aliquod peccatum obsessi, eo expiato, facilius liberetur energumenus, quidquid in contrarium afferant Barrufaldus, & Brognolus, & ille quidem in Commentario ad nostrum §. alter vero in Manuali Exorcistarum, Parte I. Cap. III. Articulo v. Quæstione iv. qui tamen prudenter advertit, magnam cautelam esse adhibendam in hac interrogatione, quæ fieri non debet, nisi paucis ipsius obsessi consanguineis, vel parentibus præsentibus; nec verbis dæmonum credendum esse, nisi veritati rei sint conformia.

VII. Recte autem & illud admonet hic noster §. *ut cæteras dæmonis nugas, risus, & ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat &c.* Solet enim dæmon verbis, & factis nugari, lepidumque de ea re exemplum habemus in Vita S. Joannis Gualberti, Parte III. apud Bollandianos die xii. Julii, quod est hujusmodi: *Anus quædam ex Milliano Monte, quem ridiculus invaserat dæmon; a suis ad hoc Virginis Mariæ Cœnobium ducta est, jucundum de se, & mirabile spectaculum præbens, ut etiam Religiosis Viris gravitate ornatis risum nonnumquam concuteret. Dæmon enim, & Hymnum Angelicum, &* Kyrie eleison, *quandoque etiam & Psalmos canens, ita ut Sacerdotis alicujus animam putares, haud fieri poterat, quin præ insolita re risum præsentibus non daret; interdum vero Sacerdotis jussu bis silentium faciens, ut in rem suam iret, conjurabatur. Cui ille cachinnans inquit*: Concedam alio, si me paulolum Antiphonam, seu Psalmum canere jusseritis, nulli vestrum in psallendo, & rite canendo cederem; *& his finitis, nullum a Sacerdote expectans responsum, dulciter more solito divinum aliquid canendo dicere. Cæterum Monachis moram longam*

*gam in hujusmodi nugis, & ridiculis non valentibus perferre, Sacerdoti a Decano imperatum fuit finem imponi. Quid multis opus est? Tandem dulciter canendo, absque ulla aniculæ læsione, ut fertur, lætitiam ostendens, abiit.*

VIII. Hasce, & similes nugas, quarum varia exempla afferri possent, cohiberi, contemnive jubet noster §. cujus saluberrimi moniti rationem tradit S. Thomas in Prima Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo IV. ad III. ubi docet, quod *Angeli mali... provocando homines ad risum, & ad alias hujusmodi levitates... procurant, ut homines ad sui familiaritatem attrahant, & sic deducant eos in peccatum mortale*. Aliam rationem deducere possumus ex eo, quod legitur in Vita S. Ebehardi Archiepiscopi Salisburgensis apud Bollandianos die XXII. Junii: *Quædam dæmoniaca adducitur, supra quam cum Exorcismus legeretur, spiritus nequam, qui inerat, variis linguis fabulabatur. Dum vero fit illi comminatio a Clero per Beatum Virgilium, dæmon Clerum subsannat, & in inferno reliquisse clamat. Quæritur ergo quis, vel cujus ille Virgilius sit. At ille Mantuanum Poetam fuisse respondit*. Virgilium autem, per quem adjurabatur dæmon, erat S. Virgilius Salisburgensis Episcopus, qui colitur die XXVII. Novembris. Ex quo apparet, dæmonem nugari non solum, ut homines in peccatum inducat, sed etiam ut justos infamet; uti ad hunc §. notavit Cardius num. XXIV. Cæterum esse & ratio alia potest, quod dedeceret quammaxime, quinimo grave sacrilegium esset, si in Ecclesia, quæ Domus est Orationis, & quam decet sanctitudo, ubi præsertim exorcizari energumeni solent, hujusmodi dæmonis nugæ, risus, ineptiæque permitterentur.

IX. Hinc merito demum noster §. subdit, ut Exorcista *circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum, sed potius humiliter, & enixe Deum pro eo precentur*. De evitanda circumstantium multitudine in exorcizatione obsessi jam alibi diximus. Decet, ut pauci sint, & non nisi necessarii, inter quos si Religiosus aliquis probatæ vitæ adsit, admitti posset. Vitandum vero semper curiositatis vitium, ne alicui accidat, quod legitur in Collectione Miraculorum S. Philippi Presbyteri Agyriensis in indicata a Bollandianis in Commentario prævio ad ejus Vitam die XII. Maji. Legitur enim, quod cum in Festo Sancti Philippi energumenæ CC. quæ ad Festum convenerant, fuerint liberatæ, dæmon ab una dæmoniaca *mox in servum quendam hæc curiosius inspicientem migravit*. Neque vero decet, ullum alium, nisi Exorcistam ab Episcopo probatum, ut alias diximus, dæmonem interrogare, ne confundantur verba, & alius ædificet, alius vero destruat, ut notat Barrufaldus ad finem hujus §. num. 70. ubi etiam recte subdit, & consentanee ad ipsum nostrum §. cæteros, si adsint, orationi vacare debere, ut per Divinam misericordiam obsessus ab infestatione dæmonis liberetur. Valuisse autem circumstantium orationem ad energumenorum liberationem, plurimis probari posset exemplis.

## §. XVII.

Exorcismum vero faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide, & humilitate, atque fervore; & cum viderit, spiritum valde torqueri, tunc magis instet, & urgeat; & quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & Aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

## COMMENTARIUS.

I. De Exorcismo jam non uno in loco Tomi I. & hujus II. nonnihil diximus, ubi se se nobis de eo differendo dedit occasio. Auctore S. Isidoro Hispalensi Episcopo, Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XX. *Exorcismus, sermo increpationis est contra immundum spiritum in Energumenis, sive Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & inveterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugatur*. Addit mox, significatum id quidem fuisse a Lunatico illo, quem increpavit Dominus Jesus, & exiit ab illo dæmonium. Alludit ad locum Matthæi, Cap. XVII. versu XVII. Faciendum itaque exorcismum, legendumque cum imperio, & auctoritate, docuit exemplo suo Christus Dominus; de quo etiam in Evangelio Marci, Cap. IX. versu XXIV. dicitur, quod, *cum videret concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius non introeas in eum*. Hinc tenendum est, in Exorcismis inesse virtutem ex opere operato, ut ajunt, & colligitur ex S. Thoma, Parte III. Quæstione LXXI. Articulo III. ubi inquirens, *An ea, quæ aguntur in Exorcismo, aliquid efficiant?* in Corpore Articuli sic respondet: *Dicendum, quod quidam dixerunt, ea, quæ in Exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Sed, hoc patet esse falsum per hoc, quod Ecclesia in Exorcismis, imperativis verbis utitur ad expellendam dæmonis potestatem; puta cum dicit*: Ergo maledicte diabole exi ab eo &c. *Et ideo dicendum, quod aliquem effectum habet, differenter tamen ab ipso Baptismo*. Idem docet in IV. Sententiarum, Distinctione V. Quæstione II. Articulo III. Quæstiuncula II. Quum autem ejusdem rationis sint Exorcismi, quibus adjuratur baptizandus, ac energumenus liberandus, sequitur, quod si primi semper aliquid operantur in ordine ad dæmonis expulsionem, ita & secundi, & consequenter ex opere operato.

II. Neque his obstat, quod Exorcismi expulsionem dæmonis infallibiliter non consequantur, sicut consequuntur Sacramenta, quæ quia gratiam ex opere operato causant, semper causant, quantum est ex se, si ex parte subjecti non ponatur obex. Nam respondet Cardius in Commentario ad hunc §. num. V. dæmonis expulsionem dupliciter posse considerari; primo complete, & perfecte; secundo incomplete, seu inchoa-

choate: Primo modo importat expulsionem totalem dæmonis a corpore obsessi, itaut nullimode in eo remaneat. Secundo modo non dicit hanc expulsionem totalem, sed inchoatam, in quantum potestas, & virtus dæmonis in ordine ad torquendum energumenum, aliquo modo per Exorcismos minuitur, & attenuatur; & dicitur expulsio inchoata, quia est via, & principium, quo pervenitur ad ultimam, & perfectam dæmonis expulsionem. Itaque, ut idem Auctor concludit, Exorcismi ex opere operato habent virtutem ad expellendos dæmones, vel expulsione perfecta, & completa, vel saltem expulsione imperfecta, & inchoata, ac proinde infallibiliter semper aliquem ex his effectibus obtinent; vel primum, si Deo placet, vel secundum. Hanc doctrinam ait deduci ex S. Thoma loco citato, ubi concedit Exorcismo, qui fit in Baptismo, aliquem infallibilem effectum; quæ ratio militat etiam in aliis Exorcismis, cum ejusdem generis sint, ab eademque Ecclesiæ auctoritate dimanent.

III. Sed omissis his quæstionibus, aliisque id genus, mandat præterea noster §. ut *quoties viderit*, Exorcista scilicet, *obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & Aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.* Quanta sit signi Crucis, aspersionisque Aquæ benedictæ ad expellendos dæmones a corporibus obsessis virtus, docent passim Sancti Patres, Scriptoresque Ecclesiastici, antiqui pariter, ac recentiores, testanturque innumera pene exempla, quæ in Historia Ecclesiastica, & Vitis Sanctorum frequenter occurrunt. Quod Crucis signum spectat, celebre est, quod ad nostram rem scribit Lactantius, Lib. IV. *Divinarum institutionum*, Cap. XXVII. *Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum, de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores ejus, eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & Nomine Magistri sui, & signo Passionis excludunt.* Atque id est, quod permultis ostendi posset exemplis. De S. Furseo Confessore legitur, Cap. VII. Miraculorum ejus penes Bollandum die XVI. Januarii, quod, facto Crucis signaculo, effugavit dæmonium, redditque salutis remedium duobus energumenis. Ita quoque S. Gregorius Episcopus Lingoniensis, uti narrat S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, Capite VII. *sine ullo tactu, facto tantum signo Crucis e contra, dæmonia discedere imperabat; quod illa protinus audientia, corpora, quæ sua nequitia divexarant, absolvebant.* Illud quoque idem Turonensis recitato loco de S. Nicetio Trevirorum Episcopo refert, quod cum tres energumeni pressi sopore quiescerent, Sanctus Episcopus *cernens eos somno deditos, fecit signum Crucis e contra, statimque expergefacti elevantes in sublime voces, dato impetu ad vomitum, emundati sunt.*

IV. Neque vero exempla desunt, quibus docemur, ipsum Crucis signum factum fuisse ab Exorcista obsessis in eorum fronte, ac pectore. Quod enim hunc ritum servarit Sanctus Frodobertus Abbas Trecensis, pluresque energumenos a malignis spiritibus liberarit, tradit Auctor ejus Vitæ, Cap. II. penes Bollandianos die VIII. Januarii, his verbis: *In effugandis dæmonibus ea virtutis præstantia præpollebat, ut cuicumque energumeno in fronte, vel pectore signum Crucis imprimeret, mox ejus compellente imperio, malignus spiritus effugatus abiret.* Similia exempla videri possunt in aliorum Sanctorum complurium Vitis. Sed mandat tamen hic noster §. ut quoties Exorcista viderit, obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis. Quod tamen intelligendum est juxta regulam a Sancto Carolo datam Exorcistæ in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi, Parte II. Constitutionum, Cap. I. prope finem: *Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat .... neve quidquam aliud agat, quod offensionem præbeat.* Et in Synodo Mediolanensi Diœcesana IV. Decreto XVIII. *Caveat*, inquit, *dum exorcizat, ne energumenæ mulieris caput, humeros, manumve tangat &c.* Eandem hanc regulam legere est in variis aliis Synodis Provincialibus, Diœcesanisque post S. Carolum ab aliis Episcopis celebratis.

V. Forte ad evitandam offensionem, plerique Sancti Exorcistæ, Crucis quidem signum ad liberandos energumenos adhibuere, sed eo tamen non super obsessis corporibus impresso, sed opposito, vel in aere efformato. Certe de Sancto Melanio Episcopo Rhedonensi enarrat Auctor ejus Vitæ apud Bollandum die VI. Januarii, quod, *mox ut signum sanctæ Crucis Sanctus Dei Antistes Melanius contra eam*, mulierem nempe energumenam, *digitis expressit, ab ea protinus malignum spiritum expulit, & eam sanam, Domino cooperante, reddidit.* Teste Venerabili Beda in Vita S. Arnolfi Episcopi, Sanctus ipse Antistes, *opposito Crucis vexillo liberavit mulierem ab hoste maligno.* Quod etiam ad energumenum liberandum S. Patapius Monachus Thebanus *digito in aere Crucis figuram* expresserit, testatur Andreas Cretensis in Oratione sua in ipsum Patapium, quæ legitur Tomo X. Bibliothecæ Patrum. Sed quidquid sit de variis hisce ritibus, certe magna est adversus dæmones virtus signi Crucis, & quidem vi sua, seu ex opere, ut ajunt, operato, cum valeat etiamsi ab infidelibus adhibeatur, ut docet S. Augustinus in Libro LXXXIII. Quæstinum, Quæstione LXXIX. *Non mirum est*, inquiens, *quod hæc signa valeant, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad hanc militiam non dederunt, propter honorem tamen Excellentissimi Imperatoris valent.* Idipsum docent & alii Patres.

VI. Notatu plane dignum, quod de signaculi Crucis virtute, quam in se non semel expertus fuit Apostata Julianus, scribit S. Gregorius Nazianzenus Oratione I. in Julianum his verbis: *Descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum, & horrendum (quemadmodum utinam in infernum quoque, priusquam in hujusmodi scelera prorumperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est, hominem hujusmodi sapientia, sive sophistica instructam. Nam hoc quoque apud ipsos divinationis genus est, ut caligine quadam cum subterraneis dæmonibus de rebus futuris colloquium ineant, sive quia tene-*

*bris magis oblectantur ( quippe ipsi quoque tenebræ, & tenebrarum peccati artifices ) sive quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem, & congressum fugiunt; ex iisque infirmiores redduntur. Ut autem egregium Virum progredientem terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures, & formidolosiores ( sonos quosdam insuetus, tetrosque odores, atque ignea spectra, ac nescio quas nugas, & deliramenta ) re inopinata perculsus ( harum enim rerum studium sero amplexus fuerat ), ad Crucem, vetusque remedium confugit, eoque se adversus terrores consignat; eumque, quem persequebatur, in auxilium asciscit. Ac quæ sequuntur magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Reviviscit malum, rursus ad audaciam redit, rursus aggreditur, rursus iidem terrores urgent. Rursus objecto signaculo dæmones conquiescunt.*

VII. Ratio potissima, cur Crucis signum valeat quammaxime ad expellendos dæmones, ex eo desumitur, quod ipsi Crucis signum videntes, recordantur, se Christi Cruce victos, ac superatos fuisse. Hanc rationem docet quidem Origenes, Homilia VI. in Exodum: *Quid timent*, ait, *dæmones? Quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo, & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum.* Cui concinit S. Athanasius in Vita S. Antonii: *Quia*, inquit, *metuunt illud trophæum, in quo Salvator aereas expolians potestates, eas fecit ostentui.* Et S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XIII. ubi postquam dixit, signum Crucis esse timorem dæmonum, ita mox subjicit: *Triumphavit enim de illis in hoc signo. Ostenta illud audacter. Quando enim viderint Crucem, recordantur Crucifixi; metuunt eum, qui contrivit capita draconis.* Porro, cur non semper Crucis signaculum suum producat effectum, quamvis ex opere operato, uti dictum est, vim habeat, & illud dæmones adeo reformident, rationem tradit S. Augustinus citato superius loco, sic dicens: *Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse probibet occultis modis, cum id justum, atque utile judicat; nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere. Contremiscunt hæc, ubicumque illa conspexerint.* Idem docent & alii Ecclesiæ Patres, quorum loca recenset inter alios Scriptores eruditus Jacobus Gretserus in Libris, *De Cruce*.

VIII. Aquam tandem benedictam recte adhiberi in exorcizatione obsessorum, vel ex ipsius institutione addiscere licet, de qua fuse diximus supra Tit. VIII. ad Caput II. quod inscriptum est, *Ordo ad faciendam Aquam benedictam*. Liberatos fuisse energumenos permultos Aquæ benedictæ aspersione, docent frequenter Vitæ Sanctorum. Unum profecto hic ego adjungam, quod & alias docuit Cardius ad hunc nostrum §. num. XXXII. advertendum nempe, quod, si aliquando Aqua benedicta, & aspersa, suum, & optatum non sortiatur effectum, hoc non provenit ex sui imbecillitate, sed, vel ex occulto Dei judicio, vel ex vexati obice, quod clare colligitur ex Petro Abbate Cluniacensi, Lib. I. *De miraculis*, Capite VI. ubi refert, quemdam Monachum a diabolo in forma equi vexatum non potuisse a vexatione liberari Aqua benedicta propter peccatum: *Ne miretur aliquis*, statim subjungit, *benedictæ Aquæ adspersione dæmonem non fugatum; agnoscat, tabe interius latente, unguenta exterius adhibita nihil proficere posse.* Et mox: *Sic æger iste, & Aqua salutari potuit adspergi, & tamen propter occultam, ut post apparuit, peccati labem, non potuit a dæmone liberari.*

## §. XVIII.

**Observet etiam, ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat; & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo; ac si videat, se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.**

## COMMENTARIUS.

I. DÆmones magis per quædam verba Exorcismi, quam per alia torqueri, constat plane ex antiqua Ecclesiæ praxi, cujus meminit inter alios Micrologus in Libro, *De Ecclesiasticis Observationibus*, Cap. VII. ubi sic inquit: *Secundum Romanam auctoritatem nullam Orationem*, Per eum, qui venturus est, *concludimus, nisi sit Exorcismus, in quo diabolus per divinum judicium, ut a creatura Dei discedat, exorcizatur, sive adjuratur.* Cujus ritus rationem non obscure innuit Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, Cap. XXIII. sic dicens: *At quin omnis hæc nostra in illis*, spiritibus scilicet immundis, *dominatio, & potestas de nominatione Christi valet, & commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per Arbitrum Christum imminentia expectant.* Et paulo post: *Ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes, & nobis præsentibus erubescentes.* Plura plane, quæ & ad hunc §. faciunt, explicata jam a nobis superius fuere, præsertim vero in Commentario ad §. IV.

II. De comminatione, cujus mentionem facit præsens §. ut aliquid dicam, sunt plane comminationes ultima jacula, ac novissimi ictus ad expellendam diabolum, maximamque vim habent, illæ præsertim, quibus usus est in Evangelio Christus Dominus, deinde sancti Viri Exorcistæ, quasque Rituale hoc nostrum Romanum præscribit. Quod earum durationem spectat, inquit quidem hic noster §. ut si Exorcista videat comminationem proficere, *in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.* Recte ait, *prout poterit*, quia scilicet haberi etiam ratio debet ad vires corporales Exorcistæ, quæ adeo de-

defatigari non debent, ut langueat, & ad opera necessaria inutilis reddatur, & pereat, ut ad hunc §. notavit Barrufaldus, num. 8. Cæterum habenda est etiam ratio energumenorum, præsertim vero imbecillium, ne & ipsi quoque longis Exorcismis, comminationibusque magis magisque debilitentur.

III. Quamquam vero ita sentiant plerique pii, doctique Viri, aliter tamen olim præscripsit Sacerdotale Venetiis impressum anno MDLXVII. Parte III. Cap. IX. quod inscriptum est, *De modo, quem tenere debet Exorcista in conjurando aliquam personam*, ubi prolixiores fieri comminationes mandat: *Quando pervenerit*, inquit, *ad comminationem, replicet ipsam usque decies, semper pœnam augendo; & si videt profectum in ipsa, continuet usque ad liberationem; & si magis timeret Exorcismum, lege illum, quia unus dæmon plus timet unam rem, quam aliam; & non deficias a fide, sed oportet perseverare duabus, tribus, quatuor, aut sex horis continue, & plus, donec habeas victoriam; & dæmones obstinati semper quærunt defatigare Exorcistam, ut desinat pro labore, & lassitudine exorcizare; & plus timent in prima, quam in secunda vice, quia reputant, se fuisse consecutos victoriam, quando dimittit propter lassitudinem exorcizare, & si in prima die non fuerit liberatus, prosequatur secundo, & tertio, quousque liberetur ex toto.*

IV. Oporteret plane, ut Exorcista esset adamantinus; sed curiosum est, quod mox subjicit: *Solet etiam Exorcista facere præceptum dæmonibus aliis, qui venissent ad succurrendum dæmoni vexanti, in hunc modum*: Præcipio vobis, dæmones, qui venistis in succursum, & adjutorium istius, vel istorum dæmonum hanc creaturam N. vexantis, vel vexantium, ex parte Sanctissimæ Trinitatis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, & sub pœna excommunicationis majoris, & minoris latæ sententiæ, & sub pœna detrusionis in infernum, & sub pœna immersionis in stagnum ignis, & sulphuris per manus inimicorum vestrorum, & sub pœna tradendi vos in potestatem inimicorum vestrorum, ac condemnandi vos in stagnum ignis, & sulphuris per centum annos, quatenus nullum adjutorium, vel favorem detis illis dæmonibus, qui vexant corpus istius creaturæ Dei N. sed discedatis statim, & eatis ad loca vobis deputata. Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David.

V. Hactenus forma excommunicationis in dæmones hominem obsidentes solitæ olim vibrari. Qui quidem ritus excommunicandi dæmonem, & quidem solemniter, servatus etiam aliquando fuit a S. Bernardo, quinimo a duobus una cum eo Episcopis, uti constat ex ejusdem Vita Lib. II. Cap. VI. ubi narratur, incubum dæmonem miseræ mulieri annos jam multos infestum anathematizatum fuisse a S. Bernardo, & duobus Episcopis, ac plebe universa, extinctis candelis, quas omnes adstantes gestabant manibus, & præmissa omnium adscriptione in charta anathematis. Verum adduci non debent hæc in exemplum, nam manifestum est, hanc non esse veram excommunicationem, cum dæmon non sit particeps Ecclesiasticæ communionis, eaque iccirco privari non potest. Feritur ergo dumtaxat execratione, & maledictione, adjunctis ad Deum precibus, ut dæmonis conatus impediat, nosque ab ejus insidiis defendat, uti post alios recte notavit Raynaudus in Tractatione bipartita, *De Monitoriis Ecclesiasticis*, Parte II. Cap. I. Cæterum peccaret hodie Exorcista, si hujusmodi ritu uteretur, cum stare debeat iis, quæ præscribit Rituale Romanum, jussu Romanorum Pontificum editum, atque approbatum; in multis autem, quæ ab ipso Rituali sunt aliena, admirari quidem, non vero imitari exempla Sanctorum debemus.

## §. XIX.

Caveat proinde Exorcista, ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat.

## COMMENTARIUS.

I. Error gravissimus quorundam Exorcistarum est medicinas corporales infirmo, obsessove a dæmone præbere, aut suadere, nam primum non licet sacro homini medicum agere, deinde vero id frustra ageret Exorcista, & sine ullo prorsus effectu, nam ut loquitur S. Thomas, *De potentia*, Quæstione VI. Articulo X. *non est potestas super terram, quæ ei possit comparari, scilicet diabolo; major autem potestas non cogitur a minori, ergo per nihil terrenum dæmones cogi possunt*. Cui consonat Henricus Gandavensis Quodlibeto XVIII. Quæstione XXXV. ubi sic habet: *Vis diaboli naturaliter omnem corpoream creaturam excedit; nec est aliqua vis in lapidibus, aut herbis, quæ ipsum cogere potest, vel fugare ullo modo*. Aliam rationem adducit Liranus in Librum I. Regum, Cap. XVI. *Nulla*, inquiens, *res sensibilis, aut virtus corporalis potest in eis aliquid agere directe, vel indirecte, cum sint omnino spirituales substantiæ, per quod possint ad aliquid compelli, nec per consequens ab obsessis corporibus expelli*. Quod idem docet Capitonius Parte I. Explicationum Catholicarum, Explicatione LIV. his verbis: *Dæmones nequeunt aliqua re sensibili præter eorum voluntatem compelli*. Tum vero subdit: *Quod vero plerumque accidit sive minis, sive herbis, aut lapidibus, aut verbis incognitis tanquam fugatos dæmones videri, a corporibus obsessis ejici, est, quod se projectos, & compulsos simulent. quo decepti homines, idolatriam, superstitionem, & pacta cum illis sequantur*. Atque hinc est, quod merito statuit hic noster §. cavendum Exorcistæ, *ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat*. Id quod etiam a variis Episcopis repetitum, confirmatumque fuit, ac præsertim a Parmensi Episcopo, qui, teste Bordono, Resolutione VII. & Barrufaldo ad hunc nostrum §. sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ præcepit subditis Exorcistis, ne auderent

rent ullo modo præbere anthimonium, oleum, aut quodcumque genus medicinæ, nisi de consensu medici. Sed dico equidem, adhærendum omnino, obtemperandumque præscripto nostri §. qui absolute mandat, cavendum Exorcistæ, ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat; *sed hanc curam medicis relinquat*. Quia nimirum, licet nullum medicamentum, nec quælibet alia res sensibilis vim habeat, sive directam, sive indirectam in dæmones, tamen per res sensibiles potest morbus causatus a dæmone mitigari, & alleviari pro modico saltem tempore secundum Lirani doctrinam, vel in totum tolli, si nempe relinquatur post expulsionem dæmonis.

II. At vero præstat integram hic afferre laudati Lirar' doctrinam, qui citato superius loco, postquam dixit, nullam rem sensibilem, aut virtutem corporalem posse in dæmonibus aliquid agere directe, vel indirecte, ita ad rem nostram subdit: *Videtur tamen rationabiliter concedendum, quod per sensibilia possunt afflicti a dæmonibus afflictionem levius ferre. Uno modo quia actus activorum sunt in patiente prædisposito, ut dicitur* 2. de Anima. *Dæmones autem non possunt materiam corporalem secundum suam voluntatem transmutare, sed hoc faciunt mediantibus activis corporalibus, propter quod in suis actibus homines affligendo, aliquando considerant dispositionem materiæ corporalis, unde & dicuntur aliqui Lunatici, ut habetur Matthæi* 4. *&* 17. *quia secundum variam dispositionem Lunæ affliguntur a dæmonibus ex divina permissione, quia Luna habet dominium super humida, & secundum hoc cerebrum hominis, quod inter omnes partes corporis est magis humidum, magis est aptum ad suscipiendum actionem dæmonis uno tempore, quam alio secundum varium motum Lunæ; & eodem modo ad contrarium per aliquam rem sensibilem potest causari dispositio in corpore humano, per quam minus subjicitur actioni dæmonum, & sic afflictio ab eis causata diminuitur, & alleviatur. Alio modo potest hoc contingere, quia ad afflictionem requiritur perceptio. Delectatio enim est conjunctio convenientis cum convenienti cum perceptione ejusdem, ita quod ubi nulla est perceptio, nulla est delectatio. Et eodem modo est de tristitia, seu afflictione, quæ est de præsenti malo, seu conjunctio cum perceptione ejusdem, & ideo illud, quod diminuit perceptionem hujusmodi, diminuit, & alleviat afflictionem. Melodia vero*, (loquitur de cithara David, quæ Saulem alleviabat) *extrahit a semet attentionem, & per consequens ab alio retrahit, & sic potest alleviare afflictionem a dæmone causatam in homine, in quantum attrahit ad se attentionem, & retrahit ab afflictionis perceptione, sed dæmonem affligentem non potest expellere*. Ita Liranus.

III. Sed ut hanc rem paulo fusius, luculentiusque explicemus, describenda putamus Scripturæ verba, quæ in citato Libro I. Regum, Capite XVI. versu XXIII. hæc sunt: *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus*. Sunt qui ad hunc locum censent, & præ cæteris Josephus, Lib. VI. Antiquitatum, Cap. IX. correptum fuisse Saulem violenta morbi vi a dæmone causati, qui sane morbus adeo hominem suffocabat, ut nullum aptius remedium succurreret medicis, quam excantare miserum, vel pulsu suavium instrumentorum mulcere. In ea enim persuasione fuit Josephus, eo morbi genere laborasse Saulem, quod veteres pelli censebant excantationibus, & musica, ut aliquibus adductis probat eruditissimus Calmet in suo ad recitatum locum Commentario. Putant præterea nonnulli Scriptores, hunc Saulis morbum ex atra bili, & mania potius, quam a dæmone profluisse, ut allatis illorum congruentiis indicat idem Clarissimus Calmet. Verum, quia communior Patrum, & Scriptorum sententia est, Sauli dæmonem re vera insedisse, adhærendum censeo explicationi Lirani, quam amplexus est etiam Cardius in suo ad hunc nostrum §. Commentario, nempe, *quod per melodiam virtute naturali Saul levius poterat ferre, sed per eam, ut sic dæmon non recedebat, sed magis virtute Divina immediate, videlicet mediantibus Angelis Sanctis ex merito David, qui laudes Divinas in cithara canebat pro salute Saulis, sicut per orationes Sanctorum frequenter leguntur dæmones expulsi a corporibus obsessis. Melodia etiam ad hoc aliquo modo faciebat, non agendo in dæmonem, sed in quantum David excitabat*. Et revera, quod David laudes Divinas in cithara caneret, colligitur ex ipso sacro Textu, in quo eodem Cap. XVI. versu XV. & seqq. sic legitur: *Dixeruntque servi Saul ad eum. Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Jubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras*. Et paulo post: *Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum*. Ecce quod David nedum citharam percutiebat, sed & psallebat, idest, Psalmum canebat. Quod autem Psalmus *est profligandis dæmonibus, ac depellendis quoddam amuletum*, docuit jam inter alios Patres Sanctus Basilius in suo ad Psalmorum Librum Procemio.

IV. Sed nec dissimulanda est alia objectio, quæ contra nostri §. doctrinam potest afferri ex Libro Tobiæ, Cap. VI. ubi dicitur, quod Tobiæ juniori interroganti, quam virtutem haberent ea, quæ servata erant ex pisce, Angelus respondit: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, itaut ultra non accedat ad vos*. Verum respondet & ad hanc difficultatem Liranus, ac docet, *quod fumus illius jecoris non expulit dæmonem, sed meritum orationis Tobiæ, quod per fumi odorem designabatur, & hoc patet per illud, quod ibidem dicitur, quod Angelus Raphael apprehendit dæmonem, & relegavit eum in superioribus Ægypti. Ex quo patet, quod non ex virtute fumi jecoris, sed virtute Sancti Angeli voluntatem Divinam exequentis fuit ille dæmon expulsus*. Quare autem voluerit Raphael Angelus cremari jecur piscis, cum ipse solus virtute sua dæmonem expulerit, dici potest hoc fecisse, ut se occultaret, nam cum esset Angelus, & in forma viri se repræsentaret, dixerat enim, Cap. V. versu XVIII. *Ego Azarias Ananiæ magni filius*, nolletque se manifestare, usquequo omnia completa essent, ut legitur Capite XII. tacuit, se velle religare dæmonem in deserto, ne se Angelum patefaceret, & di-

& dixit, fumum jecoris illius piscis, callidis scilicet, dæmones effugare. Nec per hoc, mendacium protulit, usurpavit namque, ut sæpe fieri solet, signum pro signato, fumus enim ille ex Dei, & Angeli beneplacito assumptus fuit ad significandam vim, quæ inerat, non in corde piscis, sed in Oratione Tobiæ ex corde prosiliente, uti post alios laudatus Cardius notat. Cæterum quidquid sit de hujusmodi exemplis, sive in Sacra Scriptura occurrant, sive in Historia Ecclesiastica, & in Vitis Sanctorum, standum est nobis præscripto nostri §. ubi expresse ait, cavendum Exorcistæ, *ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat*. Atque id est, quod in variarum Ecclesiarum Ritualibus statutum legitur.

## §. XX.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur a dæmonio, quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ; atque honestatis memor Exorcista caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

## COMMENTARIUS.

I. HIs plane concinunt quæ statuit S. Carolus in Conciliis Mediolanensibus, Provinciali IV. Parte II. Constitutionum, Cap. I. & Diœcesano itidem IV. Decreto XVIII. *Mulieri energumenæ*, inquit, *cum Exorcismum adhibet, id præstet Exorcista, duobus ætate, vitaque probatis viris, cum feminis etiam itidem probatis præsentibus, iisque omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, aut affinibus*. Tum vero inferius in ipso Provinciali IV. Concilio subdit: *Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione, manum adhibeat*; Et paulo post: *Neve quidquam aliud agat, quod offensionem præbeat*. In Diœcesano tamen Concilio cautius loquitur, monetque Exorcistam, cavendum sibi, *dum exorcizat, ne energumenæ mulieris caput, humeros, manumve tangat*. In summa opus est diligentissima cautione, qua usi sunt Sancti Viri Exorcistæ in energumenarum exorcizatione, inter quos S. Philippus Nerius, uti in ejus Vita refert Gallonius ad annum MDLXX. pag. 124. editionis Romanæ anni MDC. *illud sapienter discipulis monebat, ne energumenas feminas, nisi adstantibus multis adjurare præsumerent*. Atque hæc est regula, quam in ministerio præsertim Ecclesiastico servandam sibi, suisque præscripsit Apostolus in Epistola II. ad Corinthios, Cap. VIII. versu XX. & XXI. *Devitantes hoc, nequis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*.

II. Recte autem & illud mandat hic noster §. *ut mulierem exorcizans semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur a dæmonio*. Periculum enim esset, quod non semel contigit, ut mulier ipsa energumena aliquid minus honeste ageret. Atque huc referri potest, quod legitur in Vita S. Auxentii Abbatis apud Surium die XIV. Februarii de muliere, quam ipse ab obsidente dæmone liberavit: *Rursus autem in via puella quædam neptis Dorothei Comitis, ex peregrinatione venit eques vexata a sævo dæmone, quam etiam a modico spatio allisit humi immundus spiritus ex basternio. Cum autem surrexisset, scissa veste concurrit ad currum, in quo erat Beatus, latrans, & clamans*. Quid tibi rei mecum est Auxenti? quid me uris? quid me persequeris? utinam abortum fecisset uterus, qui te peperit ad nostrum exitium. Ecce enim cum quatuordecim annos latuerim in hac creatura, studes me ab ea separare. *Cum autem vidisset Christi Servus Athleta Auxentius ejus nuditatem, cum vexaretur a dæmone, magna ira percitus, non sivit eam loqui, sed cum increpasset immundum spiritum, clamans voce magna, dixit*: Egredere immunde spiritus ex hac creatura in Nomine Domini nostri Jesu Christi, qui incarnatus fuit ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine. *Stridens itaque, & ejulans dæmon exiit protinus ex puella, cum nec ei quidem fuisset omnino permissum nugari per creaturam*.

III. Cavendum vero Exorcistæ illud potissimum, *ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis*. Id quidem mandat hic noster §. Id quoque præscribit in memoratis Synodis S. Carolus. Atque id est, quod non solum Sacris Hominibus, verum etiam cæteris Christianis servandum est, nisi rei fieri velint scandali, & consequenter læthalis peccati, ut Theologi communiter docent.

## §. XXI.

Dum exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis; jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas Exorcistæ patefaciat.

## COMMENTARIUS.

I. QUod edicit hic noster §. ut nempe Exorcista, *dum exorcizat, utatur sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis*, nititur quidem exemplo Christi Domini, qui, uti legitur in Evangelio Matthæi, Cap. IV. ad confutandum, expellendumque

que a se diabolum tentatorem, non est usus, nisi Sacræ Scripturæ verbis, uti in citato Evangelii Capite videre est, quod etiam in Missa legitur Dominicæ I. in Quadragesima. Hinc S. Rabulas Abbas Sacræ Scripturæ verbis utebatur ad dæmones coercendos, uti legitur in ejus Vita die XIX. Februarii: *Quando vero improbus diabolus in eum irruebat, multis injuriis lacessendo, tunc munitus Scripturis Sacris e Vetere & Novo Testamento petitis eum pari pondere repressit, operibus ipsis in fugam conjecit*. Hujusmodi exemplis plena sunt Acta Sanctorum apud Bollandianos toties memoratos, & Surium.

II. Monet præterea Exorcistam noster §. ut dum exorcizat, *jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta*. Dari magos, maleficosque, quod alias nonnulli ignoranter, perperam, impieque pernegant, jam alias nos supra ex Divinis Scripturis, Patribus, variisque exemplis non uno in loco allatis ostendimus. Quod etiam interdum detentio dæmonis pendeat ab arte ipsa magiæ, soleantque aliquando magi, seu malefici signa quædam conficere externa, vel interna, quibus durantibus, duret maleficii effectus, & illis destructis, penitus cesset, permultis posset probari exemplis, quæ a Scriptoribus omni fide dignis, atque exceptione majoribus referuntur. Ergo aliquando signa ipsa externa, sunt capilli ligati, statuæ cereæ, acus, paleæ, plumæ, ossa, aliaque id genus, quibus solent firmari pacta inter maleficum, & dæmonem, ut, quandiu signum permanet, teneatur dæmon malefacere ex vi pacti; destructo autem signo, vel cesset obligatio, vel etiam dæmon a malefaciendo cessaret. Atque hinc est, quod hic noster §. interrogandum jubeat dæmonem, *an detinentur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta*. Advertendum tamen, quod, uti post alios notat ad hunc nostrum §. Cardius, num. III. hujusmodi signa non sunt causæ physicæ, quia virtutem non habent ex se producendi tales effectus, quales dæmon, & malefici intendunt; sed mere morales, & quidem late usurpatæ, seu puræ conditiones, quia signa sunt, & symbola externa, quibus positis, maleficus dæmonem invocat, & dæmon ad malefici placitum operatur, Deo scilicet sic permittente.

III. His ita explicatis, mandat mox noster §. ut si ipsa malefica signa, vel instrumenta *obsessus ore sumpserit, evomat*. Quia scilicet interdum signa maleficii interna sunt, & ideo recte statuit hic noster §. jubendum dæmonem, ut ea evomat, uti frequenter contigit in liberatione obsessorum, cujus rei innumera pene extant testimonia, & exempla in Vitis Sanctorum, quorum nonnulla recenset laudatus Cardius, num. V. Certe inter miracula S. Dympnæ Virginis, & Martyris, Cap. IV. apud Bollandianos die XV. Maji legitur, ad ejus Sepulchrum liberatum fuisse energumenum, *qui expositus Exorcismis, ejecit uncos acicularum, fragmenta vitrorum, partes sericorum, & capillorum, & similia*. Ibidem in Vita secunda S. Bernardini Senensis, Capite VI. refertur, liberatam obsessam ad ejus Sepulchrum, quæ *evomuit carbonem quemdam extinctum, ita vehementer calidum, ut manum recolligentis eum, non aliter, quam si ignis foret, supercalefaciebat*. Similiter in Miraculis Sancti Joannis Gualberti, Parte XIII. die XII. Julii legitur, quendam obsessum ad Monasterium Vallis Umbrosæ adductum, *qui quosdam nigerrimos carbones paulatim evomens*, Deo gratias, Deo gratias, *inquit*, Convalui. *Ad hæc videnda sociorum, aliorumque fit concursus; nequibant satis mirari, unde illi carbones, præsertim cum se nunquam comedisse fateretur*. Tandem, ut alia exempla omittam, in Vita S. Hugonis Monachi, & Prioris Enziacensis, Cap. III. die XX. Aprilis quædam dæmoniaca *evomuit in modum scarabeorum tria reptilia*; & similiter in Vita S. Eutropii, Cap. III. die XXX. Aprilis, altera *reptile quoddam æstro consimile, vivum, & repens evomuit*.

IV. Tribus autem modis, ut idem Cardius notat, num. VI. res solidæ, & quantativæ in corpus humanum immitti possunt juxta Doctores. Primo per extensionem, & occlusionem pororum, qui ita dilatantur a dæmone, ut hæc duriora inseri possint, rursumque iis insertis, ita clauduntur, ut hujusmodi hiatus nullum postea vestigium remaneat. Sic fulminis radius poros vaginæ penetrat, ferrum, & ensem liquat sine ejusdem vaginæ læsione. Secundo, per divisionem eorum, quæ ingerenda sunt; dæmon enim res solidissimas dividit, & comminuit in partes minutissimas, etiam instar pulveris; tum illas sensim immissas, & ingestas iterum unit, & compingit, atque in pristinam molem restituit, idque tam cito, & subtiliter, ut adstantium oculi talem operationem ob nimiam ejus subtilitatem, & celeritatem advertere nequeant; & hoc ex imperio, quod, Deo permittente, in naturam, & res naturales exercet. Tertio, per carnis vulnus citissime apertum, & consolidatum, per quod materia dura introducitur; dæmon enim sua subtilitate, scientiæ, & potentiæ virtute, homini somnum profundissimum immittere potest, ut soporatus dolorem non sentiat, tum sopore immisso, & adempto doloris sensu, scissione carnem dividere, & post materiam duram, & solidam immittere; deinde aliis naturalis, & efficacibus remediis brevissimo tempore vulnus consolidare, itaut nulla cicatrix, vel vestigium incisionis relinquatur. Ex his tribus dicendi modis elige quem velis; ac vide, si lubet, Martinum Delrio, Lib. III. *Disquisitionum Magicarum*, Parte I. Quæstione III. Sectione VI.

V. Advertendum tamen, quod aliquando instrumenta illa, quæ evomuntur a maleficio affectis, nec vere, & realiter in corpora immittuntur, nec e corporibus ejiciuntur, sed aliunde cito accepta, statim in ea supponuntur. Sic in Vita S. Isidori Episcopi Hispalensis die IV. Aprilis, legitur, quod dum ad ejus Sepulchrum a quadam energumena egrederentur dæmones, *unus illorum dæmonum per os mierculæ projecit nummum, & alius lapillum, quem de pelago Salmantino se eodem momento asseruit extraxisse; tertius autem plumbum, quod eadem mulier in summitate vittæ colligatum circumferebat*. Aliquando res, quæ evomuntur, nec suppositæ, nec reales sunt, sed tantum apparentes, oculos adstantium perstringendo, adeo ut cum evomitione, & excrementis eductæ esse videantur. Sic in Vita B. Joannis Taussiniani Episcopi Ferrariensis, Cap. II. die XXIV. Julii narratur, quod *Vir Dei Joannes cum semel ad visitandam quandam mulierem a dæmone vexatam, nec non maleficiis*

*ficiis diabolicis pene consumptam venisset... non multo post Sacerdos ad infirmam cum Dominico Domini nostri Jesu Christi Corpore venit, tum ut eam communicaret, tum ut spiritum eam vexantem ab eo corpore exire conjurationibus compelleret. Sacerdos cum vix intra cubiculum cum Sacramento Dominici Corporis venisset, illa mulier statim clavos, acus, ærisque frustra ad vomitum conversa evomere videbatur*. Sed notanda potissimum, quæ ad nostram rem laudatus Scriptor mox subjicit: *Qui huic aderant spectaculo, omnes stupebant, & unus, qui vas vomitionis ad os mulieris tenebat, cum B. Joanne contendere cœpit, an quæ evomuerat hæc mulier, essent vera, & ea vere fore asserebat. Sed in contrarium Vir Dei veritatem esse asserebat, nam clavos, acus, & æris frustra, non vera, sed diabolico præstigio ita videri, & hoc diabolo oculos adstantium præstigiante. At ille pertinaci fronte Beato Viro resistens, manum in catino apponens, clavos, acus, & æris frustra, sua manu elevabat, & Episcopo, ut videret, porrigebat, quæ adstantibus omnibus cernenda ostendebat. Sed Vir Dei eorum cæcitatem videns, immundo spiritui ex illo mulieris corpore exire præcepit. Hoc imperato, cum fœtore maximo immundus spiritus ex illo exivit corpore, & quæ prius in clavos, & acus, & æris frustra cernebantur, modo non nisi in flegma, sicut juxta veritatem prius erant, conspiciunt. Tunc Vir Dei, diaboli præstigium aperuit, & adstantium cæcitatem propulsavit, asserens, talia, non clavos, non acus, non æris frustra fore, sed flegma*.

VI. His concinunt quæ & ad hunc nostrum §. notavit Barrufaldus, num. 91. quod sæpius nempe energumeni evomere clavos, cultellos, acus, soleas equinas, vittas, globulos plumbeos, persicorum ossa, poma, plumas, ligna, candelas, & alia hujusmodi visi sunt; sed peractis Exorcismis, victoque diabolo, illusiones detectæ sunt; & res evomitas, nihil aliud esse, nisi salivam, flegmata, & pituitas stomachi compertum est; vel si vere tales erant, quales apparebant, nil facilius est celeritati dæmonis illa suppeditare, auferendo a variis officinis, ut adstantibus magis illuderet. Cæterum fateri cogimur, multas mulierculas fictas energumenas immissa prius clam in os hujusmodi instrumenta, summa dexteritate, post varios Exorcismos, coram multitudine evomuisse, ut sic obtentam liberationis gratiam prædicantes, eleemosynas facilius emungerent. Id quod, dum hæc scribimus, quædam muliercula attentavit, meritoque iccirco ab Urbis Gubernatore severe castigata.

VII. Sed ut ad nostrum §. redeam, mandat is quidem, ut Exorcista dæmoni etiam jubeat, ut, si instrumenta ipsa, quibus maleficium confectum fuit, *alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur*. Atque hic nota primum, aliud esse petere, aliud jubere, ut dæmon signa maleficii revelet; primum enim illicitum est, ut alias diximus, secundum vero licitum, ut communiter docent, & merito a Rituali tum alibi, tum in hoc §. admissum. Cæterum major difficultas illa est, an nempe liceat signa maleficii removere, vel comburere spe cessationis nocumenti, & pristinæ valetudinis recuperandæ. Hanc Quæstionem primus omnium ex professo, ut ait Cardius num. IX. instituit Henricus Gandavensis Quodlibeto V. Quæstione XXXIII. quem postea communiter sequuti sunt Theologi, quos supra XLVII. enumerat Brognolus in Alexicacon. Tom. II. Disputatione III. §. V. quibus tamen non adhærent Joannes Hessels a Lovanio in Prælectione Libri IV. Sententiarum, Estius in ipsum Librum IV. Sententiarum, Distinctione XXXIV. §. VIII. Franciscus Sylvius in Secundam Secundæ Quæstione XCVI. Articulo IV. qui tamen ut probabilem admittit Henrici sententiam, & Pignatellus Tom. I. Consultationum Canonicarum, Consultatione LIX. Sed standum est præscripto nostri §. qui expresse edicit, ut dæmoni Exorcista jubeat, ut si ipsa instrumenta, quibus confectum maleficium fuit, *alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur*. Comburenda quidem sunt, ut statuit noster §. non vero tradenda Sanctæ Inquisitionis Tribunali, ut suis loco, & tempore ad relevandum corpus delicti inserviant in causis Sancti Officii; uti contra nostrum §. sentit Barrufaldus num. 91. in fine.

VIII. Monendum denique ait noster §. Obsessum, *ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat*. Utilitatem hujus moniti exposuit jam olim Cassianus Collatione II. Cap. X. Sed magis apposite Venerabilis Beda Lib. III. in Lucam, Cap. VIII. ubi ita inquit: *Sed & nostri temporis Sacerdotes, qui per Exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere: Patientes non aliter valent curari, nisi quantum sapere possunt; omne quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, tactu, & alio quolibet corporis, vel animi sensu vigilantes, dormientesve pertulerint, confitendo patenter exponant..... Quæ mendacio simillima res, sed adeo vera, & plurimorum est attestatione notissima, ut quidam vicinus mihi Presbyter retulerit, se quandam sanctimonialem feminam a dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse. Confessa autem, quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque, quæ oportebat, purificationum generibus effugasse, & ejusdem feminæ corpus ab ulceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio adjuncto sale benedicto curasse*. Porro opus est, ut habeat Exorcista prompta remedia ad superandas tentationes, quas obsessus ei patefaciet; aliter enim ea revelatio nihil prodesset.

## §. XXII.

Si vero obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

## COMMENTARIUS.

I. Scitissime adnotat Cardius in suo ad hunc §. Commentario, num. I. totum istius §. documentum fundari in verbis Christi Domini, quæ leguntur in Evangelio Lucæ Cap. XI. & in Matthæi Evangelio Cap. XII. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambu-*

*bulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit. Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Hinc recte ait hic noster, ut si obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi. Quod interdum propter peccatum dæmon primo ingrediatur in hominem, eumque obsideat, jam diximus supra, ostendimusque in Præfatione ad Capitis hujus Rubricam; quod vero etiam propter peccatum iterum ad hominem ipsum introeat, obsideatque, præter testimonium Christi Domini superius recitatum, variis quoque probari potest exemplis.

II. Ut autem ex multis, quæ in Ecclesiastica Historia, & in Sanctorum Vitis occurunt, unum, aut alterum referam, in Gloria posthuma S. Ubaldi Episcopi Eugubini, Cap. IV. die XVI. Maji apud Bollandianos, narratur, quod quædam puella post liberationem a dæmone obsidente, iterum ab eodem invasa fuit, cum ad idem peccatum revertisset, quæ tamen rursus liberata, serio monita est, ut cautius ageret. In Vita quoque S. Hypatii Abbatis, Cap. VII. die XVII. Junii, legitur, energumenum quemdam sanatum, cum iterum ad juveniles sæculi ineptias deflexisset, iterum a dæmone fuisse obsessum. Cæterum ritum esse antiquum, ut liberatus semel a dæmone, ab Exorcista admoneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, vetera exempla testantur, ac antiqua Exorcistarum id genus monita. Certe S. Rumoldus Episcopus & Martyr, ut in ejus Vita legitur Cap. IV. die I. Julii, postquam dæmoniacum liberavit, ipsi dixit: *Abi sanus, neque sceleribus amplius te commacules; at cura, ut postbac resipiscas.* Atque, ut alios omittam, S. Euthymius Abbas, ut narrat ejus Vitæ Auctor, Cap. XXIV. die XX. Januarii, post mortem apparuit cuidam Monacho, qui invasus fuerat a dæmone ob furtum sacrilegum, ob ebrietatem, & ob admissas turpes cogitationes, & postea liberatus, cui dixit: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, sed attende tibi ipsi, nequid contingat deterius.* Alia id genus exempla multa in Sanctorum Exorcistarum Vitis invenies.

## §. XXIII.

Itaque Sacerdos, sive alius Exorcista, rite confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, Divinoque auxilio piis precibus implorato, Superpelliceo, & Stola violacea, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & adstantes communiat signo Crucis, & adspergat Aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad Preces exclusive. In fine Antiphona: *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Psalmus LIII. *Deus in Nomine tuo salvum me fac &c.* ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum* (vel *famulam tuam*) *quem* (vel *quam*) *delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.*

Oratio.

*Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti; quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret; velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, a ruina, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat Vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissime, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit,* Deum non novi, nec Israel dimitto. *Urgeat illum dextera tua potens discedere a famulo tuo N.* (vel *a famula tua N.*) ✠ *ne diutius præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Post generales instructiones ad Exorcismos rite adhibendos descendit Rituale in hoc præsenti §. ad eorum praxim, aitque primum, ut Sacerdos, sive alius Exorcista, qui scilicet actu exorcizet, sit in statu Gratiæ, ut nempe digne, tuto, & efficaciter suas va-

valeat partes adimplere: *Rite confessus*, inquit, *aut saltem corde peccata sua detestans*. Solum ergo noster §. in adjurante statum exigit Gratiæ, sive per Sacramentalem Confessionem, sive per cordis contritionem. Verum S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Parte II. Constitutionum, Cap. I. & in Diœcesano itidem IV. Mediolanensi, Decreto XVIII. absolute requirit in ipso Exorcista Confessionem; postquam enim dixit, ut Exorcista in hujus muneris functione graviter, pie, & religiose in primis se gerat, & pridie illius diei, quo alicui Exorcismum adhibere incœperit, se jejunio, & oratione præparare studeat, ita statim subjicit: *Tum confessus, conscientia ab omni culpa pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor potestatis, quam a Domino accepit expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat*. Cæterum, sive Confessio, sive cordis saltem contritio, juxta monitum nostri §. adeo est necessaria in adjurante, ut, si in peccato mortali exorcizaret, in peccatum certe mortale aliud incideret, juxta probatam S. Thomæ doctrinam, qui in IV. Sententiarum, Distinctione XXIV. Quæstione I. Articulo III. Quæstiuncula V. sic inquit: *Quidquid homo, quod sibi competit ex Ordine, facit indigne, quod justum est, injuste exequitur, ac propterea mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat, unde patet, quod mortaliter peccat*. Et ibidem in Responsione ad IV. *Quandocumque*, inquit, *exhibet se in aliquo actu ut Ecclesiæ Ministrum, mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit*.

II. Mandat præterea hic noster §. ut Exorcista, qui scilicet Sacerdos sit, *peracto, si commode fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato*, ad id munus obeundum accedat. Atque id est, quod etiam statuit in memoratis Conciliis S. Carolus sic inquiens: *Si Sacerdos autem est, antequam Exorcismum inchoet, Missæ Sacrum faciat, si id commode præstare potest*; & quod olim observatum invenimus a Sanctis Exorcistis, ac præsertim a S. Stephano Sabaitarum Thaumaturgo, qui, cum ad eum deducta fuisset puella decennis ab immundis spiritibus vexata, *Sacrosancti Sacrificii Synaxim instituit; Divina vero Liturgia peracta, puellam Oleo simul, & Aqua lustrali inunxit, & liberata est*, ut legitur in ejus Vita, Cap. III. Item a S. Wolfango Ratisponensi Episcopo, ut refert Auctor ejus Vitæ die XXXI. Octobris; & ab aliis pariter, quorum exempla legere est apud Surium, & Bollandianos Scriptores. Ad preces autem quod attinet, quibus ad divinum auxilium implorandum, præparare Exorcista se debeat, jam supra non uno in loco diximus Commentariorum nostrorum ad præcedentes Paragraphos, præsertim vero in Commentario ad §. XI.

III. Rursus, ut rite Exorcista suo ministerio fungatur, mandat noster §. ut sit *Superpelliceo, & Stola violacea indutus*; estque hic antiquus ritus, cui etiam inhæsit Sacerdotale anni MDLXVII. Parte III. Cap. IX. ubi agens de modo, quem tenere debet Exorcista in conjurando aliquam personam, inter alia edicit, ut *habeat Exorcista Superpelliceum, & Stolam*. Stolam præsertim adhibitam in Exorcismis peragendis docet nos exemplum S. Norberti, qui, ut legitur in ejus Vita, Cap. VIII. die VI. Junii, *Stola indutus Exorcismum agere aggressus est*. Sic & Monachi Valambrosani, uti videre est Parte XIII. Miraculorum S. Joannis Gualberti, die XII. Julii Stolam adhibebant. Porro mandat idem noster §. ut ipsius Stolæ *extrema pars ad obsessi collum circumponatur*. Atque hic quoque antiquus est ritus, & modus, quo diabolum vicit S. Contestus Episcopus Bajocensis, ut legitur in ejus Vita apud Bollandum, Tomo II. Januarii in Addendis ad diem XIX. ubi Vitæ prædictæ Auctor ita rem narrat. *Qui Protoplastos parentes etiam intra Paradisi claustra, ipsumque Dominum in vasto solitudinis Deserto tentare ausus est, magis, ac magis Viro Dei invidens, subque gigantina specie apparens, illum in luxuriæ nefandum scelus impellere tentavit, & stimulos carnis venereos, ipsiusque satanæ angelos inflammando concitare enixus est. Cui quidem veneno Sanctus Dei orationis scutum opposuit, quo munitus ad Deum O. M. castitatis auctorem, & amatorem tanquam ad lydium lapidem recurrit, unde protinus palmam pudicitiæ adeptus est, atque Stola collo gigantis injecta, salutis humanæ adversarium per Urbis vicos, & plateas tanquam canem post se trahit, & victoriæ triumphum ducens, illum palam Divinæ adjurationis Sacramento constrinxit, ut quis esset, profiteretur. Se esse Satanam æterni carceris ministrum, & carnificem, atque impiorum, & infidelium tortorem asseruit. Unde tali miraculo infideles concitati, sanctum Baptisma efflagitaverunt, unum Deum, unam Fidem, & unum Ovile complectentes*.

IV. Aliud simile factum legitur de S. Leone Episcopo Catanensi, qui Orario, seu Stola magum quemdam Heliodorum nomine domuit, teste Auctore ejus Vitæ apud memoratum Bollandum die XX. Februarii: *Beatus Leo genibus ad Aram advolutus, precibusque peractis, ad Heliodorum festinat, eique Orarium suum in Collum innectit, dicens*: Per Christum Dominum meum nihil hic valebunt magicæ artes tuæ; *deduxitque ad locum, cui nomen Achilleus, ibique flammis adurendum dedit; nec manum suam, quæ illæsa cum Orario mansit, ante subduxit, quam miser ille in cineres redigeretur*. Cæterum, quod, *quoties Stola cingebatur, toties dæmon inferiores partes, vel intestina peteret, nonnumquam pedum, vel manuum extrema adiret, ubi ea admovebatur*, Stola scilicet, sive ejus extrema pars, de qua in præsenti agimus, testatur antiquus Scriptor Miraculorum S. Joannis Gualberti citata Parte XIII. Sed celebre est illud in hac re, quod refert Gabutius in Vita S. Pii Papæ V. Lib. VI. Cap. XVII. his verbis: *Quædam a dæmone vexata mulier, Pontifice Templum ineunte, horribili omnia strepitu complevit. Tum Pontifex paululum consistens, eodem signo*, Crucis scilicet, *miseram insignivit; at in ea liberanda plus negotii, quam in reliquis fuit. Injecit ejus capiti Stolam, ac dæmonem jussit abscedere, ejusque digressus certam significationem dare. Saliit tunc femina, impellente sic dæmone, qui ad extremum levi flatu facem extinxit, ut discessus ejus extaret testimonium; tum illa in terram corruit, ut mortuæ potius, quam vivæ speciem haberet; rediit porro non multo post ad respirationem, seque hospite pessimo liberatam esse cognovit*.

V. Porro quod ait noster §. constituendum coram Sacerdote exorcizante *obsessum ligatum*, recte censet ad hunc §. Barrufaldus, num. 104. intelligendum id esse de obsesso furente, quinimo etiam subdit, etiamsi furens esset energumenus ductus ad Sacerdotem, nullo modo eum ligari debere, nisi furor proveniret ex morbo naturali, & vere furens esset, non dæmoniacus nam alias statim ac Sacerdos cognoverit, patientem esse energumenum, ait, illum solvendum esse; secus si ex morbo fureret, quia nimirum furor supernaturalis a dæmone intus operante proveniens, in conspectu Sacerdotis cessare debet, nec ulla timenda est noxa ab ipso Sacerdote, seu ab adstantibus. Minabitur quidem obsessus, tentabit ictus, & clades, sed præter vocem, nihil amplius erit, ut sepius experientia compertum est; tum vero potissimum, quod idem noster §, mandet, ut Sacerdos *eum*, obsessum scilicet, *se*, *& adstantes communiat signo Crucis, & adspergat Aqua benedicta*, quorum quidem magna est virtus ad compescendam omnem dæmonis obsidentis violentiam, uti jam supra non uno in loco Commentariorum diximus.

VI. Facta Crucis consignatione, & Aquæ benedictæ adspersione, mandat mox noster §. ut Sacerdos exorcizans *genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad Preces exclusive*. Litaniæ ordinariæ, quæ & Sanctorum nuncupantur, sunt illæ, quæ appositæ sunt in fine Breviarii Romani, & etiam in hoc Rituali Romano, supra Tomo I. Tit. V. Cap. III. post septem Psalmos Pœnitentiales, de quibus late ibidem diximus. Antiquum autem esse ritum, ut Litaniæ ipsæ in exorcizatione obsessorum dicerentur, addiscere licet a Falcuino Lobiensi Abbate, qui obiit anno CMXC. ubi in Libro, *De Gestis Abbatum Lobiensium*, Cap. XXXIII. apud Dacherium Tomo II. Spicilegii, narrat quid sibi contigerit in ipsarum Litaniarum recitatione cum muliere a dæmone obsessa: *Mulier quædam*, inquit, *plena dæmonio, a parentibus ad S. Ursmari Sepulchrum attracta est .... Audires interdum canem latrantem, sibilum serpentinum, taurorum mugitum, ut quasi uno cubili essent diversa ferarum monstra*. Tum paucis interjectis: *Fratres condolentes illi, Ecclesiam S. Ursmari petunt, pro ejus ereptione Dominum deprecaturi. Proposuerunt Litaniam agere, cujus recitatio mihi injuncta est. Ubi ergo post recitationem Sanctorum omnium ad locum perventum est, quo potius dicere deberem*, Per adventum tuum, libera nos Domine; *vocibus ejus perterritus anticipavi dicere*, Per nativitatem tuam. *Tunc illa, imo ille, quo misera illa torquebatur*, Mentiris, *inquit*, & præpostere loqueris. *Expavi fateor, & pene extra me effectus sum; at ubi me recepi, Litaniam sum prosequutus*. Atque hic nota, devote, & attente Litanias, sicut & cæteras preces, esse dicendas.

VII. Litaniis finitis, & quidem *usque ad Preces exclusive*, ex præscripto nostri §. dicitur statim Antiphona, *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris*. Tum vero dicitur, *Pater noster &c.* Psalmus LIII. *Deus in Nomine tuo salvum me fac &c.* Deinde Preces, ac duæ tandem Orationes in §. descriptæ. Sane præponitur Antiphona ipsa cæteris Precibus, ad significandam, quæcumque adversa nobis, ac interdum etiam dæmonis invasionem, propter peccata, uti diximus in nostra ad Capitis hujus Rubricam Præfatione, provenire. Dicitur autem memoratus Psalmus, qui, ut in ipsum notavit Bellarminus, scriptus fuit, ut homines intelligerent, in magnis persecutionibus recurrendum esse ad Deum, & in illo sperandum. Preces denique, atque Orationes præscriptæ, ad remissionem peccatorum, & ad obsessi a dæmone liberationem spectant.

## §. XXIV.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

*Præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per Mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per missionem Spiritus Sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo, & ut mihi Dei Ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias, neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.*

## COMMENTARIUS.

I. A Præceptis incipit exorcizatio, ut dæmon hoc pacto auctoritatem Exorcistæ sentiat, eique obediat. Præceptum enim, ut inter alios tradit Barrufaldus ad hunc §. num. 107. est Ordinatio, seu Mandatum, quo efficaciter adstringitur dæmon virtute Divina ad Exorcistæ, ut Ministro Christi, & Ecclesiæ, obedientiam præstandam. A Præcepto differt Objurgatio, qua etiam dæmones objurgantur, & adjurantur; estque dæmonis increpatio, ac operationum ejus reprehensio ad coercendam ejus superbiam, ne energumenum tentet, vel affligat. Plura de hujusmodi Præceptis, & objurgationibus tradunt quidem antiqui Codices Rituales, atque Scriptores, sed observandum plane est, quod de iisdem, aliisque ad exorcizationem obsessorum spectantibus docet, præscribitque Rituale Romanum. Extat quidem Præceptum in Sacerdotali anni MDLXVII. pag. 308. ubi inter alia præcipit Exorcista obsidenti dæmoni *sub pœna excommunicationis majoris, & minoris & auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum Successorum ipsius Beatissimi Petri Apostoli, ut ostendat ipsi nomen suum, & diem, & horam exitus sui cum signo extinctionis luminis*. Sed hæc formula jam merito correcta fuit a nostro Rituali Romano, nequit enim excommunicari dæmon, cum non sit particeps Ecclesiæ

clesiasticæ communionis; licet non desint exempla excommunicationis dæmoni a Sanctis Viris interdum inflictæ, de qua jam diximus supra in Commentario ad §. XVIII.

II. Sed ut aliqua de ipso Præcepto dicamus præscripto in præsenti nostro §. præcipit quidem in eo Exorcista dæmoni obsidenti, aliisque ejus sociis, si plures nempe fuerint, *ut per Mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per missionem Spiritus Sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad Judicium*, dicat sibi nomen suum, diem, & horam exitus sui cum aliquo signo. De interrogatione non modo nominis, sed & numeri spirituum obsidentium, ac de tempore, quo ingressi sunt, & causa, jam diximus supra in Commentario ad §. XVI. Quod vero præsenti præcepto adstringatur diabolus ad dicendum diem, & horam exitus sui cùm aliquo signo, jam id quoque explicatum a nobis superius fuit in Commentario ad §. VI. confirmaturque exemplo S. Pii Papæ V. qui, ut ait Gabutius in ejus Vita Lib. VI. Cap. XVII. ad liberandam energumenam, *injecit ejus capiti Stolam, ac dæmonem jussit abscedere, ejusque digressus certam significationem dare*. Cæterum, uti jam diximus in citato nostro ad §. VI. Commentario, nulla sunt signa infallibilia liberationis, quia scilicet ipsi dæmones non aliis rebus exire coguntur, nisi Dei voluntate, ac proinde potest plura signa egressus sui dæmon Exorcistæ promittere, & tamen minime egredi, sed in obsessis latere.

## §. XXV.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum. *Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem*. Hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore, & pectore: *In principio erat Verbum &c.* usque ad ea verba, *plenum gratiæ, & veritatis*.

*Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum. In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Euntes in Mundum universum &c.* usque ad verba: *super ægros manus imponent, & bene habebunt*.

*Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio &c.* usque ad verba: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cælis*.

*Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium &c.* usque ad verba: *universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet*.

℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

*Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, & Dominus universæ creaturæ, qui Sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate; cujus virtute motus tanquam fulgur de Cælo satanas cecidit: tuum sanctum Nomen cum timore, & tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo data venia omnium delictorum meorum, constantem fidem, & potestatem donare digneris, ut hunc crudelem dæmonem brachii tui sancti munitus potentia, fidenter, & securus aggrediar, per te, Jesu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem*. ℟. *Amen*.

## COMMENTARIUS.

I. Magnam esse adversus dæmones Evangelii virtutem, communiter SS. Patres testantur, Scriptoresque de Divinis Officiis, quos sequutus Durandus Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XXIV. num. 21. ita ad nostram rem inquit: *Recte contra diabolum Evangelium legitur, ut illum sua virtute expellat, quoniam diabolus nihil tantum, quantum Evangelium, odit*. Hinc moris plane fuit, ut in exorcizatione obsessorum Evangelia legerentur. Sic S. Norbertus Ordinis Præmonstratensis Fundator, & Archiepiscopus Magdaburgensis, ut puellam a dæmonio obsessam liberaret, jussit inter alia, ut multa Evangeliorum loca super ipsam legerentur: *Plurima*, inquit Auctor ejus Vitæ, Cap. VIII. *Evangelia super caput ejus lecta sunt... & perfecte sanata est*. Sane primum Evangelium in nostro §. præscriptum, est initium Evangelii S. Joannis, quod Dei ineffabilem Dei essentiam ostendit, & ad mirabilem Filii Dei incarnationem. Secundum est ex Capite XVI. S. Marci desumptum, & notat signa credentium, inter quæ illud est: *In Nomine meo dæmonia ejicient*. Tertium ex Capite X. Lucæ, & continet potestatem datam Apostolis super dæmonia. Quartum ex Capite XI. ejusdem Lucæ, ubi narratur historia dæmoniaci muti, quem Christus a dæmone obsidente liberavit.

II. Ex præscripto quidem nostri §. ubi Exorcista dicit, *Lectio Sancti Evangelii &c.* signat se, & obsessum in fronte, ore, & pectore, estque hic antiquus, probatusque Ecclesiæ ritus, ut qui legit, auditque Evangelium, ad ea verba tribus memoratis locis se signet, uti jam diximus in Opere nostro, *De Codice Sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario riti-*

*bus*, Lib. II. Cap. XVI. Sed notandum hic tamen censeo, quod monet S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Parte II. Constitutionum, Cap. I. prope finem, ubi sic inquit: *Caveat*, nempe Exorcista, *dum exorcizat, nec energumenæ mulieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione, manum adhibeat*. Putarem equidem, optimum fore, si dum ea proferuntur verba, *Lectio Sancti Evangelii &c.* aliqua energumenæ propinqua, si adsit, ipsam in fronte, ore, & pectore signaret.

III. Ad Orationem tandem quod attinent in eodem nostro §. præscriptam, *Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris &c.* extat ea plane in antiquo Sacerdotali anni MDLXVII. ex ejusque præscripto dicebatur initio exorcizationis, uti liquet ex Rubrica eidem Orationi præfixa: *Completa*, inquit, *Missa, Sacerdos non exuat se, sed si sit paratus Missalibus indumentis, candelam benedictam accensam in manu tenens, stet in medio ante Altare, facie versa ad populum, habens obsessum ante pedes ligatum, si necesse fuerit, & humili corde, devotoque aspectu se, & adstantes muniat signo Crucis, alta voce dicendo*: In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio. Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris &c.* Atque hæc oratio usque ad illa verba, *Per te Jesu Christe*, habetur in Exorcismo S. Ambrosio tributo, & invento in Vaticano Codice annorum DC. locis tantum nonnullis immutatis a Cardio exhibitis in suis Commentariis ad Ritualis Romani documenta, *De exorcizandis obsessis a dæmonio*, pag. 456. ad calcem.

## §. XXVI.

Deinde muniens se, & obsessum signo Crucis, circumposita parte Stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ*. ℟. *Vicit Leo de Tribu Juda, Radix David*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

*Oremus*.

*Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, invoco Nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, & omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Quum magna, ac multiplex sit signi Crucis virtus, ut alias ostendimus, mirum videri non debet, si iterum iterumque in exorcizatione obsessi adhibetur. Recte itaque mandat hic noster §. ut lectis Evangeliis, & recitata oratione super obsessum, deinde Exorcista, *muniens se, & obsessum signo Crucis, circumposita parte Stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur &c.* Teste Gabutio in Vita S. Pii Papæ V. Lib. VI. Cap. XVI. cujus locum etiam supra descripsimus, S. Pontifex ubi energumenam conjuravit, & signo Crucis illam affecit, & Stolam capiti ejus injecit, juxta ritum scilicet longa Ecclesiæ praxi probatum, & in Ritualibus antiquis, recentibusque præscriptum.

II. Ut autem de alio ritu dicamus imponendæ manus super caput obsessi, quem hic noster §. præscribit, præmittendum censeo, multiplicem olim fuisse in Ecclesia manuum impositionem, præsertim vero quatruplicem, nempe *ordinativam*, ut ajunt, *reconciliativam*, *confirmativam*, & *curativam*. Ordinativa dicitur illa, qua Sacrorum Ministri constituuntur, & de qua S. Paulus in Epistola I. ad Timotheum, Cap. IV. versu XIV. inquit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum Presbyterii*. Et iterum Cap. V. versu XXII. *manus cito nemini imposueris*. Reconciliativa, cujus frequens est mentio apud Veteres, erat illa, qua pœnitentes ad gratiam absolutionis admittebantur, cujus meminere Concilia, Carthaginense IV. Can. LXXVIII. Agathense Canone XV. & Arausicanum I. Can. III. ubi loquens de pœnitentibus infirmis absolvendis, ait: *Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant*. Confirmativa est illa, qua Spiritus Sancti plenitudinem Apostoli largiebantur, juxta illud Actuum Apostolorum Cap. VIII. versu XVII. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Curativa tandem erat ad fugandos corporis morbos, & exercendam salutiferam illam virtutem, quam Christus Dominus Apostolis, ac in eum credentibus promisit, his verbis in Evangelio Marci Capite ultimo expressis, versu XVIII. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*.

III. Sub hac postrema (ut scite Cardius observat in citato toties Opere, in Commentario ad Documentum XVIII. num. III.) comprehenditur manus impositio a nostro Rituali cohærenter ad Sacros Canones. Quum enim ordinatur Exorcista, ipsi datur potestas manus imponendi super energumenos, ut legitur in Concilio Carthaginensi IV. Can. VII. *Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu Libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizandum, sive Catechumenum*. Plura de hoc Exorcistæ munere jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum VII. qui inscriptus est, *De Ordinatione Exorcistarum*. Hanc sane praxim sequuti sunt omni ævo Sancti Viri, qui exorcizandis a dæmonio obsessis ope-

operam suam navassent. Certe de S. Ephræm Syro legitur in ejus Vita Cap. III. apud Bollandum die I. Februari, *quod manuum sanctarum impositione, & precibus hominem protinus ab illa affectione*, dæmoniaca nempe, *liberavit, & pristinæ sanitati restituit*. De S. Desiderato Episcopo Bituricensi in ejus Vita die VIII. Maji etiam refertur, quod *oratione præmissa, obsessæ mulieris caput sacratis manibus fortiter strinxit, donec hoste fugato, eam penitus liberam, & optime valentem dimisit*. De S. Germano Parisiensi Episcopo in ejus Vita die XVIII. Maji narratur, quod *admota ejus dextera, dæmones de obsessis corporibus vertebantur in fugam*. His adde & exemplum S. Patrocli Diaconi, & Abbatis, qui, ut scribit S. Gregorius Turonensis de Vitis Patrum, Cap. VIII. *multos energumenos, manu imposita, per signum Crucis effugatis dæmonibus, mente integra reddidit*.

IV. Una cum manus impositione mandat etiam hic noster §. ut Exorcista *constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur*, nempe ℣. *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ*, & ℟. *Vicit Leo de Tribu Juda, Radix David*. Quæ verba desumpta sunt ex tertia Antiphona quæ legitur ad Vesperas, & Laudes Officii Inventionis Sanctæ Crucis die III. Maji, ejusque Exaltationis die XIV. Septembris; valentque plurimum ad liberandos a dæmone obsessos, ut inter alia nos docet exemplum, quod de ea re legitur in Libro Miraculorum S. Antonii Patavini, Cap. VI. apud Bollandianos die XIII. Junii, ubi narratur, quod cuidam mulieri a dæmone vexatæ apparuit in somnis S. Antonius, qui ei dixit: *Surge mulier, & hanc custodi cedulam, per quam a vexatione dæmonis recipies sanitatem*; & surgens a somno reperit in corde suo quandam cartam de pergameno, in qua litteris aureis talia erant scripta: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja*. Et tunc illam tentationem amisit. Subdit mox etiam Scriptor, quod, *cum Rex*, Lusitaniæ, *Dionysius ista, viro referente, audivit, cedulam prædictam habuit, & statim iterum diabolus eam mulierem invasit*; sed cum vir uxori compatiens, *Rescriptum cedulæ a Rege habuit, & dedit mulieri ipsam, ut principalis cedula, a vexatione dæmonum liberavit*. Similia exempla permulta in aliorum Sanctorum Vitis invenies.

## §. XXVII.

*Exorcismus.*

*Exorcizo te, immundissime spiritus, omnis incursio adversarii, omnis phantasma, omnis legio, in Nomine Domini nostri Jesu Christi* ✠ *eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei.* ✠ *Ipse tibi imperat, qui te de supernis Cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, & tempestatibus imperavit. Audi ergo, & time, satana, inimice Fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, justitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum; quid stas, & resistis, cum scias, Christum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venundatus, in Agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.* Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi. *Recede ergo in Nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti. Da locum Spiritui Sancto per hoc signum Sanctæ* ✠ *Crucis Jesu Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & eodem Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Deus conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum* N. (vel *hanc famulam tuam* N.) *qui*, (vel *quæ*) *dolis immundi spiritus appetitur, quem vetus adversarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumvolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesve ejus insidias amove; procul impius tentator aufugiat; sit Nominis tui signo* ✠ (in fronte) *famulus tuus munitus, & in animo tutus, & corpore.* (tres Cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci) *Tu pectoris* ✠ *hujus interna custodias. Tu viscera* ✠ *regas. Tu cor* ✠ *confirmes. In anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da, Domine, ad hanc invocationem Sanctissimi Nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibique possit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum &c.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. Antiquus est plane hic Exorcismus, qui una cum Oratione in hoc nostro §. descripta legitur in antiquo Sacerdotali Venetiis impresso anno MDLXVII. mutatis tamen nonnullis, quibusdam sublatis, aliisque adjunctis, tam in Exorcismo, quam in Oratione,

ne. Porro signatur sæpe energumenus Crucis signaculo, quod, summo terrori sit hoc signum dæmonibus, ut non uno in loco diximus, probavimusque Patrum testimoniis, ac Sanctorum Exorcistarum exemplis, qui innumeros pene obsessos Crucis signaculo liberarunt. Mirum autem videri non debet, si in Exorcismis tam frequenter adhibendum præscribitur hoc salutiferum signum, quum teste Tertulliano in Libro *De corona Militis*, Cap. III. antiquorum Christianorum mos fuerit, *ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, ad quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terere*. Consuevisse etiam os veteres Christianos, & pectus Crucis figura signare, id quoque superius ostendimus. Duo autem hoc loco adjungimus, primum est, quod docet generatim S. Joannes Chrysostomus Homilia LV. in Matthæum: *Quando te Cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia .... nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit*. Alterum est, quod ait S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Parte II. Constitutionum Cap. I. prope finem, quodque nos iterum iterumque repetivimus, cavendum nempe Exorcistæ, *dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat*.

## §. XXVIII.

### Exorcismus.

*Adjuro te, serpens antique, per Judicem vivorum, & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum* ✠, in fronte, *non mea infirmitate, sed virtute Spiritus Sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem Omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed Ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis*, ✠ (in pectore) *sit tibi formido imago Dei* (in fronte) *Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus* ✠. *Imperat tibi Majestas Christi* ✠. *Imperat tibi Deus Pater* ✠. *Imperat tibi Deus Filius* ✠. *Imperat tibi Deus Spiritus* ✠ *Sanctus. Imperat tibi Sacramentum Crucis* ✠. *Imperat tibi Fides Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & ceterorum Sanctorum* ✠. *Imperat tibi Martyrum sanguis* ✠. *Imperat tibi continentia Confessorum* ✠. *Imperat tibi pia Sanctorum, & Sanctarum omnium intercessio* ✠. *Imperat tibi Christianæ Fidei mysteriorum virtus* ✠. *Exi ergo transgressor, exi seductor, plene omni dolo, & fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum dirissime, da locum impiissime, da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris, quid temerarie detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es. Reus es Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venenum propinasti.*

*Adjuro ergo te, draco nequissime, in Nomine Agni* ✠ *immaculati, qui ambulavit super aspidem, & basiliscum; qui conculcavit leonem, & draconem, ut discedas ab hoc homine* ✠ (fiat in fronte) *discedas ab Ecclesia Dei* ✠ (fiat signum Crucis super circumstantes). *Contremisce, & effuge, invocato Nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes Cælorum, & Potestates, & Dominationes subjectæ sunt; quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes*: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. *Imperat tibi Verbum* ✠ *Caro factum. Imperat tibi natus* ✠ *ex Virgine. Imperat tibi Jesus* ✠ *Nazarenus, qui te, cum Discipulos ejus contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine; quo præsente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nunc adjuratus in Nomine* ✠ *ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere* ✠. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* ✠. *Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum, & mortuorum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Ore-

*Oremus.*

*Deus Cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator Cæli, & terræ, qui verus Rex es, & cujus Regni non erit finis: humiliter Majestati gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. Antiquissimum esse & hunc Exorcismum, vel ex eo plane constat, quod ipsius mentionem fecerit jam olim Adhelhelmus Episcopus Sagiensis in Vita S. Opportunæ Abbatissæ Monasterioli, qui Sæculo IX. eam scripsit. Ibi itaque de quadam muliere obsessa ita ad nostram rem scribit; *Infusa ipsa femina*, nempe energumena, *benedictæ Aquæ aspersione, & signata signo Crucis Dominicæ, cum legerentur super eam Orationes huic operi congruentes, & perventum fuisset ad locum illum, ubi dicitur*, Adjuro te draco in Nomine Agni, qui ambulat super aspidem, & basiliscum, qui conculcat leonem, & draconem, *liberata est*. Quibus verbis Exorcismus in hoc nostro §. descriptus apertissime indicatur. Extat hic idem Exorcismus integer una cum aliis in Sacerdotali anni MDLXVII. & in aliis antiquioribus Ritualibus Libris, ex quibus illum Rituale Romanum desumsit. Quod autem fuerit in usu Sæculo VIII. ex recitata historia S. Opportunæ addiscimus, quæ, uti videre est apud Surium in istius Sanctæ Vita die XXII. Aprilis, migravit ad Christum anno salutis circiter septingentesimo. Unum est, quod capere nesciam, cur scilicet in Oratione, quæ prædicto Exorcismo subjicitur, ubi omnes Sanctorum Ordines recensentur, nulla fiat Sanctorum Confessorum mentio, & quod magis mirandum est, nulla prorsus mentio Deiparæ Virginis, quæ & Regina Sanctorum omnium ab Ecclesia dicitur, & cujus intercessio præ cæteris valet adversus diaboli insidias, juxta illud, quod ad eam alludens dixit Deus diabolo, qui in forma serpentis protoparentem nostram Ævam seduxit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum.*

# §. XXIX.

Exorcismus.

*Adjuro ergo te, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanæ, in Nomine Jesu Christi ✠ Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in Desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare; & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem Omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo ✠, qui te, & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu ejus per Moysen servum suum in abyssum demersit. Cede Deo ✠, qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saule spiritualibus Canticis fugavit. Cede Deo ✠, qui te in Juda Ischariote proditore damnavit. Ille enim te Divinis ✠ verberibus tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti:* Quid nobis, & tibi, Jesu Fili Dei Altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? *Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporis dicturus est impiis:* Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. *Tibi enim, impie, & angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti ✠, cui omne genu flectitur. Da locum Domino Jesu Christo ✠, qui pro homine Sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠ Sancto, qui per Beatum Apostolum suum Petrum, te manifeste stravit in Simone mago; qui audaciam tuam in Anania, & Saphira condemnavit; qui te in mago Elyma, per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc ✠, discede ✠ seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est. Humiliare, & prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt. Ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis præpa-*

*paravit æternam gehennam; de cujus ore exibit gladius acutus; qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. EXtat & hic Exorcismus in memorato toties Sacerdotali, & quidem ex antiquis Ritualibus desumptus, eique post versiculos, *Domine exaudi orationem meam &c.* &, *Dominus vobiscum*, hæc etiam Oratio subjicitur: *Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, te suppliciter deprecamur, ut imperes diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, ut ab eo discedat; & libera eum, qui credit in verum liberatorem Dominum nostrum Jesum Christum, ut purgatus ab omni labe iniquitatis, Majestati tuæ pura mente deserviat, Per eundem.* Porro descripsi hanc orationem, sicut & alias permultas in Commentariis superioribus, non quidem ut ipsæ in Functionibus Ecclesiasticis adhibeantur, sed ad tironum eruditionem, & ne antiqua Ecclesiarum praxis ignoraretur; nam alias standum semper & quidem omnino iis, quæ Rituale Romanum Summorum Pontificum jussu editum, probatumque præscribit, uti non uno in loco Commentariorum nostrorum diximus.

## §. XXX.

**Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.**

## COMMENTARIUS.

I. QUum fuga dæmonis a corpore obsessi a voluntate Dei primum dependeat, qui, quantum sibi lubet, permittit inperscrutabili judicio, ut corpora humana a spiritibus immundis vexentur, nullum iccirco limitandum est Exorcistæ tempus in suo erga obsessum ministerio, in Exorcismis scilicet, aliisque pronunciandis, quæ Romanum Rituale præscribit, quæ si dicta jam fuerint, ex præscripto hujus §. *quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.* Neque enim licitum est Exorcistæ alias Exorcismorum, precumve formulas adhibere, nisi a Rituali præscriptas, Romano scilicet a variis Summis Pontificibus probato. Porro Bituricense Concilium anno Christi MDLXXXIV. Tit. XI. Cap. III. Episcopos invigilare jubet, *ne prætextu pietatis ulli Exorcismi fiant, nisi qui ab Ecclesia probati sint.* Similia statuunt & aliæ Synodi permultæ Provinciales æque, ac Diœcesanæ, præsertim Mediolanenses S. Caroli, quarum loca jam alias recensui, contemptis omnino Auctoribus illis, qui suo ingenio varios confinxere Exorcismos, quos merito Sedes Apostolica reprobavit. Quoniam vero vel hoc nostrum Rituale Romanum supra §. II. edixit, ut Exorcista ad recte munus suum obeundum utilia documenta *ex probatis Auctoribus, & ex usu nosse studeat*, censui plane quasdam regulas hoc loco ex docto æque, atque accurato Auctore Paulo Maria Cardi describere, ut earum ductu, quæ præsertim reprobare debeat Exorcista in Auctoribus perlegendis, facile dignoscat, probatumque ab Ecclesia usum, ab abusu discernat. Sic ergo ille in Commentario ad Documentum II. nostri hujus Tituli, *De exorcizandis obsessis a dæmonio*, pag. 110. & seqq.

1. Regula prima. Illicitum Exorcistæ uti fictionibus ad probandum, an quis vere sit obsessus; exempli causa, adhibere ossa bruti, vel hominis demortui, quasi essent sacræ reliquiæ; vel librum prophanum capiti energumeni superimponere, ac si esset Exorcismorum Liber, vel Evangeliorum, & his similia excogitare, quibus si forte obsessus perturbetur, atque molestiam aliquam præseferat, opinantur aliqui evidenter colligere, omne ejus malum esse fictum, & a phantasia procedere. Ratio hujus nostræ regulæ est, quia dedecet Ministros Christi, & Ecclesiæ, quibus inest virtus terrendi dæmones, uti fraudibus, & mendaciis. Deinde dæmon, qui optime novit, quomodo res se habeat, facile potest fraudem fraude eludere; nempe latere, aut fingere, se valde torqueri applicatione, & contactu ementitarum rerum sacrarum, ne vexatus, & circumstantes confugiant amplius ad remedia salutaria Ecclesiæ, & existiment, malum diabolicum esse malum imaginarium.

2. Regula secunda. Non est licitum, quærere a dæmone, per quam personam, vel per quem Sanctum sit expellendus. Ratio est, quia hoc esset assumere sibi dæmonem in magistrum. Insuper fateretur Exorcista suam auctoritatem a Christo, & ab Ecclesia acceptam, se ignorare, cum hæc sit in Nomine Jesu ad dæmonem expellendum. Similiter non est licitum quærere a dæmone, quinam sint magis sui inimici in Cælo, quia hæc interrogatio esset injuriosa Sanctis, cum quilibet sit sufficientissimus ex meritis suis liberationem a Deo impetrare a dæmoniaca vexatione obsessis.

3. Regula tertia. Illicitum est quærere a dæmone locum, in quo sit egressurus. Ratio est, quia potestas dæmones expellendi non pendet a loco, sed a Deo. Potest quidem unus locus, præcipue sacer, præ alio in Exorcista, vel obsesso majorem devotionem, fiduciamve exercitare, sed non est interrogandus dæmon, ut ipse eligat, sed ab Exorcista est deputandus; sic namque esset se laqueis dæmonis capiendum exponere.

4. Regula quarta. Non licet Exorcistæ energumenum alapis, flagellis, sputis, & similibus vexare, & opprobriis dehonestare, nam si hæc adhibeantur, quia creditur habere aliquam virtutem directe in dæmones cruciandos, & affligendos, quia sic superstitionem saperet; licitum tamen aliquando erit, si adhibeantur (moderate, & cum prudentia) in dæmonis contumeliam; at nunquam licebit rerum immundarum, ut sterco-

coris, unguium, cornuum fumo obsessos fatigare, quia indecens est, etiam in contumeliam, his uti rebus.

5. Regula quinta. Non licet imperare dæmoni sub pœna excommunicationis, quia excommunicatio fertur propter delicti emendationem, & animæ salutem. Insuper non est capax dæmon hujus censuræ, cum sit extra Ecclesiam. Et tandem esset sacras censuras derisioni diabolicæ exponere, quod quam injuriosum sit ipsi Ecclesiæ, nemo non videt.

6. Regula sexta. Neque licitum est Exorcistæ uti methodo, & terminis judiciariis, præcipiendo dæmoni, ut nunc exeat, & iterum tali die se judicio sistat ad reddendam rationem, cur tale corpus obsederit. Ratio est, quia Exorcista non est judex dæmonis, neque lis intentatur cum dæmone.

7. Regula septima. Non est conveniens, quod Exorcista imponat aliqua nomina irrisoria dæmonibus obsidentibus, ut exempli causa, si unus vocetur stabularius, alter pistor Beelzebub, alius coquus Acherontis &c. quia his auditis, adstantes in risum converterentur, & spectaculum lacrymis dignum, atque ad orationem, & compunctionem provocativum, fieret jocorum, & cachinnorum occasio, quod valde optant dæmones, & non solet res feliciter cedere his facetiis, & nugis. Nec unquam legimus, his epithetis Sanctos usos fuisse, sed verbis durioribus quidem, quibus pariter utitur Rituale nostrum, non propterea irrisoriis. Eadem ratione illicitum censeo nomen scribere, vel imaginem pingere dæmonis in charta, & deinde flammis tradere.

8. Regula octava. Non est licitum radere pilos, & capillos dæmoniaci ad expulsionem dæmonis, quia hoc superstitiosum prorsus videtur, nihilque ad finem intentum conducit.

9. Regula nona. Non est licitum Exorcistæ præcipere dæmoni superiori, ut inferiorem pellat. Ratio est, quia vel dæmon superior est extra corpus, & hoc esset habere cum dæmone societatem, ab eoque beneficium petere, contra id, quod dicit Apostolus 1. Corinth. Cap. 10. v. 20. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*; vel dæmon superior est simul cum inferiore in corpore obsessi, & hoc pariter illicitum esset, quia hoc non esset expellere dæmonem inferiorem, seu dæmones inferiores, sed dæmon superior esset, qui alios expelleret; quod similiter esset beneficium a diabolo petere. Et alia utriusque partis regulæ ratio esse potest, quia vel virtus exorcismorum est sufficiens ad superiores dæmones fugandos, vel non? Si non, derogatur Ecclesiæ, & Christi potestati; si est sufficiens, ad quid postulatur a dæmone superiore, quod inferiorem expellat? Potest tamen præcipi dæmoni superiori, ut perfecte exeat cum omnibus satellitibus suis, quia tunc non solum ipsi, sed omnibus expulsio præcipitur.

10. Regula decima. Non est licitum Exorcistæ præcipere dæmoni, ut in Infernum abeat, vel in desertum, neque inde recedat; vel in stagnum ignis per annos mille. Ratio est, quia a Christo data solum est potestas ad dæmones ejiciendos, non ad terminum ejectionis, & quamvis Asmodæus, qui Saram obsidebat, religatus fuerit *in deserto superioris Ægypti*, ut dicitur Tobiæ 8. v. 3. & Apocalypsis 20. v. 2. dicatur, quod Angelus *apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus; & satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum*; & v. 9. *& diabolus .... missus est in stagnum ignis, & sulphuris*; & iterum v. 14. *& infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*; tandemque id aliquando Sancti fecerint; tamen magnum intercedit discrimen inter hos, & Exorcistas; hujusmodi enim Angeli si erant superiores, naturali virtute poterant hoc facere; si inferiores, hoc præstiterunt potestate divina, sicut & reliqui Sancti, quos ad hoc specialiter fuisse inspiratos, credendum est.

11. Regula undecima. Non est licitum connivere petitioni dæmonis ab obsessi corpore egressuri, quando rem iniquam petit, vel contra Dei honorem, vel in hominum perniciem; quia honor Dei omnibus aliis rebus præferendus est; & quia ex charitate tenemur saluti proximi providere. Hinc si petant dæmones aliquem alium hominem vexare, aut ad alios transire, audiendi non sunt; & quamvis Deus concesserit diabolo exoptanti Job affligere, hoc suum desiderium, ut dicitur Job 12. *Dixit Dominus ad Satan: Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt*. Et *Matthæi* 8. *v*. 31. pemiserit Christus dæmones in gregem porcorum intrare: *Dæmones autem*, legitur, *rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum; & ait illis: Ite*. Et tandem Paulus 1. *Corinth. Cap*. 5. Corinthium quemdam satanæ tradiderit, sicut Hymenæum, & Alexandrum, 1. *ad Timoth. Cap*. 1. *v*. 20. tamen his Deus talem potestatem specialiter concessit tam super homines, quam super dæmones, quod nunc in Exorcistis non contingit.

12. Scio, aliquos Doctores asserere, quod aliquando licebit dæmonibus annuere ingressum in alios homines quadruplici concurrente conditione. Prima, ut is, quem dæmon obsessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. Secunda, ut adjurans habeat imperium in eum, quem dæmoni traditurus est, atque potestatem in ipsum dæmonem, summumque jus ipsum expellendi, quandocumque libuerit. Tertia, ut adsit boni majoris spes. Quarta, ut absit voluntas placendi dæmoni, sed id tantum fiat utendo ipso tanquam lictore, & carnifice. Sed nec etiam cum his conditionibus licebit; nam prima quoad secundam partem cuilibet Exorcistæ prorsus est ignota, seclusa divina revelatione. Secunda nuuqnam adesse potest in puro homine, qualis est Exorcista. Tertia est frivola, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Quarta tandem non sanat malitiam hujus actionis. Atque hæc sunt, quæ citato loco Cardius docet.

## §. XXXI.

Juvabit præterea plurimum hæc, quæ infra notantur, super obsessum devote dicere, sæpeque repetere: *Pater noster &c. Ave Maria &c. Credo &c.* Canticum B. Mariæ Virginis, Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum &c.* Canticum Zachariæ, Lucæ 1. *Benedictus Dominus, Deus Israel &c.* Symbolum Sancti Athanasii: *Quicumque*

*vult salvus esse &c.* Psalmum xc. *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* Psalmum LXVII. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.* Psalmum XXXIV. *Judica, Domine, nocentes me &c.* Psalmum XXX. *In te Domine speravi, non confundar in æternum &c.* Psalmum XXI. *Deus Deus meus respice in me &c.* Psalmum III. *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me &c.* Psalmum X. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ &c.* Psalmum XII. *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem &c.*

# COMMENTARIUS.

I. SI adhuc non recesserit spiritus malignus ab homine obsesso, ne semper repetantur eædem Preces, iidemque Exorcismi, aliæ in hoc §. dicendæ Preces exhibentur, habent enim & ipsæ suam virtutem, & quidem potissimam contra diabolum. Oratio Dominica est quidem omnium Orationum præcipua, quum ab ipsiusmet Christi Filii Dei ore dictata sit, insignemque habet virtutem ad dæmones expellendos, ut passim Patres testantur, qui Orationem ipsam exposuerunt. Secundo Salutatio Angelica, quæ fuit origo Incarnationis Filii Dei, contremiscere & ipsa facit diabolum, nec Angelis solum, & hominibus, sed etiam dæmonibus dominatur; hos quippe Deipara Virgo, propria calcat virtute, cum initio creati Orbis inimicitiæ inter illam, & diabolicos serpentes positæ fuerint, juxta illud, quod legitur Genesis Capite III. ubi Deus diabolo, qui in figura serpentis Ævam seduxit, dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum.* Quod & testatur inter alios S. Bernardus, qui Sermone III. in Evangelium Lucæ, *Missus est &c.* sic inquit: *Dæmones non solum Virginem pertimescunt, sed audita hac voce,* Maria, *contremiscunt.* Symbolum tandem Apostolorum, cum Fidei professionem in se contineat, ac Fidem excitet, recte in exorcizatione adhibetur, ut per ipsos Fidei articulos in Symbolo contentos diabolus propulsetur.

II. Juvabit præterea super ipsum obsessum, Canticum Deiparæ Virginis recitare. Per hoc enim Canticum dæmon reminiscitur victoriæ super ipsum a Christo reportatæ, & præcipue per illum versiculum, *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui,* quem sic explicat S. Gregorius Thaumaturgus Sermone II. in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis, qui legitur Tomo III. Bibliothecæ Patrum: *Fecit potentiam in brachio suo, pro nobis adversus mortem, & diabolum, & cunctos ei militantes dæmones.* Nec minus apposite Zachariæ Canticum legendum præscribit hic noster §. super obsessum, cum præcipue versiculum illum, *Salutem ex inimicis nostris*; de dæmonibus interpretetur Glossa, & ante ipsam Origenes relatus a S. Thoma in Catena aurea in Caput I. Lucæ: *Non autem putemus,* ait Origenes, *nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritualibus. Venit enim Dominus Jesus fortis in prælio destruere omnes inimicos nostros, ut nos de eorum insidiis, & tentationibus liberos faceret.* Recte & Canticis ipsis adjunctum est Symbolum S. Athanasii, *Quicumque &c.* hujus enim Symboli recitatione liberatum aliquando fuisse energumenum, legimus plane in Vita S. Agnetis de Monte Politiano, Cap. VII. apud Bollandianos die XX. Aprilis: *Statim ei Sancta Virgo appropians, signumque Crucis fronti ejus imprimens, Fidem Catholicam per Canticum illud,* Quicumque &c. *devotissime depromens, furibundum illum dæmonem ab homine expulit.* Porro, an Symbolum istud sit germanus S. Athanasii fœtus, an alius antiqui Patris, non est hujus loci eam quæstionem tractare.

III. Restat, ut de Psalmis dicamus, quos ex præscripto nostri §. & recitari super obsessum, & sæpe etiam repetere plurimum juvabit. Quam merito autem id Rituale Romanum præscripserit, aperte ex iis deducitur, quæ Sancti Patres de Psalmis scripserunt. Inter alia namque Encomia, Psalmus a Sancto Joanne Chrysostomo in Psalmum XIV. dicitur *acutissimum telum adversus dæmones.* Idem mox etiam subjungit, quod *nec cervi ita tela fugiunt, ut Psalmos David dæmones.* Et S. Basilius in Proœmio Psalmorum: *Psalmus,* inquit, *dæmones fugat, Angelos advocat.* Et paulo post: *Psalmus,* ait, *est profligandis dæmonibus, ac depellendis quoddam amuletum.* Cæterum, peculiares selecti sunt Psalmi ab Exorcista in exorcizatione obsessorum recitandi, quod in iis potissimum aliquid inest, quo Dei auxilium imploratur, vel diabolus deterretur, expelliturque. De peculiari virtute Psalmi LXVII. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.* ita ad rem nostram loquitur S. Athanasius in Libello Quæstionum Sacræ Scripturæ ad Antiochum: *Narraverunt nobis spirituum studiosi homines fide digni, quod aspectu ipso, & de facie aliquando apparuerit eis diabolus, & quæsitus hanc ab ipsis quæstionem,* qualem nempe Orationem, aut quod verbum ex omnibus Orationibus, atque verbis timeant dæmones, *responderit his verbis: Non extitit in toto tam Veteri, quam Novo Testamento verbum terribilius, atque magis nostram disperdens potestatem, quam initium sexagesimi septimi Psalmi; quam primum enim verbo dicto,* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, *mox ululans evanescit, & disparet diabolus, factis ostendens hujus orationis virtutem, & operationem.* Tandem, ut alios omittam, ad Psalmum XII. *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem &c.* recursum habuit ad dæmonum terriculamenta abjicienda Beatus Alcuinus Abbas, ut legitur in ejus Vita, Cap. I. apud Bollandianos die XIX. Maji: *Crucis se muniens Alcuinus velociter signo, Psalmumque decantans duodecimum affectu omni, malorum subito disparuit turba.* Atque hæc satis sint ad nostri §. explicationem.

## §. XXXII.

Oratio post liberationem.

*Oramus te, Deus Omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc*

*hoc famulo tuo N.* (vel *famula tua N.*) *sed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum* (vel *in eam*) *Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.*

# COMMENTARIUS.

I. SPectat hæc Oratio ad impediendum dæmonem, ne iterum in hominem ab ejus obsessione liberatum ingrediatur. Sed huc etiam spectat, quod supra præscripsit nostrum hoc Rituale Romanum in §. XXII. ut nempe, *si obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus*. Peccatum unam esse ex præcipuis causis, cur dæmones permittantur a Deo homines invadere, atque obsidere, jam nos late ostendimus, & in Commentario ad prædictum §. XXII. & in Præfatione ad Tituli hujus Rubricam. Unum hic addiderim, liberatum a dæmone, non solum se debere a peccatis cavere, sed etiam se debere ornare virtutibus, & præcipue se exercere in frequentioribus actibus Fidei, Spei, & Charitatis, maxime vero fiduciæ in Deum, ut docuisse videtur Christus Dominus in Evangelio Sancti Marci, Capite IX. Exponens quippe Victor Antiochenus ea Christi verba, quibus dæmonem ab energumeno ejecit, *Ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum*, sic inquit: *Indicium facit, facile altera rursum vice dæmonem in illum, qui Fide satis munitus non erat, ingredi potuisse, nisi Domini præceptum, ne id fieret, impedivisset*. Cui inter alios Sacros Interpretes, quos hic omittimus, concinit Euthymius Zigabenus, qui locum illum sic exponit: *Hoc dixit, prævidens, quod futurum erat, ut dignus esset propter suam incredulitatem, ut rursum ad eum reverteretur*.

II. Cæterum licet nulla sint certa, & infallibilia liberationis signa, ubi tamen probabilius aliquod adsit signum ejus liberationis, quale scilicet inter alia nonnulli putant esse, quum persona prius obsessa se veluti a quodam magno pondere exoneratam, a quodam ligamine solutam, & a quocumque dolore, & gravamine sublevatam, ac præterea cor suum ob liberationem hilaritate, ac jucunditate repletum habere experitur, idque per multum tempus; dignum, & justum est, æquum, ac salutare, ut ipse liberatus peculiares Deo pro collato liberationis beneficio gratias agat, caveatque in posterum, ne peccet, ne sibi deterius contingat; quod enim peccata potissimum causa sint, cur Deus sinat homines a dæmone obsideri, jam diximus supra initio hujus Tituli.

# APPENDIX

## *In qua ex Euchologio, seu Rituali Græcorum a Viro Cl. Jacobo Goar concinnato describuntur Orationes, seu Exorcismi SS. Basilii & Joannis Chrysostomi in obsessos a dæmonibus, & quamlibet infirmitatem.*

I. SEd ut tandem juxta morem hactenus in aliis fere omnibus functionibus Ecclesiasticis servatum, de Græcæ Ecclesiæ ritu circa exorcizandos obsessos a dæmonio dicam, operæ pretium duxi ad calcem Tituli in hac peculiari Appendice ejusdem Ecclesiæ de ea re ritum, formulasque describere, quas nempe recenset memoratus Goar in laudato Euchologio pag. 578. & seqq. editionis Venetæ anni MDCCXXX. ubi hæc prima extat Oratio, sive Exorcismus Magni Basilii inobsessos a dæmonibus, & quamlibet infirmitatem.

Deus deorum, & Dominator dominantium, igneorum exercituum conditor, & virtutum immaterialium opifex, cælestium, & terrestrium artifex, quem nullus hominum vidit, sed neque videre potest, quem timet, & tremit universa creatura, qui superbientem quondam ducem perduellemque ejus exercitum in terram dejecisti, & omnes angelos ejusdem defectionis reos dæmones factos in abyssi tenebras detrusisti: exorcismum hunc tremendo tuo nomine absolvendum nequitiæ præfecto, & omnibus cohortibus ejus superno lumine lapsis terrori fieri concede, in fugam illum verte, ipsique, & dæmonibus ejus omnino discedere præcipe; ne quid noxium signatæ a te imagini moliatur, sed animum fortem hi virtute consignati, calcandi serpentes, scorpiones, & omnem inimici potestatem assumant. Laudatur enim, & magnificatur, & ab omni spiritu in timore celebratur Sanctissimum Nomen tuum: Patris, & Filii, & Spiritus sancti: nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ejusdem Oratio.*

Dominum precemur.

Exorcizo te blasphemiæ auctorem, rebellionis antesignanum, nequitiæ vexilliferum. Exorcizo te, qui e superno lucis consortio ejectus es, & in abyssi tenebras propter elationem detrusus. Exorcizo pariter & omnem virtutem tecum lapsam tui propositi sequacem. Exorcizo te, spiritus immunde, per Deum Sabaoth, & omnium Angelorum, Dei, Adonai, Eloi, Dei omnipotentis exercitum: exi, & a servo Dei hoc discede. Exorcizo te per Deum cuncta verbo creantem, & per Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum ejus Filium ante sæcula ab eo ineffabiliter, & absque mutatione genitum, visibilis, & invisibilis creaturæ conditorem, qui hominem ad imaginem suam formavit, qui naturæ lege primum eum instruens, & Angelorum tutela custodiens, cæli reseratis cataractis, ejus demum pec-

peccata diluvio disperdidit; & impiis deinde gigantibus profligatis, prophanorumque turre concussa, & Sodomorum, atque Gomorrhæorum Terram igne, sulphure, & cinere, cujus testis est evaporans perennis fumus, consepelivit: Qui, virga mari percusso, & siccis pedibus transfretato populo, tyrannum Pharaonem, & adversum Deo exercitum impietatis arma moventem, in æternum fluctibus obruit. Qui posteris temporibus e Virgine pura, salvo pudoris ejus sigillo, ineffabiliter incarnatus, vetustas sordes nostras transgressionis delicto contractas in se se abluere sustinuit. Exorcizo te per eum, qui in Jordane baptizatus est, & per gratiam incorruptionis exemplar in aquis nobis exhibuit. Cujus ratione Angeli, & omnes cælorum Virtutes, viso Deo incarnato obstupuerunt, cum principii exors Pater, generationem Filii causæ expertem revelavit, & Spiritus sancti descensus Trinitatis unioni testimonium perhibuit. Exorcizo te per eum, qui venti procellam increpavit, qui maris tempestatem sedavit, dæmonum catervas fugavit, pupillas oculorum a nativitate lucis expertes luto cæcis, ut respicerent, coaptavit, & veterem generis nostri massam reformavit, mutis loquelam restituit, lepræ plagas abstersit, mortuos a monumentis excitavit, & ad sepulturam usque cum hominibus est conversatus, & resurrectione deprædatus est infernum, & omnem hominem morti insuperabilem reddidit. Exorcizo te per Deum omnipotententem homines cælitus inspirata voce afflantem, Apostolis opitulantem, & orbem universum pietate replentem. Extimesce, fuge, evola, discede dæmon impure, scelesté, terrene abysso recluse, seductor, informis, propter impudentiam visibilis, propter simulationem invisibilis, ubicumque reperiaris, aut latites; sive ipse sis beelzebub, aut commovens, aut draconiformis, aut ferina facie, vel ut vapor, vel ut avis, vel noctiloquus, vel surdus, vel privatus loquela, vel de repente terrens, vel discerpens, vel ponens insidias, vel somnum gravem inducens, vel morbum, vel debilitatem, vel risu agitatus, vel dulces lachrymas excitans, vel lascivus, vel fætidus, vel libidinosus, vel voluptuosus, vel gaudens venenis, vel amore insaniens, vel astrorum inspector, vel reclusus, vel impudens, vel contentiosus, vel inconstans, vel cum luna mutabilis, vel omni tempestate circumactus, vel matutinus, vel meridianus, vel nocturnus, aut intempestivus, aut antelucanus, si sponte occurreris, aut ab aliquo missus fueris, si de repente ingrueris, in mari, in flumine, sub terra, in puteo, in loco præcipiti, in fovea, in lacu, in loco calamis consito, in sylva, in loco a terra remoto, vel immundo, in saltu, in quercetis, in arbore, in ave, in fulgure, e balnei tecto, e piscina, ex idolorum fano, aut unde novimus, vel ignoramus; sive sis notus, aut ignotus, aut e quocumque incircumspecto loco; dividere, & elongare, imaginem Dei manu efformatam erubesce; similitudinem incarnati Dei extimesce, ne in servo Dei hoc abscondaris, ne virga ferrea, ignis fornax, tartarus, & dentium stridor, inobedientiæ tuæ pœna te maneat. Time, obmutesce, fuge, ne subterfugias, ne abscondaris alia immundorum spirituum versutia, sed ubi in terram inaquosam desertam & incultam, quam homo non habitat, Deus autem solus circumspicit, qui omnes invidentes, & insidiantes suæ imagini, tenebrarum vinculis alligatos, & te in malis omnibus expertum, malorumque inventorem diabolum in longam diem, & noctem perpetuam constrictum tenebit. Quia Dei timor magnus, & magna est gloria Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ejusdem Oratio.*

Deus Cælorum, Deus luminum, Deus Angelorum tuæ potestati subditorum, Deus Archangelorum tuæ fortitudini subjacentium, Deus gloriosarum dominationum, Deus Sanctorum, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui animas morte captivas vinculis solvisti, qui per unigenitum Filium tuum, primum hominem tenebris confixum illuminasti, qui doloribus nostris solutis onus omne dissipasti, qui omnem inimici insultum a nobis elongasti. Fili, & Verbum Dei, qui morte tua, nos immortales, & gloria quoque tua effecisti beatos, & ex hominibus Deos evadere concessisti, qui soluto omni peccatorum nostrorum per Crucem tuam vinculo, & contritione nostra assumpta, & curata, viaque nobis in cælum strata, corruptionem in immortalitatem convertisti; exaudi me affectu, & timore clamantem ad te, cujus timore montes cum ejus, quæ sub cælo est, firmamento, tabescunt, cujus virtute mutæ elementorum formæ terminis suis sistentes tremunt, per quem vindictæ ignis limites sibi præstitutos non excedit, sed stat voluntatis tuæ nutum præstolatus, per quem creatura omnis parturit suspiriis inauditis emissis ad tempus usque præfinitum jussa consistere, quem contraria omnis natura fugit, quo inimici acies domatur, dæmon excidit, serpens conculcatur, draco de medio tollitur: Per quem gentes Nomen tuum profitentes illustratæ sunt, & in te Domine, devictæ sunt; per quem vita apparuit, spes firmata est, roborata est fides, prædicatum est Evangelium; per quem homo in te credens reformatus est. Quis enim, sicut tu Deus omnipotens? Propterea rogamus te Deus Patrum nostrorum, Deus misericordiarum æterne, & super omnem substantiam, accedentem ad te in sancto tuo Nomine, & dilecti Filii tui Jesu Christi, & Sancti, & omnipotentis, & vivifici tui Spiritus suscipe; ab anima ejus infirmitatem omnem, infidelitatem omnem, omnem spiritum immundum discerpentem, subterraneum, igneum, fœtentem, libidinosum, auri, vel argenti cupidum, superbum, fornicarium, omnem dæmonem immundum, tenebrosum, informem, impudentem expelle. Ita Deus noster, amove a servo N. omnem diaboli operationem, omnem magiam, veneni effectum, idololatriam, divinationem, astrologiam judiciariam, necromantiam, aruspicum, & ariolandi artem, voluptuosam passionem, libidinem, avaritiam, ebrietatem, fornicationem, adulterium, impuritatem, inverecundiam, iram, contentionem, inconstantiam, & suspicionem omnem malignam. Ita Deus noster, Spiritum tuum pacificum inspira in illum, ut ab eo custoditus fructus producat fidei, virtutis, sapientiæ, puritatis, continentiæ, dilectionis, bonitatis, spei, mansuetudinis, longanimitatis, patientiæ, modestiæ, intellectus; quia servus tuus in Nomine Jesu Christi vocatus est, & suffragantibus Angelis, Archangelis, gloriosis Dominationibus, & omni cælesti exercitu fidem in te habet; cum

cum illa etiam corda nostra custodi. Quia potens es Domine, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Chrysostomi Oratio in eundem finem.*

Dominum precemur.

Deus æterne, qui genus hominum e diaboli captivitate liberasti, ab omni spirituum immundorum operatione servum tuum eripe; malignis & immundis spiritibus, & dæmonibus, ut ab anima, & corpore servi tui N. secedant, neque in eo abscondantur, impera. In nomine sancto tuo, & unigeniti Filii tui, & vivifici tui Spiritus, ab opere manuum tuarum effugentur, ut ab omni diabolica infestatione liber, sancte, & juste, & pie vivat, dignus habitus illibatis mysteriis unigeniti Filii tui & Dei nostri. Cum quo benedictus es, & laudatus cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ejusdem Oratio.*

Dominum precemur.

Qui omnes spiritus immundos increpas, & verbi virtute legionem expulisti, manifestare nunc per unigenitum Filium tuum super creaturam ad imaginem tuam effictam, illamque a dæmone oppressam libera; ut misericordia a te accepta, sancto tuo ovili expurgata aggregetur, & Sancti Spiritus, & divinorum, illibatorumque Sacramentorum templum vivum fiat. Gratia, & miserationibus, & humanitate unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ejusdem Oratio.*

Dominum precemur.

Invocamus te, Domine Deus omnipotens, excelse, mali cuncti expers, pacifice rex, invocamus te, conditor cæli, & terræ, ex te namque oritur α & ω, principium & finis, qui dedisti hominibus, ut ipsis quadrupedia, & ratione carentia animalia, quia sic jussisti, Domine, obedirent: manum tuam fortem, & brachium tuum excelsum, & sanctum extende, & hanc creaturam tuam visu tuo respice. Da illi Angelum pacificum, Angelum fortem, corporis, & animæ custodem, qui increpet, & abigat ab ea omne malignum, & impurum dæmonium. Quia tu solus excelsus, & omnipotens, es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ejusdem Oratio.*

Dominum precemur.

Divinam, sanctam, magnam, tremendam, & non tolerandam Nominis Dei appellationem, & invocationem aggredimur, & perficimus, tui expellendi, & increpandi gratia, apostata; tui disperdendi ergo diabole. Deus sanctus, principii expers, timendus, natura invisibilis, potestate inexcogitatus, Deitate incomprehensus, rex gloriæ, & omnipotens Dominus, ipse te increpet diabole, qui e nihilo ad esse cuncta verbo congrue composuit, qui super pennas ventorum ambulat. Increpat te, diabole, qui maris aquam advocat, & eam super universæ terræ faciem effundit, Dominus virtutum Nomen illi. Increpat te Dominus, diabole, is, cui innumeri cælestes ordines ignei in circuitu ministrant, qui ab Angelicarum turbarum copia, & ab Archangelis cum tremore celebratur, colitur, & adoratur. Increpat te Dominus, diabole, qui & a Virtutibus circa se adstantibus honoratur, & a tremendis oculorum copia illustribus Cherubim, & sex alarum remigio dotatis Seraphim, duabus quidem facies suas propter incomprehensum, & imperscrutatum Deitatis splendorem, velantibus, & duabus alis pedes suos, ne ineffabili gloria, & inexcogitata majestate consumantur, operientibus, & duabus alis volantibus, cælumque suis vocibus replentibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth, plenum est cælum, & terra gloria ejus. Increpat te Dominus, diabole, qui e sinu paterno, e cælo Deus Verbum descendens, & per venerandam, inexplicatam, & illibatam ex sancta Virgine incarnationem, ut mundum ineffabiliter salvaret, & te suprema sua virtute de cælo dejectum, perditumque omnibus demonstraret, apparuit. Increpat te Dominus, diabole, qui mari dixit: tace, obmutesce; & ejus jussu, confestim quievit. Increpat te Dominus, diabole, qui illibato luto e sputo confecto, deficiens a nativitate membrum cæco restituit, lumenque videre donavit. Increpat te Dominus, diabole, qui verbo suo Archisynagogi filiam vivam fecit, & viduæ filium mortis faucibus ereptum, propriæ matri incolumem, salvumque restituit. Increpat te Dominus, diabole, qui quatriduanum e mortuis Lazarum incorruptum, velut non mortuum, & intabidum ad omnium stuporem excitavit. Increpat te Dominus, diabole, qui per susceptam a se alapam, maledictionem nostram irritam fecit; & per illibati lateris sui vulnus flammeum gladium paradisi aditum obserantem extinxit. Increpat te Dominus, diabole, qui per divinam vultus sui formam sputis fœdatam, lachrymam omnem ab omnium vultu abstersit. Increpat te Dominus, diabole, qui Crucem in unicum munimen, & mundi salutem, in ruinam vero tuam, & omnium tibi subditorum angelorum defixit. Increpat te Dominus, diabole, quo in Cruce vocem efferente, velum Templi scissum est, petræ confractæ, monumenta quoque aperta sunt, & mortui a sæculo exurrexerunt. Increpat te Dominus, diabole, qui morte mortem necavit, & resurrectione sua vitam hominibus largitus est. Increpet te Dominus, diabole, qui concussis monumentis, in infernum descendens, omnes in eo captivos ad se tractos revocavit, quo viso, janitores inferni turbati sunt, & in imas tenebras detrusi, præ trepidatione stationem suam dereliquerunt. Increpet te, diabole, a morte resurgens Christus, cunctis resurrectionis privilegium largitus. Increpet te Dominus, diabole, qui ad Patrem cum gloria in cælos ascendit, & in dextera majestatis in throno gloriæ sedet. Increpet te Dominus, diabole, rursus cum gloria in nubibus cæli, cum sanctis Angelis suis vivos, & mortuos judicaturus. Increpet te Dominus, diabole, qui inextinguibilem ignem, & insopitum vermem, & tenebras exteriores, in æternam damnationem tibi præparavit. Increpet te Dominus, diabole, a cujus virtutis facie cuncta tremunt, & expavescunt, quia intolerandus est adversum te comminationum ejus furor. Ipse Dominus te increpat, diabole, per tremendum Nomen suum. Freme, treme, expavesce, discede, disperdere, effugare, qui e cælo decidisti, tecumque maligni cuncti spiritus. Spiritus impuritatis, spiritus nequitiæ, spiritus nocturnus, diurnus, meridianus, & vespertinus, spiritus me-

mediæ noctis, spiritus spectri, spiritus occurrens quicumque, sive terrenus, sive aquatilis, sive in saltibus, sive in calamis, sive in convallibus, sive in biviis, & triviis, in lacubus, in fluviis, in domibus, in balneis solitus discurrere, ut hominem lædat, & mentes ejus perturbet. Uno verbo ab opificio creatoris Christi Dei nostri discedite, a servo Dei nostri N. separemini, a mente, ab anima, a corde, a renibus, a sensibus, ab omnibus membris, ut salvus sit, & incolumis, & liber; propriumque Dominum, & conditorem omnium Deum, qui errantes ad se revocat, & colligit, eisque salutis signum per regenerationem, & renovationem sancti baptismatis impertitur, agnoscat; & illibatis, cælestibus, & tremendis ejus mysteriis dignus fiat, veroque ejus ovili in refrigerii loco, super aquas quietis enutritus, & Crucis virga secure pecudis more deductus uniatur, in remissionem peccatorum, & vitam æternam. Quia convenit ei omnis gloria, honor, & adoratio, & magnificentia, cum principii experte ejus Patre, & sanctissimo, & bono, & vivifico ejus Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

II. Sed nec est omittenda alia Oratio, quæ inscribitur, *pro iis, qui a dæmonibus obsidentur*, estque hujusmodi: *Qui diabolum tyrannidem usurpantem, dæmonumque cum eo exercitum Christi tui apparitione profligasti, adveni super creaturam tuam ad imaginem tuam formatam ab adversariis spiritibus oppressam; & quemadmodum legionem spirituum, surdumque, & mutum alium spiritum increpuisti, ita creaturam tuam expurga, & animam tibi confitentem ne bestiis tradas; sed ejus, nostrique miserere, ad laudem, & gloriam sanctæ tuæ Ecclesiæ, per unigenitum Filium tuum, cum quo, & per quem tibi est gloria Patri, & Filio, & Sancto Spiritui &c.*

# FORMULÆ SCRIBENDÆ IN LIBRIS HABENDIS A PAROCHIS

## TITULUS XI.

I. Quamquam Rituale Romanum tractationem ipsam de formulis scribendis in Libris habendis a Parochis per varia Capita distinctam Titulo x. qui inscriptus est, *De exorcizandis Obsessis a dæmonio*, inseruerit, quum tamen ea tractatio nullam habeat cum ipso Titulo connexionem, recte, ni fallor, censui, eandem peculiari Titulo insignire. Ergo, ut juxta ordinem huc usque servatum nonnulla in ejusdem Tituli Rubricam notemus, jam multis in locis instat Rituale Romanum, ut apud Parochos habeantur Libri distincti, & parati ad notandum quidquid potest parochianos suos juvare, ne pereat memoria rerum, quæ in Ecclesia factæ sunt, & in dies fiunt, circa Sacramenta, vel Sacramentalia, vel alia hujusmodi, ut observat Barrufaldus ad hunc Titulum, num. 1. Atque huc facit, quod idem hoc Rituale Romanum, Tit. 1. *De iis, quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, §. ultimo statuit, sic inquiens: *Postremo quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat Libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque præsertim, in quibus variarum Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur*. Quibus verbis ad nostrum Titulum præsentem alludit, qui est ultimus nostri hujus Ritualis Romani.

II. Expeditis ergo omnibus, quæ ad Sacramentorum, seu Sacramentalium, aliarumque functionum Ecclesiasticarum præsertim Parochialium administrationem pertinent, descendit demum Rituale ad præscribendas formulas Librorum, quos apud se tenere Parochi debent, ut in descriptione rerum notandarum uniformis sit per omnes Ecclesias stylus, & ordo servandus. Quapropter, antequam ad earumdem formularum descriptionem deveniamus, oportet profecto, ut ex probatis Auctoribus, & ex Conciliis præsertim S. Caroli Mediolanensibus, Actisque ejusdem Sanctissimi Antistitis, nonnulla adnotemus, quæ ad constitutionem, & usum, ac praxim eorundem Librorum conducunt. Late de his Libris, quos etiam Matriculas appellat, agit quidem inter alios Barbosa, Parte 1. *De officio, & potestate Parochi*, Cap. VII. ubi recenset, quot illi esse, & ad quem usum custodiri debeant. Libris supradictis, inquit, bonam custodiam adhibere tenetur Parochus, ne, dum possunt ad aliorum manus facili negotio pervenire, falsentur, vel rumpantur, & ubicumque requisitus fuerit, tenetur de illis fides facere necessarias, & potest accipere pro sua mercede illud, quod in loco solitum est dari; si vero solitum sit fieri gratis, gratis ipse faciet, quia Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, in Cavensi die III. Junii MDCIV. rescripsit, nihil pro hujusmodi fide recipi posse; subdens, hujusmodi Libros non esse per Episcopum de Parochorum potestate extrahendos, sed penes illos debere conservari, dummodo tamen, si necessarium fuerit, copia pro illorum conservatione detur.

III. Notat hæc quidem Barbosa citato loco num. 19. & 20. subditque num. 21. fidem extractam per Parochum ex suis Libris, ut in Judicio probet, necessario faciendam esse cum formali transcriptione partitæ de verbo ad verbum. Sed his omissis, mandat sane S. Carolus in suo Provinciali III. Mediolanensi Concilio, Capite, quod, *De Parochis*, inscriptum est, *Parochus ne ullum testificationis genus e Libris suis Parochialibus descriptum cuiquam tradat, nisi Episcopi concessu*. Subditque mox: *Id vero, nisi scriptum aliquod sit, quo petenti testificatio fiat de ejus ætate, vel natalibus*. Idem præterea in Concilio Provinciali IV. Parte 1. Constitutionum, Capite, *De Sacristia*, statuit, *ut Parochiales Codices in Sacristia certis armariis recte, atque ordine asserventur; nec vero sordibus, situ, squallore, pulvereque obsordescant; sed, quoad ejus fieri potest, ab omni sorde, & inquina-*

*numento pura omnia , & singula sint , ac integra, ac nullo praeterea modo lacera , & sarta tecta , nec male compacta* . Rursus in eodem Concilio , Capite, *De Visitatione*, Libros ipsos, quos etiam nominatim recenset, in Visitatione ipsa exhibendos mandat: *Promptos item habeat Codices Parochiales , unum scilicet baptizatorum , alterum eorum , qui Matrimonium contraxerint , tertium illorum , qui Chrisma susceperint , quartum , quem proxime confecerit , de numero , statuque animarum* .

IV. At vero, quod saepe multi inveniantur, qui non nisi poenae formidine ad obeundum munus suum excitentur , hinc idem S. Carolus Parte VI. Actorum Ecclesiae Mediolanensis in Tabella erratorum , & multarum Clericalium , ubi de Parochis, animarumve Curatoribus tractat, multandum statuit Parochum, *qui Baptizatorum , Confirmatorum , Matrimonio junctorum , Libros, & ejusdem generis alios mense post hujus Tabulae editionem , non habuerit , paraveritve ; quive item praescripta forma non habuerit ; quive praeterea loco tuto , & decenti non custodierit , Qui singulorum eorum Librorum , cum suis mutationibus,additionibusve exemplum quotannis praestituto tempore nobis non tradiderit; quique ejus traditionis testimonium Cancellarii manu exaratum, roboratumve in Dioecesi Vicario Foraneo , in Urbe Praefecto regionario non attulerit . Qui de statu animarum Librum non confecerit , renovaritve ; quique ejus exemplum ad constitutum tempus nobis non tradiderit, ex praescripto Instructionum , quas eo de genere vulgariter edidimus* . Similia his legere est in variis aliorum Episcoporum Conciliis Provincialibus , Dioecesanisque .

V. Teste Vanespen Parte II. Juris Ecclesiastici , Tit. XII. Cap. VI. num. XXI. Edicto perpetuo Principum suorum anni MDCXI. Articulo XX. mandatum fuit Magistratibus quorumcumque locorum , ut quotannis acciperent exemplum , sive copiam , ut vocant, authentizatam cum Registro Parochiali , in quo notentur Baptismata , Matrimonia , & Sepulturae omnium eorum , quae toto eo anno occurrunt ; idque exemplum Pastor , seu Parochus ipsi Magistratui dare teneretur , ut in sua quisque Magistratus respective Archivia referat , diligenterque custodiat . Insuper, ut Magistratus Pagorum confici jubeant duo exempla , quorum alterum mittant ad superiorem sui territorii Judicem , ut ibidem reservetur , idque sub poena arbitraria in negligentes . Volentes dictis Registris , eorumque exemplis plenam fidem adhiberi absque ulteriori probatione , cum nimirum de aetate , conjugio , morte , promotione ad Ordines , provisione beneficiaria , seu saecularis officii collatione , & restitutione agetur , de quibus in ipso Articulo fit mentio . Atque ad hoc Edictum inquit Vanespen num. sequenti , respexisse Zipaeum , ubi in Titulo , *De Parochiis* , num. 6. scripsit , *quod valde expediret , ut omnes Episcopi sua saltem auctoritate Pastoribus mandarent , & exequerentur , ut in Archiviis Episcopalibus hujusmodi exemplaria reservarentur* .

VI. Quod expedire Zypaeus censuit, jam id in nostra Italia constitutum , ut superius notavi, in pluribus Synodis fuit exemplo S. Caroli, qui id ipsum in Conciliis, & Actis Ecclesiae Mediolanensis edixerat. Certe , ut alias omittam Provinciales aeque ac Dioecesanas, Synodus Salernitana anno Christi MDLXXIX. habita a Marco Antonio Columna Marsilio Salernitano Archiepiscopo , Tit. XXXV. *De Officio Parochi*, Cap. X. postquam dixit, ut habeat Parochus Librum , in quo nascentes , & illorum patrem , & matrem , ac nativitatis diem , & si spurii sint, matrem tantum, describat ; in quo etiam baptizatos omnes , illorumque compatres , & testes annotet ; Librum item Confirmatorum , illorumque compatrum ; Librum etiam parochianorum omnium , & familiarum suae Parochiae ; Librum etiam confitentium , & communicantium ; ac denique Librum morientium , in quo mortis diem , & sepulturae describat ; & an testatus , vel intestatus decesserit ; subdit mox , mandatque , ut Parochus ipse ipsorum Librorum exemplum singulis annis ad Curiam suam Archiepiscopalem transmittat, *in illius archivio conservandum* .

# CAPUT I.

## §. I.

Liber Baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Baptisma.

## COMMENTARIUS.

I. Quum non in quacumque Ecclesia Parochiali Civitatum, Oppidorumve insignium , adsit Fons Baptismalis , sed in sola Cathedrali, Matriceve , vel in paucis aliis , ex Indulto , vel privilegio , vel consuetudine, uti Romae praesertim, ubi non paucae Parochiales Ecclesiae ipso Fonte Baptismali carent, ideo recte statuit & hic noster §. ut *Liber Baptizatorum habeatur in Ecclesiis , in quibus confertur Baptisma* ; generatim scilicet, ac jure suo ; nam alias si ex peculiari causa , ratione , necessitateve baptizetur quis in aliqua Ecclesia non sua Parochiali , non est necesse, ut ista Ecclesia peculiarem sibi Librum conficiat , ut in eo notetur unus vel alter ibidem salutari Aqua ablutus , sed notandus in eo loco , ubi baptizari debuisset. Hinc S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite , *Quae pertinent ad Sacramentum Baptismi* , inter alia praecepit, *ut infantis , qui domi ob necessitatem baptizatus est, Baptismus in Libro Baptizatorum a Parocho de more referatur , notato Patrini nomine , & qui domi ad Baptismum , & qui in Ecclesia ad Catechismum , Exorcismumque adhibitus est* .

II. Sed ut magis , magisque intelligatur hic noster §. sciendum plane illud , quod , quemadmodum primis Saeculis pene soli Episcopi Baptismum solemnem conferebant , atque Baptismi soli Ministri Ordinarii reputabantur , uti jam late ostendimus supra Tomo I. in Commentariis ad Ti-

Titulum II. ita in sola Ecclesia Cathedrali, seu Episcopali, vel certe in Baptisterio Ecclesiæ illi adjuncto, Baptismus solemnis administrabatur; notatque Christianus Lupus in Dissertatione, *De Africanæ Ecclesiæ appellationibus*, Cap. xxviii. quod olim sola principalis Ecclesia Baptisterium habuerit. Veteris hujus disciplinæ vestigium visitur hodieque Florentiæ in nostra Italia. In ea enim Civitate, uti notavit Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Baptisterium*, aliique Auctores, *e regione maximi Templi Ecclesia est rotunda S. Joanni Baptistæ sacra. Hanc Baptisterium appellant, tota & hæc marmorea, habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium e marmore lucidissimo visitur, in quo Florentini omnes Baptismi Lavacrum percipiunt, neque alibi quisquam, præterquam in hoc Baptisterio Aquis salutaribus tingitur. Quæ quidem adnotare libuit tamquam veteris moris institutum; cum olim in Civitatibus, in Ecclesiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis Baptisteriis Baptismus conferretur, in quibus etiamnum supersunt ejusmodi Baptisteria, tametsi nulli fere usui.*

III. Multiplicato postmodum, ut notat Vanespen Parte II. Juris Ecclesiastici, Tit. II. Cap. II. num. xv. Fidelium numero, etiam in una eademque Civitate plura Baptisteria construi cœpere, non tamen nisi in principalioribus Ecclesiis, aut prope eas, quas propterea *Baptismales* dixerunt, ut in Canone liv. & lv. apud Gratianum, Causa xvi. Quæstione i. ad distinctionem illarum Ecclesiarum etiam Parochialium, quæ Baptisterio carebant; quemadmodum etiam num hodie in aliquibus Civitatibus, ac præsertim Romæ plures cernuntur Ecclesiæ Baptisterio destitutæ. Eodem teste Vanespen loco citato, in Civitate Leodiensi licet sint triginta circiter Ecclesiæ Parochiales, tamen non nisi quinque sunt Baptismales, atque earum una, quæ Cathedrali injuncta est, quæ forsan olim ipsius Ecclesiæ Cathedralis Baptisterium constituebat. Atque hæc sunt, quæ adnotare operæ pretium duxi ad faciliorem nostri §. intelligentiam, ubi edicitur, *ut Liber Baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Baptisma.* Corrigendumque est mendum, quod irrepsit ad hunc locum in Romana Generosi Salomonii Ritualis Romani editione anni MDCCLII. ubi legitur, *Liber Baptizatorum habeatur in Ecclesiis, & in quibus &c.* delenda enim est conjunctio illa, &.

## §. II.

Liber Confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Chrisma.

## COMMENTARIUS.

I. Quum Confirmationis Sacramentum possit ab Episcopo ministrari in quacumque Ecclesia suæ Diœcesis, difficile est, ut observari queat quod præscribit hic noster §. ut nempe, *Liber Confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Chrisma*. Certe, si in Cathedrali Ecclesia Chrisma confertur, poterit quidem Confirmatorum Liber in ejusdem Ecclesiæ Archivo servari; at vero ubi in Diœcesis Ecclesiis, confertur, a Parochis notandi sunt Confirmati in peculiari Libro, quem una cum aliis apud se habere Parochi debent, & exemplum ad Episcopi proprii Cancellariam transmittere juxta varia S. Caroli Decreta in Conciliis, & in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis expressa, ac alia id genus ab aliis Episcopis in suis Synodis Diœcesanis, Ritualibusve promulgata, & præsertim a Marco Antonio Columna Marsilio in sua Diœcesana Salernitana Synodo anni MDLXXIX. edita, Tit. xxxv. *De Parochis*, Cap. x. cujus locum in Præfatione ad hunc Titulum descripsimus.

## §. III.

Hi tres habeantur a quolibet Parocho, Liber Matrimoniorum, Liber Status Animarum, Liber Defunctorum habeatur etiam in omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti sepeliuntur.

## COMMENTARIUS.

I. Notantur in hoc §. Libri, qui haberi a quolibet Parocho debent, & primum quidem *Liber Matrimoniorum*, prout jam antea decreverat Tridentinum Concilium, Sessione xxiv. *De reformatione Matrimonii*, Cap. i. *Habeat*, inquit, *Parochus Librum, in quo conjugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat*. Idem passim statuunt Provinciales permultæ, Diœcesanæque Synodi, inter quas Provincialis i. Mediolanensis a S. Carolo celebrata, Capite inscripto. *Quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*, prædicto Concilii Tridentini Decreto inhærens, sic inquit: *Ne autem Matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facile pereat, si quam facultatem Episcopi, aut Parochi cuiquam alii Sacerdoti, ut in contrahendo Matrimonio intersit, concedendam aliquando duxerint, id scripto tantum faciant, ejusque exemplum Episcopi in aliquo Libro descriptum diligenter adservent; Parochi autem in eum Librum referant, in quo conjugum, & testium nomina ex præscripto Tridentini Concilii scribere debent; quidquid vero eo Libro Parochi singulis annis scripserint, id in fine anni Episcopo describendum tradant*. Ut hujusmodi Liber quotannis in Visitatione Episcopo, ejusve Archipresbytero exhibeatur, & ubi completus jam

jam fuerit, in Archivio Ecclesiæ servetur, statuit non uno in loco suorum Conciliorum, Actorumque Mediolanensis Ecclesiæ S.Carolus, itemque pleræque Synodi, & inter ipsas Provincialis II. Mechlinensis Tit. x. Cap. VII.

II. Plura scitu digna de hoc Libro quoad praxim notavit Barrufaldus in suo ad hunc nostrum §. Commentario, num. 28. & seqq. ubi etiam casum recenset, quem & hoc loco referre lubet, estque hujusmodi. Quæsita fide, seu testificatione de Matrimonio inter duas spectatæ famæ personas, a qua arduæ litis pendebat decisio, non fuit inventa in Libro consueto Parochiali Matrimoniorum descripta partita adeo necessaria; diu moratum fuit in hac indagine, quæ eo obscurior erat, quia Parochus, per quem describi debuerat illa partita, jam e vivis decesserat. Tandem, Deo favente, tunc, quando minus sperabatur, & Judex in calculo ferendæ sententiæ jam erat, inventa fuit partita, fideliter, & diligenter descripta in Libro Mortuorum ejusdem Parochiæ; cumque nihil aliud ejus valori objiceretur, nisi æquivocatio Libri, cum regulariter in Libro Defunctorum non describantur, nisi mortui in illa Parochia, non vero Matrimonia, Pars quæ contra fidem instabat, recursum habuit pro Consilio, & Voto ad D.Dominicum Catelanum tunc Cardinalis de Verme Episcopi Ferrariensis Vicarium Generalem, ac deinde merito Termularum Episcopum laudatæ memoriæ. Qui, casu diligenter examinato, inspectaque oculariter partita, & Libris, tum Matrimoniorum, tum Defunctorum consideratis, æquivocationem hanc declaravit, nihil officere validitati, & robori ejus, quia non dolosa erat, sed tantum materialis; & vere dici poterat, talem partitam descriptam fuisse in Libris Parochialibus, licet Liber ille per accidens non esset ad Matrimonia destinatus. Itaque canonizata fuit hæc fides, & relevata ad producendum in Processu favore Partis, pro qua inquisita fuerat.

III. Licet autem contracti Matrimonii partita scripta in alio Libro fidem fecerit, pro certo nihilominus illud a Doctoribus habetur, Matrimonium non præsumi contractum, nisi a Parocho fuerit in suo Libro adnotatum, uti refert Barrufaldus, Doctorumque probat auctoritate citato loco, num. 29. Præterea quod peccent mortaliter Parochi, si Matrimonium contractum non descripserint in Libro, qui iccirco Matrimoniorum dicitur, quia nempe spernunt præceptum Tridentini Concilii in re gravi, pluries firmavit Rota Romana Parte x. Decisione CCXXXIII. num. II. & Parte XIII. Decisione CDXLV. & alibi. Cæterum, quod etiam sub mortali teneatur Parochus testium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii in eodem Libro adnotare tum quia id expresse præcipit laudatum superius Tridentinum Concilium, tum etiam quia ipsa descriptio ad solemnitatem Sacramenti pertinet, & ad vitandas lites, quæ ex defectu hujusmodi descriptionis oriri possent, docet Barbosa Parte I. *De Officio, & Potestate Parochi*, num. 8. aliique permulti Theologi, & Canonistæ ab ipso relati, & a Barrufaldo ibidem, num. 30.

IV. Alter Liber habendus a Parocho ex præscripto ejusdem nostri §. est *Liber status animarum*. Id ipsum statutum legimus in variis Synodis, præsertim vero in Mediolanensibus a S. Carolo celebratis; ut enim alia omittam, in Mediolanensi IV. Capite inscripto, *De Visitatione*, diserte mandat, ut promptum habeat Parochus Librum *de numero, statuque animarum*. Salernitana autem Diœcesana anni MDLXXIX. citato superius loco, vult quidem, ut Parochus *habeat Librum etiam Parochianorum omnium, & familiarum suæ Parochiæ, Librum etiam confitentium, & communicantium*. Synodus Provincialis Beneventana anni MDXCIX. Tit. XVII. Cap. II. non solum Parochis mandat, ut Librum habeant status animarum, sed ut illum singulis annis recognoscant. Porro omissis aliis Synodis, quanta sit utilitas hujus disciplinæ, ex eo deducitur, quod ipsam status animarum descriptionem facile Parochi exequi valeant, quæ sunt muneris sui partes, ac illam præsertim, quam Concilium Tridentinum Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. I. recenset, nempe, *oves suas agnoscere*, non solum in genere quoad numerum sed in specie familias singulas, & in individuo personas quaslibet, earumque ætatem, & qualitates, ut possint ipsimet, vel, si opus fuerit, Ordinarii locorum necessaria ad salutem singulorum opportune subministrare; quod facilius exequentur, inquit Barbosa, *De Officio, & potestate Parochi*, Parte I. Cap. VII. num. I. *si juxta novum Rituale Librum componant, in quo familias, & personas subditorum cum ætatis nota, & Sacramentorum præsertim ad salutem necessariorum receptione, & alia hujusmodi, describant*.

V. Mandat tandem noster §. ut Liber Defunctorum non modo a quolibet Parocho habeatur, verum etiam *in omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti sepeliuntur*. Eadem ratione, qua describi debent a Parocho, qui in sua parochia nascuntur, adnotari etiam debent qui moriuntur; illi enim adnotanti mortem parochiani sui creditur, quia ad ipsum, & officium sepeliendi defunctos Parochiæ suæ, & hujusmodi adnotatio spectat. Quod vero ex hac adnotatione probetur mors, & sepultura alicujus defuncti, tradit Menochius in Tractatu, *De Præsumptionibus*, Lib I. Præsumptione LI. num. 53. cum seqq. aliique Auctores permulti, quos congessit Barbosa, Parte I. *De Officio, & potestate Parochi*, Cap. VII. num. II.

## §. IV.

**Advertat inprimis Parochus, ut in Libris tam Baptizatorum, & Confirmatorum, quam Matrimoniorum, & Defunctorum exprimat semper non solum nomen personarum, quæ ibi nominantur, sed etiam familiam.**

## COMMENTARIUS.

I. Distinctio communior personarum, ut scite ad hunc §. Barrufaldus notavit, num. 49. & seq. est per cognomina, quæ præstant id quod sufficit, ut facile dignoscatur persona, de qua agitur, & evitentur æquivocationes. Ubi tamen advertendum est, quod si duæ

duæ, vel plures personæ reperiantur in uno loco, quæ ejusdem nominis, & cognominis sint, prout sæpe accidit in Civitatibus populosis, tunc inveniendus sit a Parocho modus, ut unus distinguatur ab alio, nempe per nobilitatem, ignobilitatemve conditionis, sive per exercitium, seu per artem, per viam, situmve domus ejus, aliasque personales inspectiones, puta dignitates, per nomen patris, avique, & per alia id genus, quæ personas ejusdem nominis, cognominisque distinguant. Optima autem regula, ut idem Auctor observat, num. 51. illa est nonnullarum nationum, quæ quando nomen alicujus indicant, nunquam prætermittunt nomen patris, avi, proavi, abavi, atavi, quasi Librum generationis ejusdem percurrentes; hoc enim pacto penitus nequeunt personæ confundi, licet eodem nomine, & cognomine appellentur.

# CAPUT II.

## *Forma describendi Baptizatos in primo Libro.*

### §. I.

*Anno Domini .... die ... mensis ... Ego N. Parochus hujus Ecclesiæ S. N. Civitatis*, vel *Loci N. baptizavi infantem die ... natum*, vel *natam ex N. & N. conjugibus hujus* Parochiæ, vel *Parochiæ S. N. & ex tali Patria, & familia, cui impositum est nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia*, seu *Loco N. conjux N. filia N. ex Parochia N.* seu *Loco N.*

## COMMENTARIUS.

I. Similis formula Italice scripta legitur quidem in Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, pag. mihi 805. itemque in Salernitana Diœcesana Synodo a M. Antonio Columna Marsilio Salernitano Archiepiscopo habita anno MDLXXIX. Tit. XLIX. Cap. I. pag. 252. *In primo Libro*, inquit, *scribantur ii, qui baptizantur, hoc modo. Die .. mensis .. anni .. Fuit baptizatus a me N. Cappellano, & Curato Parochialis Ecclesiæ S. N. filius*, vel *filia N. & N. conjugum, natus*, vel *nata* die .. *& ei fuit impositum nomen* Francisci, *vel* Antonii, *aut alias. Compatres*, vel *patrini, qui illum susceperunt de Fonte Baptismatis, fuerunt N. & N. uxor N.* Brevior est illa, quam exhibet Possevinus, *De Officio Curati*, Cap. VIII. num. 48. quamque describit Barbosa, Parte I. *De Officio, & potestate Parochi*, Cap. VII. num. 2. estque hujusmodi. ✠ *die .. mense .. anno .. Paulus filius Petri de N. & Bertæ de N. ejus uxoris baptizatus est a me N. Compatre, & Commatre N. & N.* Sed omissis aliis formulis in Synodis variis, & a variis Auctoribus relatis, standum est formulæ a nostro Romano Rituali præscriptæ in præsenti §. & in sequentibus clarius, latiusque explicatæ, qui omnino adverti a Parocho debent, quum dari possint, denturque in dies varii casus, in quibus formula debeat nonnihil mutari. Sed non dubito, quin & in hujusmodi casibus standum sit regulæ traditæ in Synodo, Ritualique Libro suæ Diœcesis longo usu, Episcopique auctoritate probato.

### §. II.

Si infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen infamiæ vitetur occasio) si vero de neutro constat, ita scribatur: *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die &c.* ut supra.

## COMMENTARIUS.

I. Ecce hic primus casus, in quo variari nonnihil debet generalis describendi baptizatos formula in §. I. notata. Mandat enim hic præsens §. ut, *si infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis de quo constat, scribatur*. Cui inter alias concinit laudata superius Salernitana Synodus, ubi post præscriptam generalem formulam, ita statim subdit: *Si filius non sit ex legitimo Matrimonio, describatur nomen matris tantum, si tamen de ea constiterit*; quia scilicet aliquando etiam nescitur mater, qualis est mater expositi infantis, de cujus descriptione in Libro Baptizatorum dicemus mox infra in Commentario ad sequentem §. III. Porro recte admonet præsens §. ut in descriptione infantis, qui non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, *omnis infamiæ vitetur occasio*. Ad quæ verba reflectens Barrufaldus in suo ad hunc §. Commentario, scite ait, quod prudentia Parochi in hoc valde eminere videbitur, si in notandis, seu describendis Baptizatis, caute se gesserit, ita ut nemini infamiam intulerit. Hinc, si unus ex parentibus instet, ut scribatur nomen, vel patris, vel matris, advertere Parochus debet, ne hoc fiat subdole, & malitiose, ad hoc ut tractu temporis, qui testimonium relevaverit, fidem habeat de eo quod non fuit. Regula itaque certa erit, ut idem Auctor subdit, scribere nomen matris, si certo sciatur, non vero patris, quia hoc est difficilis probationis etiam in conjugatis, multo magis in solutis. Quod tamen puto intelligendum de nato ex muliere, ad quam omnibus patet aditus, non vero ex concubina ab aliquo domi retenta, & custodita, tunc

tunc enim natus ex illa muliere, de jure præsumitur esse illius filius, qui eam ex indubitato affectu domi retinebat, sustentabatque. Fateor equidem, multam prudentiam, cautionemque adhibendam esse a Parocho in hujusmodi baptizatis describendis; sed habenda est tamen aliqua ratio talium natorum, qui, si non describatur eorum naturalis tantum pater, alimentis, quæ eis de jure debentur, facile privarentur. Atque eadem ratio haberi etiam deberet ipsorum infantium, quorum certi parentes concubinarii, solutus scilicet cum soluta, expresse Parocho mandant, ne eorum nomina in descriptione illegitimi filii memorentur. Non enim puto, illis a Parocho parendum esse, nam ait noster §. tunc quidem scribendum esse, *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur &c.* ut supra, si scilicet *de neutro constat*.

## §. III.

Si expositus sit infans, exprimatur, quo die, ubi, & a quo repertus, & quot dierum verisimiliter sit, & baptizetur sub conditione, si ignoratur, fuisse baptizatum.

## COMMENTARIUS.

I. DE Baptismo infantium expositorum jam diximus supra Tomo 1. in Commentariis ad Titulum II. Ex præscripto hujus nostri §. baptizandus est ipse expositus infans, *sub conditione, si ignoratur, fuisse baptizatum*. Quod quidem etiam locum habet in infante exposito, qui appensam in collo, vel in alia corporis parte schedulam haberet, in qua esset scriptum, Baptismo illum fuisse insignitum; idque jam plerique Auctores docuerunt, variæque Synodi statuerunt, inter quas Provincialis III. Mediolanensis a S. Carolo celebrata, Capite, *De Baptismo infantum expositorum*, sic inquit: *Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter perquisita, quemadmodum Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis formula baptizetur, nempe: Si tu es baptizatus, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Ratio est, quia schedula ipsa potest esse testimonium illusorium ab aliquo Fidei Christianæ hoste adductum, uti post alios notavit Barrufaldus ad hunc nostrum §. Porro non omnes expositi infantes sunt illegitimi, sed eorum non pauci in magnis præsertim Civitatibus vel ab ipsis parentibus projecti sunt, sive quod eos alere nequeant, sive ut se parentes occultent, quod contractum scilicet ab ipsis Matrimonium, invitis parentibus suis, multum detrimenti eisdem afferret. Sed fateor equidem, multam inde miseris natis, derelictisque afferri injuriam; optandumque esset, ut aliquid tandem remedium tanto abusui præbeatur. Ubi vero de exposito infante agatur, cujus parentes penitus ignorantur, recte admodum mandat hic noster §. ut in descriptione Baptismi illius in Libro Baptizatorum *exprimatur, quo die, ubi, & a quo repertus, & quot dierum verisimiliter sit*.

II. Sed neque omittendum hoc loco, quod idem S. Carolus Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, in Instructionibus Baptismi, de ipso infante exposito statuit, pag. 502. col. 1. sic inquiens: *Exposito autem infanti nomen imponet, quod in schedula collo ejus appensa scriptum est; illudque notabit certo Libro, quo facilius, atque adeo certius, qui infantem exposuit, si quando voluerit, ex nomine recognoscat. Quam ob causam aliquando pro opportunitatis ratione, Hospitalium locorum, ubi infantes exponi moris est, Administratores, Præfectosve monebit, ut ea ipsa schedula asservetur diligenter.* Tum vero subdit: *Cum vero sæpe alias, prout locus, tempus, personarumque conditio tulerit, tum maxime, cum expositum baptizat, hoc graviter monebit; ut omnes, quicumque sint, caveant suos, aut alienos filios exponere, nisi urgens, magnaque necessitas id facere cogat; tuncque si fieri potest, ne exponant in compitis, via, aliove loco, ubi facile perirent; sed in Hospitalibus, locisve speciatim eo nomine constitutis; ac præterea collo appensa, alligatave infantis, qui exponitur schedula, aut nota alia indicante nomen, & Baptismum, si baptizatus est.* Describere hoc loco hæc sane placuit, quod multa in recitata Instructione S. Carolus docuerit, quæ & ad hunc nostrum §. pertinent, in quo alter casus exponitur, in quo immutari prædicta formula debet.

## §. IV.

Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit, tunc ita scribatur: *Anno . . . die . . . mensis . . . natus est N. filius N. & N. conjugum &c.* ut supra, *quem ob imminentis mortis periculum in domo rite baptizavit N. obstetrix probata*, vel *N. filius N. ut mihi retulit N.*

## COMMENTARIUS.

I. TErtius casus variandi descriptionem baptizati, est ille, *si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit*, statuitque hic præsens §. ut tunc descriptio fiat hoc modo: *Anno . . . die . . . mensis . . . natus est N. filius &c.* Huc facit, quod mandat S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Babtismi*, ubi sic inter alia inquit: *Infantis, qui domi ob necessitatem baptizatus est, Baptismus in*

*in Libro Baptizatorum a Parocho de more referatur, notato Patrini nomine, & qui domi ad Baptismum, & qui in Ecclesia ad Catechismum, Exorcismumque adhibitus est*. Sane ait ad hunc §. Barrufaldus, istam descriptionem, de qua loquuntur & noster §. & S. Carolus, faciendam esse a Parocho unice in casu, quo infans, qui domi baptizatus fuit ob imminens mortis periculum, idem periculum evaserit; nam si post Baptismum domi datum mortuus fuerit, nulla de eo fit mentio a Parocho, quia nullam partem in eo habuit, licet Ecclesiasticæ sepulturæ tradatur. Sed puto equidem, lapsum Barrufaldum, tenerique Parochum etiam in Librum Baptizatorum referre Baptismum infantis domi ob necessitatem ab obstetrice, sive ab alio quovis recte Baptismo insigniti, cum nec noster §. nec S. Carolus ullam faciat distinctionem inter infantem domi baptizatum, & statim mortuum, & illum, qui post Baptismum domi acceptum supervixit, & deinde fuit postea ad Ecclesiam pro supplendis cæremoniis delatus. Ubi enim Lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, ut Doctores communiter tradunt.

## §. V.

Si supervixerit infans, & ei adhibitæ sint in Ecclesia sacræ cæremoniæ, ita addatur: *Die ... ejusdem mensis ad Ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsique ego Parochus sacras cæremonias, & preces adhibui, & N. nomen imposui.*

### COMMENTARIUS.

I. De supplendis omissis in Baptismo propter necessitatem collato jam differuimus supra in Tomo I. Tit. II. in Commentariis ad Caput V. quod ita inscribitur, *Ordo supplendi omissa super baptizatum*. Postquam itaque Parochus Baptismum domi ob necessitatem administratum in ipso Libro Baptizatorum descripsit, juxta notata in §. & Commentario superiori, debet eidem scripturæ adjungere descriptionem cæremoniarum, quas ipse in Ecclesia prædicto baptizato adhibuit, juxta formulam in præsenti §. expressam. Illud autem ex hoc eodem §. patet, quod alias notavit Barrufaldus, nempe nomen imponendum esse infanti a Parocho baptizante, non vero ab obstetrice, vel alia persona, quæ infantem baptizaverit in privato loco ob imminens mortis periculum, quia in illo periculo de salute animæ quærendum est, non vero de nomine infantis, cui Ecclesia pia Mater debet nomen imponere. Quid autem si obstetrix, aliusve nomen quoque cum Baptismo imposuerit? Dicam plane, istud nomen a Parocho cæremonias supplente in faciem Ecclesiæ confirmandum, quia Parochus sequi debet voluntatem parentum, deferentiumque ad Ecclesiam infantem, quum id ipsi postulent, & nomen sit vere ab Ecclesia probatum. Sed de nomine baptizandis imponendo videri possunt, quæ jam late diximus nos in Commentariis ad prædictum Titulum II.

## §. VI.

Si forte non Parochus, sed alius baptizaverit, id exprimatur.

### COMMENTARIUS.

I. Præter Parochum, seu ejus Capellanum, dari potest casus, ut ministretur Baptismus ab Episcopo, vel ab alio aliquo Sacerdote de ejus licentia, & in hoc casu id etiam exprimi debet in formula descriptionis baptizati, & quidem a Parocho in ipso Baptizatorum Libro, ut ex nostro §. deducitur, aperteque statutum est in variis Ritualibus, atque in Diœcesanis Episcoporum Synodis, quas non opus est recensere hoc loco.

## §. VII.

Si fuerit baptizatus sub conditione, *Si non es baptizatus &c.* id pariter exprimatur.

### COMMENTARIUS.

I. Conferri in variis casibus Baptismum sub conditione, non uno in loco jam diximus Commentariorum ad Titulum II. hujus Ritualis Romani, qui ita inscriptus est, *De Sacramento Baptismi rite administrando.* Quod præsentem hunc §. spectat, mandat is quidem, ut si quis fuerit baptizatus sub conditione, *id pariter exprimatur*, in formula scilicet descriptionis Baptizatorum in Libro Parochiali. Atque hæc sunt, quæ omnino servare Parochus debet in formula describendi Baptizatos in primo Libro secundum circumstantias, & varios casus superius in variis Paragraphis, & Commentariis explicatos; quia nimirum, uti recte Barrufaldus observat in suo Commentario ad hunc §. num. 21. *sæpe in probanda identitate personæ, in successionibus, & aliis casibus maxime prosunt*.

CA-

## CAPUT III.

### *Forma describendi Confirmatos in secundo Libro.*

### §. I.

*Anno . . . die . . . mensis &c. qui fuit dies &c. N. filius N. & N. conjugum*, vel *N. filia N.* (& si fuerit nupta, addatur, *uxor N.*) *Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendissimo Domino nostro N. Episcopo N. in Ecclesia S. N. Civitatis*, vel *Loci N. Compater fuit N. filius N. Parochiæ S. N. Civitatis*, vel *Loci N.*

## COMMENTARIUS.

I. OMnem ab Episcopis diligentiam adhibendam, *ut, qua ratione commodius fieri poterit, Parochi describant Confirmatos, & Compatres*, statuit quidem inter alios S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi I. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramenti Confirmationis administrationem*. Sed & notatu dignum est, quod idem S. Antistes in Concilio Provinciali V. mandavit, Capite citato, ut nempe, si sint minores natu, qui confirmantur, *eorum parentes, vel qui curam gerunt, Parochus moneat, ut ætate procedente, illos ea de re certiores faciant, ne parentibus, curatoribusve postea mortuis, ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint. Præterea, ut eum Confirmationis diem ob eam causam certo Libro adulti notent; itidemque faciant parentes eorum, qui pueri confirmati sunt*, monuit idem laudatus S. Carolus in Instructionibus, *De Sacramento Confirmationis*, in fine, ubi causam ipsam, cur facienda sit ista adnotatio, sic explicat: *Ut anniversarium statum illum diem, quo confirmati sunt, religiosius singuli pietatis officiis, & precibus colant; confessique sacram Eucharistiam sumant, ut benignissimo Deo gratias agant de donis acceptis*.

II. In variis Synodis, Ritualibusve Ecclesiarum variæ quidem extant formulæ descibendi Confirmatos in Libro Parochiali, quæ tamen idem continent, quod & hic noster §. præscribit. Hujusmodi plane est formula, de qua loquitur Barbosa Parte I. *De Officio, & potestate Parochi*, Cap. VII. num. 16. ubi loquitur de Confirmatorum Libro, quem penes se habere Parochus debet: *In hoc autem Libro*, inquit, *describi debent nomina, & cognomina Confirmatorum, patrumque, & matrum Parochiæ, in qua habitant; item similiter patrinorum, seu matrinarum, necnon ipsius Episcopi administrantis; tum dies, mensis, & annus, & nomen ipsius Ecclesiæ, in qua Chrisma fuit administratum in hanc formam.* Die ... mense ... anno .... N. ætatis annorum ... filius N. & N. ex Parochia S. N. Chrismatis Sacramento fuit confirmatus a Reverendiss. O. Episcopo N. Patrinus, *seu* Matrina fuit N. ex Parochia S. N. Administratum vero fuit hoc Sacramentum in Ecclesia Parochiali S. N. *Titulus Libri sic concipiatur*: Liber Confirmatorum Sacramento Chrismatis S. N. Contractior est formula, ut alias omittam, quæ legitur in Salernitana Diœcesana Synodo anni MDLXXIX. Tit. XLIX. Cap. I. pag. 253. his verbis concepta: *Die ... mense ... anni ... confirmatus est N. filius N. & N. per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum N.* (aut alium Episcopum) *in Ecclesia S. N. Ejus patrinus fuit N.* Additque mox: *In mulieribus vero tam suscipientibus, quam susceptis, si nuptæ fuerint, præter nomina, & cognomina propria, addantur nomina etiam, & cognomina virorum*. Sed attendenda est formula in §. nostro præscripta, in qua tamen admonendum censeo, addi posse Episcopo qui Sacramentum Confirmationis administravit, titulum *Illustrissimi*, cui etiam si S. R. E. Cardinalis fuerit, titulum *Eminentissimi*, juxta notata a nobis non uno in loco Commentariorum ad Cæremoniale Episcoporum.

### §. II.

Marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii, feminarum vero in altera sejunctim notetur.

## COMMENTARIUS.

I. SIcut separatim mares a feminis Sacramentum Confirmationis accipiunt, & quidem illi primum, ac nobiliori loco, uti in variis Conciliis statutum fuit, ac præsertim a S. Carolo in Conciliis, & Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ubi agit de iis, quæ ad ipsum Confirmationis Sacramentum pertinent, ita quoque hanc mares prærogativam supra feminas in descriptione Confirmatorum in Libro Parochiali habere debent, ut nempe marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii, feminarum vero in altera sejunctim notetur, juxta præscriptum hujus nostri §. ubi notat Barrufaldus, clarius ipsum §. explicari a Monacello, qui dicit, describendos mares separatim a feminis in eodem Libro ordine alphabetico, exprimendo ætatem, & qualitatem adultorum, præsertim si sint conjugati. Sed ajo tamen, attendi semper debere, quod nostrum Rituale Romanum præscribit, ac etiam servandum esse a Parocho semper, quod suæ Diœcesis Synodi, probatique Rituales Codices statuunt, nihilque penitus innovandum ob auctoritatem alicujus privati Scriptoris, qualis inter alios fuit Monacellus forensi Curiæ, ac praxi potius addictus, quam Ecclesiasticæ disciplinæ longo usu probatæ, ac etiam in Ritualibus Libris, & in Synodis Provincialibus, Diœcesanisque statutæ.

§. III.

## §. III.

Si confirmatus non constet, an ex legitimo Matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur, servetur, quod in Libro Baptizatorum præscriptum est.

## COMMENTARIUS.

I. NOtat & ad hunc §. Barrufaldus, satis esse, ut qui Confirmatos in Libro describit, si aliquorum parentes incerti sint, scribat hæc verba: *N. cujus parentes ignorantur*. Non debet enim Parochus decernere, seu judicare, an illi sint spurii, an legitimi; quod si faceret, damnum, & quidem maximum inferret hujusmodi confirmatis, qui legitime etiam potuerunt esse procreati; incertitudo enim parentum non est sufficiens ratio, ut quis dicatur illegitimus, ex communi Doctorum sententia; & eo magis infamiæ occasio daretur, quia adultus dedecus suum concipere potest, quod non evenit in scribendis infantibus baptizatis, quia in ea ætate nihil de se ipso infans cognoscit, nec erubescere valet eo pacto, quo maximum pudorem concipere posset in adulta ætate, si in conspectu ejusdem conciperetur sententia de ejus illegitimitate, uti idem superius laudatus Barrufaldus notavit.

# CAPUT IV.

## *Forma describendi Conjugatos in tertio Libro.*

I. ANtequam ad formam deveniam describendi conjugatos in Parochiali Matrimoniorum Libro in §. præscriptam, præmittendum censeo in Præfatione ad Capitis hujus Rubricam quod ait S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi I. ubi de iis tractat, quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent: *Ne autem Matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facile pereat, si quam facultatem Episcopi, aut Parochi cuiquam alii Sacerdoti, ut in contrahendo Matrimonio intersit, concedendam aliquando duxerint, id scripto tantum faciant, ejusque exemplum Episcopi in aliquo Libro descriptum diligenter adservent; Parochi autem in eum Librum referant, in quo conjugum, & testium nomina ex præscripto Tridentini Concilii*, Sessione scilicet XXIV. De reformatione Matrimonii, Cap. I. *scribere debent; quidquid vero eo Libro Parochi singulis annis scripserint, id in fine anni Episcopo describendum tradant*. Similia his legere est in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, & in aliis multis Episcoporum Synodis, ac Ritualibus, quæ iccirco recensui, quod plurimum faciant ad sequentium Paragraphorum explicationem, ut etiam suis locis notabimus.

## §. I.

*Anno . . . die . . . mensis . . . denunciationibus præmissis, tribus continuis diebus festivis, quarum prima die . . secunda die . . tertia die . . inter Missæ Parochialis solemnia habita est, nulloque legitimo impedimento detecto, ego Rector hujus Ecclesiæ Parochialis N. Civitatis*, vel *Loci N. filium N. Parochiæ S. N. & N. filiam N.* (seu *relictam qu. N.* si vidua fuerit) *hujus Parochiæ*, seu *Parochiæ S. N. in Ecclesia N. interrogavi, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba de præsenti, matrimonio conjunxi, præsentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. & N. filio N. &c. & N. filio N. &c. postea eis ex ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ* (si tamen nuptias benedixerit) *in Missæ celebratione benedixi*.

## COMMENTARIUS.

I. QUamvis variæ in variis Synodis, Ritualibusque Libris Ecclesiarum recenseantur formulæ describendi conjugatos in Libro Parochiali, attendenda est præ cæteris formula ista in hoc præsenti §. præscripta, quæ tamen & potest, & debet aliquando ampliari, & restringi, aut variari a Parocho, juxta Matrimonii circumstantias, nempe si denunciationes fuerint omissæ ex dispensatione Episcopi, vel si alius Sacerdos de licentia ipsius Parochi, Episcopi, aut Vicarii Generalis Matrimonium celebravit. Tunc enim Parochus scribit particulam, & Sacerdos illam subscribit. Item quando conjuges fuerunt a Sede Apostolica dispensati super impedimento publico; aut vigore licentiæ Ordinarii Matrimonium fuit celebratum; vel quando de licentia Episcopi Matrimonium celebratur domi, aut in alia Ecclesia, quam Parochiali. Istæ omnes circumstantiæ sunt, quæ variationem important formulæ describendæ in Libro Matrimoniorum; unde nostrum ipsum Rituale Romanum non in una formula se sistit, sed quatuor diversas exhibet in sequentibus Paragraphis, adhibendas a Parocho, prout occasio se offert. Cæterum cavendum Parochis, ne suo arbitrio vel unum verbulum præscriptarum in Rituali Romano formularum varient; nam novi Episcopum, fuitque is Andreas Brancatius Archiepisco-

ſcopus Conſentinus, qui Parochum quemdam ſuæ Diœceſis pecuniaria pœna mulctavit, quod ubi in recitata formula noſtri §. dicitur, *eorumque mutuo conſenſu habito*, loco verbi *habito*, volens ſcribere elegantius, ut putabat, *exorto*, ſcripſit *extorto*, juſſitque iccirco Epiſcopus, ut ei aurei biſcentum extorquerentur. Explicari ſatis nequit, quantis pecuniariis multis Præſul iſte Clerum ſuum afflixerit, & adeo quidem, ut ex illis inter alia inſigne Monaſterium Virginum ingenti, incredibilique impenſa a fundamentis conſtruxerit, ad cujus parietem viſum aliquando fuit literis majuſculis ſcriptum, *Haceldama*, ideſt, *Ager ſanguinis*.

## §. II.

Si unus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus Eccleſia Matrimonium celebrari debet, denuntiationum in ejus Parochia rite factarum fidem ſcriptam habeat, quæ aſſervetur, & res tota exprimatur in ipſomet Libro Matrimoniorum hac ratione: *Denuntiationes hujus Matrimonii factæ ſunt etiam a R. D. N. Parocho Eccleſiæ S. N. ſub cujus cura dictus N.* vel *dicta N. habitat, ut ex ipſius Parochi ſcripto ſervato apud me apparet. Denuntiatio autem prima facta eſt die ... ſecunda die ... tertia die ... inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, nullumque impedimentum Canonicum detectum eſt.*

## COMMENTARIUS.

I. Fides denuntiationum factarum in altera Parochia fieri debet in ſcriptis in forma probante, ut ait ad hunc noſtrum §. Barrufaldus num. 5. nec ſufficit, ſi ipſe Parochus oretenus diceret, ſe illas feciſſe etiam medio juramento, quia cum ad perpetuam rei memoriam remanere debeat apud Parochum proprium hæc atteſtatio, eſſet aerea, & nullius momenti illa, quæ verbaliter fieret; non debet enim in hoc caſu reſpici tantummodo tempus præſens, ſcilicet validitas Matrimonii, pro quo atteſtationes de denuntiationibus factis in altera Parochia eſſent validæ; ſed ad tempus futurum eſt reſpiciendum, hoc eſt ad lites, & jurgia, quæ tractu temporis inſurgere poſſunt. Si enim in fide Matrimonii deeſſet iſta atteſtatio in ſcriptis de factis denuntiationibus in alia Parochia, Matrimonium poſſet infirmari, prout infirmatum fuit in caſu allegato a Barboſa, Parte II. *De Officio, & poteſtate Epiſcopi*, Allegatione XXXII. num. 183. & notavit idem Barrufaldus loco citato, num. 6. Atque his adde, quæ & idem Barboſa tradidit in alio Opere, quod inſcripſit, *De Officio, & poteſtate Parochi*, Parte I. Capite VII. num. 6. & ſeqq. ubi & varias quæſtiones reſolvit, & formulas etiam recenſet, quibus uti Parochus poteſt ad Matrimonia parochianorum ſuorum deſcribenda. Sed attendi tamen ſemper formulæ debent in noſtro Rituali Romano præſcriptæ.

## §. III.

Si autem alteruter ſit diverſæ Diœceſis, teſtimonium Parochi affirmantis, denuntiationes eſſe rite præſtitas, nullius roboris cenſeatur, niſi ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario Generali illius Diœceſis ſubſcriptione, & ſigillo comprobatum, & ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario loci, ubi contrahitur Matrimonium, recognitum ſit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

## COMMENTARIUS.

I. Præſcribit hic §. regulam, quam tenere Parochus debet, ubi alteruter conjux, qui vult in ſua Parochia Matrimonium contrahere, ſit diverſæ Diœceſis, quamque egregie confirmat, latiuſque explicat S. Carolus variis locis Actorum Mediolanenſis Eccleſiæ, ac præſertim in Concilio Provinciali Mediolanenſi II. Decreto XXVI. ſic inquiens: *Caveant autem Parochi, ne alienæ Parochiæ ſponſum, ſponſamve ante Matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius, qui intra Parochiæ ſuæ fines non habitat, Parocho, ſi ejuſdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ Diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit, cujus teſtimonii fide ſibi teſtatum fiat, ex Tridentini Concilii præſcripto, denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut Ordinarii ſui omiſſas eſſe, aut factas quidem, nullamque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum, quo minus tale Matrimonium contrahi liceat. Illud vero teſtimonium ſi a Parocho alienæ Diœceſis fiet, ab Ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegavit, ſubſcriptione, ac ſigillo comprobatum ſit.* Atque hanc regulam ſecutæ ſunt aliæ Synodi Epiſcoporum permultæ.

## §. IV.

Ubi vero Ordinarii conceſſu, quod ſcripto conſtare debet, denuntiationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum ſint, ita notetur: *Anno . . . die . . . menſis . . . denun-*

*nuntiationum una die festo rite facta, reliquis vero dilatis post Matrimonii celebrationem, ex facultate scripto concessa a Reverendissimo N.* seu *Vicario N. sub die . . . dat. &c. infrascripti tenoris, quam penes me servo, cum aliis hujusmodi facultatibus, nulloque prorsus impedimento allato, ego &c.* ut supra.

## COMMENTARIUS.

CAnoni LI. Concilii IV. Oecumenici Lateranensis, in quem nos plura scitu digna notavimus Tomo III. Commentariorum in Concilia Oecumenica, inhærens Generalis Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. inter alia præcipit, *ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum*. Permittit autem mox Synodus ipsa dispensationem super denuntiationibus ipsi Ordinario, idest Episcopo Diœcesano, quem hoc loco per Ordinarium intelligi, non autem alios inferiores Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ostendit Fagnanus ad Caput III. *De clandestina desponsatione*, atque ita a Sacra Congregatione, probante Gregorio XIII. responsum fuisse, testatur. His præmissis, notandum nunc illud, quod nempe si Episcopus, vel Vicarius dilationem denuntiationum, omissionemve concederet oretenus, & sine scriptis, Matrimonium quidem licitum esset, sed Parochus non recte se gereret, quia nimirum expresse ait noster §. prædictum Ordinarii concessionem debere scripto constare, ejusdemque concessionis scripto factæ debere Parochum in ipsius descriptione ad Librum facere mentionem, ut patet ex formula in hoc præsenti nostro §. expressa.

## §. V.

Denuntiationes vero, quæ post contractum Matrimonium fient, ita scribuntur: *Anno . . . die . . . mensis . . . qui fuit festus &c. & sequenti, qui fuit Dominicus &c. ejusdem mensis, ego N. Rector hujus Ecclesiæ S. N. inter Missarum solemnia denuntiationes habui Matrimonii, jam prævia opportuna dispensatione initi inter N. & N. die prima hujus mensis; nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quominus hujusmodi Matrimonium ratum, ac firmum esse debeat.*

## §. VI.

Si autem denuntiationes omnes omittendæ sint, aut differendæ, ita scribatur: *Denuntiationibus omnibus omissis, vel dilatis &c. ex facultate &c.* ut supra.

## COMMENTARIUS.

I. FIeri posse, denuntiationes post contractum Matrimonium, sed tamen, *ante illius consummationem*, statuit quidem Tridentinum Concilium, Sessione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. si nimirum, ut ait Concilium, aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc enim permittit, ut vel una tantum denuntitio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur, deinde vero ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Atque id etiam est, quod Ordinarius concedere potest, quinimo etiam ut omnes ipsæ denuntiationes remittantur, ejusque concessionis mentionem facere Parochus debet in suo Parochiali Libro juxta formulas præscriptas, quas etiam latius explicat S. Carolus in Actis Mediolanensis Ecclesiæ.

## §. VII.

Cæterum, si alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipso facultas facta sit conconjungendi aliquos, id in Libro proprii Parochi sic adnotetur ipsius Parochi manu: *N. Presbyter*, vel *Capellanus Ecclesiæ N. de licentia Reverendissimi Episcopi N.* seu *N. ejus Vicarii, Loci N.* aut *mea, quæ penes me extat, N. filium N. & N. &c. in matrimonium conjunxit &c.* ut supra. *Et ego N. Parochus N. subscripsi, & testor, rem ita se habere.*

## COMMENTARIUS.

I. POsse Parochum, Ordinariumve, idest proprium Episcopum, alii Sacerdoti licentiam impertiri, ut coram eo recte possit Matrimonium celebrari, statuit Concilium Tridentinum Sessione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. Quamquam vero ex communi

muni Doctorum sententia, sufficiat, quocumque modo, seu voce, seu scripto data fuerit hæc licentia, modo re vera data sit tempore illo, quo Matrimonio assistitur, ex præscripto nihilominus hujus nostri §. debet ea licentia concedi in scriptis, ut patet ex illa particula formulæ expressæ in hoc eodem §. his verbis: *quæ penes me extat*. Quibus concinit, quod statuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolenensi I. Capite, *Quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*, cujus integrum locum descripsi supra in Præfatione ad Capitis hujus Ritualis Rubricam. Non omittendum autem hoc loco, quod idem S. Antistes ad eandem rem nostram statuit in Concilio Provinciali III. Capite eodem, ubi sic inquit: *Si Parochus Sacerdotem alium coadjutorem habet, cujus etiam ministerio, facultate eidem Sacerdoti concessa, utitur ad Matrimonia contrahenda inter Parochiæ suæ incolas; is illam cautionem adhibeat, ut in Libro, qui est*, De Matrimoniis, *illius nomen, & cognomen, tum præterea diem, & mensem, & annum notet, quo ille Parochialis Curæ socius, atque coadjutor adjunctus facultatem a se, vel ab Episcopo consecutus est Matrimonia celebrandi*. Atque hæc sunt, quæ etiam aliæ Synodi permultæ statuerunt.

## §. VIII.

Quod si ex denuntiationibus compertum sit, conjuges aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctos esse, & nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipsis Apostolica auctoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis, vel affinitatis dispensatæ, & compendium Decreti super ea relati cum die, & anno, ac Notarii de illo rogati nomine, hoc modo: *Anno Domini ... die ... mensis ... præmissis denuntiationibus, ac comperto impedimento secundi*, vel *tertii*, aut *quarti gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, *seu alio quovis &c. inter N. & N. obtentoque per eos Apostolicæ Sedis mandato de dispensando, & cum eis per Reverendissimum Episcopum N. auctoritate dispensato sub die &c. anno ... ut constat ex Actis Notarii Officii prædicti Episcopi, eos in Matrimonio conjunxi &c.* ut in prædicta Formula.

## COMMENTARIUS.

I. NOn posse Matrimonium valide contrahi inter personas, quæ sunt secundo, tertio, quartove consanguinitatis, affinitatisve gradu conjunctæ, nisi accesserit Summi Romani Pontificis dispensatio, notum est vel ipsis tironibus Juris Canonici. Quod autem & in Parochiali Libro ea dispensatio a Parocho adnotanda sit, mandat quidem hic noster §. debetque iccirco Parochus omnino ea adimplere, quæ circa eam dispensationem in mandato Episcopali habet, nec in uno apice aliquid præterire, & singula scripto ordinata diligenter custodire, atque servare, uti ad hunc §. Barrufaldus notavit.

## §. IX.

Denuntiationes autem factæ in diversis Parochiis, Sponsi videlicet, & Sponsæ, ab utroque Parocho in Libro notari debent, etiamsi Matrimonium non sequatur.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam Matrimonium, ob aliquod impedimentum, suum non sortiatur effectum, mandat nihilominus noster §. ut denuntiationes factæ in diversis Parochiis, Sponsi videlicet, ac Sponsæ, ab utroque Parocho in Libro notari debeant, quia scilicet hæc adnotatio multum prodesse possit suo loco, & tempore, ut advertit ad hunc §. Barrufaldus, qui etiam jure, ac merito Parochorum illorum negligentiam carpit, qui in pagellis volantibus celebrationes Matrimoniorum notant, & aliarum rerum, quæ ex præscripto Tridentini Concilii, nostrique Ritualis Romani notanda sunt in Libris præscriptis. Licet enim prædictas res in chartulis notent animo describendi easdem suis peculiaribus Libris, facile tamen evenit, ut chartulæ deperdantur, & pereant, vel Parochus obliviscatur transcribere, vel moriatur, vel a Cura discedat, vel aliud accidat, propter quod schedula illa ad nihilum valeat. Addit & alia memoratus Auctor, ac illud potissimum, puniendam esse in hoc casu gravi multa negligentiam Parochi, quia præter peccatum mortale commissum in re gravis momenti ob spretum Decreti Concilii Tridentini, ac etiam Romani Ritualis, infert grave damnum tertio, & tenetur ad damna, quæ parochianis ex tali negligentia, omissioneve obvenirent, ut pluribus idem Barrufaldus probat, qui cum diu Parochum egerit, in his quidem rebus, quæ praxim spectant, fuit apprime versatus.

## CAPUT V.

### *Forma describendi Statum Animarum in quarto Libro.*

I. CUm Præcepto Divino, ut ait Tridentinum Concilium Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. I. mandatum sit omnibus, iis quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & quidem, ut inquit inter alios Barbosa Parte I. *De officio, & potestate Parochi*,

rochi, Cap. VII. num. I. non solum in genere quoad earum numerum, sed in specie familias singulas, & in individuo personas quaslibet, earumque ætatem, & qualitates, ut possint ipsimet, vel, si opus fuerit, Ordinarii locorum necessaria ad salutem singulorum opportune subministrare, hinc recte statuit nostrum hoc Rituale Romanum, ut quilibet Parochus Librum penes se habeat, quem vocat status animarum, ut nempe in eo adnotet singulos uniuscujusque familiæ, juxta ordinem in sequentibus Paragraphis præscriptum. Extat de ea re celebris Instructio S. Caroli Italice scripta, ac data anno MDLXXIV. legiturque Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis pag. 790. & seqq. in qua docet, qua ratione, & forma Liber iste status animarum confici a Parocho debet. Porro tempus faciendæ hujusmodi descriptionis juxta praxim Romæ, & aliis passim nostræ Italiæ locis servatam est circa medium Quadragesimæ, tunc enim solent Parochi se ad quascumque suorum parochianorum domos conferre, ibique quoscumque incolas visitant, recognoscuntque a primo usque ad ultimum, nulloque excepto, in Libro suo Parochiali, qui Status animarum titulo prænotatur, describunt juxta formulam infra in §. V. præscriptam.

II. Quum vero plerisque in locis Regni præsertim Neapolitani Græci simul & Latini habitent, ne tandem ob rituum promiscuitatem Latini facile ad Græcorum ritum transeant, & Græci in Latinum, & de Latino deinde ad Græcum revertantur, unde plurima scandala oriri solent, statuit iccirco inter alia Concilium Provinciale XIV. Beneventanum. anni MDCXCIII. sub Vincentio Maria Cardinali Ursino, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. Tit. XLVIII. Cap. XI. *ut Episcopi statum animarum distinctissime formandum præcipiant, alterum Græcorum, alterum Latinorum, & hujus in Cancellaria Episcopali duplicatum servent; & si quando Latinum in Græcorum ritum abire, aut Græcum Latinum factum in Græcanicum ritum redire compererint, Ecclesiasticis Censuris ad Latinum ritum redire compellant.*

## §. I.

Familia quæque distincte in Libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram sequentem, in quo singulatim scribantur nomen, cognomen, ætas singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam advenæ in ea vivunt.

## COMMENTARIUS.

I. PRæscribit hic noster §. modum, quo unamquamque familiam describere Parochus debet in Libro, ut nempe intervallum ab una ad aliam familiam relinquat, & ratio est, ut si in domo descripta aliquis infra annum crescat, possit Parochus illum commode, & sine transpositione adnotare. De familia vero dicuntur non tantum qui e stipite eodem proveniunt, vel illi adhærent ratione conjugii, verum etiam servi, & totus famulatus, qui expensis patrisfamilias vivat, ibique continuo habitet, ut ad hunc §. Barrufaldus notavit.

## §. II.

Qui vero ad Sacram Communionem admissi sunt, hoc signum C. in margine e contra habeant.

## §. III.

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeant Chr.

## COMMENTARIUS.

I. TAmetsi perspicua sint, quæ in duobus hisce notantur Paragraphis, sciendum nihilominus censeo ad majorem illorum intelligentiam, executionemque, juxta ætatem habitantium in domo adnotanda esse duo memorata Sacramenta suis cum signis; qui vero ad utrumque jam fuerunt admissi, eos signandos, ut multis fieri solet in locis, cum duobus C. C. quibus significatur tum Communio, tum Chrisma, quibus jam fuerant donati. Porro qui nondum ad unum, vel ad aliud Sacramentum admissi sunt, ut infantes, lactentesque, alio signo notari alicubi solent, nempe Cruce ✠. Atque hic obiter nota, prægnantem mulierem pro unica persona esse adnotandam, nam licet vere duæ personæ sint, cum tamen illa, quæ in utero clausa est, adhuc inter vivos non censeatur, ideo notanda non est.

## §. IV.

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam illi, qui ad aliam Parochiam incolendam se conferunt, non amplius subditi appellari possunt Parochi illius, a cujus Parochia discedunt, quamvis filii, fratres, affines, consanguineive sint illorum, qui domum illam incolunt, sed subditi fiunt Parochi illius, ad cujus Parochiam commigrant, recte nihilominus mandat

dat hic noster §. *ut eorum nomina subducta linea notentur*; ad evitandas scilicet fraudes quarundam personarum, quæ, cum nolint certum habere locum, nulli quoque Parocho subjacere volunt. Quamvis itaque hujusmodi personæ ad alia loca accesserint, adnotandas eas ait noster §. subducta scilicet linea, ut descriptionem ipsam minime evadant. Adnotandas autem esse *transversa linea cum Cruce*, edixit inter alias Diœcesana Synodus Salernitana anni MDLXXIX.

## §. V.

Hac igitur ratione fiat: *Anno.... die... mensis... in via*, seu *platea*, seu *pago in propriis ædibus Pauli N.* vel *in ædibus N. a Paulo conductis habitant*.

Chr. *Paulus Petri filius annorum &c.*
Chr. *Apollonia ejus uxor, filia Jacobi N. annorum &c.*
C. *Dominicus eorum filius annorum &c.*
*Lucia eorum filia annorum &c.*
C. Chr. *Antonius filius N. famulus annorum &c.*
C. *Catharina N. filia N. ancilla annorum &c.*
✠ *Martinus filius N. annorum &c.*

## COMMENTARIUS.

I. Formulam istam posse variari secundum consuetudinem locorum, quod possibile non sit regulam instituere, quæ in nullo casu deficiat, tradit ad hunc §. Barrufaldus qui etiam observat, descriptionem ætatis non semper posse verificari, non enim solum innuptæ feminæ, nuptæque, sed & ipsi etiam senes ætatem occultare student, ut alios omittam, qui ætatis suæ annos penitus ignorant; atque hæc est causa, cur Parochi, ubi ætatem adnotant, ad annos apponere solent adverbium, *circiter*. Legenda a Parochis celebris illa S. Caroli Instructio ad rite, recteque conficiendum Librum status animarum suorum parochianorum, quæ extat inter ejusdem Instructiones vulgari idiomate exarata, Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, pagina mihi 790. & seqq. In eam enim rem ipsam omnem late, distincte, diligenterque descriptam invenient. Atque hæc est Instructio, quam plerique Episcopi S. Caroli vestigiis inhærentes, in Diœcesibus suis Parochis servandam mandarunt.

## CAPUT VI.

### *Forma describendi defunctos in quinto Libro.*

I. Loquitur & de hoc Libro, in quo Parochi debent suæ Parochiæ defunctos describere, S.Carolus tum in Conciliis, tum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ac præsertim in Instructionibus Italice scriptis datisque anno MDLXXIV. pro conficiendo Libro status animarum. Liber iste, in quo defuncti notantur, dictus antiquitus fuit *Necrologium*, quod idem est ac mortuorum Catalogus, eoque vocabulo usus est Beda in Historia Anglicana, Lib. IV. Cap. XIV. Appellatus etiam fuit antiquitus *Obitorium*, itemque *Calendarium*, uti notat in suo Hierolexico Macrus, verbo, *Necrologium*. Plura de Monachorum Necrologiis notavit Martene Lib. I. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. V. num. 22. & pluribus seqq.

II. Porro Necrologia ipsa dicta etiam fuerunt Dipthyca, in quibus relata erant nomina defunctorum præsertim insignium, de quibus fuse in aliis nostris Operibus diximus. Teste Viro Cl. Joanne Mabillonio in sua ad Sæculum V. Benedictinum Præfatione num.97. erant Dipthyca triplicis generis, alia nempe Sanctorum, alia Fidelium defunctorum, alia vivorum, de quibus late differunt eruditi Scriptores Ecclesiastici, & inter alios non uno in loco suorum Annalium inclytæ memoriæ S. R. E. Cardinalis Baronius, qui eosdem S. Philippi Nerii jussu in nostro omnium primo S. Hieronymi Charitatis Oratorio septies recitavit ad populum eo confluentem. Sane legi potest Epistola XXXIV. Cypriani ad Clerum, & plebem de Celerino Lectore ordinato, ex qua addiscimus, jam olim defunctorum dies fuisse non modo in Libro notatos, verum etiam anniversaria commemoratione celebratos. Tradit etiam inter alios Martene loco citato num. 23. Monachorum non modo, sed etiam externorum benefactorum suorum nomina consuevisse alicubi promiscue in suis ipsorum Necrologiis inscribi, & in Capitulo recitari.

III. Sed quidquid sit de hac disciplina, illud plane mandant & nostrum Rituale Romanum, & peculiaria aliarum etiam Ecclesiarum Ritualia, ac Sacræ Synodi passim Provinciales, Diœcesanæque, ut Parochi inter alios Libros hunc sibi peculiarem Librum conficiant, qui dicitur *Defunctorum*, & in quo describendi sunt mortui Parochiæ sub forma in §. sequenti præscripta, vel in probatis longo usu, atque auctoritate Episcoporum suorum Ritualibus. Non enim decet, ut quis suo arbitrio hujusmodi formulas conficiat, defunctorumque vel insignium memoriam suis ineptiis lædat; id quod merito detestata est inter alias celebris Synodus Provincialis XIV. Beneventana, celebrata anno MDCXCIII. sub Fr. Vincentio Maria S. R. E. Cardinale Ursino, postea Benedicto Papa XIII. cujus locum mox in sequenti Commentario referemus. Certe vidimus nos aliquando alicubi parochiales Libros, in quibus id genus formulas ineptiis plenas non

fine admiratione invenimus. Quod quidem nobis etiam contigit, ubi aliarum Ecclesiarum Libros legimus, in quibus notati erant defuncti cum quibusdam elogiis, quæ eorum potius famam, ac vitam lædebant, quam commendabant. Sed de his hactenus satis.

## §. I.

Describatur quis, & quæ, & cui Sacramenta ministraverit, quando quis mortuus fuerit, & ubi sepultus; quod hoc pacto fieri potuerit: *Anno... die... mensis... filius*, vel *filia N. ex loco N. ætatis N.* (si hæc sciri possunt) *in domo N. in communione S. Matris Ecclesiæ animam Deo reddidit*, *cujus corpus die... sepultum est in Ecclesia S. N. mihi N.* vel *N. Confessario probato confessus die... sanctissimo Viatico refectus die... & sacri Olei unctione roboratus etiam per me die...*

## COMMENTARIUS.

I. EXtat, ut alias omittam, in Salernitana Diœcesana Synodo anni MDLXXIX. Tit. XLVIII. Cap. I. pag. 254. formula describendi mortuos in Libro Parochiali his verbis concepta: *Die.. mensis.. anni.., mortuus est N. sepultus in Ecclesia S. N. Parochiali*, vel alia; *fecit testamentum manu Notarii N. legavit pro anima sua*. Tum vero mox mandat, ut *describantur legata pia*; & si non fecit testamentum, dicatur: *decessit intestatus*. At vero longe melior est formula in §. nostro præscripta, in qua scilicet fit mentio susceptionis Sacramentorum, ut pateat ratio, propter quam defunctus Ecclesiasticæ sepulturæ traditus fuit; si enim fuisset publicus peccator, vel aliis de causis ab Ecclesia segregandus, sepultura Ecclesiastica minime donatus fuisset. Porro clausula de sepultura, & ejus loco, debet necessario apponi; sunt enim Doctores, qui opinantur, quod fides Parochi mortem non probet, nisi dicat, defunctum traditum sepulturæ fuisse, uti ad hunc nostrum §. Barrufaldus notavit.

II. Jam non desunt Auctores, qui censent, cum diversimode quis mori possit, vel naturali, vel improvisa, vel violenta morte, describi & illos debere in præscripta a nostro Rituali forma, mutatis mutandis, additisque addendis. Sed & illud præterea notandum censeo, quod & Scriptores non pauci admonuerunt, nempe quocumque modo mors sequatur, cautum esse Parochum debere, ut exprimat clare, & distincte, etiam lingua vernacula, si opus est, præsertim in Pagis obscuris, ubi incolæ sunt rudes, ætatem defuncti, locum, & diem obitus, Ecclesiam tumulationis, & qualitatem personæ, idest si infans, si adultus, si senex; si obiit in Parochia, vel extra; si in Civitate, vel rure; si morte naturali, violenta, subitanea, improvisave; si filiusfamilias, si vir uxoratus, si Clericus, si in dignitate aliqua constitutus. Quod vero feminas spectat, si virgo, si nupta, si vidua.

III. Reliquum est, ut & in hoc Commentario describam Decretum, quod de parochialibus Libris hactenus explicatis a Parocho habendis statuit Concilium Provinciale XIV. Beneventanum anno MDCXCIII. celebratum sub Fr. Vincentio Maria S. R. E. Cardinali Ursino, qui fuit postea Benedictus Papa XIII. Tit. XXXVI. Capite XVI. *Quilibet Parochus*, inquit, *Libros Baptizatorum, & Confirmatorum, ac tres alios Libros parochiales juxta formam Romani Ritualis conficiat; formulas namque illas ad placitum, & inepte inventas Sancta Synodus detestatur; mandatque, ut Parochi iidem præfatorum Librorum omnium exempla singulis annis ad Curiam Episcopalem in illius Archivo servanda transmittant; si secus fecerint, arbitraria pœna plectantur.* Præter memoratos Libros Concilium quoque Provinciale Beneventanum XII. celebratum anno MDXCIX. Tit. XVII. Cap. II. statuerat, ut Parochi habeant Librum excommunicatorum, & in manifesto peccato mortali existentium, quos nec ad suscipiendum in Baptismo, nec ad tenendum in Sacramento Confirmationis admittant; itemque, ut alium Librum habeant, in quo bona, jura, actiones, & alia quæcumque ad eorum Ecclesias spectantia adnotentur. Atque hic, ne amplius longior fiam, finem facio hujus II. Tomi, ac totius Ritualis Romani Commentariis ad solius Dei honorem, & gloriam.

## FINIS TOMI II.

## ET TOTIUS OPERIS.

# INDEX RERUM

*Quæ in Titulis, & Capitibus, & in Commentariis hujus Operis continentur. Numerus Romanus Tomum, Arabicus paginam; litera D. Dedicatoriam, P. vero Præfationem Operis indigitat.*

## A

# B

# C

Con-

# D



Cur

# E



Ec-

Eu-

# F



Fe-

# G

# L



Lin-

# M

# N

# O

# P

so-

# Q

# R



Re-

Ri-

# S

# T

FINIS INDICIS TOTIUS OPERIS.